Postea, quam emendatam pollicetur, corruptam dedit ab Henrico Pantaleone, Nicolaus Brillingerus, anno 1564 (2); nec diffitetur ipse Pantaleon, se *vetustissimum exemplar fideliter correxisse; in quibusdam etiam locis usitatiora verba pro obsoletis, et sententias perfectas pro imperfectis apposuisse; atque sic multo emendatiorem denuo in lucem edidisse* : scilicet! Nos, quam potuimus exacta, ctissime veteres secuti, ex iis passim lacunas replevimus; et lib. III, quod deerat, integrum caput quintum, aliis locis periodos integras restituimus; voces emendavimus, quot dici non potest : nobis, nihil primisimus. Sumus autem usi codicibus Pithoeano, Cantabrigiensi, Parisiensi Navarreno. Cantabrigiensem, humanitate præfecti et sociorum admissi, vidimus et consuluimus in bibliotheca, collegii S. Benedicti : et ejus, antequam eo accederemus, gestum nobis dederat Merlinus Higdenus, conciliante eum nobis Stephano Le Sieur. Parisiensis Codicis qui in Navarreno collegio exstat, index fuit Albertus Myræus, ejusque postea lectiones a vulgato diversas diligenter et judicio collectas misit Timotheus Hoyus, Andreæ filius : tres, omnino probæ notæ, sub ipsam ætatem auctoris conscripti. Navarrenum, subscriptio indicat donatum ab Ansello episcopo Meldensi, qui vitiose Democharі dicitur Aurellus et Ausellus : vixit is circa annum Domini 1200, id est paulo post nostrum archiepiscopum. Veræ lectioni firmandæ, et illustrandæ historiæ, profuerunt Gallicæ interpretationes : Palatina Heydelbergensis, quam fuisse Isabellæ reginæ Norwegiæ indicat inscriptio rubricata : eam nobis olim impetravit Georg. Michael Lingelsheimius; nuper consulenti, adfuit Janus Gruterus. Fauchetiana, a Dionysio Godofredo JC. Nostra.

Subjecimus Tyrio, *Notitiam patriarchatuum* Antiocheni et Hierosolymitani, membranas secuti; nam in editis collocatur lib. XIV, c. 12. Nomina uti erant in mss. diversa a vulgatis, exhibuimus, sane corruptissima : quæ dabit, ut speramus, emendata Alberti Miræi diligentia.

(2) *Historia Belli sacri verissima, lectu et jucunda et utilissima, libris viginti tribus ordine comprehensa, in qua Hierosolyma ac terra populo Dei olim promissa et data, una cum tota fere Syria, per occidentales principes Christianos, anno reparatæ salutis 1090, magna pietate et fortitudine recuperata fuit, certa narrationis serie, per annos 84, ad regnum Balduini IV usque continuata et descripta, auctore olim Willelmo Tyrio metropolitano archiepiscopo, ac regni Hierosolymitani fidelissimo cancellario; nunc vero multo castigatior quam antea in lucem edita; una cum continuatione totius de Bello sacro historiæ, quæ libris sex ad nostra tempora usque extenditur et Hierosolymitani regni et urbis casus et varietates fortunæ ordine explicat, cum præfatione Henrici Pantaleonis. atque ipsius authoris vita. multarumque nobilissimarum urbium depictione.*

INCIPIT HISTORIA

RERUM IN PARTIBUS TRANSMARINIS GESTARUM

A TEMPORE SUCCESSORUM MAHUMETH USQUE AD ANNUM DOMINI MCLXXXIV

EDITA

A VENERABILI GUILLELMO

TYRENSI ARCHIEPISCOPO.

INCIPIT PROLOGUS.

WILLELMUS, Dei patientia sanctæ Tyrensis Ecclesiæ minister indignus, venerabilibus in Christo fratribus, ad quos præsens opus pervenerit, æternam in Domino salutem.

Periculosum esse et grandi plenum alea regum gesta describere, virorum prudentium nemo est qui dubitet. Nam, ut laborem, juge studium, perennes vigilias, quibus hujusmodi solent indigere negotia, penitus omittamus, duplex historiographis certum est imminere præcipitium : quorum vix est, ut alterutrum declinare valeant. Effugientes enim Charybdim, Scyllam incurrunt, quæ succincta canibus, non minus novit procurare naufragia. Aut enim rerum gestarum veritatem prosequentes, multorum in se conflabunt invidiam; aut indignationis gratia leniendæ, rerum occultabunt seriem in quo certum est non deesse delictum. Nam rerum veritatem studiose præterire, et occultare de industria, contra eorum officium esse dignoscitur. Ab officio autem cadere, procul omni dubio, culpa est; si tamen vere dicitur officium, congruus actus uniuscujusque personæ, secundum mores et instituta patriæ. *Rerum autem incontaminatam prosequi gestarum seriem, et veritatis regulam non deserere, res est quæ indignationem solet sæpius excitare, juxta illud quod vetere proverbio dici solet :* Obsequium amicos, veritas odium parit. *Aut igitur a*

Digitized by Google

suæ professionis cadent officio, obsequium præstantes indebitum; aut rei veritatem prosequentes, odium, cujus ipsa mater est, eos oportebit sustinere. Hæc nimirum frequentius ita sibi solent adversari, et se mutua importunitate reddere molesta. Nam juxta Ciceronis nostri sententiam : Molesta est veritas, siquidem ex ea nascitur odium, quod est amicitiæ venenum; molestius tamen obsequium, quod vitiis indulgens, amicum sinit ire præcipitem : quod in se videtur implere, qui obsequii gratia, contra officii debitum supprimit veritatem. Nam eorum qui adulationis studio rerum gestarum articulis involvunt impudenter mendacia, tam detestabile factum creditur, ut nec scriptorum numero debeant sociari. Si enim rerum veritatem gestarum occultare secus est, et deficiens a scriptoris officio, multo fortius peccatum reputabitur, mendacii nævum veris immiscere; et quod a vero deficit, credulæ pro vero posteritati contradere. Ad hæc, nihilominus æque vel amplius formidabile historiarum scriptoribus solet discrimen occurrere, totis viribus fugiendum; videlicet, ne rerum gestarum dignitas, sermonis ariditate et oratione jejuna sui dispendium patiatur. Verba enim rebus, de quibus agitur, decet esse cognata; nec a materiæ nobilioris elegantia, scriptoris linguam degenerare. Unde magnopere cavendum ne amplitudo materiæ tractatus debilitate succumbat, et vitio narrationis exeat macilentum vel debile, quod in sui natura pingue solidumque subsistit. Nam, ut ait orator eximius in Tusculanarum primo : Mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere nec illustrare possit, nec delectatione aliqua lectorem allicere, hominis est intemperanter abutentis et litteris et otio. Hoc igitur dilemma et multiplicitatem periculi, in præsenti nobis videmur incidisse. Nam in opere quod gestamus præ manibus, multa de regum moribus, et vita, et corporum habitudine, sive commendabilia, sive notæ subjacentia, prout rerum gestarum serics videbatur deposcere, interseruimus; quæ eorum posteri relegentes, impatienter fortasse portabunt, et adversus chronographum præter meritum incandescent; aut invidum aut mendacem reputabunt, quorum utrumque (vivit Dominus) tanquam rem fugimus agere pestilentem. Nam de reliquo jam non licet ambigere; quod ad impar opus impudenter enitimur, et quod ad rerum dignitatem nostra non satis accedit oratio. Nonnihil est tamen quod egimus. Nam et in picturis rudes, et ad artis arcana nondum admissi, luteos primum solent colores substernere, et prima lineamenta designare quibus manus prudentior, fucis nobilioribus decorem consuevit addere consummatum. Primo enim, summo labore jecimus fundamenta, quibus sapientior architectus, observata veritatis regula, quam in nullo deseruimus, egregio tractatu, artificiosa magis poterit superædificare triclinia. Inter tot igitur periculorum insidias et anceps discrimen, tutius fuerat quievisse, silendumque erat, et otium calamus indicendum; sed urgentissimus instat amor patriæ, pro qua vir bene dispositus etiam (si id necessitatis articulus exigat) vitam tenetur impendere. Instat, inquam, et auctoritate qua præeminet, imperiose præcipit, ut quæ apud se centum pene annorum gesta sunt curriculis, silentio sepulta, non patiamur sentire posse oblivionis incommodum; sed styli exarata diligenter officio, posteritatis memoriæ conserventur. Paruimus igitur, et manus dedimus ei, cui nostram non satis honeste negare poteramus operam; non multum attendentes quid de nobis censura sit posteritas; et quid in tam excellente materia exsanguis nostra mereatur oratio. Paruimus sane, utinam tam efficaciter quam libenter; utinam tam commendabiliter quam devote : natalis soli magis tracti dulcedine, quam vires cum assumpto labore compensantes; non ingenii ope freti, sed pii fervore affectus, et charitatis sinceritate. Accessit præterea domini Almarici regis (cujus anima sancta requie perfruatur) illustris memoriæ, et inclytæ in Domino recordationis jussio, non facile negligenda, et instantia multiplex, quæ ad id ipsum nos maxime impulit, cujus etiam rogatu, ipso Arabica exemplaria ministrante, aliam Historiam a tempore seductoris Mahumeth, usque in hunc annum, qui est nobis ab Incarnatione Domini 1184, per annos quingentos septuaginta decurrentem conscripsimus : auctorem maxime secuti virum venerabilem Seith, filium Patricii, Alexandrinum patriarcham. In hac vero, nullam aut Græcam, aut Arabicam habentes præducem scripturam, solis traditionibus instructi, exceptis paucis quæ ipsi oculata fide conspeximus, narrationis seriem ordinavimus, exordium sumentes ab exitu virorum fortium, et Deo amabilium principum, qui a regnis Occidentalibus, vocante Domino, egressi, terram promissionis, et pene universam Syriam in manu forti sibi vindicaverunt; et inde usque ad regnum domini Balduini IV, qui in ordine regum, computato domino duce Godefrido, qui primus regnum obtinuit, locum habuit septimum; per annos LXXXIV cum multa diligentia protraximus historiam. Et, ut ad pleniorem status Orientalium regionis, lectori nihil deesse possit intelligentiam studioso, paucis et succincte præmisimus, quo tempore et quanto, servitutis jugum passa fuerit; unde fuit hoc medio tempore fidelibus in ea degentibus inter infideles conditio, et quæ fuerit occasio, ut post tam longa continuæ servitutis tempora, Occidentalium principes regnorum ad eorum libe rationem excili, tantum sibi peregrinationis onus assumpserint. Quod si quis ad nostras occupationes respiciat, quorum multiplicitate fatigamur plurimum; tum circa egregiam et a Deo custoditam Tyrorum metropolim, cui non de meriti electione, sed sola Domini patientia præsidemus; tum circa domini regis negotia, in cujus sacro palatio cancellarii fungimur dignitate; et circa necessitates alias, quæ solito majores emergunt : ad indulgendum erit proclivior, si forte in opere præsenti occurrerit, unde justius offendatur. Occupatus enim circa plurima animi motus interior, ad discutienda diligentius singula solet debilior consurgere; et partitus, tantam singulis non potest inrendere di-

Digitized by Google

licentiam, quantum totus apud se residens, uniformis, consuevit unicis et singularibus aptare studiis. Unde et facilius meretur veniam. Distinximus autem volumen universum in libros XXIII *eorumque singulos certis designavimus capitulis, quo lectori facilius quidquid de articulis historiæ sibi viderit necessarium, occurrat : propositum habentes, vita comite, quæ deinceps nostris temporibus rerum futurarum depromet varietas, his quæ præmisimus addere; et numerum augere librorum, pro quantitate occurrentis materiæ. Certum porro tenemus, nec nos hæc fallit opinio, quod nostræ imperitiæ testem producimus opus præsens. Et qui latere possumus silentes, nostrum scribendo prodimus defectum, dum officium charitatis amplectimur; magis tamen volumus absque ea quæ inflat inveniri, quam ea quæ ædificat carere. Nam sine illa plures ingressi ad nuptias, mensa regis inventi sunt digni; qui autem sine hac inventus est in-*

A *ter convivas, audire meruit :* Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? (*Matth.* XXII, 12) *quod ne nobis accidat, avertat qui solus potest, miserator et misericors Dominus. Scientes tamen, quoniam* multiloquio non solet deesse peccatum (*Prov.* X, 20); *et miseri hominis linguam in lubrico posita, pœnam facile meretur, invitamus fraterne, et exhortamur in Domino nostrum lectorem, ut cum justum reprehensionis locum invenerit, charitate media, utatur ea licenter, et de nostra correctione, sibi acquirat æternæ vitæ præmium : memorque nostri in suis orationibus impetret apud Dominum, ut quidquid in*

B *opere præsenti deliquimus, nobis non imputet ad mortem, sed de gratuita bonitate et inolita pietate clementer indulgeat Salvator mundi, cujus tribunal nos miseri et inutiles in domo ejus servi, accusantem supra modum verentes conscientiam, non immerito formidamus.*

LIBER PRIMUS INCIPIT.

CAPUT PRIMUM.

Quod tempore Heraclii Augusti, Homar filius Catab, tertius post Mahumeth, dux Arphum, universam occupavit Syriam.

Tradunt veteres historiæ, et id ipsum etiam habent Orientalium traditiones, quod tempore quo C Heraclius Augustus Romanum administrabat imperium, Mahumeth primogeniti Satanæ (qui se prophetam a Domino missum mentiendo, Orientalium regiones, et maxime Arabiam seduxerat) ita invaluerat doctrina pestilens, et disseminatus languor ita universas occupaverat provincias, ut ejus successores jam non exhortationibus vel prædicatione, sed gladiis et violentia in suum errorem populos descendere compellerent invitos. Cum enim prædictus Augustus, victor reversus de Perside (unde crucem Domini cum gloria reportaverat) adhuc in Syria moram faceret, et per Modestum, virum venerabilem, quem Hierosolymis ordinaverat episcopum, ecclesiarum ruinas, quas Cosroe, Persarum satrapa nequissimus hostiliter dejecerat, in priorem statum, datis sumptibus necessariis, reformari præceperet. Homar, filius Catab, a prædicto seductore tertius, erroris et regni successor, cum infinitis Arabum copiis, egregiam Palæstinorum urbem Gazam jam occupaverat violenter. Unde postmodum Damascenorum fines cum suis legionibus et infinita multitudine, quam secum trahebat, ingressus, Damascum expugnaverat, prædicto imperatore adhuc in Cilicia rei exitum exspectante. Quod cum ei nuntiaretur quod Arabes in tantam elati superbiam, et e sua multitudine præsumentes, Romanorum fines invadere, et eorum urbes sibi vindicare non vererentur, videns quod ei vires non suppeterent ad occurrendum tantæ multitudini, et ut eorum comprimeret insolentiam, maluit ad propria sospes redire, quam viribus imparibus, bellorum se dubiis committere casibus. Sic ergo eo discedente, qui afflictis civibus tenebatur patrocinium ministrare, Arabum invaluit violentia, ita ut subito et infra tempus modicum, a Laodicia Syriæ usque in Ægyptum, universas occupaverint regiones. Quis autem fuerit prædictus Mahumeth, et unde, et quomodo ad hanc proruperit insaniam, ut se prophetam mentiri et a Deo missum dicere præsumeret; cujus porro vitæ et conversationis; quandiu regnaverit, et ubi; et quos demum habuerit successores; et quomodo pene orbem universum pestiferis ejus repleverint dogmatibus, qui eum in eodem errore secuti sunt, alibi disseruimus diligenter, sicut ex subsequentibus datur intelligi manifeste.

CAPUT II.

Quæ fuit occasio, quod ita subito Orientem occupavit; et quod idem Hierosolymam veniens, templum Domini reædificari præcepit.

D Cooperabatur sane ad eorum propositum, quod paucis ante annis prædictus Cosroe, eamdem Syriam violenter ingressus, urbes dejecerat, concenderat suburbana; et ecclesias subvertens, populum captivaverat; et, Urbe sancta effracta, hostiliter in ea triginta sex civium millia gladio perimens, crucem Dominicam et loci ejusdem episcopum Zachariam, cum residuo populi tam urbis quam regionis universæ secum transtulit in Persidem. Hic enim rex Persarum potentissimus, domini Mauritii Augusti (cujus adeo familiaris fuit beatus papa Gregorius, ut unum de liberis ejus de sacro fonte susciperet) filiam nomine Mariam in uxorem duxit; cujus gratia conjugii, lavacrum regenerationis adeptus est, fuitque Romanorum amicissimus,

Digitized by Google

quandiu prædictus vixit imperator. Quo demum a Phoca Cæsare, qui eidem postmodum in imperio successit, proditiose interfecto, abominatus eorum perfidiam, qui tam nefarium hominem, et adhuc domini sui cæde cruentatum, super se regnare passi fuerant, quasi occultæ societatis reos et illius sceleris habentes conscientiam : imperii fines violenter ingressus est, in res eorum violenter desæviens, soceri necem, uxore stimulante, ultum iri desiderans : subactisque cæteris regionibus, quæ Romanorum suberant ditioni, novissime Syriam, ut præmisimus, obtinuit, populis ejus aut peremptis gladio, aut secum in Persidem deductis. Ingressi ergo Arabes, terram habitationibus reperientes vacuam, majorem subjiciendi eam sibi repererunt opportunitatem. Sic ergo urbem Deo amabilem, Hierosolymam videlicet, paribus calamitatibus involutam comprehendentes, populo, qui in ea erat modico, ut eis factus tributarius extremis conditionibus deserviret, pepercerunt, permittentes eis suum habere episcopum et ecclesiam, quæ, ut prædictum est, dejecta fuerat, reparare, et religionem libere conservare Christianam. Dum autem in eadem civitate princeps supra nominatus moram faceret, cœpit diligenter a civibus percunctari, et maxime a viro venerabili Sophronio, ejusdem loci episcopo (qui Modesto piæ memoriæ jam defuncto successerat) ubinam esset locus in quo templum Domini fuerat, quod a Tito Romano principe, cum ipsa urbe dirutum fuisse legitur : qui ostendentes ei locum designaverunt, aliqua vetusti operis exstantia vestigia demonstrantes, ubi sumptibus qui sufficere possent ad impensam designatis et convocatis artificibus, subjecta pro votis materia tam ex marmorum diversitate quam ex lignorum differentia multiplici, templum ædificari præcepit. Quo postea infra modicum tempus, juxta conceptum mentis feliciter consummato, quale hodie Hierosolymis esse dignoscitur, multis et infinitis ditavit possessionibus, unde suppeterent facultates ad habenda perpetuo ejusdem sarta tecta, et vetera renovanda, et continenda luminaria per manum eorum qui in eodem templo deservirent. Quæ autem sit illius forma, et quæ operis elegantia, quoniam pene omnibus notum est, non est præsentis tractare negotii. Exstant porro in eodem templi ædificio, intus et extra, ex opere Musaico, Arabici idiomatis litterarum vetustissima monumenta, quæ illius temporis esse creduntur : quibus et auctor, et impensarum quantitas, et quo tempore opus inceptum, quoque consummatum fuerit, evidenter declaratur.

CAPUT III.

Quanto tempore sub alternis dominiis Syria jugum passa est servitutis : et quomodo fidelibus, qui sub infidelium ditione degebant, utilis fuit amicitia magnifici imperatoris Caroli, cum Aarum rege Persarum contracta.

Sic igitur civitate Deo amabili et sacrosancta, peccatis nostris exigentibus, infidelium subjecta hostium ditioni, jugum indebitæ servitutis continuis passa est laboribus per annos quadringentos nonaginta ; conditionibus tamen alternis. Nam frequenti rerum mutatione, dominos mutavit frequentius ; secundum quorum dispositionem, plerumque lucida, plerumque nubila recepit intervalla ; et ægrotantis more, temporum præsentium, gravabatur aut respirabat qualitate. Plenius tamen convalescere non poterat, quæ infidelium principum et populi sine Deo, dominatione premebatur violenta. Diebus tamen illius admirabilis et prædicandi viri, Aarum videlicet, qui cognominatus est Ressith, qui universo præfuit Orienti (cujus liberalitatem et urbanitatem præcipuam, et mores singulariter commendabiles, universus etiam usque hodie Oriens admiratur, et præconiis attollit immortalibus) interventu piissimi et immortalis memoriæ viri, domini videlicet imperatoris Caroli (qui mutuam, intercurrentibus nuntiis frequentibus, inter se gratiam et mirabili subnixam fœdere, conciliaverant), plebi Dei tranquillitas præstita est, et favor principis clementer indultus ad multam consolationem ; ita ut magis sub imperatore Carolo, quam sub dicto principe degere viderentur. De quo ita legitur in Vita prædicti viri gloriosi : *Cum Aarum, rege Persarum, qui, excepta India, totum pene Orientem tenebat, talem habuit in amicitia concordiam, ut is gratiam ejus, omnium qui in toto orbe terrarum erant regum ac principum amicitiæ præponeret, salumque illum honore ac magnificentia sibi colendum judicaret. Ac proinde cum legati ejus, quos cum donariis ad sacratissimum Domini ac Salvatoris nostri sepulcrum locumque resurrectionis miserat, ad eum venissent, et ei domini sui voluntatem indicassent, non solum quæ petebantur fieri permisit, sed etiam sacrum illum et salutarem locum, ut illius potestati ascriberetur, concessit, et revertentibus legatis suos adjungens, inter vestes et aromata, et cæteras Orientalium terrarum opes, ingentia illi dona direxit : cum ei ante annos paucos, cum quem tunc solum habebat, roganti mitteret elephantem.* Nec solum iis qui Hierosolymis habitabant sub infidelium potestate fidelibus, verum et iis qui in Ægypto et in Africa sub impietate degebant Sarracenorum, suarum largitionum frequenter dirigebat solatia, et pietatis opera porrigebat ; sicut in ejus Vita legitur, quæ habet ita : *Circa pauperes sustentandos, et gratuitam liberalitatem (quam Græci* eleemosynam *vocant) devotissimus, ut non in patria solum et in regno suo id facere curaverit, verum trans maria, in Syria et Ægypto atque Africa, Hierosolymis, Alexandriæ atque Carthagini, ubi Christianos in paupertate vivere compererat, penuriæ eorum compatiens, pecuniam mittere solebat. Ob hoc maxime transmarinorum regum amicitias expetens, ut Christianis sub eorum dominatu degentibus, refrigerium aliquod ac relevatio proveniret.* Quod autem et quantis rerum, temporum et dominiorum variis permutationibus hoc medio tempore flagellata fuerit, tam prædicta Dei cultrix civitas quam universa ei adjacens regio,

Digitized by Google

si quis scire desiderat, eam relegat historiam, quam nos *De gestis Orientalium principum*, a tempore prædicti seductoris Mahumeth usque in hunc præsentem diem, qui est nobis ab Incarnatione Domini 1182, per annos quingentos septuaginta seriem rerum complexam, cum multo labore confecimus.

CAPUT IV

Quomodo in potestatem devenit Ægyptii caliphæ, et quomodo Heque nequissimo regnante, servitutis jugum super fideles factum sit intolerabilius; et de ruina ecclesiæ Hierosolymitanæ.

Porro per idem tempus inter Ægyptios et Persas æmula nimis et pertinax erat de monarchia contentio. Ministrabat autem odiorum fomitem et incentivum majus, contradictoriarum observantia traditionum, qua usque hodie uterque populus contentionibus reciprocis sacrilegos se appellant, sibi non communicantes invicem, ita ut etiam nominibus velint habere differentiam. Qui enim Orientalium superstitionem sequuntur, lingua eorum Sunni dicuntur; qui vero Ægyptiorum traditiones præferunt, appellantur Siha, qui nostræ fidei magis consentire videntur. Quæ autem sit inter eos erroris differentia, non est præsentis temporis edocere. Tandem vero Ægyptiorum regno invalescente, et usque Antiochiam provincias et regiones occupante, cum cæteris in ejus Urbs sancta, legibus communibus, descendit potestatem. Sub quo principatu (sicuti captivis solent aliquando tempora indulgentiora concedi) a suis anxietatibus cœpit aliquantulum esse remissius, quousque consummata hominum nequitia exigente, eidem regno Hequen calipha præfectus est. Hic et prædecessorum suorum et successorum pariter longe vincens malitiam, factus est posteris et ejus insaniam legentibus solemnis fabula. Adeo enim in omni impietate et nequitia singularis exstitit, ut ejus vita Deo et hominibus odibilis speciales exigat tractatus. Hic inter cætera, quæ perniciosa plurima præceperat, ecclesiam Dominicæ Resurrectionis (quæ per venerabilem virum Maximum, ejusdem loci episcopum, præcipiente domino Constantino Augusto ædificata fuerat, postea per reverendissimum Modestum tempore domini Heraclii reparata) funditus dejici mandavit. Cujus præcepti rescriptum quidam ejus procurator, præses videlicet Ramulensis, Hyaroe nomine, ad se directum suscipiens, prædicta ecclesia usque ad solum diruta, jussionem regiam effectui mancipavit. Præerat vero ea tempestate eidem ecclesiæ vir venerabilis Orestus nomine, ejusdem nequissimi regis avunculus, matris ejusdem frater. Hoc autem ideo fecisse dicitur, ut suæ perfidiæ populis infidelibus daret argumentum. Objiciebatur enim ei Christianitatis titulus, eo quod ex matre Christiana natus esset; quam quasi crimen a se volens depellere, prædictum facinus ausus est perpetrare, nihil arbitratus superesse calumniæ, quod in ejus personam impingi posset, quodque ejus æmulis pateret ad morsum, ex quo religionis fontem Christianæ, fidei catholicæ cunabula dejecisset.

CAPUT V.

Quæ erat conditio fidelium per illud tempus inter infideles.

Ab ea die cœpit fidelium in eadem civitate multo deterior esse conditio, tum ex dolore justissimo, quem ex casu sanctæ Resurrectionis ecclesiæ conceperant; tum ex multiplicatis angariis geminata molestia. Nam præter enormitatem tributorum et vectigalium, quæ ab eis præter morem et contra privilegia a suis prædecessoribus indulta exigebantur, solemnitates etiam interdixerat, quas usque ad illum diem sub aliis principibus, et in occulto et palam satis libere celebraverant. Quoque dies erat celebrior, eo arctius domiciliorum suorum septis cohibebantur, nec in publicum audebant comparere, domi etiam non tutum dabatur eis habere refugium, sed jactu lapidum et sordium immissione, et violentis irruptionibus, quanto dies erat solemnior, tanto amplius molestabantur. Ad hæc et pro quolibet verbo levi, ad quamlibet accusatoris alicujus suggestionem, sine causæ cognitione rapiebantur ad cruces et supplicia, bona confiscabantur, auferebantur possessiones, filiique eorum et filiæ rapti de domibus parentum, flagellis aliquando, nonnunquam blandimentis et promissionibus apostatare cogebantur, aut patibulis affigi. Qui autem pro tempore erat illis patriarcha, is primum injurias excipiebat et opprobria; tum eos et publice et secretius ad longanimitatem invitans, pro temporalibus quæ patiebantur malis, coronas promittebat sempiternas. Cujus verbis et exemplo commoniti, transitorias pro Christo contemnentes injurias, se invicem mutua charitate consolabantur. Referre per singula longum esset, quanta in propriis corporibus prædicti servi Dei pertulerint tormenta, ut hæredes fierent in domo Domini, et ut leges æmularentur paternas. Unum tamen de tot millibus, exempli gratia, producamus in medium, ut per hæc deprehendat vestra dilectio, quam ex frivolis causis ad ultima supplicia rapiebantur. Quidam civis ex infidelibus nostros odio persequens insatiabili, vir perfidus et nequam, ut eis aliquid ad mortem moliretur, morticinum canis clam projecit in atrium templi, in cujus munditia conservanda, ejus custodes et universa civitas omnem impendebant sollicitudinem. Mane facto, qui orationis gratia accesserunt ad templum, reperientes immundum cadaver et fetens, pene ad insaniam versi, universam urbem repleverunt clamoribus. Concurrit subito populus universus, et omnes asserunt pro constanti, Christianos hoc fecisse. Quid plura? Decernitur interitus universis, et tam piaculare flagitium morte piandum judicatur. Fideles porro de sua confidentes innocentia, mortem pro Christo parati erant subire. Dumque adessent speculatores eductis gladiis ut populum interimerent, obtulit se adolescens plenus spiritu, dicens: *Periculosum est, fratres, si ita perit omnis hæc ecclesia. Expedit ma-*

Digitized by Google

gis ut unus moriatur pro populo, et non tota gens pereat. Concedite mihi, ut mei habeatis annuam in benedictione memoriam, et generi meo honor in perpetuum debitus conservetur; ego vero, auctore Domino, hanc a vobis stragem depello. Susceperunt igitur gratanter verbum, et quod ille petierat, ultro concedunt. Et ut in Ramis palmarum ad perennem ejus memoriam, contribules ejus olivam, quæ Domini nostri Jesu Christi significativa est, introducant in civitatem, in processione solemni, confirmant. Quo facto, prædictus adolescens primatibus se offert civitatis, reum se confitetur, et omnes alios astruit innocentes. Quod audientes judices, aliis absolutis, illum gladio exposuerunt. Et ita pro fratribus animam ponens, cum pietate dormitionem accepit, optimam in Domino habens repositam gratiam.

CAPUT VI.

Quomodo patri nequam, filius Daber egregius moderator regni successit: et precibus domini Romani, Constantinopolitani imperatoris, reædificatur ecclesia, cooperante Joanne Carianite, Constantino monacho necessaria ministrante.

Adfuit tandem divina clementia, et afflictorum miserta, consolationem intulit non modicam rebus desperatis. Prædicto enim principe nequam rebus humanis exempto, cessavit ex parte quassatio, filio ejus Daber regnum obtinente. Hic siquidem ad petitionem domini Romani imperatoris Constantinopolitani (qui cognominatus est Heliopolitanus, cum quo etiam fœdus quod pater ejus violaverat resarciens, contraxerat amicitiam) prædictam ecclesiam reædificandi fidelibus concessit potestatem. Qua concessa, cognoscens plebs fidelium, quæ Hierosolymis habitabat, quod ad tanti operis restaurationem eorum vires non sufficerent, missis nuntiis ad prædicti Romani successorem, dominum Constantinum monomachum, qui tunc agebat in sceptris, precibus porrectis, humiliter significant in quanto mœrore et in quanta desolatione post ecclesiam dirutam populus consedisset: orant affectuosissime, ut ad reædificationem ecclesiæ, imperialis munificentiæ liberalem porrigeret manum. Procurabat autem eorum legationem quidam Joannes cognomento Carianitis, Constantinopolitanus natione, nobilis quidem secundum carnem, sed moribus multo nobilior. Hic postposita sæculi dignitate, Christum secutus, religionis assumpto habitu, Hierosolymis pauper pro Christo habitabat. Missus ergo, debita instantia, sollicitudine non pigra, apud eumdem dominum imperatorem fideliter elaborans, obtinuit, ut ad opus prædicti ædificii de proprio fisco, idem Deo amabilis Augustus, sumptus necessarios et sufficientes ministrari præciperet. Impetrata ergo pro voto fidelis populi postulatione, lætus Hierosolymam reversus est. Ubi nuntiato itineris successu, et precum porrectarum exauditione, universum clerum et populum, quasi de gravi ægritudine convalescentes recreavit. Præerat autem eidem ecclesiæ tunc vir venerabilis, Nicephorus patriarcha. Sic ergo obtenta licentia, et sumptibus de imperiali ærario ministratis, eam quæ nunc Hierosolymis est, sanctæ Resurrectionis ædificaverunt ecclesiam, anno ab Incarnatione Domini 1048, ante urbis liberationem annis LI, tricesimo vero septimo postquam diruta fuerat. Qua constructa, contra imminentia pericula, et mille mortis discrimina consolationem receperunt. Non tamen cessabant adversus eumdem populum fidelem frequentes injuriæ et angariarum nova genera; sputa, colaphi, vincula, carceres; ad ultimum, suppliciorum omne genus, quibus populus Dei incessanter affligebatur. Nec solum iis qui in eadem urbe erant, sed etiam iis qui in Bethlehem et Thecua, ubi soli habitabant fideles, idem canterium imprimebatur. Quoties enim novus accedebat præses, et missus a calipha recens dirigebatur procurator, toties contra Dei populum novæ struebantur calumniæ, et varia extorquendi inveniebantur argumenta. Et quoties a domino patriarcha et populo communiter aliquid volebant violenter exigere, si aliquo casu eorum differebatur postulatio, statim minabantur ecclesiam dejicere. Idque pene annis patiebantur singulis, confingentibus præsidibus se hujusmodi rescriptum a regia directum celsitudine habere præ manibus, ut si aliquam difficultatem vel moram in præstandis tributis aut vectigalibus præsumerent adnectere, eorum statim usque ad solum dirutæ deponerentur ecclesiæ. Quandiu tamen Ægyptiorum aut Persarum prævaluit regnum, sub eorum imperio fideles melioribus usi sunt conditionibus. At vero postquam Turcorum invalescere iterum cœpit regnum, et eorum viatus super Ægyptiorum et Persarum fines ampliari, et in eorum Urbs sancta decidit potestatem, per triginta octo annos, quibus eam detinuerunt occupatam, majoribus molestiis cœpit populus Dei fatigari; ita ut leve ducerent, quod sub Ægyptiorum vel Persarum jugo pertulerant.

CAPUT VII

De ortu et prima origine gentis Turcorum.

Et quoniam de gente Turcorum frequenter nobis in opere præsenti erant dicenda quamplurima, quæ ipsi contra nostros, nostrique adversus eos viriliter magnificeque sæpius gesserunt; et adhuc proterve nimis in nostrorum impugnatione perseverant: non videtur alienum a nostro proposito, de ortu et prima origine gentis hujus, et processu ad hunc excellentiæ gradum, in quo jam multis annis stetisse leguntur, aliquid præsenti interserere narrationi. Gens igitur Turcorum, seu Turcomannorum (nam ab eodem habuerunt originem) ab initio septentrionalis fuit, inculta penitus, et certam non habens sedem. Vagabantur etenim, et passim circumferebantur, pascuorum sectantes commoditatem, non habentes urbes vel oppida, vel alicubi manentem civitatem. Volentes autem proficisci, incedebant simul qui ex eadem tribu erant, aliquem de majoribus contribulium suorum habentes quasi princi-

Digitized by Google

pem, ad quem universæ quæ in eadem tribu simul emergebant, referebantur quæstiones; cujusque dicto ab utraque dissonantium parte parebatur; cujusque non impune licebat examen declinare. Migrantes autem, universam secum suam substantiam transferebant, equitia, greges, et armenta, servos et ancillas; nam in his eorum omne consistebat peculium : nusquam agriculturæ dantes operam; emptionum et venditionum ignorantes contractus, sed solis permutationibus, vitæ sibi comparantes necessaria. Volentes autem alicubi, locorum herbidorum amœnitate tracti, tabernacula figere, et ad tempus aliquod moram sine molestia facere, per quosdam ex suis, qui videbantur prudentiores, regionum principes solebant convenire et pactis initis sub placitis conditionibus, et certa tributorum præstatione, sub principe qui regioni præerat, moram juxta condictum habebant in pascuis et nemoribus. Accidit autem quod illius populi multitudo maxima ab aliis seorsum incedens, Persarum ingressi fines, regionem invenerunt sibi aptissimam, Datoque regi, qui erat pro tempore, secundum quod inter eos ab initio convenerat, tributo, per annos aliquot moram ibi habuerunt diuturniorem. Augebatur autem eorum populus in immensum, et multiplicationis eorum non erat finis; ita ut regi et indigenis, mentem quodammodo habentibus præsagam, suspecta nimis esset eorum embola. Unde factum est, quod habito consilio violenter a regni finibus eos per se propellere, decreverant. Sed mutato consilio visum est eis expedientius, ut multiplicatis angariis, et consuetis pressionibus, novis irregulariter superadditis eos fatigarent, usque dum sponte sine coactione discederent. Cumque jam annis pluribus injuriarum pondus et tributorum enormitatem exactorum sustinentes, diutius tolerare nolle, communicato decernerent consilio, et hoc regi esset compertum, missa voce præconia, jussi sunt a regno infra certum tempus discedere universo. Transeuntesque fluvium Cobar, qui regnum ex ea parte limitabat, ubi vident solito liberius et diligentius suorum infinitam multitudinem; nam prius seorsum habitantes, sui nec numerum noverant, nec potentiam : mirati sunt quomodo tantus tamque innumerabilis populus alicujus principum aliquando tolerare potuerit superbiam, et angariarum et tributorum acerbitatem portare. Visumque est eis absque dubio, quod et Persarum populo, et qualibet natione nec numero nec viribus essent impares; nihilque eis ad obtinendas violenter finitimas regiones deesset aliud, quam id quod more aliorum populorum sibi regem non haberent. Volentes igitur votis consonis sibi regem creare, describentes suorum universam multitudinem, repererunt in eis centum familias cæteris splendidiores; quarum quamlibet sagittam unam præceperunt afferre, et juxta numerum familiarum centum sagittarum colligaverunt manipulum. Quem operientes, vocaverunt quemdam puerulum innocentem, præcipientes ei, ut immissa manu sub velamento, quo prædictarum latebat manipulus sagittarum, eo unam educeret solam, ea conditione ut de ea familia rex assumeretur, cujus sorte sagitta exiret. Factumque est casu, quod puer eduxit sagittam familiæ Selducorum. Unde constitit apud omnes, sicuti prius ordinatum fuerat, quod ex ea tribu princeps futurus crearetur. Præceptum est iterum, ut ex eadem tribu centum eligerentur, qui et ætate et moribus, et virtute cæteros anteirent suos contribules; utque singuli singulas afferrent sagittas, offerentium habentes inscripta nomina. Factoque ex eis iterum manipulo, et diligenter cooperto vocatus est iterum puer, vel idem qui et prius, vel alius fortasse ejusdem innocentiæ : cui similiter persuasum est, ut unam ex eis educeret : eduxitque unam cui inscriptum erat nomen Selduc. Erat autem is vir speciosus admodum, nobilis et in sua tribu præclarus, provectæ ætatis, sed integer viribus, et in re militari multam habens experientiam; quique tota corporis habitudine magni principis prætenderet elegantiam. Hunc ergo de communi decreto sibi præficientes, in throno sublimaverunt regio, eam quæ debetur regibus, ei exhibentes reverentiam, et ad ejus implenda imperia, fœdere complacito et juramentis corporaliter præstitis se obligantes. Ille autem statim collata sibi satis pro imperio utens potestate, missa voce præconia, edici publice mandat, ut retransito flumine et transmissis legionibus universis, Persarum fines, unde prius exierant, occupent violenter, et adjacentia sibi vindicent regna, ne de cætero compellantur regiones exteras errabundi circuire, et aliarum nationum tolerare fastus importabiles. Factumque est, quod infra paucos annos non solum Persarum, verum etiam universa Orientalium regna sibi subjugaverunt, subacta Arabum et aliarum nationum, quæ principatus obtinebant, violentia. Sicque populus vilis et abjectus ad tantum subito culmen evolavit, quod universum occupavit Orientem, Idque factum est vix triginta aut quadraginta annis, antequam nostri Occidentales principes peregrinationis iter, de quo hic agendum est, arriperent. Utque aliqua esset differentia saltem nominis inter eos qui sibi regem creaverant, et per hoc ingentem erant gloriam consecuti; et eos, qui in suo ruditate adhuc permanent, priorem vivendi modum non deserentes, dicuntur isti hodie Turci; illi vero prisca appellatione Turcomanni. Subactis itaque regnis Orientalibus, adjecerunt etiam, ut potentissimum Ægyptiorum regnum invaderent; descendentesque in Syriam, Hierosolymam cum quibusdam aliis finitimis urbibus, violenter subjugaverunt sibi, fideles quos in ea repererant habitatores, durioribus solito aggravantes molestiis, et angariarum multiplicitate fatigantes, ut præmisimus.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Quot et quantis vitiis per illud tempus subjectus esset mundus.

Nec solum in Oriente ita fideles ab impiis opprimebantur, verum in Occidente et in omni pene orbe terrarum, maxime inter eos qui fideles dicebantur, fides defecerat, et Domini timor erat de medio sublatus : perierat de rebus justitia, et æquitate subacta, violentia dominabatur in populis. Fraus, dolus et circumventio late involverant universa. Virtus omnis locum dederat et cesserat quasi inutilis, malitia subintrante. Videbatur sane mundus declinasse ad vesperam; et Filii hominis adventus secundus fore vicinior. Nam multorum refrixerat charitas, et fides non inveniebatur super terram : confusis ordinibus cuncta ferebantur, et in chaos pristinum mundus videbatur redire velle. Majores enim principes, qui subjectos ad pacem tenebantur dirigere, neglecto pacis fœdere, pro causis levibus contendentes ad invicem, regiones tradebant incendiis, prædas passim exercebant, pauperum bona impiis satellitibus suis exponebant ad rapinam; non erant tutæ alicujus facultates inter tot insidias; causa sufficiens putabatur, ut ad carceres quis traheretur, aut vincula, et in proprio corpore indignos sustineret cruciatus, quod aliquid habere crederetur. Ecclesiarum et monasteriorum non parcebatur prædiis, nec sanctorum possessionibus conferebant aliquid a piis principibus indulta privilegia; sed nec immunitatem solitam, et pristinam sibi vindicabant dignitatem. Effringebatur sane sanctuarium, et usibus dedicata cœlestibus vi rapiebantur utensilia. Non distinguebat sacrum a profano manus sacrilega; sed sublata differentia, prædæ patebant altarium vestes, amictus sacerdotum et vasa Domini. De gremio divinæ domus, de adytis penitioribus, de basilicarum atriis, qui ad eas confugerant, ad mortem trahebantur et supplicia. Vias quoque publicas accincti gladio grassatores improbi obsidebant, iter agentibus prætendentes insidias, ubi nec peregrinis, nec viris parcebatur religiosis. Sed nec urbes nec oppida ab iis importunitatibus vacabant, in quibus sicarii vicos omnes et plateas suspectas reddebant innocentibus. Quo quis erat insontior, eo pluribus subjacebat insidiis. Fornicationum etiam genus quodlibet, quasi res licita, passim et sine rubore exercebatur impune. Sed nec inter affines aut propinquos, tuta erant matrimoniorum fœdera. Amica cœlestibus et Deo placens, quasi res vilis, jussa migrare erat continentia. Nec parcimoniæ aut sobrietati locus erat, ubi luxus, et ebrietas, et pernox alea præoccupaverant aditus atque atria possidebant. Nec clerus a populo vita nobiliore differebat, sed sicut in propheta legitur : *Sicut populus, ita et sacerdos* (*Osee* IV, 9; *Isa.* XXIV, 2). Nam episcopi negligentes facti erant; *canes muti, non valentes latrare* (*Isa.* LVI, 10); personarum acceptores, oleo peccatoris impinguentes capita sua, commissa ovilia lupis vorientibus, mercenariorum more, deserebant. Et illius verbi immemores Dominici, quo dicitur : *Accepistis gratis, gratis date* (*Matth.* X, 8); Simoniacam non declinabant hæresim, Giezi sordibus et macula fœdati. Quid plura? ut in summa dicatur : *Omne in præcipiti vitium stetit*; et : *Omnis caro corruperat viam suam* (*Gen.* VI. 12). Nec pronos ad malum revocare poterant Domini comminantis prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum. Erant enim pestilentiæ et fames, terroresque de cœlo, et terræmotus magni per loca (*Matth.* XXIV, 7); et cætera quæ Dominus in Evangelio diligenter enumerat. Sed obstinati in operibus mortuis, *quasi sus in volutabro* (*II Petr.* II, 22); et quasi jumenta putrescebant in stercore suo, pia Domini longanimitate abutentes; quasi quibus a Domino diceretur : *Percussi eos, et non doluerunt; curavi eos, et non sunt sanati* (*Jer.* V, 3).

CAPUT IX.

Quomodo peccatis exigentibus, Persæ usque ad Hellespontum universas occupaverunt regiones.

His igitur et hujusmodi ad iracundiam provocatus Dominus, non solum eos qui in terra promissionis erant fideles, prædictæ jugum servitutis patiebatur portare, et supra vires molestiis fatigari multiplicibus; verum et aliis qui adhuc sua videbantur libertate gaudere, et quibus certum erat omnia pro votis succedere, suscitavit adversarium, flagellum populorum, malleum universæ terræ. Regnante enim apud Græcos Romano, qui cognominatus est Diogenes, et cum omni prosperitate Constantinopolitanum administrante imperium, egressus est de intimis finibus Orientis, Persarum et Assyriorum satrapa potentissimus, Belpheth nomine, infinitam incredularum nationum secum trahens multitudinem, quæ numerum diceretur excedere, et universam terræ superficiem operiret. Ascendens ergo in curribus et equis, in gregibus et armentis, et magnifico nimis apparatu fines ingressus est imperii, cuncta sibi subjiciens a suburbanis campestribus, usque ad urbes muratas et oppida munitissima. Non erat qui resisteret; non erat qui pro salute, pro liberis et conjugibus, et (quod gravius est) pro libertate contendens, se opponeret. Interea nuntiatur imperatori gladius incumbens, vis major, et hostilis exercitus Christianum devastans imperium; qui, pro republica sollicitus, expeditiones convocat equitum, et peditum colligit copias, quantas imminens compellebat necessitas, et quantas universum imperium poterat ministrare. Quid plura? Congregatis legionibus et equitatu copioso, hostibus procedit obviam; et imperii pene tralia jam tenenti, et ad interiora jam progresso, in manu forti, sed favore divino destitutus occurrit. Certatur utrinque acerrime, et copiis pene paribus, sed odiis majoribus, qualia sacrilegii dolor et zelus fidei solet suggerere. Quid multa? Perit Christianus exercitus, fidelium prosternitur acies; sanguis Christi redemptus sanguine ab impiis effunditur;

Digitized by Google

quodque miserabilius est, capitur imperator. Redit qui evaserat particulatim exercitus, confusionem quæ acciderat nuntians. Consternati sunt qui hoc audierunt, in gravia se dantes lamenta, et de vita et salute desperantes. Interea vir infidelis, sed magnificus, de tanto elatus successu et de collata victoria factus sublimior, imperatorem sibi præcepit præsentari; et in contumeliam nominis et fidei Christianæ sedens in throno regio, eum mandat pedibus subjici; et scabelli vice, coram positis principibus, ascendens et descendens, corpore utitur imperiali; tandemque pro tanto obsequio eum libertati restituens, cum paucis ex suis magnatibus, qui cum eo capti fuerant, abire permisit. Hoc vero audientes principes imperii, alium sibi præficiunt: indignum arbitrantes, ut qui tam indigna in proprio pertulerat corpore, in sceptris ageret et dignitate fungeretur Augustali: insuper privatum oculis et ignominiose tractatum, vitam vix indulserunt agere privatam. Princeps autem supra nominatus, proposito libere satisfaciens suo, universas a Laodicia Syriæ usque ad Hellespontum, qui Constantinopoli præterlabitur, itinere dierum triginta in longitudine, decem vero vel quindecim in latitudine, occupavit regiones, cum suis civitatibus et municipiis, universo populo captivato. *Tradidit eos Dominus in manus inimici, et dominati sunt eorum qui oderunt eos* (*Psal.* cv, 39). Inter quas nobilis et eximia provinciarum multarum moderatrix, princeps civitas, Principis apostolorum sedes prima, capta est; sed novissima; et facta est infidelibus *serviens sub tributo* (*II Reg.* viii, 2). Sic igitur Celessyriam, utramque Ciliciam, Isauriam, Pamphyliam, Lyciam, Pisidiam, Lycaoniam, Cappadociam, Galatiam, et utrumque Pontum, Bithyniam, et Asiæ Minoris partem, nobiles provincias, et omni commoditate insignes, plebibus refertas fidelibus, infra modicum tempus in suam jurisdictionem recepit; captivans populos, ecclesias dejiciens, et cultum Christianum furore persequens exterminato. Quod si copiam habuisset navium, ipsam urbem regiam sibi procul omni dubio subjecisset. Tantam enim Græcis incusserat formidinem, ut vix regiæ civitatis se crederent mœnibus, et maris interpositi non satis tutum arbitrarentur præsidium. Hæc igitur et similia populo fideli, qui Hierosolymis et in finibus ejus habitabat, miseriarum addebant cumulum et in desperationis abyssum demergebant. Nam imperio prius in prosperis constituto, sicut præmissum est, non deerat eis ab imperiali domo frequens in necessitatibus solatium; et imperii status integer et incolumis, et vicinarum urbium felix successus, et Antiochiæ potissimum, spem aliquam libertatis aliquando futuræ, in eis confovebant. At nunc tam suam quam aliorum gerentes sollicitudinem, et sinistris rumoribus usque ad supremum defectum fatigati, mortem magis quam vitam optantes, in se ipsis liquefientes tabescebant de perpetua servitute securi.

CAPUT X.

Quomodo per idem tempus fidelium turbæ ad Urbem sanctam accedebant, et qua conditione habebantur tam intus quam extra: et quomodo in manus Turcorum iterum restituta est civitas.

Inter has tam periculosi temporis insidias, accedebat tam Græcorum quam Latinorum gratia devotionis, ad loca venerabilia multitudo nonnulla, quibus per mille mortis genera, perque hostium regiones ad urbem accedentibus, negabatur introitus, nisi in porta aureus, qui pro tributo constitutus erat, janitoribus daretur. Sed qui in itinere cuncta perdiderant, et vix cum incolumitate membrorum ad loca pervenerant optata, unde tributum solverent, non habebant. Sic ergo fiebat, ut ante urbem ex talibus, mille vel plures collecti, et exspectantes introeundi licentiam, fame et nuditate consumpti deficerent. Hi, tam viventes quam mortui, miseris civibus intolerabili erant oneri. Nam et viventes alere, et cibo quocunque modo sustentare satagebant; et mortuos sepulturæ tradere nitebantur, cum tamen eis supra vires sua essent negotia. Quibus autem solito pretio, urbem dabatur ingredi, hi majorem civibus ingerebant sollicitudinem, timentibus, ne forte deambulantes incaute, tanquam loca sancta visere volentes, sputis et alapis afficerentur; ad postremum autem, ne clam suffocati interirent. Unde hæc mala prævenire cupientes, peregrinos ad loca sancta volentes properare, cives de eorum vita et incolumitate, charitate fraterna solliciti, eorum sequebantur vestigia, timentes ne quid eis sinistri casus accideret. Erat tamen in civitate monasterium Amalfitanorum, quod usque hodie cognominatur Sanctæ Mariæ de Latina; et juxta illud xenodochium, ubi erat oratorium modicum, in honore beati Joannis Eleymon Alexandrini patriarchæ, ad curam abbatis prædicti monasterii respiciens, in quo hujusmodi miseris sic advenientibus, tam de monasterio quam de fidelium largitionibus, eis utcunque alimonia ministrabatur. Nam de mille vix unus accedebat, qui sibi sufficere posset. Amissis enim viaticulis, laborum immensitate consumpti, vix incolumes evadere poterant. Igitur nec foris nec domi quies erat civibus, quibus mors diebus imminebat singulis; et quolibet mortis genere deterior, servitus dura et intolerabilis incumbebat. Accedebat etiam ad miseriarum cumulum, quod ecclesias eorum, quas cum tot et tantis laboribus reparaverant et conservaverant, reparatas violenter ingressi, et dum divina celebrarentur, cum furore et strepitu terrorem fidelibus incutientes, super altaria sedebant, nullam facientes locorum differentiam; subvertebant calices et vasa divinis obsequiis mancipata pedibus conculcantes, confringebant marmora, clerum contumeliis et verberibus afficientes. Ipsum quoque dominum patriarcham, qui erat pro tempore, quasi vilem et abjectam personam, de sede propria per barbam et capillum, in solum dabant præcipitem. Plerumque etiam raptum, et quasi vile

Digitized by Google

mancipium tractum, sine causa detrudebant in carcerem, ut sic populum affligerent patri compatientem. Hoc igitur tam diræ servitutis genus, plebs Deo devota, per hos quadringentos, ut præmisimus, et nonaginta annos, pia longanimitate perferens, gemitibus et lacrymosis suspiriis, et jugi precum instantia, clamabat ad Dominum, ut correctis parcens, ab eis iracundiæ suæ flagella clementer averteret. In profundum enim malorum descenderant; unde et *abyssus abyssum invocans* (*Psal.* XLI, 8), abyssus miseriarum abyssum misericordiarum, ab eo qui Deus est totius consolationis, meruit exaudiri. Hos enim tandem de sede gloriæ suæ Dominus misericorditer respiciens, finem tantis laboribus volens imponere, consolationem eis juxta eorum desideria, paterna provisione, procurare disposuit. Cujus modum et divinæ dispositionis ordinationem, qua diutinam plebi suæ relevare voluit afflictionem, hoc præsenti opere, ad Christi fidelium perpetuam memoriam, scribere proposuimus.

CAPUT XI.

De adventu viri Dei, Petri Eremitæ; et collatione ejus, et venerabilis viri Simeonis patriarchæ Hierosolymorum.

Per idem igitur tempus, cum Deo placens prædicta civitas tantis, ut præmisimus, subjecta esset molestiis, inter eos qui orationis gratia, et causa devotionis ad loca accedebant venerabilia, sacerdos quidam, Petrus nomine, de regno Francorum, de episcopatu Ambianensi, qui et re et nomine cognominabatur Eremita, eodem fervore tractus, Hierosolymam pervenit. Erat autem hic idem statura pusillus, et quantum ad exteriorem hominem, persona contemptibilis. Sed

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Vivacis enim ingenii erat; et oculum habens perspicacem, gratumque, et sponte fluens ei non deerat eloquium. Hic, lege communi semelque proposita Christianis introire volentibus, dato tributo, urbem ingressus, hospitio susceptus est apud quemdam fidelem, qui et ipse de numero erat Christi confessorum. A quo de eorum conditione diligenter percunctans (sicuti vir industrius erat) ab eo non solum de præsenti periculo temporis, verum etiam et de persecutione, quam passi fuerant progenitores, a multis retro temporibus, plenius edoctus est; et si quid defuit ad plenam verbo factam eruditionem, id postea fides oculata complevit. Nam moram faciens in civitate, et ecclesias circuiens, didicit ipse plenius, quod prius verbo referentibus aliis comprehenderat. Audiens vero quod ejusdem civitatis patriarcha vir esset religiosus et timens Deum, volens cum eo conferre de præsenti rerum statu, et de quibusdam aliis ab eodem perfectius edoceri, accessit ad eum, præsensque constitutus per fidelem interpretem mutuis sunt confabulationibus recreati. Erat autem nomen patriarchæ Simeon; qui ex verbo Petri colligens, quod vir esset circumspectus et rerum multarum habens experientiam, potens quoque in opere et sermone, familiarius cœpit exponere universa, quæ populum Dei in civitate commorantem acrius affligebant. Dumque Petrus, fraterno compatiens dolore, lacrymas continere non posset, quæreretque diligentius, utrum aliqua salutis via contra hæc mala ingruentia reperiri possit; respondit vir justus: *Petre, lacrymas nostras, gemitus et suspiria peccatis nostris præpedientibus, exaudire dedignatur justus et misericors Dominus; nondum enim ad plenum purgata est nostra iniquitas, unde necdum flagella quiescunt. Sed si vester verus Dei cultor populus (cujus per superabundantem Domini misericordiam vires sunt adhuc integræ; et nostris hostibus formidabile, longe lateque floret imperium) præsentibus fraterna pietate compati vellet, et remedium procurare his quæ nos premunt calamitatibus; aut saltem pro nobis apud Christum vellet intercedere; spes esset nobis, afflictionem nostram in proximo finiri. Nam de Græcorum imperio, licet et consanguinitate et loco nobis sint propinquiores, et divitiis abundent amplius, nulla nobis spes est de cætero, ut inde nobis aliquam habeamus consolationem. Vix enim sibi sufficiunt: omnisque eorum, ut audivisse potest vestra fraternitas, virtus emarcuit, ita ut infra paucos annos plus quam dimidium amiserint imperii.* Cui Petrus: *Noveris, Pater sancte, quod si Ecclesia Romana et Occidentis principes, hujus calamitatis quam patimini, diligentem et fide dignum habuerint instructorem, procul omni dubio, et verbo quantocius et opere his malis vestris tentarent remedia procurare. Scribe ergo diligentius tam domino papæ et Ecclesiæ Romanæ, quam regibus et principibus Occidentis, et scriptum sigilli tui auctoritate corrobora. Ego vero, pro remedio animæ meæ, hunc laborem mihi assumere non refugio; sed, auctore Domino, paratus sum omnes convenire, omnes sollicitare, instantius ærumnarum vestrarum immensitatem protestari, et ad properandum remedium diligenter singulos invitare.* Placuit sermo, et visus est bonus in oculis tam domini patriarchæ, quam eorum qui assistebant fidelium; et depensis ingentibus gratiarum actionibus viro Dei, pro sua compassione, tradunt scriptum postulatum.

CAPUT XII.

Revelatio quæ facta est eidem Petro, in ecclesia Sanctæ Resurrectionis.

Vere magnus es, Domine Deus noster, et misericordiarum tuarum non est finis. Vere, Jesu bone, non erit in te sperantibus confusio. Nam unde huic egeno et inopi, et rerum necessariarum suffragiis destituto peregrinanti, et a patriis finibus longe posito, tanta fiducia, ut supra vires negotium sibi audeat assumere et de voti consummatione habeat fiduciam? nisi quod in te, protectorem suum, jactaverat cogitatum; nisi quod charitatis ardore succensus, fratribus compatiens, proximum tanquam se ipsum diligens, legem implere satagebat? Vires non suppetunt, suadet tamen charitas. Et licet durum et impossibile videretur, quod fratres injure-

Digitized by Google

gebant, amor Dei et proximi leve facit, quia *fortis est, ut mors, dilectio* (*Cant.* VIII, 6). *Fides* igitur *per dilectionem operans est* (*Gal.* V, 6); quæ apud te meretur: et merita, apud te non sunt otiosa. Unde nec diu fluctuare permittis servum tuum; sed te ipsum manifestas ei et tua eum revelatione solidas, ne vacillet, Apocalypsim insinuans, per quam exsurgat fortior ad opus charitatis implendum. Accidit enim quadam die, dum prædictus Dei famulus pro reditu ad propria et pro implenda legatione assumpta, amplius solito esset sollicitus, ad fontem misericordiarum tota devotione recurrens, ecclesiam Dominicæ Resurrectionis ingressus est. Ubi cum pernoctans, orationibus vigiliisque fatigatus esset impendio, labore victus, in pavimento decubuit, ut somno satisfaceret irruenti. Cumque sopor (ut solet) se infudisset altius, visus est ei Dominus noster Jesus Christus, quasi coram positus astitisse, et eamdem injunxisse legationem dicens: *Surge*, Petre, *propera; et quæ tibi sunt injuncta, intrepidus peragere: ego enim tecum ero. Tempus est enim ut purgentur sancta, et servis meis subveniatur.* Expergefactus Petrus, et visione quam viderat confortatus in Domino, factus ad obediendum proclivior, et divinam admonitionem secutus, moras rumpit impiger, ad redeundum accinctus. Peractis igitur de more orationibus, sumptaque a domino patriarcha licentia et impetrata benedictione ad mare descendit, navem ibi reperiens mercatorum, qui in Apuliam transfretare proposuerant. Quam ingressus, et prospera usus navigatione, Barum pervenit. Inde Romam profectus, dominum papam Urbanum circa partes illas reperit, cui domini patriarchæ et fidelium qui Hierosolymis habitabant, litteras porrigit; eorumque exponit miserias et abominationes quæ in locis sanctis fiebant a gentibus immundis; et injunctam sibi tam fideliter, quam prudenter, exsequitur legationem.

CAPUT XIII.

De controversia inter imperatorem Henricum, et Gregorium papam septimum: et quomodo Urbanus ejus successor, Petrum ab Jerosolymis reversum, benigne suscepit.

Porro per annos ante aliquot, Henricus Teutonicorum rex, et idem Romanorum imperator, a domino Gregorio papa septimo, hujus Urbani prædecessore passus fuerat quæstionem et controversiam non modicam, super annulo defunctorum episcoporum, et baculo. Inoleverat enim consuetudo, præsertim in imperio, quod defungentibus ecclesiarum prælatis, annulus et virga pastoralis ad dominum imperatorem dirigebatur. Unde postmodum unumquemlibet de familiaribus et capellanis suis investiens, ad ecclesiam vacantem dirigebat, ut ibi pastoris fungeretur officio, non exspectata cleri electione. Quod dominus papa contra omnem fieri honestatem considerans, et jura in eo facto conculcari ecclesiastica perpendens, semel, secundo ac tertio eumdem imperatorem commonuit, ut a tam detestabili desisteret præsumptione. Quem præceptis salutaribus commonitum, cum revocare non posset, vinculo anathematis innodavit. Quod factum nimis indigne ferens imperator, Romanam cœpit Ecclesiam persequi, et domino papæ Guibertum Ravennatem archiepiscopum, virum litteratum et locupletem nimis, suscitavit adversarium. Qui de viribus imperatoris præsumens et de multitudine divitiarum confisus, excluso violenter prædicto venerabili viro, sedem invasit apostolicam: ita delirus et ab intellectus sinceritate deficiens, ut id se esse crederet, quod falso dicebatur. Cumque prius infelix mundus in maligno positus, vias sequeretur periculosas, ut prædiximus, et inutiles, hujus schismatis occasione ad deteriora declivis, omnem Dei et hominum post tergum dederat reverentiam, noxia sequens et declinans salutaria. Capiebantur pontifices; et quilibet ecclesiarum prælati, tanquam homicidiorum rei, mancipabantur carceribus, bonis eorum confiscatis, quicunque imperatori in hac sua perversitate non erant consentientes. Nec solum ad tempus eis irrogabantur injuriæ, verum exclusis in perpetuum, intrudebantur successores. Fugiens igitur dominus papa Gregorius imperatoris indignationem, in Apuliam secesserat, ubi a domino Roberto Guischardi, Apuliæ duce honeste susceptus est, et benigne tractatus, cujus etiam beneficio prædicti imperatoris manus evaserat. Tandem Salernum veniens, ibi diem vitæ clausit extremum: ubi et sepultus est. Cui, post dominum Victorem, qui solis duobus mensibus post eum sedem obtinuerat, successit dominus prædictus Urbanus, qui Henrici nihilominus, prædicti Henrici successoris, in eadem malitia obstinati, furorem declinans, locis munitioribus apud suos fideles delitescebat, nusquam plene securus. Hic in illa sua adversitate constitutus, prædictum Petrum virum venerabilem ab Hierosolymis reversum, jam dictæ legationis fungentem officio benigne suscepit; et ei in verbo, cujus bajulus erat, se fidelem cooperatorem tempore accepto repromisit. Petrus autem omnem transcurrens Italiam, zelo divino succensus, Alpes transiens, Occidentales principes omnes singulatim circuit, instat sollicitus, increpat, arguit; atque cooperante gratia, monendo quibusdam persuadet, ut fratribus in tanta afflictione positis subvenire non differant; et loca sancta, quæ Dominus propria dignatus est illustrare præsentia, infidelium spurcitiis diutius profanari non permittant. Nec visum ei sufficere, quod hoc apud principes disseminaret, nisi etiam et plebes et inferioris manus homines, ad id ipsum piis exhortationibus animaret. Percurrens ergo nationes, pie sollicitus, et regna, pauperibus et abjectissimis personis, legationi suæ fideliter satisfaciens, id ipsum evangelizabat. Cui tantam gratiam, ejus fidei meritum respiciens, contulerat Dominus, ut raro unquam sine fructu populos conveniret. Fuitque domino papæ, qui eum ultra montes sine dilatione sequi decreverat, in eodem verbo plurimum neces-

Digitized by Google

sarius. Nam præcursoris functus officio, auditorum mentes ad obediendum præparaverat, ut facilius idem persuadere volens, obtineret propositum, et universorum animos ad se compendiosius inclinaret.

CAPUT XIV.

De ingressu domini Urbani papæ ad partes ultra montanas, et synodo apud Clarummontem habita.

Anno igitur ab Incarnatione Domini 1095, indictione IV, regnante domino Henrico quarto, Teutonicorum rege, et eodem Romanorum imperatore, anno regni ejus quadragesimo tertio, imperii vero duodecimo : illustri quoque Francorum rege domino Philippo, Henrici filio, regnante in Francia, prædictus dominus Urbanus, videns hominum malitiam modum excessisse, et cuncta ferri deorsum, quasi ad malum prona, post concilium quod ex universa Italia, ad corrigendos excessus hominum necessarium valde, apud Placentiam celebraverat, imperatoris prædicti indignationem fugiens, discedens ab Italia, Alpes transcendit, regnum Francorum ingressus. Ubi videns, sicut et prius audierat, divina passim conculcari monita, doctrinam Evangelii sordere, fidem periisse, charitatem et omnem periclitari virtutem; econtrario autem adversæ potestatis et principis tenebrarum longe lateque nimis patere imperium : anxius plurimum, sicut ex officii debito tenebatur, quomodo tot vitiorum monstris, tot peccatorum prodigiis posset occurrere, quæ ita miserabiliter pullulabant, et orbem involverant universum concilium generale, prius apud Vigiliacum, deinde apud Podium, convocare disposuit. Sed novissime apud Clarummontem Alverniæ civitatem, divina comite gratia, ex universis transalpinarum partibus provinciarum, mense Novembre, episcoporum et abbatum convenit sacer conventus, in nomine Domini, præsentibus etiam prædictarum partium nonnullis principibus. Ubi, ordinatis de prælatorum Ecclesiæ et virorum Deum timentium consilio institutionibus, quæ ad erigendum labentis Ecclesiæ statum videbantur respicere; et promulgatis canonibus, qui ad morum ædificationem et corrigendam delictorum enormitatem poterant proficere; et qui pacem, suggerente Petro Eremita, quæ de rebus perierat, reformarent, qui verbo sibi injuncto debitam gerebat sollicitudinem; novissime ad hanc exhortationem se convertit, dicens :

CAPUT XV.

Exhortatio domini papæ ad populum, pro via Hierosolymitana.

Nostis, fratres dilectissimi, et vestram nosse id expedit charitatem, quomodo humani generis Reparator, pro nostra omnium salute carnem assumens, et homo inter homines conversatus, terram promissionis, quam pridem patribus promiserat, propria illustravit præsentia; et assumptæ dispensationis operibus, et crebra simul miraculorum exhibitione reddidit specialiter insignem. Id enim et Veteris et Novi, pene in omnibus syllabis, docet series Testamenti. Quadam sane dilectionis prærogativa certum est eam dilexisse, ita, quod eam orbis partem, imo particulam, hæreditatem suam dignatus est appellare, cum ejus sit omnis terra et plenitudo ejus (*Isa.* XXXIV, 1). *Unde per Isaiam ait :* Hæreditas mea Israel (*Isa.* XIX, 25); *et item :* Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est (*Isa.* V, 7). *Et licet totam, in partem præcipuam, sibi dedicaverit ab initio, peculiarius tamen Urbem sanctam sibi adoptavit in propriam, testante Propheta, qui ait :* Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob (*Psal.* LXXXVI, 1). *De qua gloriosa dicuntur, videlicet quod in ea docens, passus, et resurgens Salvator, salutem operatus est in medio terræ : ad hoc a sæculis prælecta, ut tantorum esset conscia, et cella familiaris mysteriorum. Electa nimirum : quod ipse qui elegit, testatur, dicens :* Et de Hierusalem civitate quam elegi, veniet vobis Salvator. *Quam etsi peccatis inhabitantium id exigentibus, justo judicio suo in manus impiorum sæpius tradi permiserit Deus, et duræ jugum servitutis ad tempus eam sustinere passus sit; non tamen arbitrandum est, quod eam quasi a se repudiatam abjecerit. Cum scriptum sit :* Flagellat Deus omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 6); *illi vero thesaurizat iram, cui dicit :* Recessit zelus meus a te, jam amplius non irascar tibi (*Ezech.* XVI, 42). *Diligit ergo eam, nec intepuit erga eam dilectionis fervor, cui dicit :* Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui; et non vocaberis amplius desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea, quia complacuit Domino in te (*Isa.* LXII, 3). *Hæc igitur salutis nostræ incunabula, Domini patriam, religionis matrem, populus absque Deo, ancillæ filius Ægyptiæ, possidet violenter; et captivatis liberæ filiis, extremas imponit conditiones, quibus versa vice merito servire tenebatur. Sed quid scriptum est ?* Ejice ancillam, et filium ejus (*Gen.* XXI, 10). *Sarracenorum enim gens impia, et mundanarum sectatrix traditionum, loca sancta, in quibus steterunt pedes Domini, jam a multis retro temporibus violenta premit tyrannide, subactis fidelibus et in servitutem damnatis. Ingressi sunt canes in Sancta, profanatum est sanctuarium; humiliatus est cultor Dei populus; angarias patitur indignas genus electum; servit in luto et latere regale sacerdotium; princeps provinciarum, facta est sub tributo, civitas Dei. Cujus non liquefiat anima ? cujus non tabescant præcordia, his ad animum recurrentibus ? Quis hæc siccis oculis audire potest, fratres charissimi ? Templum Domini, de quo zelans Dominus vendentes ejecit et ementes, ne domus Patris ejus fieret spelunca latronum* (*Matth.* XXI), *factum est sedes dæmoniorum. Id ipsum enim et Mathathiam sacerdotem magnum, sanctorum progenitorem Machabæorum, ad zelum accendit commendabilem, sicut ipse testatur, dicens :* Templum Domini quasi vir ignobilis; vasa gloriæ ejus abducta sunt captiva (*I Mach.* II, 8). *Civitas Regis regum omnium, quæ aliis regulas intemeratæ tradidit fidei, gentium superstitionibus cogitur invita deservire. Sanctæ Resur-*

Digitized by Google

rectionis ecclesia, requies dormientis Domini, eorum sustinet imperia, fœdatur spurcitiis, qui resurrectionis non habebunt participium, sed stipula ignis æterni, perennibus deputabuntur incendiis. Loca venerabilia divinis deputata mysteriis, quæ Dominum in carne susceperunt hospitem, signa viderunt, senserunt beneficia, quorum omnium in se plena fide prætendunt argumenta, facta sunt gregum præsepia, stabula jumentorum. Laudabilis populus, cui benedixit Dominus exercituum, sub angariarum et sordidarum præstationum pondere gemit fatigatus; rapiuntur eorum filii, matris Ecclesiæ chara pignora, ut gentium immunditiis deserviant, et nomen Dei vivi abnegent vel ore blasphement sacrilego, compelluntur; aut impia detestantes imperia, cæduntur gladiis more bidentium, sanctis martyribus sociandi. Non est sacrilegis locorum differentia, non est personarum respectus: in sanctuariis occiduntur sacerdotes et levitæ; coguntur virgines fornicari, aut per tormenta perire; nec matronis ætas maturior suffragatur. Væ nobis, qui in hunc tam periculosi temporis descendimus miseriam, quam in spiritu prævidens electus a Domino David rex fidelis, deplorat dicens: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum (*Psal.* LXXVIII, 1). *Et item:* Populum tuum humiliaverunt, et hæreditatem tuam vexaverunt (*Psal.* XCIII, 5). Utquid, Domine, irasceris in finem, accendetur velut ignis ira tua? (*Psal.* LXXVIII, 5; LXXXVIII, 47.) Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine? (*Psal.* LXXXVIII, 50.) *Verumne est quod dicitur:* Non obliviscetur misereri Deus, non continebit in ira sua misericordias suas? (*Psal.* LXXVI, 10.) Recordare quid acciderit nobis; intuere, et vide opprobrium nostrum (*Thren.* V, 1). Væ nobis, ut quid nati sumus videre corruptionem populi nostri, et contritionem civitatis sanctæ; et sedere illic cum dantur in manibus inimicorum sancta? (*I Mach.* II, 7.) *Vos igitur, dilectissimi, armamini zelo Dei. Accingimini unusquisque gladio suo super femur suum potentissime* (*Psal.* XLIV). *Accingimini, et estote filii potentis. Melius est enim mori in bello, quam videre mala gentis nostræ et sanctorum. Si quis zelum legis Dei habet, adjungat se nobis. Subveniamus fratribus nostris.* Disrumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum (*Psal.* II, 3). *Egredimini, et Dominus erit vobiscum. Arma quæ cæde mutua illicite cruentastis, in hostes fidei et nominis Christiani convertite. Furta, incendia, rapinas, homicidia, et cætera qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, hoc Deo beneplacito redimite obsequio; ut delictorum, quibus Dominum ad iracundiam provocastis, celerem indulgentiam pro vobis obtineant hæc pietatis opera, et deprecatio collata sanctorum. Monemus igitur et exhortamur in Domino, et in remissionem peccatorum injungimus, ut fratribus nostris, et cœlestis regni cohæredibus (omnes enim sumus invicem membra,* hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi [*Rom.* VIII, 17]) *qui Hierosolymis et in finibus ejus habitant, afflictioni et laboribus compatientes, infidelium insolentiam (qui sibi regna, principatus et potestates subjicere contendunt) debita compescatis animadversione; et illis totis viribus occurratis, quibus est propositum, nomen delere Christianum. Alioquin futurum est, ut in proximo Ecclesia Dei jugum indebitæ perferens servitutis, fidei sentiat dispendium, prævalente gentilium superstitione. In quanta enim positi sint afflictione, noverunt ex vobis nonnulli, qui hæc quæ loquimur, oculata conspexerunt fide, et præsens illorum per manum Petri, viri venerabilis, qui præsens est, ad nos delata docet epistola. Nos autem, de misericordia Domini et beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, et onus sibi hujus peregrinationis assumpserint, injunctas sibi pro suis delictis pœnitentias relaxamus. Qui autem ibi in vera pœnitentia decesserint, et peccatorum indulgentiam et fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros. Interim vero eos qui ardore fidei ad expugnandos illos laborem istum assumpserint, sub Ecclesiæ defensione, et beatorum Petri et Pauli protectione, tanquam veræ obedientiæ filios recipimus; et ab universis inquietationibus, tam in rebus quam in personis statuimus manere securos. Si vero quisquam molestare eos interim ausu temerario præsumpserit, per episcopum loci excommunicatione feriatur: et tandiu sententia ab omnibus observetur, donec et ablata reddantur, et de illatis damnis congrue satisfiat. Episcopi vero et presbyteri, qui talibus fortiter non restiterint, officii suspensione multentur, donec misericordiam sedis apostolicæ obtineant.* His dictis, finem dicendi fecit, præcipiens iis qui aderant; ecclesiarum prælatis, ut ad propria reversi, cum omni instantia et debita sollicitudine plebes suas ad idem hortentur et invitent diligentius. Iis dictis finem dicendi fecit, et soluta synodo valedicentes ad invicem, ad propria sunt reversi: ante omnia, juxta statuta synodi fideliter laborantes, ut pax (quæ verbo vulgari *treuga* dicitur) ab omnibus observetur illibata, ne ire volentibus, et ad necessaria discurrere, ullum ministraretur impedimentum.

CAPUT XVI.

Qui de principibus ad iter se obtulerunt; et de signo crucis, quod ituri vestibus suis in signum voti et futuræ peregrinationis imprimebant.

Dedit ergo Dominus fideli servo suo evangelizanti virtute multa, et excelso in verbo gloriæ, pro fidei meritis verbum efficax, et sermonem omni acceptione dignum in oculis universorum. Et visa est a Domino res egressa, ita ut mandatum ejus, licet arduum nimis et difficile videretur, cum omni aviditate tam majores quam minores amplecterentur. Nec solum præsentes ex illius verbo successus hujus desiderii fervor ad iter armaverat; verum longe lateque sermo idem egrediens, absentes etiam pari voto ferventes accendebat ad idem. Episcopi vero, prout in mandatis acceperant, fideles se cooperan-

Digitized by Google

tes exhibebant, plebes suas ad id ipsum invitantes, et circumeuntes parochias suas, verbum vitæ disseminabant in populis, nec cadebat vel unus apex sine fructu super terram : ita ut vere dici posset, quod vere illud verbum Domini impleretur : *Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* x, 34). Dividebatur enim maritus ab uxore, uxor a marito; patres a filiis, filii a parentibus; nec erat charitatis vinculum, quod huic fervori posset præjudicium facere : ita ut de claustris multi egrederentur monachi; et inclusi de carceribus, in quibus se incluserant spontanei propter Dominum. Nec tamen apud omnes erat in causa Dominus; et virtutum mater discretio votum excitabat; sed quidam ne amicos desererent, quidam ne desides haberentur, quidam sola levitatis causa, aut ut creditores suos (quibus multorum debitorum pondere tenebantur obligati) declinantes eluderent, aliis se adjungebant. Omnes igitur ex causis variis properabant. Non erat in regnis occidentalibus, qui aut ætatis, aut sexus, aut conditionis, aut status vellet esse memor; aut aliquibus persuasionibus deterritus ab incœpto desisteret; sed omnes indifferenter manus dabant; omnes unanimiter corde et ore votum profitebantur. Videbatur ad litteram impleri quod in Tobia scriptum est : *Jerusalem civitas Dei, nationes ex longinquo ad te venient, et munera deferentes, adorabunt in te Dominum : et terram tuam in sanctificatione habebunt, nomen magnum invocantes in te* (*Tob.* XIII, 13). De præsentibus igitur qui concilio interfuerant, multi cum gaudio susceperunt insitum verbum, quorum primus fuit dominus Ademarus, bonæ memoriæ Podiensis episcopus, vir vitæ venerabilis, qui postea apostolicæ sedis legatione functus, in eadem expeditione populo Dei tam fideliter quam prudenter præfuit : Dominus quoque Willelmus Aurasicensis episcopus, vir vere religiosus, ac timens Deum. De absentibus vero utriusque regni principibus, eodem fervore succensi, ad iter se accingebant, mutuo se et frequenter exhortantes; et certum præfigentes diem, ut collectis necessariis, et viæ consortibus convocatis, iter arriperent. Videtur vere divinitus procuratum præsens, unde loquimur, negotium, et verbum vere egressum a Domino. Nam catervatim concurrebant populi, unum ubicunque de principibus iter vovisse audierant, ut se illius comitatui sociarent; ejusque super se in toto itinere invocarent nomen, obsequia promittentes et fidem. Et quia verbum illud publice diceretur :

Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui;

laborabant certatim, se necessariis communire, mutuo se prævenire cupientes. Vere divinitus procuratum; necessarius enim erat hic ignis purgatorius, quo præterita, quæ nimia erant, diluerentur commissa; et occupatio ista utilis, qua declinarentur futura. Non enim erat inter mortales respectus Dei, nec ad homines reverentia. Convenerat autem apud omnes et id ipsum de mandato domini papæ injunctum fuerat, ut quotquot prædictæ viæ voto se obligarent, vivificæ crucis salutare signum vestibus imprimerent; et in humeris illius sibi portarent memoriam, cujus passionis locum visitare proposuerant; illum imitantes, cui ad nostram redemptionem properanti, *Factus est principatus ejus super humerum ejus* (*Isa.* IX, 6). De quo etiam non immerito videtur posse intelligi illud Isaiæ : *Levabit Dominus signum in nationibus, et congregabit dispersos Israel* (*Isa.* XI, 12). Sed et illud mandatum Domini juxta litteram videbatur impleri : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum; et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XVI, 24).

CAPUT XVII

Nomina principum qui de regno Francorum et Teutonicorum iter assumpserunt.

De utroque itaque regno, in arrham futuræ peregrinationis, signo crucis se communiverant, vir illustris dominus Hugo Magnus, domini Philippi Francorum regis frater; dominus Robertus, Flandrensium comes; dominus item Robertus, comes Normannorum, domini Willelmi Anglorum regis filius; dominus Stephanus, Carnotensium comes et Blesensium, senioris Theobaldi comitis pater; dominus Ademarus, Podiensis episcopus; dominus Willelmus, Aurasicensis episcopus; dominus Raimundus, comes Tolosanus et Sancti Ægidii; cum aliis multis inclytis et nobilioribus viris : vir quoque strenuus et insignis, dominus Godefridus, Lotharingiæ dux, et cum eo fratres ejus, dominus videlicet Balduinus, et dominus Eustachius : Balduinus ilidem, qui cognominatus est de Burgo, prædictorum consanguineus, domini Hugonis comitis de Retest filius : item comes Garnerus de Gres; Balduinus, comes Hamaucorum; Isuardus, comes Diensis; Rainbaldus, comes Aurasicensis; Willelmus, comes de Foreis; comes Stephanus de Albamarla; Retrodus, comes Perticensis; comes Hugo de Sancto Paulo. Sed et de viris majoribus, qui tamen comites non erant, ad id ipsum Deo placitum obsequium sponte se obtulerunt inclyti viri et nobiles : Henricus de Ascha, Radulfus de Bagentiaco, Hebrardus de Pusato, Gentonius de Bear, Willelmus Amanen, Guastus de Bederz, Willelmus de Montepessulano, Gerardus de Russelun, Gerardus de Ceresiaco, Rogerus de Barnavilla, Guido de Possessa, et Guido de Garlanda, Francorum regis dapifer; Thomas de Feria, Galo de Calvo monte; prædictus quoque Petrus Eremita cum ingenti multitudine, quam tum ex regno, tum ex imperio multo labore contraxerat. Circa Alpes vero dominus Boamundus, Tarentinorum princeps, domini Roberti Guiscardi Apuliæ ducis filius; dominus quoque Tancredus, ejus ex sorore nepos; et alii multi, quorum numerum vel nomina non tenemus. Hi omnes tempus exspectantes opportunum, cum ingentibus militarium virorum copiis, ad militiam parati Christianam erant accedere; et se tantæ peregrinationis laboribus pro Christi nomine devote mancipare. Transcursa itaque hieme, cum prima veris subsequentis se obtu

Digitized by Google

lerunt initia, et frigore depulso, grata terris reddita est temperies, equos præparant, arma exerunt, componunt sarcinas, et mutuis se, qui simul erant profecturi, invitant legationibus : diligenter præordinantes, quando oporteat eos iter arripere, ubi convenire, et qua via tutius commodiusque possint incedere. Nec enim poterant tot tamque infinita populorum millia in una qualibet regione sibi reperire necessaria. Unde studiose procuratum est, ut singuli majorum principum, seorsim legiones suas traherent, et non eodem tramite proficiscerentur. Sed neque antequam ad urbem Niceam pervenirent, eorum exercitus convenerunt. Nam, sicut dicetur inferius, dux cum suis legionibus per Hungariam; comes Tolosanus et episcopus Podiensis, per Dalmatiam; reliqui vero principes per Apuliam, sed variis temporibus, Constantinopolim pervenèrunt. Parabatur interim quod ad tantum iter sufficere posse credebatur; et viaticula sua, cum viæ quantitate metiri nitebantur, ignorantes quod *non sunt in manu hominis viæ illius*. Ignorat enim mortalis infirmitas quid sibi crastina pariat dies. Non erat uspiam in tot provinciis, quod habet Occidens, domus otiosa vel una. Cuique juxta suam conditionem familiaria suberant, circa quæ sollicitabantur, negotia, dum hic paterfamilias, ibi filius, illuc vero tota domus ad migrandum se componeret. Dirigebantur frequentes epistolæ, quibus qui simul profecturi erant, se mutuo exhortabantur, attentius moram increpantes et monentes properare celerius. Vocantibusque cæteros his, qui turmarum erant duces designati, cum singultibus et suspiriis dividebantur ab invicem charorum amplexus, et supremum sibi valedicentes, separabantur in osculis. Mater filium, parentem filia, soror fratrem, uxor maritum, in ulnis deportantes parvulos, et suggentes ubera, cum lacrymis et ejulatu comitabantur abeuntes : et dicto vale, quos gressu non poterant, defixis obtutibus prosequebantur.

CAPUT XVIII.

Galterus Sensavoir primus viam ingressus, Constantinopolim pervenit.

Anno igitur ab Incarnatione Domini 1096, mense Martio, octava die mensis, quidam Galterus, cognomento Sensavelr, vir nobilis et in armis strenuus, cum ingenti multitudine pedestrium turmarum (nam paucissimos secum habebat equites) primus iter arripuit, et pertransiens Teutonicorum regnum, in Hungariam descendit. Est autem regnum Hungariæ paludibus interjectis, et magnis fluminibus præcinctum, et inaccessibile; ita ut nisi certis locis, et iis vehementer angustis, volentibus introire vel egredi, non pateat introitus vel exitus. Eidem autem regno tunc præerat vir Christianissimus, rex Calemannus, qui cognito prædicti Galteri adventu, et de ejus edoctus proposito, piam illius commendans intentionem, eum benigne admisit, et transitu suis expeditionibus per Hungariam concesso, publicorum commerciorum gratiam non negavit. Ille vero regno ejus cum omni tranquillitate transcurso, usque ad fluvium Maroe, qui ejusdem regni limes ab Oriente dignoscitur esse, pervenit incolumis. Quo transito, Bulgarorum fines cum suis legionibus attigit, ad locum perveniens qui dicitur Bellegravia. Eo tamen ignorante, trans eumdem fluvium in loco cui nomen Malavilla, de comitatu ejus quidam remanserant, ut cibos emerent, et ad iter colligerent quædam necessaria; quos Hungari comprehendentes, nudatos, et affectos verberibus, ablatis omnibus, remiserunt ad suos. Et licet eorum adversitati universus plena charitate compateretur exercitus, et sinistro, qui acciderat, casui plurimum sociis condoleret; tamen videntes quia durum erat nimis, et pene impossibile fluvium retransire, et occasione emergentium negotiorum iter differre propositum, satius arbitrati sunt *dissimulare ad tempus injuriam, quam ad id quod assequi non possent, temere aspirare;* spem habentes in eo, cui militare proposuerant, quod Christi servis illata gratis injuria non præteriret impunita, sed condignam ab eo reciperent mercedem, qui suis fidelibus repromisit dicens : *Et capillus de capite vestro non peribit; in patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI, 18). Continuantes igitur iter, Bellegraviam pervenerunt, ut præmisimus, ubi Galterus a duce Bulgarorum, qui eidem loco præerat, emendi licentiam postulans, et impetrare non valens, ante urbem castrametatus est; ubi exercitum suum victus inopia laborantem, cohibere non valens, grave nimis populi sui passus est dispendium. Nam cum a Bulgaris omnino venalium nihil, aliquo pretio interveniente, obtinere possent, egressus est ejus exercitus, ut sibi modo quocunque alimenta compararent; ne præ necessarii victus deficere cogerentur inopia. Qui greges Bulgarorum invenientes, et armenta, violenter ex eis cœperunt abducere, et castris inferre suis. Quod audientes Bulgari, correptis armis, ad eos qui eorum abducebant animalia, hostiliter egressi, prædam revocare volentes, bellum raptoribus inferunt. Et facti superiores, centum quadraginta ex eis a præcedentium comitatu separatos incautius, in oratorio quodam (quo se gratia consequendæ salutis contulerant) igne supposito, combusserunt, reliquis in fugam adactis. At vero Galterus sciens quod populum secum traheret duræ cervicis, et indiscretum, relictis his qui suo proprio spiritu ducebantur, incorrigibiles facti, cum reliquis agminibus Bulgarorum silvas, longe lateque diffusas, prudenter circumspecteque pertransiens, Straliciam, Daciæ mediterraneæ metropolim egregiam pervenit, ubi ejusdem civitatis præsidi de damno et injuria plebi Dei injuste a Bulgaris illata conquestus, plenam super omnibus commissis justitiam consecutus est. Insuper ab eodem duce, viro egregio, et timente Deum, humanissime tractatus, commerciorum legem obtinuit communem, ut sibi, et populo suo æqua mensura et justo pretio necessaria vende-

Digitized by Google

rentur; et ut legibus humanis in ejus obsequio nihil videretur deesse, duces etiam itineris, qui eis usque ad urbem præessent regiam, concessit. Quo perveniens, et in præsentiam domini imperatoris introductus, ab ejus obtinuit magnificentia, ut usque ad adventum Petri, de cujus præcepto iter arripuerat, exercitum suum in locis urbi finitimis, indulta emendi vendendique licentia, habere permitteretur: quod ei concessit imperator.

CAPUT XIX.

Petrus Eremita subsecutus, per Hungariam transiens, Hungarorum sentit perfidiam.

At vero Petrus, post hæc non multo interjecto temporis intervallo, [cum innumerabili exercitu transcursa Lotharingia, Franconia, Bavaria, et ea regione quæ Austria dicitur, cum universa multitudine, quam ex omni populo, et tribubus, et linguis, et nationibus collegerat, quasi ad quadraginta millia, fines Hungarorum attigerat. Unde missa legatione ad dominum regem, impetravit, ut si pacificum vellet habere introitum, et sine tumultu et scandalis regnum ejus pertransire, ei sine difficultate aditus præstetur. Qua suscepta licentia, et conditionem approbans interpositam, cum universis legionibus, quæ cum sequebantur, regnum ingressus est. Quod cum omni tranquillitate transcurrens, alimentorum multa copia, justo pretio, et bonis conditionibus ab indigenis ministrata, usque ad superius memoratam Malevillam pervenit. Ubi intellecto quod consortibus eorum, qui Galterum secuti, eos præcesserant, multam illius loci habitatores intulerant injuriam, et impietatem non modicam in eos exercuerant; videntes etiam eorum spolia et arma nihilominus in muro civitatis, quasi pro tropæo dependentia, justa ira succensi, protinus arma corripiunt, et se invicem exhortantes, urbem violenter infringunt, incolis pene omnibus aut interemptis gladio, aut in vicino flumine submersis. In quo tumultu, eorum meritis id exigentibus, illa die cecidisse dicuntur de Hungaris quasi ad quatuor millia; de expeditione vero Petri, centum dicuntur occubuisse. Sic igitur urbe correpta violenter, quinque diebus continuis manserunt in ea, propter alimentorum, quam in ea repererunt opulentiam. At vero Bulgarorum dux, Nichita nomine, qui Galtero et ejus legionibus rerum venalium forum prius interdixerat, intelligens quod Malevillanis pro eo quod in præcedentes ipse quoque deliquerat, subsequentes in eum vellent refundere, relicta Bellegrava, cui præerat, de loci diffidens munitione, aufugit. Loci vero incolæ cum sua quisque familia oppidum nihilominus deserentes, cum gregibus et armentis in opaca silvarum, et nemorum abdita, longe interius se contulerunt. Petrus autem dum adhuc in expugnato præsidio moram faceret, relatione quorumdam edoctus, quod rex Hungariæ suorum stragem, quam audierat, nimis ægre ferens, militares ex universo regno convocaret copias, et sui suorum ultionem accingeretur animosius, congregatis navibus quotquot ex utraque fluminis ripa invenire potuit, legiones suas sub omni celeritate transferri præcepit, secum trabens greges et armenta, spoliaque uberrima, quæ de loco violenter effracto usque ad redundantem copiam eduxerat. Quibus in ulteriore ripa collatis, ante Bellegravam, quam tamen vacuam repererunt, castrametati sunt. Unde cum plaustris et vehiculis, cum gregibus et armentis, et universo comitatu, itinere dierum octo, nemorum late patentium condensa pertransiens, ante urbem Niz, turribus et muro valido munitissimam, et viris fortibus refertam, cum suis astitit legionibus; et flumine quod eamdem urbem præterfluit, per quemdam pontem lapideum transmisso, castra ibidem metatus est. Dumque ejus exercitus, jam deficiente viatico, victus inopia laboraret, missa legatione ad præsidem civitatis, amice postulat ut rerum venalium, et eorum maxime quæ vitæ sunt necessaria, bonis conditionibus, et justo pretio, populo peregrinanti, et obsequiis divinis mancipato fiat commercium. Ille vero id nullatenus posse fieri respondit, nisi prius datis obsidibus se obligaret exercitus, ut indigenis forum ministrantibus nec injuria, nec vis major ulla inferatur. Qua conditione utrinque placita, datis obsidibus, egressi sunt cives secum deferentes venalia.

CAPUT XX.

Apud Niz urbem Bulgariæ, inter peregrinos et Bulgaros tumultus oritur periculosus.

Facta est igitur expeditionibus universis alimentorum plenior abundantia, emendi vendendique contractibus mutua charitate inter utrumque populum celebratis; nocteque illa in omni tranquillitate et mutua charitate transcursa, summo mane receptis obsidibus, ad iter accinguntur. Dumque essent in proficiscendo, et major pars præcessisset, imo pene omnis exercitus; quidam turbati capitis homines, et divina animadversione digni, memores satis frivolæ contentionis, quam hesterna nocte cum quodam Bulgaro habuerant occasione vendendi emendique, separati aliquantulum a præcedentibus agminibus, septem molendinis, quæ juxta prædictum pontem in flumine volvebantur, ignem supponentes, subito converterunt in favillam. Erant prædicti filii Belial natione Teutonici, numero quasi centum: qui etiam, cum eorum non sufficeret furori, quod commiserant, adjecerunt etiam, ut quorumdam domicilia, quæ extra muri erant ambitum, non dispari nequitia succenderent. Consummatoque scelere, turbis innocentibus, tanquam commissi malefacti conscientiam non habentes, cursu maturato adjungere se sategerunt. At vero dux, qui eos benigne satis nocte tractaverat hesterna, videns quod non satis ei responderant digne pro meritis; scilicet pro collato beneficio, supplicium reportare cogebatur: paucorum commissum, non æquo satis judicio, refundens in omnes, universos prædones reputans, et incendiarios: cives evocat, arma monet corripere; et ipse prævius cum ingenti mul-

Digitized by Google

titudine, verbo suos exhortatur et exemplo, prædictas insequi expeditiones; et tanquam de sacrilegis vindictam reposcere persuadet. Egressi ergo unanimiter, præcedentes insectantur; et partes præcedentis exercitus posteriores invadunt hostiliter, gladiis instantes atrocius. Prædictos itaque malefactores, qui necdum castris se adjunxerant, seorsum a turbarum frequentia repericntes, justissima indignatione, morti tradiderunt. Sed sive casu, sive ex industria involventes justum cum impio, multos de inmeritis pari pœna confoderunt. Currus autem et vehicula, quibus tam alimenta quam omnimodam eorum supellectilem deferebant, senes quoque et valetudinarios, matronas quoque cum pueris et puellis, quæ passibus æquis cæteros subsequi non poterant, comprehendentes, vinculis alligatos secum deduxerunt: consummata strage, interemptorum sanguine satiati et spoliis onerati, redeuntes ad propria.

CAPUT XXI.

Petrus fugientem suum revocat exercitum, et iterum cum Bulgaris quærit pacifice convenire; sed factus est error novissimus pejor priore, et dissipatæ sunt ejus legiones.

Interea vir venerabilis, Petrus, et universa quæ præibant agmina, majoresque cuncti expeditionis viri, hujus infortunii, quod suis acciderat, ignari penitus, iter continuabant inceptum. Cum ecce quidam equo raptus velocissimo, cursu præcipiti festinans, casum nuntiat, stragem suorum et captivitatem ex ordine pandens. Quo cognito, de communi prudentium consilio, viam, qua tota die venerant, relegentes, revocatis legionibus, factæ cædis argumenta, et fratrum interemptorum funera non sine lacrymis et gemitu contuentes, ante urbem, ubi hesterna nocte castra locaverant, constiterunt. Erat autem Petro, et his qui secum erant sensus habentes magis exercitatos, in eo facto simplex oculus, et pura intentio. Ideo redierant, ut causa mali cognita, et scandalorum amputata materia, inter utrumque populum pax plenior reformaretur; et ad propositum tutius purgata redirent conscientia. Missis igitur viris prudentibus et honestis ad præsidem et majores civitatis, diligenter discutiunt quænam causa intercesserit, ut ad tantum tumultum et tantam sanguinis innocentis effusionem ita subito veniretur. Causa itaque cognita, intelligentes qui missi fuerant, quod satis juste indignatione concepta, ad arma convolaverant; et quod non erat tempus satis idoneum ad hoc, ut super illatis reposceretur vindicta, modis omnibus competentibus, et tota instant sollicitudine, ut pace reformata, prædam, sarcinas, socios, et universa quæ amiserant, cum integritate reciperent. Dumque in eo perseverarent, pactis pene ad placitam utrinque redactis consonantiam, excitatus est casu, inconsulto quorumdam calore et ausu temerario, in castris tumultus: volentibus indiscretis quibusdam injuriam, quam sustinuerant, violenter vindicare. Porro Petrus eorum insaniam volens compessere, et causam cædis declinare quærens, missis quibusdam prudentibus et magnæ auctoritatis hominibus, ab impetu et furore, quo civibus instabant hostiliter, eos revocare nitebatur. Cumque non proficeret, neque ejus, licet salutaribus, acquiescere vellent monitis, exercitui missa voce præconia sub promissæ obedientiæ debito, præcepit districtius ut nemo illis qui sua temeritate pacem reformatam ausi fuerant violare, opem ferat, aut ministret auxilium. Cui verbo acquiescens exercitus, sedebat quasi arbiter, finem inchoati tumultus, et rei exitum præstolantes. Qui autem pro bono pacis missi fuerant ad præsidem, videntes quod excitus in populo tumultus sedari non valeret, sed magis ac magis augebatur, et quod juxta propositum proficere non poterant, reversi sunt ad castra infecto negotio, elaborantes cum Petro viro Dei, ut turba comprimeretur. Sed neque id effectui mancipare dabatur. Erant autem quasi mille, qui ad hanc proruperant temeritatem. Quibus totidem de urbanis egressis obviam, bellum ingens ante urbem utrinque committitur. Videntes autem qui in urbe erant quod quasi schisma ortum erat in populo exteriore, sperantes quod, quia invito et contradicente Petro, rixam concitaverant, reliqua pars exercitus nullatenus eis vellet ministrare subsidia, reseratis aditibus, omnes unanimiter egressi, ex nostris pene quingentos supra pontem occiderunt: reliquis pene omnibus, dum vada nesciunt, tanquam locorum ignari, submersis in flumine. Quod videns exercitus, et tantam suorum non ferens injuriam, ad arma convolant universi: et confligentibus inter se agminibus fit strages infinita, ita ut esset error novissimus pejor priore. Populares ergo, et vulgus indocile, Bulgarorum non ferentes instantiam, fugam ineunt; aliosque qui in certamine viriliter desudabant, exemplo suo et impetu, terga dare compellunt. Fugit itaque universus exercitus, et turbatis ordinibus, non erat qui resisteret. In quo tumultu sæpe dictus Petrus universam pecuniam, quam de fidelium largitione principum, ut inde pauperibus et egenis in itinere necessaria ministraret, collegerat, retento curru in quo universa ejus deferebatur substantia, penitus amisit. Bulgari autem instantes animosius, ex eis quasi ad decem millia gladio peremerunt, retentis vehiculis et sarcinis universis; mulierum quoque et puerorum ingenti multitudine captivata. Qui autem evaserant, silvarum latebras et devia secuti, vix tertia die, monentibus lituis et strepentibus tubis revocati, circa Petrum et illos qui cum eodem evaserant, et in collem se receperant sublimem aliquantulum, convenerunt.

CAPUT XXII.

Petrus, recollecto profligatarum legionum suarum residuo, Constantinopolim pervenit; et transito Bosphoro, castrametatur in Bithynia.

Die tandem quarta, recollectis adinvicem eis qui dispersi fuerant, et ex occultis in quibus triduo la-

Digitized by Google

tuerant prodeuntibus, conglobati iterum quasi ad triginta millia rursus ad iter se accingunt. Et licet plaustra currusque, quasi ad duo millia, imprudenter amisissent, tamen a proposito deficere ignominiosum reputantes, viam, licet multa difficultate, continuant. Dumque essent in proficiscendo, alimentorum multam sustinentes inopiam, ecce domini imperatori nuntius castris eorum se intulit, qui Petrum et alios ejusdem exercitus capitaneos, regiam proferens jussionem, publice convenit, dicens : *Sermo gravis et verbum satis absonum, viri nobiles et inclyti, fama referente, de vobis ad imperialem pervenit audientiam, quod in imperio suo violentiam regionis habitatoribus et ejus subditis inferatis enormem, rixas et tumultus concitantes. Quapropter ejus auctoritate, si in conspectu majestatis ejus gratiam aliquando invenire quaritis, vobis injungimus, quatenus in aliqua urbium ejus ultra triduum moram facere non præsumatis, sed continuato itinere congruo, tamen moderamine temperato, versus Constantinopolim expeditiones vestras quantocius dirigatis. Nos autem exercitum vestrum præeuntes, victui necessaria justo pretio vobis ministrari faciemus.* Quo audito, revixit spiritus eorum, qui præ victus inopia jam contabuerant; et intellecta erga se domini imperatoris clementia, in spem majorem erecti, postquam apud eum qui regios detinlerant apices, de sua innocentia, et supportata patienter, quam eis immeritis Bulgari gratis intulerant injuria, pro tempore sufficienter allegaverunt; ducem prædictum sequentes, ab omni abstinentes enormitate, maturato itinere Constantinopolim pervenerunt. Ubi reperto prædicto Galtero, qui cum suis legionibus eorumdem præstolabatur adventum, junctis exercitibus, castra in loco sibi deputato metati sunt. Petrus vero a domino imperatore vocatus, urbem ingressus est; et in ejus præsentia constitutus, sicuti vir magnanimus erat et eloquens, de sua intentione, et tanti laboris causa interrogatus, plene disseruit : et quod eum maximi Occidentalium partium et Deo digni principes, in proximo subsequerentur, edocuit : tanta mentis constantia, et verborum usus ornatu, ut et palatii principes, viri admirarentur animositatem et prudentiam, et ipse dominus imperator eum propensius commendaret. Benigne igitur habitum, et donis cumulatum uberioribus, ad suos redire præcepit imperator. Ubi cum dies aliquot, ejus et victualibus, et requie refocillatus esset exercitus, paratis navibus ex imperiali mandato, transito Hellesponto, in Bithyniam, quæ prima, de Asiana diœcesi, provincia eodem mari terminatur, descenderunt : demumque ad locum supra idem mare situm, cui nomen Civitot, pervenientes, castrametati sunt.

CAPUT XXIII.

Exercitus ejus, eo absente, a finibus Nicænis prædas agit, et juxta urbem Nicænam oppidum expugnat.

Erat autem idem locus in hostium confinio positus; ubi cum in multa rerum opulentia quasi duobus mensibus continuis consedisset exercitus, non defuit eis pene quotidie rerum venalium copia, et refectio pro tempore necessaria. Qua rerum ubertate simul et otio dissolutus miser et duræ cervicis populus, *prodeuntibus ex adipe stimulis insolentiæ* (*Psal.* LXXII, 7), cœpit seorsum invitis magistratibus turmas agere, et ad decem vel amplius milliaria perlustrare regionem, greges et armenta secum trahentes. Receperant tamen sæpius ex parte domini imperatoris litteras commonitorias, quatenus ante adventum majorum principum, qui subsequi dicebantur, longius evagari, aut in se hostes provocare non præsumerent; sed in loco designato moram facerent, circumspecte se habentes, Petrus autem pro plebe sibi commissa valde sollicitus, ad urbem regiam profectus erat, ut rerum venalium, si posset, alleviaret pretium, et humaniorem commerciis obtineret conditionem. Unde populus contumax et calcitrosus, sumpta occasione ex ejus absentia, cœpit insanire vehementius; et conglobati seorsum ab exercitu ejusdem factionis complices, quasi ad peditum septem millia, adjunctis sibi equitibus trecentis, aliorum interdictum auribus surdis præeuntes, versus Nicæam ordinatis agminibus profecti sunt. Unde de locis prædictæ urbis conterminis, greges et armenta ad maximum numerum contrahentes, in castra reversi sunt incolumes. Porro videntes Teutonici et illius linguæ homines, quod Latinis in eo negotio ad quod exierant, prospere successerat, rapinarum amore concepto, adjiciunt et ipsi simile aliquid attentare, unde et nomen obtineant, et vires inferant rebus domesticis. Tandem vero colligati ex eadem natione quasi ad tria millia cum ducentis equitibus, versus Nicæam contendunt. Erat autem in eadem regione oppidum ad radicem montis situm, a Nicæa quatuor vix milliarium distans spatio, ad quod accedentes, impetu vehementissimo et totis viribus oppugnant undique; et, licet plurimum resistentibus oppidanis, expugnatum occupant violenter, et ibidem, interemptis habitatoribus et occupatis quæ eorum fuerant universis, loci amœnitate tracti simul et opulentia, castrum communiunt, proponentes usque ad adventum principum in eodem loco commanere.

CAPUT XXIV

Solimannus Turcorum princeps prædictum recuperat oppidum; et quotquot in eo reperit, gladio perimit.

Solimannus vero illius regionis dux et moderator, audito longe ante Christianorum principum adventu, ex universo interim Orientis tractu, tam prece quam pretio, et modis quibus poterat, infinitas virorum fortium colligens copias, ad easdem partes redierat, ut contra hostiles impetus civibus et regioni optata præberet solatia. Qui audiens quod Teutonicorum prælicta manus oppidum ejus expugnasset, et expugnatum detinere præsumeret, illuc sub omni celeritate festinat, et castrum obsidens, vic-

Digitized by Google

lenter expugnat, omnibus quotquot intus reperit, gladio peremptis. Interea rumor in castris personuit, et celebri fama pervulgatum est, Teutonicorum cohortes, quæ recenter de castris exierant, in manu Solimanni penitus cecidisse. Unde mente plurimum consternati, gemitu et lacrymis, quas præ spiritus angustia cohibere nequeunt, dolorem protestantur. Tandem comperta plenius veritate, exoritur tumultus popularium in castris; vociferante plebe, et id summa exigente precum instantia, ut illatam fratribus tam enormem non dissimularent injuriam; sed correptis armis, omnes unanimiter, tam equites quam pedites, interemptorum fratrum sanguinem vindicaturi procederent. Quod verbum majores exercitus, et qui in talibus pleniorem habebant experientiam, domini imperatoris consilio parere volentes, cum vellent comprimere et furentis populi indiscretum mitigare fervorem, insurrexit plebs adversus eos indomita; et cujusdam Godefridi, qui cognominabatur Burel, qui princeps erat factionis, usa patrocinio, majoribus contumelias cœpit irrogare, timiditati ascribens, et non prudentiæ, quod fratrum interfectores, ultore gladio non persequerentur.

CAPUT XXV

Concitatur adversus eumdem Solimannum ob cædem fratrum universus exercitus, et pugnans adversus eum consumitur.

Prævaluit tandem deterius sectorum sententia; et arma corripientes universi, relictis debilibus cum mulieribus et parvulis, et his quibus arma non erant, congregati sunt ad viginti quinque millia peditum armatorum, quingentos equites optime loricatos habentes. Ordinatis ergo agminibus et in acies digestis, versus montana per silvam prædictam, ad partes Niceas contendunt. Vixque ad tria milliaria processerant, cum ecce Solimannus cum innumera suorum multitudine eamdem silvam ingressus, ut in castra nostrorum, quæ in loco erant supra nominato, subitus irrueret, accelerabat. Audiensque per eamdem silvam clamores insolitos, ut primum comperit quod a castris egressæ nostrorum sibi occurrerent legiones, relictis montibus et silva, ad patentes campos se contulit. Quo etiam nostri pervenientes, adventus hostium ignari penitus, postquam eorum in vicino constitutum cognoverunt exercitum, mutuis se vocibus exhortantes, in hostes irruunt, gladiis instantes cominus, interemptorum fratrum sanguinem de manu hostium requirentes. Hostes vero votis omnibus et ardente proposito nostros in se irruentes gladiis excipiunt; et, compertum habentes quod res pro capitibus ageretur, resistunt viriliter, justa indignatione succensi, et de sua multitudine præsumentes. Tandem confligentibus adinvicem hinc inde cohortibus strenue, satisque viriliter, oppressi nostrates ab eorum multitudine, et pondus belli non valentes ferre diutius, dissolutis agminibus, in fugam versi sunt: quibus nihilominus Turci gladiis incumbentes, usque in eorum castra, stragem operantes infinitam, eos insectati sunt. Ceciderunt in ea congressione de viris nobilibus, qui Petri castra sequebantur, Galterus Sensaveir, Rainaldus de Breis, Fulcherus Aurelianensis, et alii innumerabiles. Nam de viginti quinque millibus peditum, qui de castris egressi fuerant, et de quingentorum numero equitum, vix vel unus superfuit, qui aut mortem effugerit, aut vincula.

CAPUT XXVI.

Solimannus victor nostrorum castra diripit: residuum populi aut captivum trahit, aut perimit; castrum Civitot obsidet; sed, audita imperatoris legatione, recedit.

Tandem vero hac potitus victoria, et præsenti successu Solimannus factus elatior, in castra violentus irruit; id residuum quod supererat, nemine jam qui resistere posset invento, gladiis abolet; senes, valetudinarios, monachos et clerum universum, matronas quoque grandævas ferro perimens; solis pueris et puellis, adhuc impuberibus, quorum pro eis ætas intercedebat, et facies, ad hoc parcens, ut servituti manciparet. Erat autem juxta nostrorum castra, in littore maris situm, præsidium vetus, semirutum, habitatoribus vacuum, ita ut nec seras haberet, nec ostia; in quod, necessitate compulsi, salutem in eo posse consequi arbitrantes, peregrinorum quidam se contulerunt, quasi ad tria millia. Qui objectis clypeis, et magnorum advolutione molarium aditus obstruunt, et ad sui tuitionem, prout necessitatis articulus imperabat, accinguntur. Dumque Turcos instantes vehementius, spe obtinendæ salutis, qui obsessi erant, a se repellunt longius, pro vita et libertate totis viribus decertantes, nuntius quidam sub omni celeritate ad Petrum accedens, stragem suorum indicat; et residuos de populo jam consumpto, in oppido quodam semiruto arctissima obsidione vallatos edocet, armorum et victus inopia laborantes. Qui ad dominum imperatorem accedens, fusis humiliter precibus, obtinet ut missa illuc sub omni velocitate militia reliquias populi ab imminentibus periculis præcipiat liberari: quod et factum est. Turci enim, audita domini imperatoris jussione, ab oppidi protinus destiterunt impugnatione, et trahentes secum quos in vincula conjecerant, cum tentoriis et papilionibus, equis, mulis, et omnimoda nostrorum supellectile optima spolia deferentes, Niceam reversi sunt. Sic ergo cervicosus populus et intractabilis, dum monitis nesciunt acquiescere melioribus, suo lapsus impetu, totus descendit in interitum; et dum disciplinæ salutaris nescit jugum portare, suarum viarum fructus inutiles collegit, hostium gladiis deputatus.

CAPUT XXVII.

Godescalcus, sacerdos quidam Teutonicus, iterum exercitum ducens, in Hungariam pervenit; qui turpia in Hungaros operari non veretur.

Post Petri vero transitum in Bithyniam, conse-

Digitized by Google

quenter non multo temporis intervallo, quidam sacerdos, Godescalcus nomine, natione Teutonicus, Petri sequens vestigia, ejusdem peregrinationis accensus desiderio, exhortationis habens gratiam, multos ex universo Teutonicorum regno ad idem opus animaverat. Collectisque viæ consortibus, quasi ad quindecim millia, Hungariæ fines, sine difficultate admissus, ingressus est. Ubi cum ejus exercitui venalia de mandato regio bonis conditionibus ab Hungaris exhiberentur, alimentorum abutentes opulentia et ebrietati vacantes, ad inferendas enormes indigenis se contulerunt injurias : ita ut prædas exercerent, venalia foris illata publicis violenter diriperent, et stragem in populo committerent, neglectis legibus hospitalitatis. Quod domino regi postquam innotuit, ira succensus, regnum universum præcipit convocari; et in ultionem tantarum injuriarum armari populum imperat, et majores etiam regionis. Commiserunt enim gravia in locis quampluribus, turpiaque nimis, et relatione indigna, quæ nonnisi cum subjectorum odio et timiditatis nota, rex poterat dissimulare. Convocata igitur totius regni militia, tanquam in hostes et suprema dignos animadversione, unanimiter ruunt præcipites, pro tantis excessibus mortem irrogaturi. Tandemque apud locum cui nomen Bellegrava est, qui locus in umbilico regni eorum positus est, prædictorum insensatorum confusam reperiunt multitudinem, qui præcognito regis adventu, et de ejus indignatione non ignari, verentes quam læsam portabant conscientiam, arma corripuerant, quasi vim vi repellere, et a se propulsare injurias parati. Quos postquam Hungari armis incumbentes viderunt et ad resistendum animatos, perpendentes quod non sine suorum multa strage poterant eis vim inferre, erant quippe fortes viri, armorum usum habentes, quique non facile vellent gratis animas ponere, more suo dolis tentant peragere quod viribus nequeunt. Missa enim legatione ad prædictum Godescalcum, et exercitus primates, verbis pacificis eis locuti sunt in dolo, dicentes :

CAPUT XXVIII.

Epistola regis Hungarorum ad prædictum Godescalcum, et ejus exercitum; et interitus eorumdem miserabilis.

Pervenit ad dominum regem de vestro exercitu gravis querimonia, quod populo sibi subdito graves nimis et enormes intuleritis molestias, iniqua lege vestros hospites, qui vos benigne tractaverunt, remunerantes. Tamen domini regis plenius novit prudentia, quod non estis omnes horum commissorum rei; sed certum habet inter vos viros prudentes et timentes Deum, quibus aliorum displicet enormitas, et quibus invitis et renitentibus commissa sunt quæ dominum regem merito ad iracundiam provocarunt. Unde aliquorum crimen timens in omnes refundere, ne justum involvat cum impio, decrevit iræ suæ modum imponere et Christianæ consortibus professionis parcere in præsenti. Unde consulimus ut ejus omnino quiescat indignatio, quod et personas vestras, et omnem, quam hic habetis substantiam, arma quoque in manus domini regis sine aliqua conditione tradatis. Alioqui nec unus solus ex vobis mortem poterit evadere; cum in medio regni ejus constituti, nec viribus pares sitis, nec fugiendi habeatis potestatem. Godescalcus igitur, et legionum primicerii, quibus ab initio contumacis populi displicebat insania, de regia benignitate præsumentes, in simplicitate spiritus, populum totis viribus renitentem, et pro vita decertare paratum, in eam quasi violenter traxerunt sententiam, ut cum armis et omni eorum substantia in potestatem domini regis se traderent, pro his omnibus quibus eum offenderant, satisfacientes. Acquievit tandem populus universus, et armis traditis, universaque eorum substantia, regis primiceriis et suis procuratoribus resignata, dum veniam exspectant, mortem inveniunt. Irruentes enim in populum nil tale verentem, armorum solatio destitutum, et de regis clementia non immerito præsumentem, non distinguentes justum ab impio, stragem immanissimam exercuerunt, ita ut interemptorum funeribus, et cruore occisorum locus polluereturuniversus, et tantæ multitudinis vix superessent vestigia. Evaserunt tamen aliqui commune periculum; et prævia Domini misericordia, Hungarorum gladios declinantes, et ad propria reversi, de suorum strage, et sinistro casu qui acciderat, eos qui profecturi erant, et ejusdem viæ votis tenebantur obligati, reddiderunt instructiores : monentes ut prædicti nequam populi suspectam semper habentes malitiam, prudentius incedant et cautius discant negotiari.

CAPUT XXIX.

Quomodo præcedentes exercitus subsecuta est insensatorum hominum multitudo infinita, Judæorum interimens populum, et absque disciplina incedens.

Per idem tempus, modico interjecto intervallo, convenerant eodem studio ex occidentalibus finibus turbæ innumerabiles, et peditum manus infinita absque duce et rectore, passim et imprudenter incedentes. Erant tamen inter eos viri quidam nobiles, Thomas de Feria, Clarenbaldus de Vendoliolo, Willelmus Carpentarius, comes Hermannus, et alii nonnulli, quibus in nullo, disciplinæ impatiens, subjiciebatur populus; sed neglecta prudentium et melius affectorum doctrina, passim et sine delectu per omnia libere discurrebant illicita. Unde factum est, ut cum in timore Domini iter debuissent inceptum peragere, et divinorum memores mandatorum, observata evangelica disciplina, pro Christo peregrinari, converterunt se ad insanias, et Judæorum populum in civitatibus et oppidis per quæ erat eis transitus, nil tale sibi verentem, et se habentem incautius, crudeliter obtruncabant. Hoc autem maxime factum est in urbibus Colonia et Magontia, ubi etiam vir potens et nobilis comes Emico, in eadem regione præclarus, eorum cœtibus cum multo se adjunxit

Digitized by Google

comitatu, non solum prout ejus decebat generositatem, nec morum censor, nec correptor enormitatis; sed maleficiorum particeps et flagitiorum incentor. Qui omnes, transcursa Franconia et Bavaria, postquam fines attigerunt Hungariæ, pervenientes ad locum cui nomen Meestebury, arbitrati quod libere, et sine difficultate eis liceret introire, clausum reperientes aditum, citra pontem substiterunt. Erat autem is locus præsidium, munitum valde fluminibus maximis, Danubio et Lintace, et profundis circumseptum paludibus, ita etiam ut majori multitudini, invitis his qui observabant introitum, non esset facile irrogare violentiam. Dicebatur tamen esse eorum qui advenerant numerus ad ducenta millia peditum; equitum vero, quasi tria millia. Porro rex Hungariæ transire volentibus aditum prohiberi mandaverat, timens ne injuriarum, quas Godescalci legionibus intulerat, memores, in ultionem armari cuperent intromissi. Recens enim factum, et cruentæ cædis enormitas, longe lateque divulgata, regem sibi timere compellebant. Obtinuerunt tamen ab his qui ad prædicti municipii deputati erant custodiam, et a principibus legionum, qui in ea parte regionem observabant, ut legatos ad regem dirigerent, qui, pro impetranda pace et obtinenda transeundi libertate, regem suppliciter convenirent. Ipsi vero interim citra paludes in locis pascuis castrametati sunt, rei præstolantes eventum.

CAPUT XXX.

Quomodo castrum Meeszeburg obsederunt, et septingentos ex Hungaris interfecerunt, et tandem divinitus in fugam versi, pene omnes ab Hungaris interfecti sunt

Interea, qui missi fuerant ad regem, infecto prorsus negotio, paucis evolutis diebus, reversi sunt. Quorum relatione majores edocti, qui erant in exercitu, quod nullam apud regem gratiam poterant invenire, proponunt terras, quas citra fluvios et paludem rex possidebat, depopulari, et suburbana succendere, et in rebus ejus hostiliter versari. In quo dum desudarent attentius, accidit, die quadam, quod septingenti ex regis supradicti militia navigio transeuntes occulto, peregrinis ex insperato, ut ab illatis regionem tuerentur injuriis, casu se dederunt obviam: quos cum declinare non possent, nec redire ad propria, aquis impedientibus, pene omnes interfecti sunt, paucis exceptis, qui in carecto et paludibus, equis amissis, vitæ consuluerunt et saluti. Qua erecti victoria, adjiciunt etiam ut, pontibus fabricatis, præsidium expugnent; et iter ferro aperientes, in regnum violenter ingrediantur. Juxta hoc propositum cohortes excitant, et per pontes, quos de novo erexerant, mœnibus applicantes, protecti clypeis, ad muri suffossionem, et violentum introitum animosius se accingunt. Eoque jam per eorum diligentem instantiam ventum erat, ut muro in locis pluribus perforato, jamjam peregrinis pateret introitus. Et qui intus erant in municipio, omnino in desperationem descenderant, de vita penitus diffidentes; cum ecce repente immisso divinitus timore, relicto assultu, et maxima impedimentorum parte neglecta, versi sunt in fugam qui victores videbantur, fugæ causam penitus ignorantes. Nec aliud in causa dicitur exstitisse, nisi quod peccatis multiplicibus Dominum ad iracundiam provocaverant, impietatem secuti, quæ suis cultoribus terrorem solet incutere. *Fugit enim impius*, juxta verbum Sapientis, *nemine persequente* (*Prov.* XXVIII, 1). Hungari vero meliore facta conditione, videntes hostium cuneos terga dedisse, insecuti sunt eos tanquam victores, quos prius habuerant formidini; et quos infra mœnia vallati paludibus vix poterant sustinere, ultro insequuntur, vice versa, non solum formidinem, verum et mortem irrogantes. Ex quibus comes Emico, cum maxima parte dissolutarum turmarum fugiens, in patriam suam reversus est. Alii vero nobiles quos supra nominavimus, per Carinthiam declinantes, in Italiam pervenerunt, qua decursa Apuliæ se intulerunt finibus: unde et eos de principibus, idem iter agentibus, qui Durachium navigare proposuerant, secuti, in Græciam se contulerunt. His ergo et hujusmodi motibus pene totus concutiebatur Occidens, et seorsum turmas agebant pene nationes universæ, et aliæ sub principibus, aliæ quasi acephalæ iter aggrediebantur. Viæ tamen compendium, quod qui per Hungariam descenderant, certum erat reperisse, propter insolentiam eorum et enormitates nimias, quas frequenter et præter meritum, regionis inferebant habitatoribus, transeuntes qui præcesserant, eis penitus negabatur. Unde et eos, qui subsequebantur, reddiderunt magis sollicitos, ut regis Hungarorum sibi gratiam conciliarent.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Quo tempore dux Godefridus iter arripuerit, et qui nobiles cum eo, et quomodo usque in Hungariam pervenerit.

Eodemque anno, qui erat ab Incarnatione Domini 1096, mense Augusto, quintadecima die mensis, vir magnificus et illustris Godefridus, Lotharingiæ dux, post discessum Petri Eremitæ et ejus exercitus casum, ut prædiximus, lamentabilem; post legionum Godescalci stragem præmissam; post illud

Digitized by Google

etiam infortunii genus, quod, ut præmisimus, subsequenti multitudini citra Hungariam accidisse dicitur : convocatis viæ consortibus et compositis de more sarcinis, iter aggressus est. Fuerunt autem qui ejus castris se adjunxerunt viri nobiles et inclyti, et perpete digni memoria, dominus Balduinus ejus frater uterinus; dominus Balduinus de Montibus, Hamaucorum comes; dominus Hugo, comes de Sancto Paulo, et Engelramus filius ejus, egregiæ indolis adolescens; dominus Garnerus comes, cognomento de Gres; dominus Renardus comes Tullensis, et Petrus frater ejus; dominus Balduinus de Burgo, ejusdem ducis consanguineus; dominus Henricus de Ascha, et Godefridus frater ejus; Dodo de Cons; Cono de Monte acuto, et alii plures, quorum nomina non tenemus, vel numerum. Hi omnes uno et individuo comitatu pariter incedentes, vicesima Septembris die in provinciam quæ dicitur Osterich, ad locum qui dicitur Tollenburch, cum omni tranquillitate sani et incolumes pervenerunt. Est autem is locus, ubi Lintax fluvius imperii fines a regno disterminat Hungariæ. Quo pervenientes, solliciti valde super his quæ Godescalco et suis legionibus dicebantur accidisse, deliberant quomodo cum salute in opere incepto possint incedere. Tandemque de communi placuit consilio, ut missa legatione ad regem Hungariæ instruantur plenius, quænam causa fuerit, quare fratrum præcedentium apud eos ita deperierit exercitus; et ut opportunitate inventa dominum regem de pace conveniant, et omissis querelis veteribus, elaborent quomodo eis liber per Hungariam indulgeatur transitus. Nam alias inire vias, itineris cœpti videbatur dispendium. Missus est ergo vir nobilis Godefridus de Ascha, Henrici frater, eo quod ejusdem regis a multis retro temporibus familiaritatem habuerat, cum quibusdam honestis viris et nobilibus, ut ejusdem legationis fungatur officio : qui ad regem perveniens, depenso debitæ salutationis affatu, quod ei fuerat injunctum fideliter exsequens, regi locutus est in hæc verba :

CAPUT II

Legatio ejusdem ducis ad Calemanum regem Hungariæ, per Godefridum de Asca, et responsum ejusdem regis ad eumdem ducem.

Vir illustris et magnificus, dominus Godefridus, Lotharingiæ dux, et alii Dei cultores, qui cum eo sunt principes, divinis obsequiis mancipati, ad vestram nos direxerunt eminentiam, scire per nos cupientes : quare fidelium populus, quorum reliquias in via reperimus nobis occurrentes, tantam apud vos, qui de numero fidelium dicimini, repererunt inhumanitatem, ut tutius ad hostes quoslibet declinare potuissent. Quod si prædicti populi tanta fuit culpa, ut extremis suppliciis digna fuerit flagellari; qui me miserunt, parati sunt eorum interitum æquanimiter tolerare. Nam quæcunque ex merito pœna infligitur, minus ad iram provocat, et majore sustinenda est patientia. Quod si secus est, et absque ulla causa calumniati estis innocentes, ut eos morti traderetis, non possunt illatam servis Dei dissimulare injuriam; sed parati sunt fratrum sanguinem vindicare. Super his ergo vestra per nostrum ministerium exspectant responsa, pro eorum forma animos habituri. His dictis orandi finem fecit. Cui rex suorum satellitum stipatus comitatu, in hæc verba respondit : *Placet, vir amicitiarum, Godefride, cui meritis exigentibus jam pridem nostram contulimus gratiam, quod ad nos ingressus es, tum ut veterem renovemus amicitiam, tum ut apud tam discretum judicem nostram astruamus innocentiam. Sumus equidem et de numero, ut dicis, fidelium : et utinam opere possimus implere hujus nominis virtutem! Sed qui vos præcesserunt, tam Petrum Eremitam sequentes, quam adhærentes Godescalco, quam qui in regni nostri limitibus castrum nostrum expugnare, et ad nos violenter ingredi nitebantur, nec re, nec nomine Christi fuerunt sectatores. Nam cum primo Petrum et suos exercitus suscepissemus hospitio, bona quæ apud nos erant tam gratis, quam pretio illis communicantes justo,* more serpentis in gremio, et muris in pera, *male remuneraverunt hospites suos. Nam in extremis regni nostri finibus, cum jam pro collatis beneficiis grates tenerentur rependere, unam de urbibus nostris confringentes, et populum qui in ea erat delentes penitus, cum eorum spoliis, gregibus et armentis, tanquam violenti prædones abierunt. Godescalci vero expeditiones, tanquam a prioribus nihil omnino pertulissemus injuriæ, sine molestia et difficultate admissæ, in medio regni hujus rapinas exercere, inferre violentiam, incendia procurare, et causis levibus stragem operari non verentes, delictorum suorum enormitate Dominum ad iracundiam provocaverunt. Nos quoque subditorum ferre non valentes molestias, manum adhibuimus, rei periclitanti remedium providentes. Unde et priorum exemplo deterriti, ne tertio jam detestabilium turmarum experiremur injurias, consultius fore visum est, a regni nostri limitibus, Deo plane odibiles, arcere hujusmodi impiorum manipulos hominum, quam injurias ab eis et damna pati enormia, aut cum eis hostiliter decertare. Hæc igitur apud te virum prudentem et industrium, pro nostra excusatione sufficiat allegasse. Nam* (*vivit Dominus, puram, sicut est, edisseruimus veritatem.*) His dictis, eosdem legatos præcipit hospitaliter, et multa honestate haberi, quousque habito cum suis colloquio, ad prædictos principes nuntios dirigat, responsa convenientia delaturos. Tandem missis de familiaribus suis aliquot cum legatis qui ad se venerant, duci et principibus in hæc verba rescripsit : *Audivimus sane, et fama referente jamdudum cognovimus, quod princeps magnus, illustris et egregius merito apud tuos habearis : et quod fidei tuæ sinceritatem, et commendabilem animi constantiam etiam longe positi viri prudentes admirentur. Nos quoque nominis tui bono odore, et operum tracti flagrantia, te licet absentem colere proposuimus, et promptius honorare. Sed et viros nobiles qui tecum sunt, zelo*

Digitized by Google

fidei Christianæ accensos, credimus pium habere propositum. Unde et ea merita, quibus solent amici comparari, nolumus in nobis otiosa torpescere; sed omnibus debitam impendere charitatem, et fraternæ dilectionis erga eos operibus abundare parati sumus. Unde quoniam ita se offert occasio, rogamus ut ad castrum nostrum, Ciperon nomine, præsens adesse velis, ut tecum possimus optata diu miscere colloquia, et tuis desideriis congruum adhibere consensum.

CAPUT III.

Colliguntur adinvicem rex et nostri principes, et datur Balduinus ducis frater regi obses; transcursaque Hungaria, et fratre recepto, dux a rege multis muneribus honoratur.

Dux igitur, audita regis legatione habitoque suorum consilio, cum trecentis equitibus ex omni comitatu electis, die præfixa, ad locum pervenit destinatum. Ubi ponte transito, regem inveniens, ab eo benignissime, et cum multa susceptus est honorificentia. Tandem post multam hinc inde sibi mutuo familiaritatem exhibitam, placuit ut datis obsidibus de numero nobilium electis, omni rancore deposito, et pace plenius reformata, regni editus duci et suis legionibus panderetur. Rex ergo ut tantorum virorum legionibus intromissis fidem haberet pleniorem, ne forte occasione qualibet, de virtute sua et numero confisi regnum turbare præsumerent, dominum Balduinum ducis fratrem cum uxore et familia obsidem petit. Cui dux grato concurrens assensu, fratrem legibus complacitis obsidem tradit; et immissis legionibus, regnum ingressus est. Porro rex fideliter adimplens quod promiserat, per universas regiones ad quas perventurus erat exercitus, lege præcepit edictali, quatenus justo pretio, æquo pondere, victui necessaria legionibus exhibeantur; et rerum venalium turbas proficiscentes forum perpetuo comitetur. Dux vero per castra universa, et seorsum et publice voce præcepit edici præconia, sub pœna mortis et omnium publicationis bonorum, ne quis rapinam, vim aut injuriam accedentibus ad exercitum audeat irrogare; sed fraterna charitate emptionum venditionumque contractus celebrent, in vinculo pacis. Factumque est ita, prævia Domini misericordia, quod Hungariam transcurrentes universam, nec in levi verbo mutuo se offenderunt. Rex vero proficiscentem exercitum, æquis pene passibus, cum ingentibus suorum copiis, obsides secum deducens, ex latere sinistro comitabatur paratus, ut si quid forte seditionis emergeret, per ejus præsentiam continuo sedaretur. Tandem vero ad Malevillam, de qua superius frequenter fecimus mentionem, pervenientes, in ripa fluminis Savoa, quousque exercitui transitus pararetur, consederunt. Compositis igitur ratibus, quia naves paucas, et ad tantum transferendum populum minus sufficientes invenerant : trajectis mille loricatis equitibus, qui contra quaslibet hostium insidias ripam ulteriorem communirent, ut translatus populus sedem inveniret quietam, certatim in partem oppositam se transferunt. Vixque plebs enavigaverat, et de principibus nonnulli; et ecce rex cum ingenti suorum comitatu subito adfuit, dominum Balduinum et uxorem ejus, et alios simul obsides in manu domini ducis, sicut ab initio condictum fuerat, resignavit; et donis uberibus tam dominum ducem, quam reliquos honorans principes, reversus est. Dux vero trajectas secutus expeditiones, in ulteriorem ripam, cum residuo principum et populi se contulit consequenter; veniensque ad Bellegravam Bulgariæ oppidum, de quo superius fecimus mentionem, ibi castrametatus est. Inde compositis sarcinis et legionibus ad iter expeditis, Bulgariæ silvas, et late patentia nemora transcurrens, primum Niz, deinde Straliciam pervenit.

CAPUT IV.

In terram imperatoris nostræ legiones ingrediuntur: describitur introitus, et Græcorum miseria significatur.

Conjicere est ex his locis, qui aliquando uberiores et omnimodis commoditatibus refertæ fuerunt provinciæ, quanta sit Græcorum miseria, et eorum debilitas imperii. Nam postquam deficientibus apud Constantinopolim Latinis principibus, in eorum potestatem sub primo Nicephoro, peccatis exigentibus, descendit imperium, statim barbaræ nationes de Græcorum imbecillitate confisi, in eorum provincias irruentes, pro arbitrio suo regionis cœperunt tractare habitatores. Inter quas Bulgarorum gens inculta, a tractu septentrionali egressa, a Danubio usque ad urbem regiam, et iterum ab eodem flumine ad mare Adriaticum, universas occupaverat regiones; ita ut confusis provinciarum nominibus et terminis, totus iste tractus, qui in longitudine habere dicitur iter dierum triginta, in latitudine vero decem, vel amplius, Bulgaria dicatur : miseris Græcis ignorantibus quod hoc ipsum nomen eorum protestetur ignominiam. Super Adriaticum enim mare erat utraque Epirus, cujus alterius metropolis est Durachium, regnum olim viri strenui et admirabilis, Pyrrhi Epirotarum regis. Unde autem dux cum suo comitatu transiturus erat, duæ fuerant Daciæ, Ripensis videlicet, quam a læva super ripas Danubii transeuntes reliquerunt; et Mediterranea, per quam iter agentes, et per urbes olim eximias, Niz et Straliciam, transeuntes percurrerunt. Erant et aliæ in eodem tractu provinciæ, Arcadia, Thessalia, Macedonia, et Thraciæ tres, quæ pari cum aliis involutæ sunt calamitate. Nec solum has prædictas provincias sua Græci amiserant mollitie; sed etiam postmodum eodem Bulgarorum subjugato populo, per Basilium, eorum imperatorem, in ulterioribus provinciis, et maxime quæ regnis exteris collimitant, et per quas ad eos acceditur, in utraque videlicet Dacia, etiam hodie non permittunt habitatores introire, vel excoli regionem; ut silvis et frutetis loca late occupantibus, nullam præstent introire volentibus habilitatem.

Digitized by Google

majorem habentes in viarum difficultate, et veprium armatura, quam in propriis viribus resistendi fiduciam. Eodem modo et Epirum primam, quæ a Durachio habet initium, et usque ad montem qui cognominatur Bagularius, itinere dierum quatuor protenditur, per quam omnes alii transitum habuerunt principes, desertam et habitatoribus vacuam relinquunt; ut accedere volentibus, nemora deserta et invia, et alimentis carentia, repagulorum vice præbeant impedimentum. Prædictam ergo Daciam mediterraneam, quæ alio nomine Mesia dicitur, dominus dux cum suis percurrens legionibus, et exsuperatis claustris quæ vulgo dicuntur Sancti Basilii, ad loca planiora et alimentorum copiam ministrantia, descendens, Philippopolim usque ad nobilem et copiosissimam urbem pervenit. Ubi cognito quod dominus Hugo Magnus, domini Philippi Francorum regis frater, cum quibusdam aliis nobilibus, ab imperatore detinerentur in vinculis, missis sub omni celeritate nuntiis, litteris et viva voce monet, et rogat diligentius, quatenus prædictos viros, ejusdem peregrinationis votum habentes, et sine culpa vinculis mancipatos, solutos abire permittat. Prædictus enim vir illustris, quasi primus omnium iter aggressus, transcursis Alpibus, in Italiam descenderat, et inde in Apuliam perveniens, cum exiguo comitatu mare transiens, apud Durachium substiterat, eos qui subsequebantur exspectans: non veritus quod in regno Græcorum, qui Christiana professione censeri dicebantur, sibi suisque aliquid sinistri occurreret; ubi a præside regionis vinctus et catenatus, imperatori traderetur, pro arbitrio tractandus, translatus est. Sic ergo eum apud se tanquam prædonem, aut homicidii reum imperator detinebat in carcere, principum qui subsequi dicebantur exspectans adventum, quatenus si prospere accederent, eorum gratia eum solvisse videretur; sin autem, perpetuis eum compedibus manciparet.

CAPUT V.

Dux legatos ad imperatorem dirigit, ut Hugonem Magnum, et alios nobiles solvat, quos detinebat in vinculis: universa regio prædæ exponitur, et tandem nostri Constantinopolim perveniunt.

Præerat autem per idem tempus Græcorum imperio vir nequam et subdolus, Alexius nomine, agnomine dictus Connino. Qui cum esset in imperiali palatio a domino Nicephoro, cognomento Botoniath, qui tunc in sceptris agens principabatur, plurimum honoratus; et megadomestici dignitate, quem nos majorem senescalcum appellare consuevimus, fungeretur officio, ab imperatore secundus, contra dominum et benefactorem suum malitiose recalcitrans, quinto vel sexto anno, antequam populus noster accederet, depulso domino imperium invaserat; et detinere præsumebat violenter occupatum. Missi ergo domini ducis legati ad imperatorem accedentes, prædictum nobilem virum cum sociis suis, sicut eis fuerat injunctum, instantissime postulant absolvi. Quod cum eis ab eodem imperatore præcise negaretur, ad nostras expeditiones, quæ jam Adrianopolim pertransierant, ibi residentes in pascuis, reversi sunt. Postquam vero, eisdem referentibus nuntiis, dux et alii principes, quod nequaquam prædictos nobiles vellet imperator absolvere, cognoverunt, de communi consilio universam illam regionem legionibus suis exponunt ad prædam. Cumque per octo dies ibi moram fecissent continuam, universa depopulati sunt. Quod audiens imperator, nuntios ad eumdem ducem dirigit, rogans ut a præda desistat ejus exercitus, et nobiles quos repetierat, recipiat expeditos. Cui verbo dux libenter acquiescens, præda suis inhibita, pacatis legionibus, Constantinopolim pervenit: ubi ante urbem, in manu robusta et copioso exercitu, fixis tentoriis castrametatus est. Occurrentes autem prædicti nobiles viri, dominus videlicet Hugo Magnus, Drogo de Neella, Willelmus Carpentarius, Clarembaldus de Vendoliolo, extra urbem in castra ducis se contulerunt, gratias pro sua liberatione soluturi: quos cum multa charitate et debita honorificentia susceptos benigne habuit secum aliquandiu, eorum molestiis, quas pertulerant præter merita, fraterne compatiens.

CAPUT VI.

Imperator ad se ducem invitat, ille renuit introire; graves oriuntur inter eos inimicitiæ: fraude imperatoris, ducis exercitus transfertur ad locum angustiorem.

Interea vix mutuos dissolverant amplexus et alternis erant confabulationibus recreati, cum ecce imperatoris adsunt nuntii, monentes ut ad dominum imperatorem cum paucis dux introire festinet. Dux vero, habito consilio, illuc ire distulit; unde indignationem plurimam concipiens imperator, forum rerum venalium legionibus quæ cum duce advenerant interdixit. Porro principes populi videntes indigentiam et alimentorum defectum, rursum de communi consilio per suburbana longe lateque cum ingentibus armatorum copiis discurrentes, greges et armenta undique contrahunt; et alimentorum omnimodam in castra referunt opulentiam; ita ut usque ad satietatem minores etiam abundarent. Videns ergo imperator regionem universam prædæ et incendiis expositam, timens ne deterius etiam aliquid contingeret, iterato commercium restitui præcepit. Cumque Nativitatis Dominicæ dies immineret solemnis, decreverunt apud se, religionis intuitu, per illos dies quatuor nostri principes ab omni præda et qualibet injuria manus cohibere. Quibus in omni quiete et tranquillitate peractis, adfuit imperatoris nuntius, monens verbis pacificis, et tamen in dolo, ut ponte transito, qui est juxta palatium, quod appellatur Blaquernas, legiones suas transferant, in palatiis quæ super littora Bosphori erant plurima hospitaturi. Potuit autem facile persuadere; nam instantis maxima erat importunitas hiemis et pluviarum intemperies inaudita, ita ut eorum papiliones vix possent cohibere stillicidia: unde et victus

Digitized by Google

et supellex omnimoda de madore jugis aquæ corrumperentur et putrescerent. Sed nec homines, nec jumenta, nec cæterorum quælibet animantium, vim algoris penetrabilem et nivium crebram, imo pene continuam, poterant tolerare diutius asperginem importunam, quibus omnibus supra vires angebantur incessanter. His autem, etsi verbo compati videretur imperator, longe tamen alia mens ejus erat: et eo tota ejus properabat intentio, ut legionibus in locis angustioribus collocatis, minorem evagandi haberent licentiam; et ipse eas pro arbitrio cohibendi majorem reciperet potestatem. Quod ut plenius intelligatur, de situ prædictæ urbis aliquid est interserendum.

CAPUT VII.

Descriptio situs urbis Constantinopolitanæ. Dux legatos ad imperatorem dirigit; exercitus noster a Græcis ex improviso sustinet insidias.

Mare Ponticum (quod ab adjacente regione nomen accepit) prædictæ civitati a parte septentrionali positum est, ab eadem triginta distans milliaribus, a quo in modum fluminis, per quasdam angustias in austrum descendit quædam ejus portio, quæ spatio ducentorum triginta milliarum decurrens in directum inter Sestos et Abidon urbes antiquissimas, quarum altera in Europa est, altera in Asia, in nostrum mare labitur Mediterraneum. Quæ influxio a prædicto mari transfusa, postquam triginta milliariis a primis faucibus, unde habet introitum, continuo tractu descendit, sinum facit in partem occidentalem, cujus longitudo est ad millia quinque, vel sex; latitudo vero quasi unius. Hoc autem ita angustum mare, quod a Pontico in Mediterraneum per ducenta triginta milliaria protenditur, Bosphorus Propontidis sive Hellespontus appellatur. Quod autem ita sit, Solinus in septimo decimo *De memorabilibus* testatur, ita dicens: *Quantus Europæ sinus Hellesponto incipit, Mœotis ostio terminatur, atque omnis hæc latitudo, quæ Europam Asiamque dividit, in septem stadiorum angustias stringitur.* Hic est Hellespontus, quem Xerxes ponte navibus facto permeavit tenus deinde. Europus porrigitur ad Asiæ urbem Priapum, qua Magnus Alexander potiundi orbis amore transcendit, et pontus est inde diffusus, æquore patentissimo rursus stringitur in Propontidem, mox in quingentos passus coarctatur, fitque Bospborus Thracius, qua Darius copias transportavit. Horum autem causæ nominum a veteribus poetarum fabulis videntur deductæ. Nam Bosphorus ideo dicitur quod Jupiter Europam Agenoris filiam in bovis effigie assumpta, trans illud mare legitur deportasse; Hellespontus autem ab Helle Phryxi sorore; quæ super arietem cum eodem fratre suo nihilominus dicitur transfretasse. Verbo autem vulgari dicitur Brachium Sancti Georgii, Europæ Asiæque limes, cujus illa est longitudo, quam diximus. Verum latitudinis non est usquequaque modus idem; nam pro adjacentium situ et dispositione regionum, nunc ad unius contrahitur milliarii spatium; nunc per triginta vel amplius diffunditur. Sinus autem prædictus tendens, ut præmisimus, in Occidentem, portus est inter eos quos orbis habet, commoda statione famosissimus: infra quem et Bosphorum, in angulo quodam, sita est prædicta civitas, olim dicta Byzantium: locus ignobilis, et inter Thraciarum urbes quasi novissima; nunc ampliatoris Augusti feliciore insignita vocabulo, principe provinciarum facta est, et imperii familiare domicilium: Romæ senioris et nomen invidens, et dignitatis prærogativam. A Pausania Spartiatarum rege prius condita, juxta id quod in tertio libro Pauli Orosii continetur, formam habens trianguli, trium inæqualium laterum, cujus primum latus ab eo angulo, qui inter portum Hellespontum continetur, ubi est ecclesia Sancti Georgii, quæ dicitur *Mangana*, usque ad palatium novum, cui nomen Blaquernas, secus portum directe protenditur; alterum vero ab eodem Sancti Georgii monasterio, usque ad Auream portam, secus Hellespontum ducitur; tertium vero ab eadem porta usque ad prædictum palatium Blaquernas, per campestria, muris, turribus et antemuralibus insigne protenditur. Portum autem fluvius quidam ingreditur, æstate quidem modicus; sed hieme aquis pluvialibus solet fieri torrentior, pontem habens supra se positum, quem pertransiens nostrorum exercitus, inter Ponticum mare et Bosphorum, et portum in ædificiis quæ in ipso Bosphori littore erant plurima hospitandi gratia se contulerant. Dumque ibi moram facerent, reliquorum principum exspectantes adventum, dux frequentibus imperatoris sollicitabatur legationibus, ut ad eum introiret. Qui suspectam habens ejus familiaritatem, et colloquium reformidans, ad ejus vocationem accedere verebatur. Videns tamen quod omnino esset indecens et contra disciplinam honestatis, si non aut in persona propria veniret, aut saltem pro se idoneos mitteret responsales: nobiles viros dominum Cononem de Monte acuto, dominum quoque Balduinum de Burgo, et Henricum de Ascha, ut se excusatum haberent, ad eumdem dirigit imperatorem. Qui videns domini ducis constantiam, et quod eum ad se nullatenus posset evocare, iterum venalia interdicit. Sed neque sic constantis viri animum potuit emollire: unde manum aggravans, misit occulte sagittarios qui, navibus invecti ad eam partem in qua dux castra locaverat, pervenientes, summo mane in ipso diei crepusculo multos ex nostris qui ad mare exierant, et qui de fenestris speculabantur, sagittis confoderunt, plurimis interficientes.

CAPUT VIII.

Ad urbem revertitur exercitus, et ingens pugna committitur. Græcorum fit strages maxima.

Quod postquam duci nuntiatum est, convocatis populi principibus, de communi consilio fratri præcepit, ut assumpta parte militiæ properet pontem occupare, per quem transierant, ne in illis angustiis intercepti, gentis suæ dispendia patiantur. Hic

Digitized by Google

vero impiger, quingentos sibi assumens loricatos, ad prædictum pontem properans festinat, et occupat violenter. Jam enim non solum illi, qui in navibus descenderant, hostes se exhibebant, verum universa civitas contra eos hostiliter armabatur. Nostri vero cognoscentes studiose et ex industria paratos sibi adversarios, etiam cives universos in eorum perniciem ad arma convolare, igne supposito universa palatia in quibus hospitati erant, tractu continuo per sex aut septem milliaria, tam privatorum quam imperialia succendebunt. Deinde strepentibus lituis, cornicinum admonitione ex diversis partibus ad quas gratia hospitandi se contulerant, conglobati, ducem, qui jam dispositis aciebus, ad pontem maturabat, armis correptis præcipites sequebantur. Verebantur enim plurimum, qui rei militaris majorem habebant experientiam, ne ponte ab hostibus occupato, in locis angustioribus reperti, facilius gravarentur; unde cum tanta instantia vix exspectatis peditum manipulis, omnis illuc equitum manus convenerat. Sed præcurrens dominus Balduinus ducis frater, ut prædiximus, pontem invitis hostibus violenter occupaverat; et eis abactis et in fugam conversis, ulteriorem ripam fluminis nostris vindicaverat. Dux ergo et universus exercitus, cum sarcinis et omnimoda supellectile sua, sine difficultate transeuntes, rursus ante urbem in locis liberis et late patentibus constiterunt. Ubi habito conflictu inter ecclesiam sanctorum martyrum Cosmæ et Damiani, quæ hodie vulgari appellatione dicitur Castellum Boamundi, et pelatium novum, quod dicitur Blaquernas, quod in angulo civitatis juxta portum situm est, circa horam vespertinam, interfectis innumeris, nostri Græcos pondus belli amplius sustinere non valentes, infra urbem se recipere compulerunt. Nostri vero campo viriliter obtento, tanquam victores, in loco ad id congruo castrametati sunt. Et fortasse rursum irruentibus civibus, congressio periculosior, et strages amplior subsecuta foret, odio ministrante fervorem, nisi nox irruens mutuis finem imposuisset certaminibus. Hic primum patuit, et sine hæsitatione factum est manifestum, qua intentione prædictus nequam imperator castra transferri præceperat : videlicet ut suspectum populum in illa locorum angustia, quasi infra quædam repagula coerceret.

CAPUT IX.

Populus ad arma convolat, regionem depopulatur universam : ingens fit in castris victualium opulentia.

Postea demum luce reddita, edictum est publice, ut ad arma populus consurgeret : et pars sub certis ducibus deputatis, universam perlustraret regionem; et alimentorum, quorum imperator commercium interdixerat, copias, vel violenter, vel cum pretio comportaret, gregibus et armentis, frugibus et universis alimentorum generibus non parcentes; pars vero cum duce et quibusdam aliis magnatibus, ad tutelam castrorum in exercitu remanet. Fraudem imperatoris et suorum compertam habentes, contra ejus muscipulas, quanta poterant, se armabant cautela. Factum est igitur, ut qui pabulatum egressi sunt, sex diebus continuis cum ingenti, tam equitum quam peditum multitudine, suburbana per circuitum usque ad sexaginta milliaria confringentes, tantam alimentorum in castra die octava contulerunt copiam, ut amplius esset opinione hominum; et vix gregum et armentorum, vehiculorum quoque et jumentorum turbas ante se trahere possent.

CAPUT X.

Nuntius Boamundi ad ducem accedit, ne cum imperatore conveniat deposcit: responsio ducis.

Dum hæc vero in castris aguntur, ecce domini Boamundi nuntius præsens ante ducem astitit, prædicti principis litteras deferens in hæc verba : *Noveris, virorum optime, quod tibi contra feram pessimam et cum homine nequam incumbit negotium, cujus propositum est semper fallere et omnem Latinorum nationem usque ad mortem modis omnibus persequi; et quod de eo recte sentiam, tuo quoque aliquando approbabitur judicio. Novi enim Græcorum malitiam et odium adversus Latinorum nomen pertinax et obstinatum. Cede ergo, si placet, urbe relicta, ad partes Adrianopolitanas vel circa Philipoppolim, et legiones tibi a Domino commissas, in locis uberibus, alimentis et otio præcipe recreari. Ego autem, auctore Domino, circa veris initium festinus adero, consilium et auxilium fraterno charitate, tanquam domino meo, contra impium Græcorum principem ministraturus.* Perlectis igitur litteris, et earum tenore plenius intellecto, de communi principum consilio litteris et viva voce respondit in hæc verba : *Novi, dilectissime frater, et fama referente pridem edoctus sum quod odio inexorabili Græcorum astutiæ populum semper nostrum persequi ardentissime studuerunt, et si quid mihi defuit prius ad scientiam, quotidie per experimentum addisco plenius; nec dubito quin justo zelo adversus eos movearis, et de eorum nequitia recte sentias. Sed Dei timorem habens præ oculis, et propositum meum considerans, arma infidelibus debita in populum convertere Christianum reformido. Adventum tamen tuum nobis desiderabilem, et aliorum principum Deo devotorum præsentiam avidissime, Deo amabilis, qui nobiscum est, exspectat exercitus.*

CAPUT XI.

Imperator misso filio Joanne Profiro genito et dato obside, ducem ad se invitat. Dux ad eum ingreditur, eum imperator adoptat; pax inter eos reformatur.

Imperator ergo cum suis familiaribus et domesticis anxius plurimum, tum quia totam regionem prædæ videt expositam, suorum gemitus et lamenta non perferens; tum quia domini Boamundi adfuisse legationem, eumque in proximo venturum cognoverat, iterum nuntiis suis dominum ducem, ut ad se ingrediatur, sollicitat : timens, ne si conveniat, qui venturi erant principes, antequam ducem sibi

Digitized by Google

reddat placabilem, in ejus ruinam unanimiter consentiant. Instat ergo propensius, ut sibi ducis prius reconciliet animum, monens et exhortans attentius, ut recepto filio suo Joanne Porfiro genito, quem ei pro obside dirigebat, ad se sine aliquo mentis scrupulo ingrediatur. Placuit ergo verbum principibus, et recepto per Cononem de Monteacuto et Balduinum de Burgo, viros nobilissimos, qui ad hoc missi erant, imperatoris filio, et diligenti custodiæ in manu fratris deputato, ipse assumptis reliquis principibus, fratre super exercitum, ut ejus curam haberet, relicto, in urbem ingressus, imperatori diu desideratam suam obtulit præsentiam. Quo cum multa honorificentia, astantibus illustribus, et virum unde multa audiverant, et ex parte cognoverant intueri volentibus, recepto, et principibus qui cum eo advenerant, prout eorum dignitas deposcebat, et honoratis salutatione, et ad pacis osculum similiter admissis, de eorum incolumitate quærit diligentius; et nomina singulorum percurrens, ut eorum sibi gratiam comparet, singulis affabilem se præbuit et benignum. Tandem vero ducem conveniens, his eum verbis alloquitur: *Audivit imperium nostrum, dux dilectissime, quod apud principes tuos sis potentissimus; et pietatis propositum, quod studiose persequeris, devotionis fervore armatus commendabili, non habet incognitum; quodque potius est, constantis animi et sinceræ fidei virum te fama celebris longe lateque prædicat. Unde et multorum, qui te præsentem non viderunt, morum elegantia id exigente, gratiam meruisti. Quapropter nos etiam te totis charitatis visceribus amplecti volentes, et honorare propensius, in filium hodie præsentibus sacri palatii nostri magnatibus, te adoptare decrevimus; imperium nostrum in tua potestate ponentes, ut per te in facie præsentis et adfuturæ multitudinis illæsum manere possit et incolume.* His dictis, eum vestibus indutum imperialibus, adhibita juxta morem curiæ solemnitate quadam, quæ in hujusmodi arrogationibus fieri solet, secundum regionis morem adoptavit in filium, pace et gratia utrinque plenius reformata.

CAPUT XII

Dux muneribus cumulatus sumpta ad tempus licentia egreditur: rerum venalium forum exhibetur; ducis legiones Bosphorum transeunt et in pago Chalcedonensi castrametantur.

Quo facto, apertis thesauris suis tam domino duci, quam ejus consortibus, dona ingentia in auro, gemmis et holosericis, et vasis pretiosis, hominum æstimationem tam operis elegantia quam dignitate materiæ penitus excedentia, pro sua liberalitate contulit; ita ut usque ad supremum muneribus cumulati, et divitiarum incomparabiles copias, et principis admirarentur munificentiam. Nec semel tantum erga ducem tanta functus est liberalitate; sed ab Epiphaniorum die usque ad Ascensionem Domini singulis hebdomadibus, quantum duo viri fortes aureæ monetæ poterant humeris sustinere; de æreis vero denariis, decem modii, de imperiali palatio ei ministrabantur. Qui tamen omnia, nihil sibi faciens residui, nobilibus et populo, prout cuique videbatur necessarium, liberaliter erogabat. Egressi ergo a domino imperatore, sumpta ad tempus licentia, in castra reversi sunt. Unde Joannem imperatoris filium, quem usque ad domini ducis reditum obsidem in castris detinuerant, cum honesto comitatu ad patrem remiserunt. Imperator vero, edicto publice manifestato, pœna mortis ejus violatoribus infligenda, præcepit, ut justo pretio et æquo pondere ducis exercitui quælibet necessaria venderentur. Dux etiam nihilominus in castris voce præconia sub pœna mortis inhibuit, ne hominibus imperatoris aut vis inferretur, aut injuria. Sicque satis convenienter se supportantes adinvicem, mutuis cum omni tranquillitate usi sunt commerciis. Tandem vero mense Martio mediante, audiens dux, quod alii principes in vicino constituti, cum suis exercitibus advenirent, suggerente imperatore; et id ipsum volentibus tam plebe sua, quam patribus, parato navigio transiens Hellespontum, exercitum suum in Bithynia, quæ prima de Asianis provinciis occurrit, collocavit; inque pago Calcedonensi castrametatus est. Est autem Calcedon civitas in Bithynia, ubi sexcentorum Patrum et triginta sex, tempore domini Leonis papæ senioris et domini Marciani Augusti, contra Eutychetis monachi et Dioscori patriarchæ Alexandrini impietates, quarta synodus generalis convenit: locus videlicet Constantinopoli proximus, et sola Bosphori interpositione distans; unde et urbem in vicino constitutam, erat omnibus intueri; et qui negotiis urgentibus trahebantur, ter vel quater in die ad urbem ire regiam et ad castra redire sine difficultate poterant. Quod autem maturius ducis exercitum transfretare persuasionibus suis compulerat, non de fidei sinceritate processit; sed fraude solita ducem circumvenit, ne aliis advenientibus, ejus copiæ possent admisceri. Nam et reliquos qui postea subsecuti sunt, eodem artificio singillatim transire compulit, ita ut nunquam duo simul ante urbem fuerint exercitus.

CAPUT XIII.

Boamundus accelerat; describuntur nobiles qui eum sequuntur; imperator occulte ei parat insidias.

Interea dum hæc circa Constantinopolim per imperatorem et hominum ducem sic geruntur, dominus Boamundus, Roberti Guischardi filius, princeps Tarentinus, qui ante ingruentem hiemem cum suo exercitu Adriaticum mare transiens, Durachium usque pervenerat, per deserta Bulgariæ suos, qui eum subsequebantur, operiens, pedetentim accedebat. Adhæserant porro ei, et ejus castris se adjunxerant, tam de Italia, quam de aliis provinciis viri nobiles, et potentes plurimi: quorum ad perpetuam memoriam numerum et nomina ex parte comprehendimus. Tancredus, Willelmi marchionis filius; Richardus de Principatu, filius Guillelmi Ferrebra-

Digitized by Google

chia, fratris Roberti Guischart; Ranulfus, frater ejus; Robertus de Anxa, Hermannus de Carni, Robertus de Surdavalle, Robertus, filius Tristani; Hunfredus, filius Rodulfi; Richardus, filius comitis Ranulfi, et comes de Rosinolo cum fratribus suis, et Boelus Carnotensis; Alberedus de Cagnano; Hunfredus de Monte scabioso. Hi ergo omnes domini Boamundi vexilla secuti, usque ad urbem Castoream, ubi Dominicæ Nativitatis dies celebres egerunt, pervenerant. Ubi quoniam a civibus venalia populo prætereunti non exhibebantur, compulsi sunt greges et armenta, et cætera victui necessaria, rapere violenter; et damna locorum habitatoribus, qui eos tanquam hostes abominabantur, inferre. Inde progressi, in regione uberrima, cui nomen est Pelagonia, castrametati sunt. Ubi audientes quod in vicino erat municipium solis hæreticis habitatoribus refertum, illuc sub omni celeritate contendunt, et castrum violenter occupantes, succensis ædificiis, oppidanis quoque partim gladio, partim consumptis incendio, prædam universam et opima inde retulerunt spolia. Imperator vero prædicti domini Boamundi audiens adventare legiones, primiceriis exercituum suorum, quos in iisdem regionibus gratia hiemandi collocaverat, clam præcipit ut usque ad Bardarium fluvium cum universis illarum regionum copiis ex latere sine intermissione prosequantur, ut si forte eis conveniens daretur occasio, et ita opportunitas se offerret nocte vel interdiu, clam sive aliter, exercitum precedentem tentarent fatigare. Suspectissimum enim domini Boamundi habebat introitum. Nam tam ab eo quam ab ejus patre, multas et sæpius passus fuerat injurias. Verumtamen sicut vir erat subdolus, potens simulare et dissimulare propositum, missis quibusdam nobilibus ex suis domesticis ad eumdem virum egregium, verbis pacificis ei locutus est in dolo, tentans si quo modo eum posset decipere. Erat autem verborum quæ tam viva voce quam litteris per nuntios porrexerat prædictos, tenor hujusmodi:

CAPUT XIV.

Epistola imperatoris Alexii ad Boamundum. Irruit clam exercitus imperatoris in castra Boamundi. Capiuntur quidam, qui malitiam imperatoris detegunt

Compertum habet, et nullatenus dubitat nostrum imperium, a Deo protectum, quod magnus et potens sis princeps, et egregius, magnifici quoque, et præpotentis, et industrii principis filius: teque hactenus, meritis tuis id exigentibus, charum semper habuimus et acceptum, licet te præsentem non inspexerimus. Et nunc, quoniam ad servitutem Dei et pietatis obsequia accinctum te et ejusdem peregrinationis cum cæteris Deo devotis principibus consortium iniisse audivimus, fortius amare et honorare propensius, cordi nobis est, et in prompta fixum gerimus voluntate. Quapropter, dilectissime noster, populis præcipe, qui te sequuntur, subjectis nostris parcere; violentiam, rapinas et incendia fac cessare, ad nostram quantocius accedens præsentiam, securus de multiplici honore et gratia nostra, qua multipliciter te proposuimus prævenire. Præsentium quoque latoribus dedimus in mandatis, ut exercitibus tuis justo pretio necessaria procurent, ut sine intermissione, rerum venalium eos copia prosequatur. Hæc imperatoris verba, etsi in superficie multam videbantur habere humanitatem, intrinsecus tamen virus occultabant admistum. Verum Boamundus, tanquam vir solers et argutus, imperatoris compertam habens malitiam, propositum dissimulans, cautius se habebat, gratias referens imperatori pro eo quod de statu suo dignaretur esse sollicitus. His igitur ducibus usque ad Bardarium fluvium perveniens, cum jam ex parte, enavigato amne in ulteriore ripa consisteret exercitus, pars vero adhuc transeundi urgeret propositum, ecce imperatoris satellites, qui cum infinita manu exercitus nostri vestigia sequebantur, rati opportunitatem se invenisse, in eam partem exercitus, quæ adhuc in transeundi erat procinctu, hostiliter irruunt, quanta poterant importunitate instantes. Quod Tancredus intelligens, sicut vir erat expeditissimus, fulmineus advolat; et fluvium, qui medius erat, enatans, partem fluminis attigit ulteriorem. Quem secuti equites, quasi ad duo millia, primo eorum statim adventu, prædictorum cohortes dissolvunt gladiis; et conversos in fugam, cædendo aliquantulum sunt prosecuti, interfectisque ex eis quampluribus, nonnullos etiam comprehendentes, ante dominum Boamundum eos statuerunt. Qui cum diligentius interrogarentur, quare Christianum persequerentur exercitum, responderunt, quod *homines imperatoris essent, et merendo stipendia ad ejus præceptum militare eos oporteret.* Hic demum plenius cunctis innotuit, quod quidquid eis imperator loquebatur, fraus erat et circumventio; tamen quia per eum transituri erant, invitis aliis Boamundus dissimulare potius volebat injurias, quam eum inutiliter ad iracundiam provocare.

CAPUT XV

Occurrit dux domino Boamundo, et invitum quasi ad imperatorem introducit; ubi plurimum honoratur. Tancredus interim legiones transfert in Bithyniam, ubi ducis cohortibus sociantur.

Transcursa igitur Macedonia et universa Illyrico, competendi moderamine itinere maturato, ad urbem cœpit appropinquare. Cumque in vicino esset constitutus, quinta feria ante Paschalem solemnitatem, suscepta iterum imperatoris legatione, persuadente ut dimisso exercitu ad se cum paucis et familiaribus suis ingrederetur, substitit aliquantulum; et effectui mancipare quod præcipiebatur, distulit, suspectam illius habens malitiam. Dumque sic fluctuaret in incerto, ecce vir illustris dux Godefridus, ab imperatore multa precum victus instantia, ut domino Boamundo exiret obviam, et eum ad se nihil dubitantem introduceret, cum honesto princi-

Digitized by Google

pum comitatu prædicto viro occurrit magnifice. Ubi mutuis complexibus et sinceræ charitatis osculo se suscipientes ad invicem, post grata colloquia et mutuas de statu singulorum interrogationes, Boamundus a domino duce commonitus, ut ad imperatorem, sicut vocatus fuerat, ingrederetur, licet primum se difficilem exhiberet, et ducis non satis exaudiret monita, imperatoris suspecta, ut prædiximus, habens colloquia, postmodum tamen honesta evictus persuasione, duce prævio, ad imperatorem confidenter ingressus est. Ubi ab eodem in osculo pacis et multimoda gratia, et honore præventus multiplici, post multa familiariter cum utroque habita consilia, factus est, ut dicitur, dominus Boamundus imperatoris homo, fidelitate manualiter exhibita, et juramento præstito corporaliter, qualiter solent fideles dominis suis exhibere. Quo facto, ex imperialibus vestiariis oblata sunt prædicto viro munera in auro, vestibus, vasis et pretiosis lapidibus, tam pretio quam dignitate incomparabilia. His igitur ita pacificatis, dum adhuc in palatio moram faceret dominus Boamundus, Tancredus vir per omnia commendabilis, ejusdem ex sorore nepos, imperatoris præsentiam studiose declinans, et colloquia universum interim exercitum in Bithyniam transtulerat, ultra Bosphorum in pago Chalcedonensi (ubi et domini ducis translatus dudum residebat exercitus, subsequentium exspectans adventum), castrametatus. Quod postquam imperatori plenius innotuit, quod dominus Tancredus ejus ita declinaverat præsentiam, ægre tulit plurimum. Sed more prudentis, injuriam dissimulans, præsentes principes iterum atque iterum muneribus cumulans immensis, cum multo honore ad castra trans Bosphorum remisit propria, ubi junctis agminibus, et plena charitate sociatis, in conspectu urbis uterque residebat exercitus, exspectantes subsequentium adventum principum, ut sociatis legionibus, iter quod assumpserant, unanimiter prosequerentur. Ministrabatur autem tam ex urbe regia, quam ex adjacentibus suburbanis, populo illic posito, ad sufficientiam, victus necessarius, ita ut pro voto copiosius abundarent.

CAPUT XVI.

Comes Flandrensium Robertus cum suis adest, ab imperatore vocatus introducitur, et muneribus ingentibus susceptis mare transit, et prædictis sociatur principibus.

Interea vir illustris Flandrensium comes Robertus, qui a principio ineuntis hiemis cum suo comitatu mare transiens, a Baro Apuliæ civitate maritima Durachium descenderat, in locis fertilibus, silvis, pascuis et omnimoda commoditate refertis, instantis brumæ declinaverat importunitatem : tandemque circa veris initium iter arripiens, reliquos principes, qui jam mare transierant, ut eis adjungeretur, multa prosecutus est instantia. Qui antequam Constantinopolim perveniret, sicuti et aliis acciderat, legatos suscepit imperiales, per quos ei mandabatur, quatenus relicto exercitu, ad ejus præsentiam paucis comitatus, accederet. Ipse autem, quomodo qui cum præcesserant cum domino imperatore se habuissent, plenius edoctus, Constantinopolim perveniens, palatium cum paucis consortibus ingressus est. Ubi ab imperatore cum multa receptus honorificentia et benigne tractatus, exactam fidelitatem, aliorum sequens vestigia, corporaliter impendit. Unde et majorem consecutus gratiam, dona suscepit ingentia, sociis ejus etiam juxta modum suum pari liberalitate honoratis. Postquam vero diebus aliquot, ejus exercitus ibi juxta urbem et allmentis et otio recreatus est; ipseque ad imperatorem sæpius ingressus, de his quæ necessaria videbantur, cum eo sufficienter contulit, sumpta licentia, cohortes transferens, ad viæ consortes navigavit, a quibus benigne et plena charitate susceptus, eorum exercitibus cum suo comitatu sociatus est. Ubi cum diebus singulis mutuis confabulationibus de variis rerum eventibus, qui singulis eorum in itinere acciderant, se recrearent ad invicem; et labores suos grata quadam revolverent memoria, ad id quod instabat novissime recurrebat tractatus, ut diligentius inter se quærerent quando et quomodo ad operis cœpti consummationem intenderent. Dumque circa hoc essent solliciti, et moram subsequentium arguerent sociorum, eis imputantes, quod sine fructu tempora præterirent, ecce nuntius comitis Tolosani et episcopi Podiensis, utrumque adesse et in proximo urbem ingressuros, edocet.

CAPUT XVII.

Comes Tolosanus, et episcopus Podiensis cum suis agminibus per Dalmatiam properant, multam difficultatem itineris in ea regione perpessi.

Porro hi duo magni et illustres viri, ab initio suscepti itineris cum suis expeditionibus, comites sibi perpetuo adhæserunt indivisi. Erantque cum eis viri nobiles et apud suos tam nobilitate quam morum elegantia clarissimi : dominus videlicet Willelmus Aurasiensis episcopus et Rambaldus ejusdem civitatis comes, Gaustus de Bederz, Girardus de Rosseilon, Guillelmus de Montepessulano, Guillelmus comes Forensis, Raimundus Pelez, Centonius de Bear, Guillelmus Amaneu; et alii multi, quorum etsi nomina non tenemus, certum est tamen ea in libro vitæ conscripta esse. Quippe qui patriam cognationem et amicos, et late diffusa patrimonia relinquentes, Christum secuti sunt, voluntariam amplexi paupertatem. Hi omnes, prædictos venerabiles viros cum omni reverentia secuti, in Italiam descenderunt, transcursaque Lombardia, per eam regionem quæ forum Julii appellatur, juxta Aquileiam transeuntes in Istriam, inde tandem in Dalmatiam descenderunt. Est autem Dalmatia longe patens regio inter Hungariam et Adriaticum mare sita, quatuor habens metropoles, Iazaram et Salonam, quæ alio nomine dicitur Spaletum, Antibarim et Ragusam; populo ferocissimo, rapinis et cædi-

Digitized by Google

bus assueto inhabitata : montibus et silvis, magnis quoque fluminibus, pascuis etiam longe lateque diffusis occupata penitus, ita ut raram habeat agrorum culturam, locorum incolis in gregibus et armentis omnem vivendi habentibus fiduciam : exceptis paucis, qui in oris maritimis habitant, qui ab aliis et moribus et lingua dissimiles, Latinum habent idioma ; reliquis Sclavonico sermone utentibus et habitu barbarorum. Hanc igitur ingressi provinciam, multam invenerunt itineris difficultatem, maxime propter hiemis instantiam et locorum nimiam inæqualitatem ; sed et victus et alimentorum sustinentes gravem defectum, periculose satis per dies aliquot laboraverunt inedia. Locorum sane habitatores relictis urbibus et præsidiis, ad montes et silvarum condensa cum uxoribus et liberis, et cum omni substantia, quasi agrestes feræ fugientes, nostrorum formidabant aspectum. Occulte tamen, et de remoto, proficiscentis exercitus vestigia sequentes, senes valetudinarios, anus quoque grandævas, quæ lento gradiebantur itinere, seorsum reperientes occidebant. Comes vero totius multitudinis debitam gerens sollicitudinem, præmissis de principibus aliquot, qui agmina præirent, ipse cum maxima loricatorum manu postremus semper incedebat, novissimus hospitabatur. Erat præterea aer caliginosus et tenebræ continuæ, pene palpabiles, ita ut qui sequebantur, præcedentium vix tenerent vestigia ; et qui præibant, vix per jactum lapidis ante se loca possent discernere. Terra enim, ut prædiximus, rivis fluminibusque abundans, et pene tota palustris, tantam diebus singulis ex se dabat uliginem et tantam crassitudinem nebularum, ut aerem redderent pene suffocatorium. Ad hæc, Sclavi Dalmatæ, tanquam indigenæ, locorum habentes peritiam, per abrupta montium et nemorum condensa, exercitum ex latere sequentes, frequentibus irruptionibus inermem populum, e silvis prodeuntes opprimebant. Comes vero, et alii magnates in ipsos tales sæpissime facientes impetus, multos ex eis lanceis confossos et obtruncatos gladiis perimebant ; pluresque sæpius occidissent, nisi quia silvas habentes vicinas et ad eas confugientes, præsens captabant remedium. Accidit tamen quadam die, quod ex prædictis malefactoribus captis quibusdam, comes manus et pedes præcepit amputari, ut eorum consortes saltem hac pœna deterriti, exercitum persequi formidarent. Cumque tribus hebdomadibus continuis tam laborioso itinere regionis partem transcurrissent, pervenientes ad locum, cui Scodra nomen, Sclavorum regem ibi repererunt. Cumque dominus comes, sicut vir benignus erat, affabilis et misericors, multa munerum liberalitate amicitiam contrahens, sperabat populo suo indigenarum gratiam obtinere, ut saltem commercii et rerum venalium copiam consequeretur : tandem nec hac via prædictæ gentis ferocitatem emollire potuit, quos deinceps multo sæviores invenit. Cumque per dies quasi quadraginta omnem Dalmatiam multo pertransissent labore, tandem pervenerunt Durachium.

CAPUT XVIII.

Apud Durachium eidem comiti imperialis occurrit legatus ; episcopus Podiensis a Bulgaris capitur ; sed Domino miserante liberatur. Iterum apud Rodestum tam imperatoris quam principum nostrorum eidem occurrit legatio.

Imperator vero comitis suspectum habens adventum, eo quod vir prudens et magnificus esset, et majores secum traheret copias, missa multo ante legatione honestorum virorum, qui ei apud Durachium occurrerent, præcepit, ut advenientem ex parte ejus officiosissime salutatum, honeste tractarent. Qui dicto parentes, in ejus præsentia constituti, viva voce et litteris eum blande allocuti sunt, imperatoris porrigentes epistolam, cujus hic tenor erat : *Jamdudum, comes dilectissime, tuæ prudentiæ opinio celebris et probitatis late diffusa fragrantia ad nostri pervenit aures imperii ; et meritis exigentibus, nos ad tui dilectionem invitavit, propositum habentes personam tuam amare et honorare propensius. Unde et tuum adventum cum multo desiderio exspectavimus, multa de publicis negotiis cum tua nobilitate imperio nostro charissima, tractare cupientes. Unde monemus attentius, ut sine tumultu et scandalis terras nostras pertransiens, ad nos festinus accedas, securus de gratia nostra et honore multiplici, quo te proposuimus prævenire. Præsentium autem latoribus dedimus in mandatis, ut rerum venalium copiam et juge commercium populo tuo bonis conditionibus faciant exhiberi.* His litteris tam comes quam ejus exercitus exhilaratus admodum, rursus iter arripiens, transcursis silvis et montibus, et universa Epirotarum regione, multorum labore dierum, demum in pagum, cui Pelagonia nomen est, omnibus redundantem copiis descendentes, castrametati sunt. Ubi cum vir vitæ venerabilis dominus Podiensis Episcopus longius a castris aliquantulum, hospitandi commoditatem secutus, seorsum locasset tentoria, a Bulgaris irruentibus captus est. Sed quia tantus pontifex adhuc populo Dei erat necessarius, casu, per ejus misericordiam vitæ est reservatus. Nam dum unus de prædonibus aurum ab eo quæreret, eum contra cæteros tuebatur : inter quos excitato tumultu ad vocem concertantium, exercitus commotus est universus ; et armis correptis in prædictos irruentes maleficos, dominum episcopum cum suis expedierunt. Tandem resumpto itinere Thessalonicam transeuntes, et omnem Macedoniam, continuatis per multos dies laboribus, apud Rodostum urbem maritimam, super Hellespontum sitam, a Constantinopoli itinere dierum quatuor distantem pervenerunt. Ubi iterum imperatoris comiti occurrit legatio et principum etiam, qui præcesserant nuntii nonnulli, monentes et exhortantes obnixius, quatenus exercitu relicto et paulatim subsequente, ipse cum paucis veniat expeditus, ut peractis apud imperatorem negotiis, accedente ejus exercitu, pos-

Digitized by Google

sit reliquos subsequi maturius; et populis properare volentibus, nullum ministret impedimentum. Præmiserat autem et ipse nuntios, qui et ipsi reversi, eum ad idem animabant.

CAPUT XIX.

Comes relicto exercitu, ad imperatorem properat; cum eo non consenit. Imperator fraudulenter præcipit, ut in ejus irruatur exercitum.

Evictus igitur comes tam imperialium legatorum instantia quam verbo principum, qui eum maturare hortabantur, relicto exercitu sub cura et sollicitudine episcoporum et aliorum nobilium, qui in castris erant, ipse cum paucis Constantinopolim ingressus, sæpius citatus, præcedentibus eum imperialibus apocrisiariis, suam imperatori præsentiam exhibuit. Ibi tam ab eo quam a suis illustribus et inclytis, qui ei assistebant, honorifice susceptus, et benigne plurimum, plena humanitate tractatus est. Ubi postmodum blandis persuasionibus et multa instantia pulsatus, ut imperatori fidelitatem et juramentum secundum formam aliorum principum, qui eum præcesserant, exhiberet, negavit constantissime. Interea vero dum hæc apud Constantinopolim agerentur, indignatus imperator, quod ei comes more aliorum, hominium facere detrectaret, clam præcipit legionum suarum primiceriis, quæ in partibus illis erant constitutæ, ut repente in exercitum comitis irruentes, modis quibus possent, molestare attentarent, ita etiam, ut in eis cædem operari non vererentur. Hoc autem attentare ausus est, ea fretus fiducia, quod principes omnes data sibi fidelitate obligaverat; quodque eorum exercitus omnis mare illud transierant, unde non facile erat retransire. Nam quotquot illuc naves aut gratia commercii, aut transferendæ plebis causa accedebant, omnes statim ulteriorem ripam deserere tenebantur, ut illis navium deesset copia, et de redeundo frustra cogitarent. Ad hoc enim singillatim eos, ut prædiximus, transire blanditiis et callidis persuasionibus compulerat, ne simul junctis agminibus ante urbem possent convenire. Suspectum enim, ut prædiximus, nostrorum habebat adventum et conventum multo amplius formidabilem. Quodque principibus quasi liberaliter contulerat, nec liberalitatis erat, nec gratiæ; sed timoris desperati et fraudulentæ versutiæ. Nostris autem in simplicitate spiritus et sincera fide incedentibus, vix persuaderi poterat Græcorum malitia, et nequam illorum principis fraus et circumventio pertinax, maxime cum erga eos tanta liberalitate et simulata gratia redundaret.

CAPUT XX.

Comitis absentis clam a Græcis impugnatur exercitus. Comes indignatur; imperator facti pœnitens, et sibi timens, principum interventionem postulat, suam allegans innocentiam.

Igitur qui imperatoris mandatum susceperant, centuriones, et quinquagenarii, et numeris militaribus præpositi, regiam exsequentes jussionem, præmonitis agminibus, clam et de nocte in domini comitis irruunt expeditiones; dum incautos reperiunt, et nihil tale verentes, plurimos ex eis interficiunt: ita ut antequam expergefacti arma corriperent, et fuga fœda et strages miserabilis intercederet. Tandem vero honestioribus viris admonentibus ad cor redeuntes, resumptis animis ac viribus, prædictæ imperatoris latrocinanti familiæ multa suæ gentis intulerunt dispendia. Et licet pro tempore et loco satis viriliter nostri restitissent, viæ tamen considerantes difficultatem, et crebra quæ ex insperato diebus pene singulis occurrebant discrimina, liquefiebant in se ipsis, quasi assumpti pœnitentes itineris; et minus minusque fervebant in eo quod erant aggressi, tædio laborum fatigati vehementius, ita ut multos non solum de plebeiis, verum et de majoribus incepti pœniteret; et diffidentes de consummatione propositi, votorum immemores, redire disponerent. Quod nisi monitis et exhortationibus ab episcopis et clero fuissent revocati, et ad voti prosecutionem reaccensi, parati erant agmina deserere et ad propria quocunque tentare reditum periculo. Quod postquam domino comiti nuntiatum est, dolore cordis tactus intrinsecus, proditum se clamat; et missis de fidelibus suis viris aliquot nobilibus, imperatori proditionis infamem objicit titulum, asserens quod dum per ejus vocationem et multiplicatas legationes in ejus esset obsequio, contra bonos mores in ejus exercitum suos præcepisset armari. Sed et principibus, quorum prece et instantia dimisso exercitu properaverat, casum lamentabilem, qui suis acciderat, et imperatoris fraudem apertissimam notam facit, super his ultionem tanquam a fratribus reposcens. Quod si comiti, par affectibus et voluntati esset suorum injuriam ulciscendi facultas, procul omni dubio a motu animi, quem conceperat, nec minis, nec terroribus, nec aliquorum interventu principum potuisset convelli. Dicebatur enim vir animosus et injuriarum perpetuo memor, quique in suo sensu plurimum abundaret. Imperator igitur rem videns nimium processisse et facti pœnitens, principes, dominum videlicet ducem, dominum Boamundum, dominum Flandriæ comitem, qui adhuc in ulteriore maris littore cum suis legionibus residebant, ad se facit evocari, ut per eorum interventum domini comitis sibi possit animum reconciliare. Qui ad ejus vocationem convenientes, et si multum displiceret quod acciderat, tamen videntes quod non esset reposcendæ ultionis locus, dominum comitem seorsum admonent et honestis persuasionibus hortantur, ut injuriam, quam communem reputant, dissimulare velit; ne vindictam prosequens, multorum dierum operam aggrediatur; et volentibus in via Domini procedere, ministret impedimentum. Factumque est tandem, ut ad piam principum intercessionem, comes tanquam vir discretus, exacerbatum mitigans animum, principum cesserit consilio, eorum dispositioni se committens.

Digitized by Google

Illi autem imperatorem familiariter convenientes, quam moleste ferant quod acciderat, unanimiter protestantur. Quorum imperator intelligens indignationem et unanimitatis constantiam, coram comite et universa tam exterorum quam suorum domesticorum curia, in excusationem descendit, jurans et obtestans quod, neque de conscientia ejus neque de mandato, quod accidisse dicebatur, evenerat. Tamen juxta hanc innocentiam suam, comiti satisfacere paratum se dicebat. Sicque quotidie, magis et magis Græcorum dolus, et fraus imperatoris detegebatur, ita ut jam nemo esset de principibus cui non esset manifestum et luce meridiana clarius, quanto odio populum prosequebatur nostrum et omne Latinorum genus haberet invisum. Verumtamen, quoniam ad alia eorum properabat intentio et ad Deo magis placitum propositum anhelabant, tutius judicabant illatas dissimulare injurias, quam se a tam pio revocare concepto aut assumpto labori impedimentum ministrare.

CAPUT XXI.

Comes intervenientibus principibus imperatori reconciliatur. Invitat imperatorem, ut cum reliquis principibus proficiscatur. Qui mare transierant, versus Nicæam contendunt. Comes eos protinus insequitur.

Comes igitur juxta principum exhortationem, imperatori reconciliatur; et secundum tenorem juramentorum, quem alii præbuerant, et ipse juramentum fidelitatis exhibens, in plenam gratiam reversus, donis ingentibus et cumulatæ liberalitatis, quæ et numerum et pondus excederet, honoratus est. Accipientes porro et alii principes iterata dona et sumentes licentiam, ipsumque comitem specialiter rogantes, ne moram post eos faceret, ad suas in Bithynia, transito Hellesponto, se conferunt legiones. Interim quoque et domini comitis exercitus Constantinopolim pervenit, qui statim de mandato ipsius, ad eos, qui se præcesserant, transiens, reliquis exercitibus est adjunctus. Comes vero gratia rei familiaris in urbe moram faciens, per dies aliquot, simul et domestica tractabat negotia, et pro publicis, more prudentis viri, non desinebat esse sollicitus. Nam sicut ab aliis rogatus erat principibus, imperatorem frequenter honestis persuasionibus invitabat, sicut et alii ante eum sigillatim fecerant, ut proficiscentes comitaretur, et exercitus Dominici esse vellet dux et moderator. Commonitus autem sæpe et sæpius prædictus imperator a singulis nostrorum principum, et maxime a domino comite Tolosano, ut Dominici exercitus dux et comes esse dignaretur, et populorum, qui se divinis obsequiis mancipaverant, vellet obtinere primatum: excusabat se, dicens quod hostes circa se haberet ferocissimos, Bulgaros, Commanos, et Pincenates, qui fines imperii sine intermissione circuibant, quærentes opportunitatem, ut subito possent irruere et ejus turbare tranquillitatem. Ideoque, licet votis plurimum conveniret tantæ peregrinationis habere consortium et futuræ retributionis exspectare participium, non posse regni curam deserere et hostibus circumpositis malignandi præstare occasionem. Quidquid autem loquebatur, dolus erat et circumventio, nec ob aliud hæc pro se allegabat, nisi quod nostrorum profectibus invidens, sub aliquo quæsito colore, nostris suam subtraheret operam, et processum, quantum ei liceret, modis omnibus impediret. Qui vero mare jam transierant, dominus videlicet Godefridus, dominus Boamundus, dominus quoque Robertus Flandrensium comes et dominus Podiensis episcopus, compositis sarcinis, ad iter rursus accinguntur, propositum habentes versus Nicæam pedetentim incedere; et ita suos, qui subsequebantur, operiri. Cumque per diem versus Nicomediam, quæ illius provinciæ, Bithyniæ videlicet, metropolis est maxima, processissent, venerabilis sacerdos Petrus Eremita de locis illis finitimis, in quibus hiemis asperitatem declinaverat, cum paucis, qui de suo comitatu erant residui, proficiscentibus occurrens legionibus et principibus salutatis, eorum cœtibus adjunctus est. Ubi ab omnibus benigne susceptus et de suorum casu diligenter interrogatus, rem eis seriatim aperuit; quomodo duræ cervicis, incredulus, et omnino indomabilis esset populus, qui cum eo præcesserat; quodque magis culpa propria, quam facto alterius, illis occurrens infortunium accidisset. Unde compatientes ei et suorum afflictioni principes, multa illi et his, qui eum sequebantur, liberaliter contulerunt. Multiplicato igitur exercitu, et ex diversis copiis in unum convenientibus facto per Dei gratiam numerosiore, competenti moderamine iter conficientes, Nicæam pervenerunt. Ubi castris per gyrum dispositis, loca tamen venturis principibus deputantes, urbem mense Maio quintadecima die mensis, obsederunt. Comes autem Tolosanus, pertractatis apud urbem regiam negotiis, sumpta ab imperatore licentia, et ingenti rursus munerum liberalitate honoratus, cum suis, quos secum detinuerat, castra cum omni celeritate secutus, ad urbem prædictam velox pervenit.

CAPUT XXII.

Robertus Normannorum comes, et dominus Eustachius ducis frater, cum suis legionibus Constantinopolim perveniunt, ab imperatore ingentibus donis, et multa præventi honorificentia. Deinde transeuntes Hellespontum, reliquis principibus se associant.

Interea vir illustris dominus Robertus Normannorum comes et alii in eodem comitatu viri clarissimi: dominus videlicet Stephanus Carnotensium comes et Blesensium, dominus quoque Eustachius, domini Godefridi ducis frater, missa iterum legatione, tam domino imperatori quam fratribus, adventum suum in proximo futurum denuntiant. Erat autem cum eis, Stephanus comes de Albamarla, Alanus Fergandus et Conanus, ambo de Britannia, magni viri; sed et comes Perchensis Rotholdus, Rogerus de Barnevilla. Hi omnes cum aliis multis viris præclaris et nobilibus, cum Flandrensium comite et domino Hugone Magno, anno præterito,

Digitized by Google

circa hiemis ingruentis initia, in Apuliam descenderant; aliisque Durachium transeuntibus, ipsi temporis abhorrentes asperitatem, tam in Apulia quam in Calabrorum finibus in locis commodis hiemem transegerunt. Tandem vero circa veris initium convocatis viæ consortibus et compositis ad iter sarcinis ad mare descendentes, aliorum secuti vestigia, Durachium pervenerunt. Unde continuato itinere, moram quam fecerant in Apulia, redimere cupientes, cum omni instantia iter peragunt. Tandemque, Domino opitulante, optata usi tranquillitate, decursis mediis provinciis, Illyrico videlicet, Macedonia et utraque Thracia, Constantinopolim pervenerunt : ubi vocati a domino imperatore, et more aliorum palatium ingressi, ab eodem et suis qui ei assistebant illustribus, cum multa honestate susceptì sunt. Tandem post multa consilia, et cum illis tribus communiter, et cum eorum quolibet seorsum habita, id ipsum quod ab aliis obtinuerant, blandis persuasionibus et multa pollicitatione ab eis instanter postulant. Hi vero aliorum præ oculis habentes exemplum (nam sufficienter de omnibus, antequam ad imperatorem accederent, instructi fuerant, dicentes apud se : *Nec enim majores sumus quam patres nostri*) exactam fidelitatem, et secundum formam juramentorum a præcedentibus exhibitorum sacramenta præstantes, imperatori se obligaverunt. Unde in ampliorem recepti gratiam digni habiti sunt, ut majora munera reportarent. Apertis ergo ærariis, in auro, vestibus pretiosis, vasis quoque tam materia quam artificio admiratione dignis, holosericis quoque, miræ et inauditæ æstimationis dona susceperunt, qualia prius non viderant; quæ ipsis etiam in quos transferebatur liberalitas, stuporem mentis inferrent, nostrarum rerum modum et dignitatem excedentia. Tantis igitur muneribus cumulati, ne viæ consortibus moræ causas viderentur innectere, sumpta ab imperatore licentia, transmisso Hellesponto, cum suis legionibus iter accelerantes Nicæam, ubi universus Christianorum resistebat exercitus, pervenerunt; a principibus, qui præcesserant, multo charitatis amplexu, et omnium concurrente susA cepti desiderio, locum sibi deputatum obtinentes castrametati sunt.

CAPUT XXIII.

Tatinus quidam imperatori familiaris, nostris associatur principibus, vir subdolus nimium, et iniquitate notabilis.

Adjunxerat se etiam nostrorum castris quidam Græcus, Tatinus nomine, imperatoris familiaris admodum, vir nequam et perfidus, nares habens mutilas in signum mentis perversæ. Hic ex imperiali jussione, nostris ducem viæ ad ampliorem cautelam postulantibus, designatus fuerat dux itineris et comes futurus. Electus ob hoc quod et locorum plenam habere dicebatur experientiam; et B de ejus malitia et perplexa dolositate plurimum præsumebat imperator. Hic etiam cum manu suorum nonnulla nostris principibus associatus erat, ut non deesset *anser, qui inter olores perstreperet*, et perversus *coluber inter anguillas*. Cuncta enim quæ in expeditione fiebant, cunctaque quæ a singulis dicebantur, sinistra pervertens interpretatione, imperatori significabat; ab eo versa vice commentorum et fraudis per frequentes internuntios formam recipiens. Hic primum ex diversis exercitibus, qui varios, et per loca diversa variisque temporibus secuti fuerunt principes, unus factus est Dei viventis exercitus, ex multiplicitate partium advenientium ad invicem, suam recipiens integritatem. C Nam ex quo relictis domibus iter aggressi fuerant prædicti Deo amabiles exercituum duces et capitanei, nusquam eis datum est mutuo se videre, et de negotiis publicis colloqui ad invicem et disserere; nisi postquam ante prædictam urbem convenientes, castrametati sunt. Ubi recensito legionum numero, inventi sunt habere peditum promiscui sexus sexcenta millia; equitum vero loricatorum centum millia, qui omnes ante prædictam urbem consistentes, ad ejus expugnationem omnimodam dabant operam; laborum suorum primitias cum omni devotione Domino consecrantes.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Descriptio urbis Nicænæ, et ejus prærogativæ; quod Solimannus, qui in ea dominabatur, ex universo Oriente Turcorum ingentes contra nostros collegerat copias, latens insidiis, ut nostros irrueret.

Est autem Nicæa una de urbibus Bithyniæ, quæ ad Nicomediam ejusdem regionis metropolim, more suffraganearum urbium prius habuit respectum; postea vero a domino Constantino Augusto seniore a jurisdictione illius emancipata est, ob re- D verentiam sanctæ synodi primæ, quæ in ea convenit. In hac enim, temporibus domini Sylvestri papæ, et viri venerabilis Alexandri Constantinopoli patriarchæ, et prædicti Constantini Augusti sancta synodus trecentorum decem et octo Patrum adversus impietates Arii, et sequacium suorum congregata est. Quæ eorum pernicioso languore damnato, et sanctorum testimoniis veritate declarata universæ Ecclesiæ Dei, fidei formam intemeratam præbuit. In hac eadem postmodum, tempore domini Constan-

Digitized by Google

tini Augusti piissimi Irenæ filii, iterum convenit septima synodus generalis adversus Iconomachos, id est impugnatores sanctarum imaginum, sub domino Adriano Romano pontifice, et viro venerabili Tharasio Constantinopolitano patriarcha : in qua prædicti hæretici dignam pro meritis ab orthodoxa Ecclesia, contra suam perfidiam, damnationis tulerunt sententiam. Est autem civitas situm habens commodissimum, in planitie constituta; non longe tamen a montibus, quos pene ex omni parte habet in circuitu, agrum optimum, glebam uberem, silvarumque et nemorum nihilominus multas habens commoditates. Sed et lacus multæ latitudinis et longitudinis maximæ, juxta prædictam urbem positus, in occidentalem porrigitur plagam, per quem navigio ex diversis partibus, civitati maximum præstans munimen, ipsis mœnibus, ventis intumescens, illiditur. Ex reliquis autem partibus circa murum vallum erat in circuitu, ex influxione fontium et rivulorum restagnans : quod plurimum accedere volentibus ad urbem impugnandi causa, ministrare poterat impedimentum. Erat autem præterea bellicoso referta populo, muris et turribus sublimibus et valde densis opere solido compactis, insignis admodum et munita, ita ut accedentes nostri et urbis mirarentur munimen, et operis solliditatem. Hujus urbis, sicut et regionis totius, et adjacentium simul provinciarum dominus erat quidam Turcorum potentissimus satrapa, Solimannus nomine, cognomento Schah, quod Persarum lingua *rex* interpretatur, homo vafer et strenuus. Qui, audito nostrorum adventu, et super hoc valde sollicitus, multo ante in Orientem descenderat, ab illarum regionum principibus, contra fidelium advenientes copias, imploraturus auxilium. Effeceratque persuasionibus et multa precum instantia, nec non et stipendiorum interventu, quod infinitas tum ex Perside, tum ex adjacentibus provinciis secum adduxerat Turcorum copias; sperans quod eorum fretus auxilio, ab imminentibus periculis urbem prædictam et regionem universam posset eripere. Has tamen universas provincias (quæ a prædicto Hellesponto usque in Syriam itinere triginta dierum, et a nostro mari Mediterraneo usque in septentrionem totidem dierum itinere protenduntur), modico ante tempore prædicti Solimanni patruus, Belfetosh nomine, maximus Persarum soldanus tempore Romani, qui cognominatus est Diogenes, imperatoris Constantinopolitani; qui ante hunc Alexium fuerat tertius, occupaverat violenter, et easdem prædicto ex plurima parte tradiderat Solimanno. Possidebat ergo, et jure proprietatis vindicabat sibi universas provincias a Tarso Ciliciæ usque ad Hellespontum; ita ut e conspectu Constantinopolitanæ civitatis procuratores suos haberet, qui consuetudines a transeuntibus exigerent, tributa et vectigalia regionis universæ ad utilitatem domini sui colligentes. Ipse autem cum ea, quam tanto labore collegerat, multitudine, in montibus vicinis, vix a nostro exercitu decem distans milliaribus, opportunitatem quærebat quomodo super nostros cum suorum salute posset irruere, et urbem ab eorum inquietudine liberare.

CAPUT II.

Nostri urbem acrius impugnant : cives tamen per lacum liberum habent discursum. Solimannus consolatoriam civibus mittit epistolam.

Pervenientes igitur ante prædictam urbem nostri exercitus, acrius eam impugnare, confusis tamen agminibus, necdum castris certo ordine dispositis, cœperunt. Tamen qui præsentes erant, loca sibi certa deputantes, et his qui venturi erant, congrua designantes, ad id specialiter omnimodam dabant operam, ut civibus introitum negarent et exitum. Lacus tamen, qui civitati, ut prædiximus, erat conjunctus, huic eorum nimis obstabat proposito. Nam et invecti et egredientes, paratis navigiis, pro libero arbitrio ad partes varias indemnes ferebantur. Nostri autem cum navium prorsus nullam haberent copiam, eorum discursus minime poterant impedire. Tamen id omnimodis procurabant, ne terrestri ad eos accederetur itinere, vias et introitus cum omni sollicitudine observantes. Factum est autem quod prædictus Solimannus, intelligens urbem suam obsidione molestari, ut cives consolaretur, et ad resistendum plenius animaret, mittens duos de familiaribus suis, qui ad urbem per lacum navigio descenderent, verba consolatoria per eosdem civibus dirigit in hunc modum : *Adventum in hujus felicis barbari populi, qui circa urbem nostram obsidionem locare præsumpsit, non est opus ut multum formidetis. Nos enim cum ingenti fortium et nobilium virorum comitatu in vicino sumus constituti, majores adhuc quæ nos subsequuntur, exspectantes copias : eritque in proximo, ut collectis in unum viribus, in eorum castra repente irruamus. Unde et vos quoque estote parati, ut nobis exterius irruentibus, vos etiam reseratis aditibus egredientes insletis unanimiter, nobis opem collaturi. Sed neque eorum suspectam vos oportet habere multitudinem, de remotis enim partibus, et a solis occasu descendentes, longi diuturnitate itineris, et laborum impendio fatigati, neque equos habent, qui belli pondus sustinere valeant; nec ipsi nobis qui recentes venimus, viribus et conatu pares poterunt reperiri. Et vos ipsi tenetis memoriter, quam facile de ingenti eorum triumphaverimus multitudine, una die plusquam quinquaginta ex eis millia exterminio mandantes. Confortamini igitur, et nolite timere; cras enim ante horam diei septimam, plenam recipietis consolationem, ab hostibus expediti.*

CAPUT III.

Capitur epistolæ bajulus, et universa principibus hostium reserat secreta. Comes Tolosanus (qui solus aberat) velox accedit, a principibus reliquis citatus.

Igitur qui missi fuerant, quærentes unde commodius enavigare possent, secus ripam applicuerunt. Dumque lustrantes quærunt aptiorem introitum, alter, nostris in eos irruentibus, subito captus est;

Digitized by Google

alter in tumultu gladio confossus interiit. Qui vero captus est, incolumis ante principes deductus, minis et terroribus ad confessionem perductus est, ut plane cuncta edissereret : cujus gratia, et a quo missus advenisset. Constitit autem ejus relatione, quod Solimannus eos ad denuntiandum civibus ejus adventum direxerat; quodque in vicino constitutus, ingentes convocaverat copias, die altera in castra nostra clam irruiturus. Compertum igitur habentes nostrarum legionum capitanei, quod prædictus Solimannus maturaret accedere, prædictum hominem præcipiunt custodiæ mancipari : et missis cursoribus, dominum comitem Tolosanum et episcopum Podiensem, qui nondum ad eos pervenerant, quantocius monent properare. Illi vero susceptа fratrum legatione, sollicitudine non pigri, omnem arguentes moram, et tota nocte insistentes itineri, valde mane ante solis exortum, cum ingenti multitudine erectis vexillis, in armorum fulgore et maximo strepitu castris se intulerunt. Vixque sarcinas deposuerant, ut cum aliis in loco sibi deputato se collocarent; cum ecce circa horam tertiam, sicut ille qui in vinculis detinebatur, prædixerat, prædictus Solimannus cum ingentibus equitum copiis, qui ad quinquaginta millia æstimabantur, de montibus descendens, ad plana se contulerat, ad urbem accessurus. Quod nostri videntes, protinus ad arma convolant, monentibus lituis; et clangore cornicinum cohortes excitant, instruunt agmina, instaurant acies; et observata rei militaris plenius disciplina, cujus experientiam habebant omnimodam, et usum familiarem, nihil de contingentibus omittentes, ad occurrendum hostibus se accingunt,

CAPUT IV.

Solimannus de montibus descendens, in castra violentus irruit; sternitur ejus exercitus; signa victoriæ ad imperatorem diriguntur; ille principes remunerat.

Solimannus igitur præmissa quadam acie, in qua erant equitum decem millia, ad portam properabat Meridianam, quæ domino comiti Tolosano ad custodiam erat deputata. Ignarus enim de adventu ejusdem comitis, sicut heri et nudius tertius eam arbitrabatur reperire posse vacantem; sed opinione frustratus, ibi pene majores quam alibi reperit copias. Horum tamen ignarus omnium, ad locum prædictum festinans, cum multo impetu in domini comitis irruit legiones, quæ adhuc vix sarcinas deposuerant. A quibus exceptus mirabiliter, confractis conatibus, et priore penitus acie dissoluta, jam in fugam versi erant : cum ecce Solimannus cum majoribus subsequens copiis, eis refundens animos, qui jam erant dissoluti, secum iterum in nostros redire compulit. At vero dux, dominus quoque Boamundus, et comes Flandrensis, cum suis expeditionibus ad unguem armati, videntes hostium majores advenisse cuneos et turmas densiores, præque gravi multitudine et animosa instantia, comitis exercitum supra vires fatigari, irruunt unanimiter; et hostium se inferunt legionibus, gladiis et lanceis eminus instantes. Cumque hostes quasi per unius horæ spatium resistendi vires et animum viderentur habuisse, interfectis ex eis quasi ad quatuor millia, et captivatis nonnullis, in fugam versi sunt. Nostri vero hac prima victoria, opitulante Domino, potiti, obsidionem continuant, castris per gyrum sine intervallo dispositis. Ab ea ergo die neque prædictus Solimannus, neque infidelium principum aliquis, simile aliquid ausus fuit attentare, quandiu in obsidione perstiterunt. Optime porro in eo conflictu se habuerunt prædicti principes; sed et dominus Tancredus, Galterus quoque de Garlanda, Francorum regis dapifer, Guido etiam de Porsessa, et Rogerius de Barnavilla, celebrem sibi in eo negotio comparaverunt famam. Nostri igitur ad incutiendum terrorem hostibus de capitibus occisorum intra urbem plurima injici machinis jaculatoriis præceperunt; et ex eis mille et de captivis aliquot ad imperatorem dirigentes, plurimum ejus per hoc sibi gratiam comparaverunt. Unde et pecuniam non modicam, et holosericorum diversa genera ad remunerandos exercituum principes, multa cum liberalitate direxit, præcipiens, ut et victui necessaria et rerum venalium, cum omni plenitudine, et sine dilatione ad eos deferatur commercium.

CAPUT V.

Locantur principes deputatis sibi stationibus, et urbs undique obsessa impugnatur; quidam nobiles procumbunt in acie.

Visum est igitur principibus nostris expediens esse ad propositum, urbem ex omni parte, ut prædiximus, obsidione vallare; et principes congruis locare stationibus, ut ingruente civibus undique molestia, eos ad deditionem compellerent facilius. De communi igitur consilio, æquis portionibus ambitum dividunt, singulas singulis deputantes principibus : dominumque ducem cum duobus fratribus suis, et eorum legionibus ab orientali parte locant. Dominus vero Boamundus, cum domino Tancredo, et aliis principibus, qui eum secuti fuerant, quorum superius nomina posuimus, cum suo iterum exercitu, partem urbis septentrionalem obtinuit. Comes vero Flandrensis et princeps Normannorum, cum suis iterum cohortibus, juxta prædictos in ordine locati sunt. Australem vero plagam Raimondus Tolosanus comes et episcopus Podiensis, cum suis consortibus sibi obtinuerunt deputatam; juxta quem dominus Stephanus Blesensium comes et Carnotensium, cum domino Hugone Magno et aliis quibusdam inclytis et nobilibus viris castra locaverat. Sic igitur ex omni parte urbe vallata, placuit principibus, ex vicina silva sumpta ad eos usus competente materia, machinas ad suffodiendum murum habiles et necessarias, quas vulgo Scrophas appellant; itemque jaculatorias, quas vulgari appellatione Mangana dicunt, et petrarias sub omni celeritate fabrefieri

Digitized by Google

Vocatisque artificibus omnimoda instant diligentia, ut opere consummato urbem satagant impugnare. Dumque in eo desudarent attentius, et urbem frequentibus congressionibus, septem hebdomadarum curriculo hostiliter impugnassent, quadam die indicto de more conflictu, duos nobiles et magnificos viros et in armis strenuos, dominum videlicet Balduinum cognomento Calderon, et dominum itidem Balduinum de Gant, alterum jactu lapidis, alterum sagittæ ictu dum in expugnatione urbis decertant animosius, miserabili amiserunt infortunio. Post hoc etiam, dum ex consilio et decreto principum rursum exercitus iteraret assultum, Willelmus comes de Fonceis et Galo de Insula, dum in eo conflictu nimium ferventes, hostes lacessunt, sagittis transfixi interierunt; Guido quoque de Porcessa, vir nobilis de regno Francorum, valida ibidem correptus ægritudine, carne solutus est. Super quorum casu consternatus plurimum Dei populus, eos honeste tradidit sepulturæ; exsequias, quales viris nobilibus et magnificis exhiberi solent, intuitu pietatis charitatisve, impendentes.

CAPUT VI.

Machina quædam muro applicata, a civibus obteritur, sub qua multi nostrorum pereunt. Lacus nostrorum obstat conatibus.

Quadam iterum die dum omnes in circuitu principes, suas certatim ad murum applicarent machinas; et modis quibuscunque poterant, muros debilitare, et sibi parare introitum niterentur, otium et desides ferias, strenuorum more, declinantes, comes Hermannus et Henricus de Ascha, de regno Theutonicorum viri nobiles et inclyti, instrumentum quoddam artificiose satis compositum, familiarium et domesticorum suorum conatu et virtute multa, mœnibus applicant. Erat autem machina quercinis trabibus contexta, in cujus ambitu robustos intexuerant parietes; ita ut introducti equites viginti, viribus robustissimi, ab omni telorum immissione et jactu, etiam maximorum molarium, qui intromissi erant ad subfodiendum murum, viderentur consistere posse securi. Quæ tandem machina, ut prædiximus, muris applicata, instantibus desuper ad muri defensionem civibus, magnorum impulsu lapidum ita penitus contrita est ut, solutis compagibus, eos qui infra se erant comprimeret universos. Condoluit itaque prædictis nobilibus (eo quod inutiliter, non sine sumptu, consumpta esset multorum dierum opera) populus universus; condoluit et viris fortibus, qui casu tam miserabili occubuerant. Spe tamen potiundæ victoriæ se invicem consolabantur, eoque maxime, quod vitam meliorem non diffiderent esse consecuturam eos, qui in hujusmodi negotio animas pro Christo poneret. Instar enim martyrii non immerito reputabant in agone hujusmodi vitam amisisse. Unde, morte contempta, vitam pro nihilo ducentes præsentem, quibuslibet periculis se objiciebant confidentius, ea spe facti animosiores.

Instabant igitur principes ad urbis expugnationem per circuitum unanimiter; et ut quisque in parte sibi deputata sollicitum se exhiberet, et obsessos molestaret amplius, gloriosum reputabat; fervebat opus impendio, et assiduis congressionibus, et pugna pene continua requies civibus negabatur. Lacus tamen civitati adjacens, nostrorum maxime præpediebat operam, et studium citra optatam detinebat efficaciam, civibus omnimodam præbens consolationem. Nam per eum navigantes, liberius victus et alimentorum inferebant copias, et armentorum nonnunquam, videntibus nostris et contradicere non volentibus, multitudinem introducebant.

CAPUT VII.

Nostri naves a mari deferunt in plaustris; lacum occupant; cives nostrorum admirantur argumentum, et desperant.

Convenientes igitur Deo amabiles principes, super eo specialiter deliberant articulo qua ratione huic malo commodius possint occurrere; et tandem placuit in communi ut, missa populi parte maxima, et equitum etiam cum eis aliquot legionibus ad mare, naves inde sive integras, sive per partes dissolutas, super currus et vehicula, vel alio quocunque artificii genere usque ad lacum pertrahant, alioqui futurum ut, evacuatis eorum conatibus, consumptis studiis et impensis, res in irritum deducatur. Porro pervenientes ad mare, quibus id muneris erat injunctum, vias eorum et propositum Domino misericorditer dirigente, naves reperiunt mediæ cujusdam quantitatis: quas a domino imperatore facilius impetratas educentes de mari, sicco locaverunt in littore. Copulatisque ad invicem tribus aut quatuor plaustris, prout navium longitudo deposcebat, eisque desuper impositis, unius noctis spatio per milliaria septem vel amplius, funibus, humeris et cervicibus hominum et equorum impositis, usque ad prædictum pertraxerunt lacum. Erant autem et inter eas quædam non ita modicæ, sed quæ centum aut quinquaginta pugnatorum numerum possent recipere. Receptis igitur navibus, et in lacum depositis, lætatus est supra modum Christianus exercitus; et concurrentibus viris ad lacum primoribus, remiges inducunt, navigandi habentes peritiam; et simul cum eis viros in armis strenuos, et animositate commendabiles, spem habentes omnino certam, quod, auctore Domino, urbem essent in proximo habituri. At vero cives solito plura in lacu videntes navigia, admirati sunt, hærentes an suorum esset apparatus, qui eis subsidia ministrare curaret, an hostium. Tandemque cognito quod nostri multis laboribus a mari deductas et terrestri devectas itinere eas in lacum immisissent, nostrorum admirati sunt et vires et argumentum, quod rem desperatam, et pene impossibilem effectui mancipassent.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Iterum ex omni parte civitas oppugnatur. Comes Tolosanus contra se potitam turrim machinis et omni arte debilitare nititur; sed, resistentibus civibus, opera consumitur.

Præoccupato itaque, classe immissa, civium per lacum discursu, decretum est publice et voce indictum præconia, quatenus legiones singulæ, sicut sub certis principibus erant constitutæ, ad impugnandam urbem denuo viriliter armarentur, et majore solito instantia, quantas possent civibus inferrent molestias. Sicque singuli principes suos animantes exercitus, et armatos ad congressum dirigentes, factus est assultus longe solito asperior. Machinis quoque instantes animosius, alii murum suffodere, alii magnos contorquere molares ad debilitanda mœnia satagebant. Erat autem in parte australi, quæ domino comiti Tolosano ad impugnandum erat deputata, turris quædam, sublimitate simul et grossitie cæteris notabilior, juxta quam prædicti Solimanni uxor dicebatur habere domicilium: ad hanc dejiciendam comes omne studium jam per dies aliquot impenderat; sed inutiliter. Nam, cum duabus machinis jaculatoriis eam continuis jactibus flagellasset instantius, præ operis soliditate lapidem etiam unum ex ea dissolvere non poterat. Unde, ne ab incepto quasi victus desisteret, instantiam ingeminans, tormenta etiam multiplicat et contortis majoribus saxorum molibus, et miræ soliditatis cautibus immissis, rimas cœpit agere, et in pulverem ictibus fatigata resolvi. Quod videns exercitus, adunata manu se invicem cohortantes vallum exsuperant: et ad murum accedentes, prædictam turrim dejicere, aut saltem perforare nituntur. Cives autem compertum habentes quod prædicta turris ruinam minaretur, eam interius lapidibus et cæmento repleverunt, ut si forte murus aut suffossus, aut tormentis debilitatus corrueret, opus novum pro vetusto succederet, et penetrare volentibus præstaret impedimentum. Nostri tamen sub testudine latentes solidissima, quam violenter secus murum appulerant, murum suffodere nitebantur. Tandemque effectum est ut foramen, quo duo armati viri facilius possent intrare, ferreis instrumentis et multo labore conficerent. Cives autem e converso, importune insistentibus omnino resistere, argumenta argumentis, et vires viribus non inferiore spiritu objectare unanimiter parati, arcubus et balistis, et omni armorum genere, lapidum quoque contorsione pugillarium, hostes a se repellere, et illatas propulsare nitebantur injurias.

CAPUT IX.

Factum ducis Godefridi memoriale. Cives in machinas nostras ignem immittunt; casus cujusdam viri nobilis lamentabilis.

Erat autem inter eos, qui murum ab impugnantibus tuebantur, quidam cæteris improbior, corpore quoque et viribus notabilior, qui arcu in nostros multam operabatur stragem. Insuper etiam et de successu, quo diu nimis usus fuerat, inflammescens, nostros probris afficiebat et contumeliis, desides eos vocans et timiditatis objiciens titulum. Erat autem hic in ea parte ita importune desæviens, quæ domino duci et suis cohortibus ad impugnandum erat deputata: quod vir illustris non perferens dominus Godefridus, sumpta balista locum quærens opportunum, manus contra prædictum caussatorem dirigit, et telo per vitalia directo, confossum et exanimem ad terram dejicit, justam pro his omnibus quæ nostris intulerat rependens vicissitudinem. Quo facto, cæteros ejusdem operis consortes, qui in ea parte illius exemplo animati, resistebant animosius, maxime deterruit; ita ut minus minusque et missilia contorquerent, et jacularentur convicia. Alii tamen, qui in cæteris partibus pro urbis defensione desudabant attentius, facti hujus ignari, nihilominus de turribus et muris tota se tuentes diligentia, in nostros et cædem et vulnera totis viribus procurabant exercere; picem quoque, oleum, et arvinam, et cætera quæ incendiis solent fomitem ministrare, et accensas faces in nostras machinas dirigentes, eas ex parte plurima, ubi non observabantur diligentius, consumebant. Quibus autem in parte australi ad expugnandam prædictam turrim erat labor sedulus, curam ad idipsum continuabant et studium; sed videntes quidquid hesterna die in muro suffoderant, totum nocte secuta reparatum, cœperunt fieri remissiores, videntes quod non proficerent. Dumque pene desisterent ab incepto, ecce quidam valde strenuus et nobilis eques de exercitu comitis Normannorum, sui exemplo volens alios animare, lorica indutus et galea, et opertus clypeo, vallum transiens, ad murum accessit imperterritus, novam lapidum structuram, quam eadem nocte cives opposuerant, volens convellere; et foramen quod hesterna die factum fuerat rursus aperire; sed, instantibus desuper cum omni importunitate civibus, nec aliorum quisquam ut opem ferret ausus fuit accedere, nec ille potuit consummare propositum: magnis enim lapidum molibus ibi secus murum contritus, cernentibus nostris, nec subvenire volentibus, interiit: cujus corpus exanime, uncis ad se ferreis sublevantes, infra mœnia suis expositum ludibriis dejecerunt; tandemque lorica nudatum et galea, ad nostros rejecerunt extra mœnia. Quo debitis exsequiis sepulturæ tradito, flevit super eum populus, ejus plurimum commendans animositatem et mortem ejus in conspectu Domini reputans pretiosam, per quam ejus animam electis spiritibus non dubitabant sociandam: omnium enim, ut prædiximus, una mens erat et eadem sententia, eos qui sic in acie procumbebant, vitam mereri perpetuam, et in parte sortis sanctorum prædestinato collocari in lumine.

CAPUT X.

Quidam principibus se offert artifex, machinam construit, turrim suffodit, suffossam diruit.

Interea de more, quem sibi fecerant adinvicem,

Digitized by Google

convenientes nostrarum legionum Deo devoti principes, compertum habentes quod non proficerent, sed potius inutiliter operam consumerent et studium, apud se quærunt diligentius, deliberatione proposita, quo in tanta necessitate opus sit consilio. Dumque circa id insisterent, plurimum anxietatis sustinentes, ecce quidam Longobardus nàtione, accedens ad principes, videns quod omnium artificum eluderentur argumenta, et labor sine fructu deperiret, hujus artis professus est se habere peritiam, asserens, quod si ei sumptus de publico ad operis consummationem sufficientes, et necessarii ministrarentur, ipse, auctore Domino, infra paucos dies turrim prædictam, sine damno nostrorum ad terram dejiceret; et late patentem introitum omnibus ingredi volentibus, ministraret. Sumptibus igitur de publico ministratis ad omnem sufficientiam, et salario insuper condigno pro ejus laboris recompensatione designato, subjecta pro votis materia, machinam miro construit artificio: ita ut qui intus erant, nolentibus hostibus, sine suo periculo secus murum eam possent applicare; et interius latentes, murum suffodere non timerent, quod ipso rerum experimento plenius edocuit ad evidentiam. Nam composito et armato undique pro sua voluntate instrumento, viros fortes et loricatos, armis et ferreis instrumentis, ad suffodiendum murum necessariis instructos, sub eadem secum colligit machina; quam etiam cum suis opificibus probe nimis, et argumentose plurimum, trans vallum positam mœnibus applicat. Cives autem solita instantes protervia, immissis magnis molaribus, et igne superinjecto, quæ omnia propter culminis arduitatem et latera devexa, quoniam inhærere non poterant, ut damnum subjectis irrogarent, de consueto auxilio cœperunt diffidere; et instrumenti, quod nullatenus lædere poterant, robur admirantur, et artificis argumentum. Qui autem sub ea latebant testudine, securi penitus ab hostium insidiis ad infringendum murum, et turrim subvertendam totis instant viribus; et convulsorum loco lapidum stipites supponunt, et ligneam materiam; ne parte muri inferiore suffossa, subito corruat pars superior et machinam comprimat, quæ tantæ pondus magnitudinis, et immensitatem ruinæ nullatenus ferre poterat. Facta igitur tanta suffossione, quæ ad turris dejectionem sufficere posse videbatur; et sustentaculis quæ murum eosurum sustentabant igne supposito, et nutriendis ignibus apta subjecta materia, machinam relinquunt, ad suos cum omni celeritate se conferentes. Factumque est, ita ut circa noctis medium, omni fulcimentorum consumpta materia, et ignibus edacibus in cineres redacta, turris cum tanto fragore ceciderit, ut etiam remotos quodam horrore concuteret; et terræmotus instar corda conturbans et ingerens formidinem, ad quem sonitum excitæ legiones, ad arma convolant, animos induunt, tanquam urbem violenter ingressuri.

CAPUT XI.

Uxor Solimanni cum duobus filiis fugiens capitur. Desperant cives; cum Tatino Græco de deditione tractant; mittuntur ad imperatorem super eo a principibus nuntii.

Solimani vero uxor, quæ hactenus urbis obsessæ molestias multo labore pertulerat, turris casu, femineo more perterrita, paratis navibus urbe clam egressa, ad loca tutiora se cum ancillis et familiaribus transferre proposuerat; sed nostri, qui per lacum in navigiis erant, ad cohibendos introitus exitusque civium deputati, dum studiosius more prudentium cuncta perlustrant, abeuntem reperiunt, capiunt repertam; et captam cum duobus filiis tenellis admodum, principibus repræsentant, qui sub arcta custodia cum aliis concaptivis eam præcipiunt diligentius observari. Cives autem et de aditu hostibus patefacto et de captivitate tantæ feminæ, mente plurimum consternati, prorsus de viribus diffidentes, missa legatione, a principibus inducias postulant, de sua deditione cum eisdem tractaturi. Tatinus autem, de quo superius mentionem fecimus, præsentiens, sicuti vir erat versutissimus, populi a sui tuitione deficientis voluntatem, majores civitatis convenerat, monens ut in sui deditione dominum imperatorem honorarent, proponens quod hic peregrinorum exercitus, qui præsens erat, ad alia properabat negotia; nec ex principali proposito, sed incidenter, et quasi prætereundo in eam descendissent obsidionem. Dominum autem imperatorem circa se positum haberent perpetuo, de cujus commendabili plurimum possent clementia præsumere, et semper exspectare meliora. Optimum ergo erat, ut in eo facto imperatorem, hominibus ignotis et genti barbaræ præponerent, ita ut in ejus manu fieret deditio, quam declinare non poterant; et per eos urbem reciperet imperator, cujus non multis retro temporibus, per Turcorum violentiam, imperium injuste amiserat. His et hujusmodi persuasus civium conventus, in manu imperatoris eligunt urbem, personas quoque suas et omnem substantiam salva incolumitate, resignare; nec tamen id nostris molestum fuit principibus; quippe cum ad alia tota eorum properaret intentio, nec his inhærere eorum esset propositum; sperantes tamen, quod juxta pactorum tenorem, salva essent exercitui in solatium laboris et damnorum quæ pertulerant, spolia civitatis. Captivos tamen de fratribus, quos tum sæpe dictus Solimannus tum de exercitu Petri Eremitæ, apud castrum Civitot, tum etiam quos cives in obsidione ceperant, libertati restitutos, noster recepit exercitus universos antequam de eorum deditione vellent tractari sermonem, et eorum in hac parte votis satisfacere. Factum est igitur, quod de principum conniventia et populi consensu missi sunt ad imperatorem nuntii, dicentes: *Principes et Christianus exercitus, qui apud urbem Nicænam in ejus obsidione pro Christi nominis amore fideliter laboraverunt, eam auctore Domino,*

Digitized by Google

multa sollicitudine et urgente instantia compulerunt ad deditionem. Unde nos ad tuam dirigentes serenitatem, monemus et exhortamur attentius, quatenus ad partes illas de tuis principibus cum sufficientibus expeditionibus aliquos mittere non moreris, qui urbem traditam ad honorem tui nominis conservare valeant; et captivorum multitudinem hinc transferre sint idonei. Nos enim, urbe vestræ celsitudini resignata, iter quod semel assumpsimus, auctore Domino, prosequi non differemus.

CAPUT XII.

Imperator, missis nuntiis, urbem recipit; principibus gratias agens, munera mittit. Indignatur populus; pacta confracta queritur; captivos Constantinopolim ductos, imperator remittit ad propria, muneribus honoratos.

His auditis, lætabundus imperator et gaudens, quosdam de familiaribus suis, de quorum fide præsumebat et industria, cum ingentibus copiis, ad partes illas dirigit, qui et urbem suscipiant, et communiant susceptam; omnem captivorum substantiam, tam in auro et argento, quam in quolibet supellectilis genere sibi vindicantes: singulisque principibus dona mittens ingentia, eorumque litteris et viva voce captans benevolentiam; grates pro tam honesto servitio, tantoque imperii, quod per eos accesserat, incremento, refert ingentes. Verum populus et secundæ manus homines, qui ad hoc in prædictæ urbis orbis obsidione studiosius desudaverant, ut de spoliis captivorum civium, et de substantia multiplici infra urbem reperta, rerum suarum dispendia quæ pertulerant, resarcire possent; videntes, quod non satis æqua mercede eorum remuneraret labores; quodque publicandum erat ex compacto, rebus familiaribus et fisco inferre suo proponeret, ægre nimis tulerunt, ita ut pœniteret eos et impensi laboris et sumptuum, quos, ut eis videbatur, inutiliter attriverant. Sed et principes eumdem imperatorem, circa pactorum tenorem malitiose versatum constanter asserebant. Nam in pactorum serie quæ inter eos inita fuerant, hæc formula dicebatur interserta: *Quod si aliquam de urbibus, quæ ejus imperii fuerant, tota illa eorum profectione, usque in Syriam, prævia Domini misericordia, capi contingeret, urbe cum adjacentibus pertinentiis imperatori restituta, præda, manubiæ, et universa reliqua substantia, exercitibus, in laboris remunerationem et refusionem impensarum omnino cederet sine contradictione.* Et licet nostris satis facile et in expedito esset, imperatoris familiam longe ab urbe repellere, et ad dominum suum remittere vacuos idque jure fecisse viderentur; *nam iniquum est ei fidem servari, qui contra pacta nititur versari:* tamen timorem Domini habentes præ oculis et ad majora festinantes, verbum de communi providentia dissimulant; populumque moleste id ferentem, honestis comprimunt persuasionibus, ut expediti proposito valeant satisfacere. Græci vero qui ad hoc missi fuerant, urbem ingredientes, susceptis armis civium, et deditione completa, exeuntes ad castra, et statuti coram principibus, pro vita civium et incolumitate supplicant, dicentes eo domino imperatori urbem restituisse, et suas jugo illius potestatis cervices mancipasse. Sic ergo urbe capta, et copiis quæ sufficere videbantur ad urbis tuitionem deputatis, Solimanni uxor cum duobus filiis, de quibus prædiximus, et captivorum ingenti multitudine Constantinopolim translata est, ubi ab imperatore non solum clementer, verum et liberaliter nimis tractati, infra paucos dies libertati pristinæ sunt restituti. Id autem ea fecisse dicitur intentione, ut et Turcorum sibi reconciliaret gratiam, et in nostram propensiores suis beneficiis excitaret injuriam; et alios, si quando urbem casu quolibet contingeret obsideri, a deditione simili non deterreret. Capta est autem urbs Nicæa anno ab Incarnatione Domini 1097 mense Junio, 20 die mensis.

CAPUT XIII.

Soluta obsidione iter arripuit exercitus. Dividuntur ab invicem principes. Solimannus cum innumeris copiis iterum occurrit.

Soluta igitur obsidione, de mandato principum, iterum ad proficiscendum invitatur exercitus, et compositis sarcinis, III Kalend. Julii iter arripiunt. Cumque per biduum junctis legionibus incessissent, casu nocte illa secus quemdam pontem, aquarum commoditatem secuti, castrametati sunt, unde summo diluculo ante lucis exortum, dum adhuc essent tenebræ, rursus ad iter se accingentes, transito ponte, sive casu, sive ex industria, divisi sunt principes ab invicem, cum suis expeditionibus. Dominus enim Boamundus et Normannorum comes, et Stephanus comes Blesensium, Tancredus etiam et Hugo comes de Sancto Paulo, lævam secuti, scorsum illa die profecti, in vallem pervenerunt cui nomen Gorgoni: ibique secus ripam fluvii decurrentis, pascuorum habentes commoditatem et graminis circa horam nonam castra locaverant, ubi et noctem illam, solliciti tamen, locatis in gyrum excubiis, quietam transegerunt. Reliqui vero omnes dextram tenentes, illam compleverunt diætam; et vix a prædictorum castris duobus distantes milliaribus, in locis itidem pascuis, et aquarum habentibus commoditatem, castra composuerant. Solimannus vero, illatæ memor injuriæ, et ad animum revocans sine intermissione, quomodo per illos urbem egregiam, uxorem et filios amisisset, ad id totis viribus anhelabat ut eis vicem rependeret, et aliquas, si posset, eis præstrueret insidias. Convocatis itaque ingentibus denuo militum copiis, nostrorum a læva, æquis pene passibus, subsequebatur exercitum; in quo etiam exploratores habens, qui de statu proficiscentium, eum indesinenter redderent doctiorem, præstolabatur assidue quomodo, sumpta occasione opportuna in eos posset irruere. Cognito autem per eosdem quod divisus esset exercitus, et pars altera quæ viribus et numero minor videbatur, sibi erat vicinior, horam ratus invenisse competentem, descendit de montibus cum illo suo-

Digitized by Google

rum infinito comitatu. Vixque aurora solis subsequentis nuntiabat adventum, et noctis umbra densior luce propinqua dissolvi cœperat, cum ecce qui in speculis erant constituti, ut hostium, si quæ essent, de remoto præsentirent insidias, et exercitum admonerent, visis hostibus, lituis concinunt, et cursu rapti velocissimo hostes adesse denuntiant. Igitur cornicinum clangore et voce præconia excitæ legiones universæ, ad arma convolant, equos præparant, tanquam prælium cominus habituri. Erat autem mane, in ipsa die Kalendarum Juliarum. Disposita igitur universa populi multitudine per acies, et præpositis singulis cohortibus quinquagenariis et centurionibus, et per alas pedestrium turmarum primiceriis constitutis; sarcinas et impedimenta, omnemque senum, mulierum ac debilium invalidam multitudinem, quo expeditiores ad pugnam possent procedere, secus arundinetum in vicino positum, curribus et vehiculis eos prætexentes, collocant quasi in tuto. Missisque nuntiis ad reliquas partes exercitus, a quibus temere divisi fuerant, monent et hortantur attentius ut accelerare velint, significantes in quantis angustiis positi sint. Postquam vero juxta rei militaris disciplinam in castris domini Boamundi omnia videntur secundum ordinem disposita, ecce circa horam diei secundam adest Solimannus, infinita secum Turcorum agmina trahens : quodque nostris erat mirabilius, in tanta multitudine, quæ ducentorum millium dicebatur excedere quantitatem, nec unus nisi eques poterat reperiri. Nostri autem, ut prædiximus, promiscue utriusque ordinis secum trahebant legiones.

CAPUT XIV.

Pugna committitur. Cadit Willelmus Tancredi frater, et totus Boamundi in arcto nimis constituitur exercitus; Tancredus pene capitur.

Accedente igitur Turcorum exercitu, tantus factus est in castris tumultus, quod vix alicujus sermo poterat exaudiri. Fragor enim armorum et equorum strepitus, tubarum classica et tympanorum sonus horribilis, ipsorum etiam certatim conclamantium ululatus usque ad sidera tolli videbatur, ita ut plurimum inassuetis et minus circa hujusmodi exercitatis legionibus, terrorem inculerent vehementem. Irruentes igitur in nostrum exercitum Turcorum acies, tantam immiserunt sagittarum multitudinem, ut instar grandinis aerem occuparent, et in nostrorum legionibus vix vacuus a vulnere aliquis inveniretur; vixque prior nubes descenderat cum arcubus, sequens emissa non rarior; si quid prior intactum dimiserat, secunda illæsum non præteriit. Nostri autem, quibus id pugnæ genus erat incognitum, eoque minus tolerabile, quo et minus usu compertum, videntes quod equi eorum sine remedio deficerent, ipsique subitorum vulnerum, et quæ non multum præcavere poterant, confixionibus interirent, gladiis et lancearum acumine in hostes irruendo, eos a se propellere satagebant. Illi autem irruentium pondus ferre non valentes, studiose dividebantur ab invicem, ut eorum impetus eluderent, et neminem sibi obviam habentes ad suos redirent, concepta spe delusi. Quibus ad suos infecto negotio redeuntibus, Turci denuo religabantur adinvicem, et immissa iterum in modum imbrium sagittarum multitudine, neminem pene absque lethali vulnere præteribant. Resistebant tamen nostri quantum poterant loricis, cassidibus protecti et clypeis; sed equi eorum et inermis populus passim et sine delectu prosternebantur. Ceciderunt in eo conflictu viri ex utroque ordine memorabiles ad duo pene millia : inter quos egregiæ indolis adolescens Willelmus marchionis filius, domini Tancredi frater, dum pro suis in agone desudat viriliter, sagitta confossus interiit. Robertus quoque Parisiensis, vir in armis strenuus, eodem mortis genere vitam finivit. Dominus quoque Tancredus, dum in mediis fulminat hostibus, vitæ prodigus et suæ conditionis immemor, vix a domino Boamundo mortis casibus, nolens et invitus violenter ereptus est. Invalescebant igitur hostium agmina, et nostris pene deficientibus, arcu ab humeris dependente, et ejus neglecto officio, gladiis instant cominus; ita ut dissolutis cohortibus, nostri fugam arriperent, ad sarcinas et impedimenta redeuntes : ubi circa currus et vehicula, sub arundineti densitate arbitrantes se aliquod invenire posse refugium, conglobati sunt.

CAPUT XV.

Adsunt reliqui principes; fratribus oppressis subveniunt; vertitur in fugam Solimannus; perit ejus exercitus; nostri ubertima reportant spolia. Iterum unitur exercitus.

Dum igitur sic afficeretur fidelium exercitus, et domini Boamundi virtus prorsus collapsa deficeret, ecce viri illustres et magnifici, dux Godefridus, comes Raymundus, Hugo Magnus, Balduinus et Eustachius ducis fratres, et alii Deo devoti principes, deducentes secum optime armatorum equitum quadraginta millia, in castris suorum turbis pedestribus relictis cum omni genere impedimentorum, veloces advolant suis opem collaturi. Accedentibus vero eis ad castra domini Boamundi, iterum qui jam pene succubuerant, resumptis animis, et restitutis in integrum viribus, rursus ad certamen redeunt; et illatam quærentes injuriam ulcisci, et priores redimere defectus, in hostes irruunt animosius; et gladiis instantes viriliter, quos prius quasi superiores horruerant, forti prosternunt dextera, jam resistere non valentes. Dominus vero Podiensis episcopus, cum aliis ejusdem officii comministris populos admonent, hortantur principes ne manus remittant; sed certi de victoria divinitus conferenda, interemptorum sanguinem ulciscantur, et de fidelium strage fidei hostes et nominis Christiani non patiantur diutius gloriari. In his et hujusmodi populum incitabant ad congressum viri Dei, et vires quantas poterant eorum animis infundebant. Irruentes igitur nostri solito vehementius, et protervius instantes gladiis, dissolutis agminibus, non sine

Digitized by Google

strage innumera, eos in fugam vertunt : fugientibus etiam tanta adhærentes instantia, ut per tria aut quatuor milliaria ultra eorum castra, quæ in valle opima locaverant, continuam ex eis cædem operantes, persequerentur. Unde eis cum multa confusione dispersis et interfectis quampluribus, reductis etiam captivis nonnullis, quos ex nostris violenter abductos trahebant secum, ad hostium castra reversi sunt : ubi reperientes infinitas auri et argenti copias, alimentorum quoque commoditates amplissimas, greges, armenta, asinorum turbas et jumentorum, camelorum quoque phalanges, quales prius nostri non viderant, et equos nonnullos, papiliones quoque et tentoria varii coloris, et formæ inauditæ; transferentes secum omnia, onusti spoliis uberrimis, prædam agentes et manubias, in castra reversi sunt sua. Cecidisse dicuntur illa die de hostium numero viri potentes et inclyti, et apud suos locum maximum obtinentes, ad tria millia; de nostris vero popularibus, et plebe infima promiscui sexus, quatuor millia : nam de majoribus duos tantum ibi corruisse, veterum tradit memoria. Pugnatum est ibi ab hora diei secunda, usque in horam octavam, vario eventu, die Kalendarum Juliarum, viribus longe imparibus et numero multum dissimili. Nam qui Solimannum secuti fuerant, centum quinquaginta millium, solis connumeratis equitibus, dicebantur excedere numerum. Nostrorum autem qui præsentes illo in tanto certamine desudarunt, vix fuit numerus equitum ad millia quinquaginta. Obtenta igitur divinitus tanta victoria, ut saucios, aliqua concessa requie, ad modicum refoverent, revocatis adinvicem exercitibus, tribus diebus continuis in locis amœnis et pascuis virentibus corpora curaverunt, et equorum habuerunt sollicitudinem, in omni alimentorum abundantia et infinitis copiis, quas hostes comportaverant, et reliquerant fugientes. Optime se habuerunt in eo tam periculoso discrimine, nostri majores principes; sed et quidam de mediocribus, Balduinus videlicet, de Burgo, Thomas de Feria, Reinaldus de Belvaco, Galo de Calvomonte, Guastus de Beders, Chirardus de Cheresi, perennem sibi gloriam in eodem facto pepererunt. Altea igitur die, communi decretum est consilio, quatenus de cætero junctis agminibus, indissolubili copula simul incederent, ut et adversa communicarent, et prosperis conterentur.

CAPUT XVI.

Pisidiam ingressæ, præ aquarum inopia supra modum laborant legiones. Periclitatur miserabiliter exercitus.

Postquam ibi per triduum, ut prædiximus, moram sibi et equis suis fecerunt necessaria, iterum monentibus lituis, ad iter se accingunt, viam inceptam continuaturi. Ubi transcursa universa Bithynia, Pisidiam ingressi sunt, inde viæ quærentes compendia, casu descenderunt in regionem arentem et inaquosam, in qua et caloris immoderati, qualem solet ardens Julius ministrare, et sitis importunæ gemina fatigati molestia, cœpit populus pene deficere, ita ut promiscui sexus illa die præ sitis anxietate et caumatis intemperantia, plus quam quingenti spiritum dicerentur exhalasse. Accidisse dicitur ea die, quæ nulla alia tradit historia, quòd prægnantes præ sitis angustia et caloris intemperie, ante tempus a natura decretum, fœtus edere compellerentur : quos præ anxietate spiritus, quosdam vivos, exstinctos quosdam, alios etiam semineces in castra projiciebant; aliæ ampliore abundantes humanitate, proles suas circumplexæ, per vias volutabantur, et sexus oblitæ feminei, arcana denudabant, magis pro instante mortis periculo sollicitæ quam ut sexui debitam conservarent reverentiam. Sed et viris non multum proderat sexus robustior, qui sudore deficientes et calore, ore patulo et naribus aëra captantes, contra sitis importunitatem quærebant, quod invenire non poterant, humoris remedium. Nec solum homines his tantis erant subjecti periculis; verum et jumenta deputata sarcinis et alia quælibet animantium genera, arefactis interioribus et vitalibus interclusis, sua negabant obsequia; sed nec avibus delicatis, quarum præda et volatu solet recreari nobilitas, nisis, videlicet, accipitribus et herodiis, proderat cura dominorum, quibus inter manus flatum vitalem exhalabant. Catuli quoque naribus sagaces et apti venatibus, dominorum deliciæ, relictis dominis quibus fideliter adhærere consueverant, anhelantes et sitibundi passim per vias deficiebant : quodque his omnibus longe erat periculosius, equi fideles prælierum consortes, et in quibus de propria salute dominis multa erat fiducia, quique et calce et dentibus suam prius protestabantur superbiam, urgente sitis et caloris immoderati periculo, quasi vilia deficiebant subjugalia. Tandem omnibus a tanta aquarum laborantibus inopia, misericorditer adfuit pater misericordiarum et Deus totius consolationis. Nam diu optatus et quæsitus multum inventus est fluviis : ad quem pervenientes, præ nimio desiderio certatim ad aquas properant; ubi, reperta aquarum pro votis copia, bibendi modum excedentes, in gravius descenderunt periculum. Nam plures qui sitis discrimen evaserant, sicut in talibus solet accidere, aviditate potus, modum non ponentes, mortem quam evasisse videbantur, in aquarum repererunt opulentia. Nec solum de hominibus, verum et de jumentis multa eo casu ceciderunt. Tandem vero, opitulante Domino, his erepti periculis, in regionem copiosam satis et uberem, rivis, nemoribus et pascuis amœnissimam descenderunt; juxta Antiochiam minorem, quæ prædictæ Pisidiæ metropolis esse dignoscitur, in locis pascuis castrametati.

CAPUT XVII.

Dividuntur ab invicem quidam de principibus, et circumjacentes oberrant regiones. Dux cum urso dimicans pene occiditur.

Ilie primum quidam de principibus studiose ab exercitu separati sunt, seorsum particulares tra-

Digitized by Google

hentes exercitus. Quorum primus fuit dominus Balduinus ducis frater, et cum eo Petrus comes de Stadeneis, Rainardus comes Tullensis, frater ejus, Balduinus de Burgo, Guillebertus de Monte claro, cum septingentis equitibus et pedestribus manipulis aliquot. Secundus fuit dominus Tancredus, et cum eo Richardus de principatu, Robertus de Ansa, et quidam alii viri nobiles, cum quingentis equitibus et peditibus etiam nonnullis. Horum autem omnium unum atque idem erat propositum, vias prætentare, circumpositas explorare regiones, et fortunam experiri, rerumque eventum, qui pro loco et tempore occurreret, ad principum, qui eos miserant, referre notitiam, quo prudentius et magis sine discrimine proficisceretur exercitus. Qui a castris egressi, primum viam regiam non deserentes, urbes finitimas Iconium et Heracleam prætergressi, tandem in dextram declinantes, versus oram maritimam festinare cœperunt. Dux vero et alii principes, qui in castris remanserant, locorum in quibus castrametati fuerant, tracti amœnitate et vicinitate nemorum, ut sibi inter tot laborum difficultates, aliquid recreationis indulgerent, et curis edacibus, quibus angebantur continue, subtraherent, vel modicum, venandi gratia certatim saltus ingrediuntur, ubi variis semitis ad diversa rapti desideria, varios invenerunt rerum eventus. Inter quos dux etiam, recreationis gratia et exercitii silvas ingressus, in ursum immanissimi corporis et horrendi casu incidit. Qui, dum pauperem peregrinum ligna arida comportantem persequeretur atrocius, illeque vix refugium inveniret ante faciem subsequentis, et imminens multo clamore protestaretur periculum, forte dux adfuit, et, sicuti plurimus erat in compatiendo fratribus, velox irruit, opem laturus patienti. Videns ergo bellua ducem instantem gladio, spreto eo quem prius persequebatur, in hostem fortiorem se contulit, dente armatus et unguibus; tandemque equo dux periculose vulnerato, factus pedes, instat gladio nihilominus. Ursus autem patulo rictu et murmure occurrens horrisono, ducis instantiam parvipendens, contempto gladio, nititur se cominus ingerere confligenti. Porro dux irruentem a se propulsans gladio, totis enitebatur viribus ut cum mucrone perforaret; verum ille, declinans gladium et brachiis complexum illigans, in solum nititur dejicere, ut sub se positum, dente et unguibus facilius possit laniare. Vere miles egregius gladium non deserens, sicuti vir robustissimus erat, læva complexus belluam, dextra impingit aciem, et capulotenus immerso gladio, mortem ingerit colluctanti; saucius tamen et crure læsus periculosissime, cruentam nimis obtinuit victoriam. Vulnere quippe gravatus, et nimia sanguinis debilitatus effluxione, solo decubans, se non poterat erigere. Tandem vero prædicto paupere, qui ejusdem ducis beneficio mortem evaserat, proclamante, et casum qui acciderat denuntiante legionibus, cucurrit illuc universus populus, ubi fortis athleta, exercituum patronus, læsus jacere dicebatur : quem lectica impositum cum universorum gemitu et lacrymis, reliqui principes in castra detulerunt, chirurgicorum adhibita sollicitudine, quorum opera et studio, convenientibus remediis, plenam posset salutem recipere.

CAPUT XVIII.

Comes Tolosanus ad mortem infirmatur. Exercitus Lycaoniam pertransiens, Marasiam pervenit. Uxor Balduini moritur.

Per idem tempus vir quoque magnificus et illustris dominus Raymundus Tolosanus comes, gravi correptus ægritudine, lectica similiter deferebatur : qui eo usque gravatus exstitit ut in terra depositus, quasi moriturus, pene spiritum exhalaret. Unde vir venerabilis dominus Willelmus Aurasicensis episcopus, quasi jam defuncto, fidelium animabus debita impendit obsequia. Sic ergo tantorum legiones, quasi destitutæ consilio virorum, pene in desperationem conficiendi itineris et consummationis votorum descenderant; unde pro eorum statu plurimum solliciti omnes uno spiritu fusis lacrymis, ut restituerentur saluti Dominum precabantur. Fiebantque orationes in celebratione divinorum, pro eis ab universa illa peregrinante ecclesia : quorum supplicationes et desideria miserator Dominus clementer exaudiens, sospitati eos et plenæ convalescentiæ, supplicantis populi vota benigno favore prosequens, restituit. Transcursa igitur Pisidia, Lycaoniam ingressi, Iconum ejusdem regionis metropolim pervenerunt : quam vacuam reperientes, alimentorum maximam penuriam passi sunt. Turci enim, nostrorum adventu cognito, in nulla urbium suarum resistendi habebant fiduciam; sed exspoliatis urbibus et vastata regione universa, cum uxoribus et liberis, gregibus et armentis, et omnimoda substantia ad montes confugiebant impervios in eo solo spem habentes, quod nostri alimentorum inopia fatigati, eorum pertransire regiones maturarent. Neque hac sua sunt opinione delusi, cum nostri regionis sterilitatem fugientes, et victus defectum, quantum poterant iter accelerare properabant. Inde Heracleam pertranseuntes, ad urbem Marasiam applicati, castrametati sunt, moram ibi per triduum continuum facientes. Ubi domini Balduini, germani ducis, longa et gravi fatigata ægritudine uxor, quam ipse abiens fratribus commendaverat, ex præsenti luce vocata, optimo fine quievit in Domino. Erat autem nobilis matrona, ex Anglia trahens originem, Gutuera nomine, vita et moribus commendabilis : quam cum honestis exsequiis ibidem sepelierunt.

CAPUT XIX.

Tancredus in Ciliciam descendens, Tarsum obsidet. Balduinum ducis fratrem ad easdem partes venientem honeste suscipit.

Interea vir per omnia commendabilis dominus Tancredus, primus in Ciliciam, viarum casu secutus compendia, perveniens, Tarsum, ejusdem provinciæ metropolim, cum iis qui eum secuti fuerant, obsederat. Est autem Cilicia una de provinciis quæ

Digitized by Google

in Oriente continentur. Orientem autem Antiochenam, juxta veterum auctoritatem vocamus diœcesim. Habetque Cilicia ab oriente Celessyriam, ab occidente vero Isauriam; a septentrione Tauri montis juga; ab austro vero, mare Cypricum, sive Myrtoum. Continet autem infra se duos metropoles, Tarsum videlicet, doctoris gentium patriam et natale domicilium, de qua nobis in præsenti est sermo, et Anavarzam, utramque cum suis suffraganeis urbibus: unde duæ potius dicuntur Ciliciæ, prima et secunda. Tarsum autem fundasse dicitur Tarsis, secundus filiorum Japhan, filii Japhet, filii Noe tertii, sicut veterum habent traditiones, et argumento est urbis a vocabulo conditoris denominatio. Solinus tamen de urbis conditore aliter sentit, dicens ita in quadragesimo tertio capitulo *De memorabilibus: Cilicia matrem urbium habet Tarsum, quam Danae proles nobilissimus Perseus locavit.* Hanc urbem intersecat Cydnus amnis; hunc alii præcipitari Tauro monte, alii derivari ex alveo Hydaspi tradiderunt. Et potest tamen utrumque verum esse, et quod Tharsis primus eam fundaverit, et quod postmodum eam reparaverit, vel ampliaverit Perseus. Ubi cum dies aliquot dominus Tancredus et sui in eodem perseverassent negotio, cives ad hoc compulerat, et minis et blandis suasionibus, quod, introducto ejus vexillo et super turrim eminentiorem locato, signum deditionis futuræ fecisse viderentur; ea tamen conditione, ut usque adventum domini Boamundi et majoris exercitus, eos conservaret indemnes; nec a propriis domiciliis interim demigrare, aut sua deserere prædia invitos compelleret; ipsi autem eidem advenienti, urbem sine difficultate resignarent: quod verbum domino Tancredo bonum visum est et acceptum. Erat autem prædicta civitas, sicut et reliqua universa regio, Christianos habens habitatores, Armenos videlicet et Græcos, exceptis paucis, qui usum et auctoritatem habentes militiæ, munitionibus præerant, populum violenta dominatione prementes; fidelibus autem militare non permittebatur, sed negotiationibus et agriculturæ dabant operam. Interea dominus Balduinus ducis frater, cum his qui secum advenerant, devia secutus, maximam victus pertulerat inopiam, tandemque post multos errorum circuitus in montis verticem casu se contulit, unde subjectam Ciliciæ regionem, cum suis urbibus usque ad mare prospectu libero posset intueri. Qui, postquam circa Tarsum castra esse cognovit, hostium ratus tabernacula, iter suum cœpit habere suspectum; experiri tamen volens, cujus esset illa regio, et cujus castra, quæ de remoto conspexerat, animositate solita, cum omni suo comitatu ad campestria descenderat. At vero dominus Tancredus, prænonitus ab his quos in speculis sublimioribus locaverat, hostium præcavens insidias, socios convocans, arma corripit: et hostium ratus agmina, quæ urbi vellent subsidia ministrare, occurrit eis imperterritus, fiduciam habens in Domino; et erectis vexillis, suos exhortatione corroborans, procedit advenientibus obviam. Postquam vero utrinque mutuo sibi occurrentes et contemplantes se de vicino, arma cognoscunt non esse hostilia, confidentius accedentes, in mutuos ruunt amplexus; et post gratas ad invicem confabulationes, junctis agminibus ad urbem redeunt, obsidionem continuaturi. Ubi a domino Tancredo multum hospitaliter et plena charitate suscepti, de gregibus et armentis, quæ de adjacente contraxerat regione, honestum ea nocte habuerunt convivium.

CAPUT XX.

Balduinus Tancredi vexillum de arce civitatis dejici mandat; suum ibidem locat. Tancredus indignatus recedit. Guelfo Adamam occupat.

Mane autem facto, videntes dominus Balduinus et qui cum eo erant domini Tancredi vexillum in superiore civitatis arce locatum, invidiæ stimulis agitati, professionis immemores (qua, velut uterini fratres, quanto tempore incesserant, habentes unanimitatem spiritus in vinculo pacis, usi fuerant, et perpetuo decreverant utendum, indignati sunt quod, eis præsentibus, qui multo fortiores et majores haberent copias, signa sua in urbem immittere præsumpsisset. Dominus vero Tancredus eorum, sicut modestus erat, indignationem mitigare cupiens, allegabat quod de ejus vexillo factum fuerat minime in eorum redundare ignominiam: nam ante eorum adventum et adventus spem aliquam, eas cum civibus in virtute sua obtinuerat conditiones. Dominus autem Balduinus, suggerentibus sociis, et ad id pro posse instigantibus, causæ meritum non distinguens; sed præter debitum suo ductus spiritu, verbis procacibus dominum exacerbans Tancredum, rem eo arroganter deduxit, ut pene arma in se converterent, stragem mutuam operantes. Factumque est ut civibus ad se vocatis publice minarctur; quod nisi Tancredi vexillum deponerent, et suum loco illius erigerent, invito eo qui eis securitatem promiserat, urbem et suburbana in gyrum omnia traderet exterminio. Videntes porro cives quod Balduini multo majores essent copiæ, et virtus longe præstantior, sub eisdem conditionibus et pactorum forma, quam prius domino Tancredo pepigerant, dejecto priore, domini Balduini in eadem arce locaverunt vexillum. Quod videns dominus Tancredus, tanta confusus injuria, merito concepit indignationem; sed saniore consilio, et pia longanimitate, motum animi temperans, timens ne periculosa nimis inter fidelium acies oriretur dissensio, solutis castris, ad urbem vicinam, cui nomen Adana, se contulit. Ad quam perveniens, non est permissus introire: obtinuerat enim eamdem civitatem quidam Guelfo, natione Burgundio, qui cum aliis a majore divisus exercitu, turbas seorsum traxerat; et ad civitatem illam casu perveniens, ejectis inde Turcorum copiis, eam violenter occupaverat. Audiens igitur dominus Tancredus,

Digitized by Google

quod in nostrorum potestatem urbs prædicta, auctore Domino, pervenerat, missis nuntiis gratia hospitandi et emendi vitæ necessaria, implorat a prædicto domino urbis aditum sibi et sociis reserari: quibus admissis, cuncta vitæ necessaria tam sibi quam equis, partim gratis, partim interveniente pretio, ministrata sunt sufficienter. Repererat enim Guelfo prædictus, eamdem urbem auro et argento, gregibus et armentis, frumento, vino et oleo, et omni commoditate redundantem.

CAPUT XXI.

Tancredus Mamistram in eadem regione violenter obtinet.

At vero dominus Tancredus summo diluculo urbem ingressus, viam secutus regiam, et iter accelerans, cum omni suo comitatu Mamistram pervenit. Erat autem Mamistra una de nobilibus ejusdem provinciæ civitatibus, turribus et muro, et multorum incolatu insignis; sed et opimo agro, et gleba ubere, et amœnitate præcipua commendabilis. Juxta quam castrametatus, infra paucos dies continuis assultibus et jugi congressione urbem impugnans, auctore Domino, interemptis infidelibus, qui in ea reperti sunt, occupavit violenter. Ubi etiam infinitas divitiarum copias, et alimentorum ubertatem reperiens omnimodam, portiones suis congruas; pro meritorum qualitate distribuens, locupletavit universos: in qua defectus victualium quem pertulerant, grata redimentes opulentia, sibi, equis et subjugalibus universis pastum benignius indulserunt, otio simul et alimentis corpora recreantes.

CAPUT XXII.

Balduinus Tarsum occupat. Trecenti de nostris casu miserabili, ante portam urbis pereunt.

Verum dominus Balduinus, post discessum domini Tancredi, iterum Tarsenses frequentius commonet, et monitis potenter minas permiscens, urbem sibi præcipit aperiri et suum intromitti comitatum. Non enim honestum ei videbatur quod usque ad adventum exercitus ita tereret otium, et sederet inutiliter occupatus. Videntes autem cives quod Tancredus ei resistere non potuerat, et quod si id detrectarent, cominus urbem esset impugnaturus, *facientes de necessitate virtutem*, et de propriis viribus diffidentes, portas aperiunt, domino Balduino cum universo comitatu ejus introducto. Designaverunt autem eidem turres geminas quas interim possideret, reliquis ejus consortibus per civitatem promiscue in domibus fidelium hospitio susceptis. Turci vero qui præerant urbi, alias adhuc in sua potestate turres detinebant. Et licet plures essent, et majora civitatis munimina tranquille adhuc possiderent, tamen suspectam habentes nostrorum quos introduxerant societatem, subsidii quoque spem nullam habentes, opportunitatem quærebant quomodo cum uxoribus et liberis et omnimoda substantia sua clam possent egredi. Accidit autem quod eadem nocte viri trecenti de expeditione domini Boamundi Tancredum sequentes, ad urbem pervenerunt prædictam, quibus de mandato Balduini urbis interdictus est introitus. Illi autem longo fatigati itinere, rebus vacui necessariis, multa precum instantia urbis precabantur hospitalitatem, et alimentorum commercium: pro quibus etiam qui interius erant, inferioris manus homines, compatientes fratribus, cum preces porrigerent, non sunt admissi, eo quod de familia dicerentur esse Boamundi, et in Tancredi festinarent auxilium. Populus tamen interior a fraterna non deficiens compassione, cum egredi non valeret, in sportis panem, in utribus vinum per murum funibus porrigentes, sufficienter ministraverunt unde noctem illam possent transigere. Ibi ergo ante civitatis portam secundum quod poterant se locantes, quoniam intrare non permittebantur, quieverunt. Nocte vero eadem, cum se tam qui intrinsecus erant quam exteriores sopori dedissent, et circa intempestum silentium grata perfruerentur requie, accidit quod Turci, et alii qui in civitate erant infideles cum uxoribus et liberis, servis et ancillis, et omni supellectile, apertis portis, clam et cum silentio egredientes, urbem deserunt: non enim satis bene cum suis quos receperant hospitibus, poterant convenire, suspectam habentes eorum cohabitationem; egredi autem eis erat liberum: nam civitatis unam vel duas portas habebant in sua potestate; sed, ut cruentam hostibus post se relinquerent victoriam, præmissis sarcinis et impedimentis omnibus, eos quos extra portam repererunt somno gravatos, pene omnes interficiunt.

CAPUT XXIII.

Populus contra Balduinum arma corripit; sed tandem sedatur. Classis quædam apud Tarsum applicat virorum occidentalium.

Mane facto, cum jam se lux adulta infunderet, surgentes qui in civitate quieverant, urbem reperiunt vacuam: et clandestinam admirantes hostium fugam, mœnia perlustrant et aditus, quærentes diligenter qua parte fuerint egressi: dumque singula diligenter discutiunt, stragem reperiunt quam in servos Christi Turci abeuntes exercuerant. Unde gravi dolore percussi, et mœrore consternati debito, in lamenta se dederunt; divisique ab invicem, secunda classis contra dominum Balduinum et majores arma corripiunt, fratrum eis necem imputantes et interitum, eo quod *hospitalitatis gratiam, quæ ad omnes merito se porrigit indigentes*, viæ consortibus denegassent. Unde facto impetu, in primates suos justa indignatione commotus irruit populus; et nisi se in turres sublimiores contulissent, satis æquipollente numero stragem exteriorem in suis majoribus recompensassent. Tandem turba cognita, et schismate, quod ex justa causa exortum erat in populo, jam ingravescente, sollicitus elaborare cœpit quomodo sedaretur tumultus, sed apud populum excusando. Postquam igitur pace ad tempus impetrata, et indicto silentio, arma sustinens, quievit aliquantulum turba pedestris; pro se allegare cœ-

Digitized by Google

pit, ut se innocentem assereret, jurans et obtestans quod non ob aliam causam eos a civitate arcuerat, nisi quia neminem se admissurum usque ad adventum ducis fide promiserat interposita. Unde factum est quod per quorumdam ex nobilibus interventum, blandis persuasionibus, sed pro tempore et loco necessariis, sedatus ad modicum quievit populus, ipso plebi reconciliato. Dumque ibi sopitis scandalis per dies aliquot in omni tranquillitate sedissent, ecce classis visa est in pelago, vix tribus milliaribus distans ab urbe : ad quam ex utroque ordine tam equites quam pedites certatim properantes, ad mare descendunt : ubi de littore mutuo sibi colloquentes, cognoverunt per eorumdem relationem, quod Christianæ professionis essent homines. Interrogati autem de patria, responderunt, quod a Flandria, Hollandia, Frisonia, in quibus partibus piraticam annis octo exercuerant; tandem compuncti corde et delictorum suorum pœnitentes, orationis gratia, ut ad Hierosolymam proficiscerentur, in hoc mare descenderant. Cognito autem quod viri fideles essent, eos ad portum invitant, et datis dextris in osculo pacis susceptos, classe in tuto locata, usque ad Tarsum perduxerunt. Erat autem quidam eorum primicerius Guinemerus nomine, de pago Boloniensi, de terra comitis Eustachii, patris domini Godefridi. Hic postquam dominum Balduinum cognovit, sciens quia domini sui filius esset, relicta classe, cum eodem Hierosolymam ire disposuit . erat autem dives admodum, ex illa arte pessima quam diu exercuerat, factus locupletior, et multos habens in suo obsequio, quos ex parte plurima secum trahens, eum sequi decrevit. Unde ordinata ex utriusque comitatu quingentorum virorum urbi sufficiente custodia, iterum procedere et tentare fortunam disposuerunt.

CAPUT XXIV.

Balduinus, Tarso capta, Mamistram venit. Pugnant invicem ipse et Tancredus; sed mox reconciliantur.

Proficiscentibus ergo illis, et viam regiam non deserentibus, contigit pervenire Mamistram, quam paulo ante, ut prædiximus, dominus Tancredus violenter occupaverat, et in manu forti detinebat occupatam : quo pervenientes, arbitrati quod in urbem minime reciperentur, extra in pomœriis hospitati sunt. Tancredus vero audiens quod Balduinus juxta urbem sua castra locasset, iratus admodum, memor injuriarum quas ab eodem immeritus pertulerat, infremuit spiritu; et ira succensus, suos ad arma convocat, paratus de omnibus quæ ille intulerat, vicem rependere condignam. Præmissis itaque nonnullis sagittariis, qui eorum equos per pascua dispersos sauciarent, aut secum deducerent comprehensos, ipse subito cum quingentis loricatis equitibus in eorum castra irruens, antequam possent arma corripere, omnes pene contriverat. Tandem vero illis arma corripientibus, et ad resistendum paratis, fit conflictus asperior, parte utraque decertante protervius : factumque est ita ut, confligentibus inter se nimis hostiliter aciebus, plures ceciderint, nonnullis etiam ex utraque parte retentis. Tandem vero domini Tancredi manus impar viribus et numero, pondus certaminis ferre non valens diutius, terga dedit fugiens, in urbem se receptura. Erat autem inter urbem prædictam et castra domini Balduini fluvius, super quem pons erat valde angustus : quo dum in urbem redire domini Tancredi properaret familia, pontis angustia impedimentum ministrante, interierunt ex utroque ordine plures, aliis infra urbem se recipientibus. Et fortasse majora utrinque ardentibus odiis passi forent dispendia, nisi nox conflictum dirimens irruisset. Capti sunt ibi de comitatu domini Tancredi Richardus de Principatu, ejus consanguineus, et Robertus de Ansa, viri nobiles et præclari, quorum persuasionibus et stimulis ad prædictam dominus Tancredus convolaverat ultionem. De familia vero domini Balduini captus est vir præclarus et nobilis, Gilleberus de Monteclaro : pro quorum absentia, turbatæ sunt plurimum hinc inde acies, arbitrantes quod in hesternis congressionibus vita decessissent. Luce demum postera sole oriente restituta, detumescentibus odiis et indignatione aliquantulum mitigata, professionis suæ memores, ad cor, respiciente eos divina clementia, reversi sunt; et missa legatione, rogantes quæ ad pacem sunt, restitutis hinc inde captivis, et sibi mutuo satisfacientes, in plenam gratiam, interveniente pacis osculo, redierunt.

CAPUT XXV.

Balduinus ad majorem revertitur exercitum. Tancredus universam impugnat et obtinet Ciliciam. Finitimi principes, oblatis muneribus, ei se conciliare festinant.

Inde cum omni suorum comitatu dominus Balduinus ad majorem exercitum, qui jam Maresiam, ut prædiximus, pervenerat, sociis id exigentibus, reversus est. Audierat enim quanto quamque periculoso casu dominus dux ante Antiochiam Pisidiæ laboraverat : unde de ejus plurimum salute sollicitus, præsens de ejus statu plenius volebat edoceri. Tancredus vero, assumpto sibi populo residuo, qui in classe advenerat, et ex eo viribus adauctis, universam percurrens Ciliciam, hostium præsidia, quotquot ibi reperit, expugnat, incendit, hostibus qui in eis reperti sunt gladio peremptis; perveniensque ad locum, cui nomen Alexandria minor, violenter expugnatum nihilominus occupavit, universam regionem suæ subjiciens potestati. Audientes vero qui in montibus habitabant, tam Armenioram quam Turcorum satrapæ, quod prædictus Tancredus in manu robusta et exercitu copioso universam sibi subjugaret provinciam, timentes ne forte ad eos ascendens, eorum quoque captivaret populos, subverteret municipia, missis certatim legationibus, ejus sibi satagunt conciliare gratiam, et amicitiam fœderare : unde ut propositum facilius valerent

Digitized by Google

effectui mancipare, missis donis ingentibus in auro, argento, equis, mulis et holosericis, fœdus contrahebant, tanti principis iram et indignationem multa liberalitate declinantes. Erat itaque vir in cunctis prospere agens, fuitque Dominus cum eo, et omnia ejus opera, tanquam servi fidelis dirigebat.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Balduinus ducis frater ad majorem reversus exercitum, instinctu Pancratii iterum assumpta militia, in partem septentrionalem descendit, et usque ad Euphratem universum occupat regionem.

Dum igitur Tancredus ita in Cilicia viriliter cuncta sibi subjiceret, et major exercitus apud Maresiam jam pervenisset, prædictus Balduinus viso fratre, cujus gratia ad exercitum redierat, ejusque cognita convalescentia, rursum æstuat; et Tancredi succensus stimulis et virtutis ejus quæ publice prædicabatur æmulus, socios colligit; et rursum egredi et casus experiri recentes proponit. Audientes vero qui ab eo super hoc sollicitabantur, quanta adversus dominum Tancredum apud Tarsum Ciliciæ, de majore confisus comitatu, intumuisset malitia, cum eo proficisci verebantur; abominabilis enim factus erat pene omnibus, illa ejus culpa id exigente. Et nisi domini ducis obstitisset reverentia, Boamundus et sui impunitam non reliquissent, quam Tancredo intulerat injuriam. Unde factum est, ut paucos inveniret illius viæ consortes. Super quo a fratre, servo Dei, correptus graviter, reatum cum omni humilitate recognoscens, et condignam nobili viro pro commisso satisfactionem promittens; et quoniam præter morem, et alterius magis suggestione, quam de proprio motu deliquerat, indulgentiam consecutus est, et omnium sibi reconciliavit gratiam. Erat enim vir alias per omnia commendabilis, nec auditus fuit amplius sermo hujusmodi de illo. Porro huic eidem familiaris erat quidam nobilis Armenius, Pancratius nomine, quem a carcere domini imperatoris elapsum, apud Niceam sibi fecerat familiarem, viæque consortem semper habuerat; erat autem idem vir in armis strenuus, sed perversæ fidei et subdolus nimis. Hic dominum Balduinum horis pene singulis sollicitabat instantius, ut assumpta militia, secum proficisceretur in regionem, quam cum paucis posset occupare facilius. Tandem vero associatis sibi ducentis equitibus et populo non modico, duce prædicto Pancratio, in partem septentrionalem proficiscens, ingressus est regionem opulentissimam. Erant autem prædictæ regionis habitatores Christianæ professionis, et veri Dei cultores, exceptis paucis, qui in præsidiis morabantur, fidelem populum, et quibus inhibitum erat militare, pro arbitrio tractantes. Ingressus igitur regionem, Christianis locorum cultoribus, infidelium abhorrentibus principatum, et eidem præsidia tradentibus, infra paucos dies usque ad Euphratem fluvium magnum, universam obtinuit regionem. Factumque est nomen ejus hostibus circumpositis ita formidabile, ut munita etiam sponte deserentes præsidia, fugam inirent nemine persequente. Fidelibus autem qui enim receperant, tanta de ejus præsentia accessit virtus, et ex virtute fiducia, ut, sicut legitur in propheta : *Unus fugaret decem, et duo decem millia* (*Deut.* XXXII, 30). Nec solum vulgus ita mente ei adhærebat, sed qui in partibus illis erant Christiani principes, cum eodem fœderati, ad propositum cooperantes, se communicatis viribus et impensis devote obsequiis exhibebant.

CAPUT II.

Fama ejus longe lateque diffunditur; a civibus Edessanis vocatur. Transito Euphrate, illuc accelerat, insidias in itinere perpessus; occurrit ei populus Edessanus, et multa lætitia in urbem introducit.

Post hæc, diebus aliquot evolutis, egrediens fama, magnifici viri nomen et opera longe lateque per adjacentes divulgabat provincias; strenuitatem, fidem et constantiam animi prædicans commendabilem. Exiit ergo sermo iste ad cives Edessanos, et universam eorum, rumore crebrescente, implevit urbem; quod talis tantusque princeps de exercitu Christianorum advenerat, qui jugum servitutis eorum penitus posset dissolvere, et eos restituere libertati. Unde tam qui civitati præerant quam majores natu, penes quos universa civitatis illius residebat auctoritas, missa legatione, litteris et viva voce, eum ad se satagunt evocari. Est autem Edessa nobilis Mesopotamiæ metropolis, quæ alio nomine Rhages appellatur. Hæc est civitas, ad quam Tobias senior, juniorem Tobiam filium suum misit, ut a Gabelo consanguineo suo decem talenta argenti reposceret, quæ ei, dum adhuc esset infantulus, commodaverat. Hujus cives statim post Domini passionem per Thaddæum apostolum, salutarem Christi susceperunt doctrinam : digni inventi per omnia, et tanti prædicatione apostoli, et epistola Salvatoris, quam ad Abgarum regem eorum rescribens misit, sicut in primo ecclesiasticæ historiæ, quam Eusebius Cæsariensis scripsit, reperitur. In qua, sicut ab initio et a temporibus apostolorum susceperant, fidei sinceritate perseverantes, infidelium jugum eatenus patiebantur, quod eis tributa et vectigalia annuatim cogebantur exsolvere; vineas quoque et agros, et quælibet prædia exterius

Digitized by Google

posita, pene continuis exactionibus compellebantur redimere. Infra tamen urbem nemo nisi fidelis habitare præsumebat. Hæc enim sola inter omnes illius regionis urbes, in sua manens ingenuitate illibata ab infidelibus, qui circumpositas jampridem occupaverant provincias, nec subjugata fuerat, nec alterius professionis quempiam pertulerat habitatorem; sed exterius in urbibus finitimis et præsidiis confinibus habitantes, tantas prædictis civibus inferebant molestias, ut egredi urbem non liceret, nec sua exterius procurare negotia. Huic autem urbi præerat quidam natione Græcus, multo confectus senio, utriusque sexus liberis carens, qui ab eo tempore, quo universa provincia Constantinopolitano subjecta erat imperio, missus ad eamdem urbem, præses fuerat; et Turcis supervenientibus antequam præsidatus sui tempus esset evolutum, de necessitate moram facere compulsus, jurisdictionem continuaverat suam; nec ipso ad propria redire valente, nec populo ab administratione eum cedere compellente. Erat tamen prælatus inutilis, a subditis non valens propulsare molestias, aut quietem aliquam procurare. Convenientes ergo cives ad invicem, cum ejus tamen conscientia et bona voluntate, legatos, ut prædiximus, ut suis remedium aliquod adhiberet molestiis, ad dominum Balduinum dirigunt. Qui populi et majorum intellecta postulatione, habito cum suis consilio, acquievit; et ad iter se accingens, cum octoginta tantum equitibus Euphratem transiit, reliquos de comitatu suo per arces et municipia, quæ sibi contulerat dominus, citra Euphratem ad custodiam derelinquens. Porro Turci qui trans Euphratem habitabant, præcognito ejus adventu, ei paraverant insidias; erat autem in itinere oppidum, cui præerat quidam Armenius, in quod, ut prætentas sibi declinare posset insidias, se contulit, a domino loci benigne et hospitaliter susceptus. Cum autem ibi per duos quievisset dies, non ausus procedere, Turci qui per biduum illic latuerant in insidiis, moram fastidientes longiorem, ante prædictum oppidum erectis vexillis, cum turmis validioribus subito astiterunt, prædam quam in pascuis adjacentibus repererunt, violenter abducentes. Nostri autem quoniam impares et numero erant et viribus, ad eos egredi non præsumentes, infra oppidum se cohibebant. Tandem die tertia abeuntibus illis, et reversis ad propria, Balduinus inceptum iter peragens, Edessam pervenit, ubi a prædicto civitatis duce, occurrente ei universo clero et populo, cum tubis et tympanis, cum hymnis quoque et canticis spiritualibus, et multo præventus honore, et omnium gratia susceptus est.

CAPUT III.

Dux civitatis facti pœnitens, ejus successibus invidet; pacta rescindere nititur, sed tandem victus a populo, eum fraudulenter adoptat in filium.

At vero dux qui eum citari fecerat, apud se tacitus considerans honorem et gratiam, quam adventanti populus exhibuerat, invidere cœpit, et a pactorum tenore quæ prius proposuerat, resilire. Cum enim ad hoc eum evocasset, ut universorum bonorum, vectigalium et tributorum, quæ civitas habebat, eum in vita sua decrevisset ex æquo fore participem, et post ejus obitum cuncta ex integro possessurum, mutato proposito, cœpit offerre : *Quod si urbi et civibus suis vellet contra Turcorum importunitates ministrare subsidium, et arcere violentiam, ipse juxta boni viri arbitrium, honestam annuatim laboris recompensationem designaret.* Quod dominus Balduinus omnino respuens, ut tanquam gregarius aliquis apud eum stipendia mereret, ad reditum se parabat; cum ecce cives, eo cognito, ad eumdem ducem properant, monentes et instantes attentius, quatenus tantum principem tamque eorum libertati necessarium, nullatenus abire patiatur; sed juxta priorem tenorem pactorum eum sibi obliget, ut de cætero tam ipse quam universa civitas optata quiete perfruatur. Videns autem dux unanimem plebis et majorum instantiam, et fervorem dilectionis quam erga eum conceperant, reniti, et eorum obviare postulationibus periculosum ducens, invitus licet, et suspectum ejus habens introitum, tamen assensum præstitit; et sub quodam colore, cumulatæ recompensationis, eo in filium adoptato, præsentibus civibus, quandiu viveret, omnium bonorum ex æquo, solemniter contulit participium; et post ejus obitum, ex integro successionem. Gavisus est autem populus, libertatis suæ omnimodam in eo spem habentes. Ab ea igitur die, de domini Balduini protectione præsumentes, injurias quas a duce perpessi fuerant, solito liberius revocantes, ad animum, propositum habebant ultum iri si quando locus daretur et tempus opportunum : quod postmodum rei subsequens exitus evidentissime declaravit.

CAPUT IV.

Rogatu civium Samosatum obsidet. Cives adversus ducem suum, virum inutilem, conspirant, recolentes quantas eis intulerat injurias.

Erat autem juxta eos antiquissima civitas et munita supra modum, Samosatum nomine, cui præerat vir infidelis, natione Turcus, Balduc nomine, in armis strenuus, sed subdolus et nequam. Hic prædictos cives multis afficiebat molestiis, tributa et agrorum vectigalia, et angarias multiplices eis ingeminans; et pro his omnibus eorum liberos habebat obsides, quibus nullam impendens humanitatem, in luto et latere sibi servire compellebat. Pro quibus molestiis cives universi ad domini Balduini provoluti genua, orant unanimiter, et cum lacrymis implorare satagunt quatenus ab illius vexatione eos protegere dignetur; et ita efficere, ut liberos suos, qui ab eo detinebantur inviti, possent recipere. Ille autem eorum hanc primam postulationem volens exaudire benignius, et per hoc sibi populi gratiam ampliorem promereri, convocato populo et armis communito, ad locum prædictum in manu robusta pervenit, ubi cum per dies aliquot frequentibus congressionibus et multa instantia urbem im-

Digitized by Google

pugnasset, Turcis qui intus erant strenue resistentibus et de loci præsumentibus munitione, videns quod non proficeret, relictis militibus septuaginta, in loco vicino et munito aliquantulum, qui Samosatenis sine intermissione requiem negarent, et continuas molirentur insidias, ipse Edessam reversus est. Videntes autem cives quod esset dominus Balduinus vir strenuus et in cunctis prospere agens, et indignum reputantes quod qui dignus erat, tanquam liberator urbis et quietis fundator, universa possidere et pro arbitrio cuncta disponere, parem haberet in civitate virum inutilem : accito Constantino nobili et potente viro, qui in montibus vicinis munitissima habebat præsidia, de communi proponunt consilio, ut, duce eorum interempto, dominum Balduinum sibi ducem constituant et principem singularem. Cives enim, ejus meritis exigentibus, oderant illum ; multis enim calumniis eos dicebatur affligere, aurum et argentum et quælibet pretiosa ab eis violenter extorquens ; cui si quis tentabat resistere, eidem statim, data pecunia, Turcorum suscitabat inimicitias et odium, ita ut non solum vinetis et hortis et satis succendendis, gregibus quoque et armentis abducendis timerent ; verum et de vita periclitarentur sæpius.

CAPUT V.

Edessani ducem prædictum interficiunt; Balduinum sibi præficiunt in dominum ; ipse vero Samosâtam prædictam a Balduc, qui ei præerat, multo emit pretio.

Convenientes igitur ad invicem, horum malorum memores et videntes quod major ad diu desideratam libertatem obtinendam, per hospitem susceptum pateret via, ex condicto ad arma convolant ; et turrim in qua domicilium habebat, multa impugnant instantia, proterva animositate diruere satagentes. Videns autem plebis fervorem, et pro meritis adversus se indignationem conceptam, accito domino Balduino, pro vita sollicitus, rogat, ut effusis thesauris, pro ejus salute ad populum intercedat. Ille autem, cum bona fide civium ab eo vellet propulsare injurias et ab illo proposito cohibere, videns quod non proficeret, sed magis et magis irritaretur populus, reversus ad ducem, monet et hortatur attentius, quatenus quocunque modo vitæ consulat et saluti. Ille autem desperati more, *quærens remedium ubi non erat*, per fenestram fune demisso, seipsum etiam deponebat, ubi antequam ad terram perveniret, mille sagittis confossus interiit. Quem defunctum et exanimem per plateam trahentes, amputato capite, vix adversus eum conceptam indignationem expleverunt. Die vero altera dominum Balduinum invitum et renitentem, sibi præfecerunt in dominum, exhibitis corporaliter de conservanda fidelitate juramentis ; et introducentes eum solemniter, et cum omni gloria in præsidium civitatis, universos thesauros et infinitas, quas ille a multis retro temporibus congregaverat, ei tradunt divitias, universa in tranquillo constituta civitate.

A Balduc vero, quem Samosatenæ præesse civitati dixeramus, videns quod Balduinus de die in diem proficiens, universam sibi subjugabat regionem, prædictam civitatem sub pretio decem millium aureorum venalem obtulit. Dominus vero Balduinus post multam deliberationem, videns loci munimen et quod non facile viribus poterat superari, data infinita pecunia, urbem et civium obsides cum multa gloria suscepit. Hic primum tantam civium Edessanorum in se conciliavit gratiam, ut jam non solum dominum, sed et patrem eum haberent, parati pro ejus incolumitate et gloria usque ad mortem decertare.

CAPUT VI.

B *Sororgiam civitatem obsidet. Obsessam violenter occupat, gratiam apud populum suum demerens infinitam.*

Erat in eadem provincia civitas, Sororgia nomine, infidelibus eodem modo referta habitatoribus, Edessanis in vicino constituta, cui præerat quidam Turcorum satrapa, Balac nomine. Hic etiam prædictis civibus, multas inferebat injurias et continuis vexabat molestiis : pro quo etiam domino Balduino supplicantes Edessani, facile obtinent, ut congregato exercitu, urbem prædictam obsideret. Unde factum est, ut statuta die illuc proficiscens, desiderium populi manciparet effectui, civitatem obsidens. Locatis autem in gyrum castris et machinis congrua provisione dispositis, urbem animosius cœpit impugnare. Videntes autem cives viri C constantiam, et de viribus diffidentes, nimia concussi formidine, missa ad eum legatione, pacem impetrant ea conditione, ut urbe resignata, vita eis et incolumitas conservetur. Suscepta autem civitate, et ejus præsidio relictis de suo comitatu ad ejus custodiam sufficientibus, præfectoque uno ex illis, qui ejus ibidem procuraret negotia, civibus quoque annuatim præstando imposito tributo, Edessam cum ingenti gloria reversus est. Factumque est, ut per hujus urbis impugnationem, liber ab Antiochia usque Edessam transire volentibus, pateret commeatus. In medio enim itinere, inter prædictam urbem et Euphratem constituta, transire volentibus, præstabat prius impedimentum. His D ergo dictis de domino Balduino, ad ea quæ restant de majore exercitu dicenda, redeamus.

CAPUT VII.

Directi quidam a majore exercitu, urbem Artesiam violenter occupant. Quo rumore exciti Antiocheni, illuc cum multa properant militia; nostris insidias præstruunt; urbem impugnant; nihil proficientes redeunt, ponte tamen prius communito.

Interea dum circa partes Edessanas trans Euphratem dominus ita desudat Balduinus, major exercitus, ut præmissum est, per abrupta montium et vallium devexa, Maresiam usque pervenerat. Erat autem prædicta civitas Christianos habens habitatores, paucis exceptis qui in præsidio civitatis morabantur, cæteros pro libero détractantes arbitrio. Hi vero audito nostrorum adventu, perterriti,

Digitized by Google

clam aufugerant, urbem solis fidelibus relinquentes; ad quam postquam Deo devotus pervenit exercitus, ante urbis mœnia, in pascuis virentibus castrametati sunt, violentiam inferri civibus omnino prohibentes. Unde factum est ut rerum venalium illic, cum omni tranquillitate, ministrata sit abundantia. Compertum autem habentes, ex indigenarum relatione fideli, quod in proximo alia quædam esset civitas, bonis redundans omnibus, et cæteris multo fertilior, quæ a Turcis detinebatur, nomine Artasia; illuc cum omni celeritate de communi consilio comes Flandrensium Robertus, assumptis sibi quibusdam nobilibus, Roberto videlicet de Roscto et Goscelone filio Cononis, comitis de Monteacuto, cum mille loricatis proficiscitur; quo perveniens, protinus eam obsidione vallat. Turci autem de loci munimine præsumentes, urbe relicta, in præsidium se contulerunt. At vero Armeniis et alii fideles ejusdem urbis habitatores, comperientes quod hi qui in tanto armorum fulgore advenerant, de exercitu essent, quem diu, et cum multo exspectaverant desiderio, in spem libertatis erecti, arma corripiunt: et in Turcos, qui eos violenta dominatione per multa oppresserant tempora, gladios convertunt. Factumque est, ut subito perimentes universos, eorum capita exterius projicerent; et portis apertis fideles qui exterius erant, intra urbem devotissime invitarent ad hospitium; et plenis hospitalitatis legibus, eis et equis eorum necessaria ministrarent. Est autem hæc civitas, quæ alio nomine Calquis appellatur, quæ sicut prædicta Maresia una de suffraganeis urbibus, quæ ad thronum Antiochenum subjectionis habent respectum. Distat autem ab Antiochena milliaribus quindecim. Hæc ergo fama longe lateque per regionem diffusa, cives Antiochenos excivit, ut arma corriperent; et in perniciem illorum qui ad Artasiam convenerant et ejus cives occidendo urbem occupaverant, accingerentur. Electi ergo de his qui apud Antiochiam ad tutelam ejusdem urbis convenerant, quasi ad decem millia, illuc sub omni festinatione contendunt. Ad quem cum approximarent locum, præmissis armaturæ levis equitibus triginta, qui equos habebant velocissimos, reliqui in loco occulto ad insidias derelicti remanserunt. Hi ergo qui præmissi sunt, quasi excursores, ut nostros ad insectandum incautius invitarent, ante urbem Artasiam cœperunt libere nimis, quasi prædas abacturi, discurrere. Nostri autem qui in urbe erant, eorum ferre non valentes superbiam et liberos nimis excursus, certatim ad arma convolant; et eos insectantes incaute aliquantulum, super eas quas studiose locaverant insidias, descenderunt: qui de latebris egredientes, nostros ab urbe laborabant excludere, ne ad eam confugientes, contra irruentes majores copias possent invenire refugium. Nostri tamen, auctore Domino, eos a se viriliter repellentes, sani et incolumes, cum omni suo comitatu infra prædictam urbem se receperunt. Videntes autem quod non erat opus facile ut civitatem ita subito sibi vindicarent, apponunt eam obsidione vallare. Cumque per diem integrum urbem expugnassent, et illis qui intus erant resistentibus viriliter, non proficerent; audientes etiam quod major appropinquaret exercitus, cujus periculosum erat nimis adventum exspectare, saniore dueti consilio, Antiochiam reversi sunt; ponte tamen, qui medius erat, militibus communito. Comes igitur cum his qui secum erant, urbem quam ei contulerat Dominus, usque ad adventum majoris exercitus sollicitus conservabat. Sed interim egregiæ indolis adolescens præditus, Goscelo domini Cononis comitis de Monteacuto filius, valida correptus ægritudine, vita decessit: ibidem cum honestis exsequiis traditus sepulturæ.

CAPUT VIII.

Major exercitus Artesiam pervenit: inde, præmissis quibusdam, qui prætentarent vias, ad pontem accedunt, et invitis hostibus fluvium transeunt.

Vix circa auroram, Turci qui ab Antiochia venerant, discesserant ab Artasia, cum ecce nuntiatur, majorem exercitum ejusdem civitatis fines ingressum, non longe ab urbe castra locasse. Dumque pro fratribus qui apud Artasiam obsidionem pati dicebantur, debitam gerunt sollicitudinem, de communi consilio mille et quingentos in subsidium eorum loricatos dirigunt, præcipientes ut si ad urbem, obsidione soluta, liberum possent accessum habere, relictis custodibus, qui ad urbis defensionem sufficere possent, dominus comes Flandrensis et alii nobiles, qui cum eo ibidem erant, ad exercitum redeant. Redierat etiam dominus Tancredus, eamdem mandati formam suscipiens, a Cilicia, ubi regionem universam suæ mancipaverat ditioni. Reversi erant et alii nihilominus, qui circumquaque dispersi, variis rapti fuerant studiis: excepto domino Balduino ducis fratre, qui circa partes Edessanas, de die in diem, prævia Domini misericordia, magis ac magis proficiebat. Sic igitur reintegrato exercitu, et partibus recollectis, quasi lege præcipiunt edictali, ut de cætero, nemo, nisi jussus, præsumat ab exercitu separari. Solutis igitur castris versus Antiochiam acies dirigunt, viarum compendia secuti. Et quia fluvius in via medius erat, et super fluvium pontem audierant esse munitissimum, timentes ne exercitus aliquod ibi sustineret impedimentum, dominum Robertum Normannorum ducem cum suo comitatu jusserunt præcedere et prætentare itinera, quatenus si quid difficultatis occurreret id subsequentibus legionibus faceret notum, et principes super eo redderet doctiores. Præcedebant autem ejus exercitum quasi legionum primicerii, vexilla bajulantes, viri nobiles et inclyti, et in usu armorum commendabiles, dominus Eurardus de Pusato, Rogerus de Barnavilla. Separatus igitur ab exercitu dominus comes cum suis cohortibus, et majores præcedens copias, ad prædictum pontem pervenit. Erat autem pons lapideus, in utraque fronte turres habens munitissimas ex

Digitized by Google

opere solido, sicut et totus pons erat compositus : in quibus centum viri fortes et in armis strenui, arcus usum habentes familiarem et sagittandi peritiam, ad earum custodiam erant deputati, et ut transire volentes a vadis et fluminis accessu violenter arcerent. Advenerant prætcrea ab Antiochia equites septingenti, qui in ulteriore ejusdem fluminis ripa constituti, vada præoccupaverant, transitum nostris omnino pro viribus inhibituri. Fluvius autem, qui pons superpositus est prædictus, Orontes appellatur, verbo vulgari *Fer* dictus, qui ab eo loco secus Antiochiam defluens, inde ad mare descendit. De hoc quidam somniare solent, quod sit Farfar Damasci fluvius; sed compertum habemus, quod errore trahuntur, qui hoc asserunt. Farfar enim et Albana a Libano traheates originem, per agrum Damascenum secus ipsam urbem defluentes, in Orientem properant, ubi in arenosa solitudine deficere dicuntur; Orontes vero secus Heliopolim, quæ alio nomine appellatur Malbec, primum habens exordium, per Cæsaream et prædictam Antiochiam in mare descendit Mediterraneum. Perveniens igitur ad pontem Normannorum comes, cum suis expeditionibus transire prohibitus est, tum ab his qui in turribus erant super pontem, tum ab his etiam qui fluminis ulteriorem occupaverant ripam : factus est itaque ibidem conflictus asperrimus, dum et nostri violenter fluvium transire nituntur; et hostes transire volentibus omnino contradicere et a vadis arcere, sagittarum immissa grandine molliuntur. Dumque in hoc utrinque desudarent atrocius, ecce major adventabat exercitus. Cognitoque quod circa pontem comes et qui cum eo præcesserant, bello detinebantur occupati, iter accelerant, ut laborantibus sociis opem ferant, et exclusis hostibus transitum sibi præparent expeditum. Postquam ergo universæ advenerunt legiones, voce præconia et lituis commoniti, arma corripiunt, et totis viribus insistentes, pontem, hostibus in fugam versis, violenter occupant. Alii vero qui secus pontem propter locorum angustiam pugnare non poterant, ut interim otiosi non torpescerent, vado reperto fluvium exsuperantes, ripam ulteriorem, exclusis hostibus, liberam possident. Translato igitur universo exercitu cum curribus et vehiculis et impedimentorum universo genere, citra fluvium, sex aut quinque ab urbe distantes milliaribus, in locis pascuis et late virentibus castrametati sunt. Die vero sequenti iterum procedentes, inter montes et fluvium, viam secuti regiam, ante urbem infra milliare unum castra locaverunt.

CAPUT IX.

Descriptio urbis Antiochenæ et ejus dignitatis.

Est autem Antiochia civitas gloriosa et nobilis, tertium, vel potius secundum (nam de hoc maxima quæstio est) post urbem Romam dignitatis gradum sortita : omnium provinciarum quas tractus continet Orientalis, princeps et moderatrix. Hæc priscis temporibus dicta est Reblata, ad quam Sedechias rex Juda cum filiis ante Nabuchodonosor Babyloniorum regem deductus est, ubi in patris præsentia filios ejus occidi præcepit, et ipsum consequenter oculis privari. Hanc, post mortem Alexandri Macedonis, Antiochus, qui post eum regni ejus partem obtinuit, turribus et muro validissimo circumdatam, et in statum reparatam meliorem, de nomine suo vocari præcepit Antiochiam, regni sui caput constituens, et in ea sibi et successoribus ejus, in perpetuum, domicilium ordinans familiare. In hac apostolorum princeps, cathedram obtinuit sacerdotalem, et pontificali primus functus est dignitate; viro venerabili Theophilo, qui erat in eadem civitate potentissimus, in proprio domate basilicam dedicante. Cui Lucas, ex eadem urbe trahens originem, tam Evangelium suum, quam Actus scribit apostolorum; qui etiam beato Petro septimus in ordine pontificum, in eadem Ecclesia successit. In hac etiam primus fidelium habitus est conventus, in quo et Christianorum nomen dedicatum est. Prius enim, qui Christi sequebantur doctrinam, Nazaræni dicebantur; postmodum vero a Christo deducto nomine, auctoritate illius synodi, Christiani dicti sunt fideles universi. Unde et, quia gratis et sine difficultate prædicantem suscepit Apostolum, ad Christi fidem unanimiter conversa; et nomen, quod sicut unguentum effusum, longe lateque redolet; prima invenit et docuit, nomen ei designatum est novum, et Theopolis est appellata; ut quæ prius hominis nequam et impii nomen pertulerat, ejus qui eam ad fidem vocaverat, domicilium et civitas deinceps appellaretur, super hoc condignam recipiens a Domino retributionem, ut quæ prioris erroris magistra, multis sub se positis regionibus imperaverat, postmodum in via Domini, et honesta morum disciplina, easdem haberet nihilominus suffraganeas. Viginti enim provincias in sua jurisdictione ejusdem, Deo amabilis, civitatis dicitur habere patriarcha, quarum quatuordecim, singulos habent metropolitas, cum suis suffraganeis; sex vero reliquæ, sub duobus primatibus, qui vulgari appellatione dicuntur Catholici; quorum alter est Aniensis, alter vero Hirinopolitanus, qui est Baldacensis; cum eorum suffraganeis disponuntur. Quæ omnes uno nomine, Oriens videlicet, nuncupantur, sicut ex synodo Constantinopolitana colligitur, quæ sic habet : *Orientis autem episcopi, solius Orientis curam gerant, servato honore primatus Ecclesiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicenæ synodi continetur.*

CAPUT X.

In qua provincia sita est; descriptio quoque situs ejus.

Sita est autem in provincia, cui nomen Syriaceles, quæ Majoris Syriæ pars esse dignoscitur, commodissimam et amœnam habens positionem. Protenditur vallibus, agrum habens optimum et glebam uberem, rivis et fontibus tota pene irrigua, amœnitate singularis, inter medium montium ab

Digitized by Google

oriente in partes declivis occiduas; longitudinem habens quasi ad milliaria quadraginta; latitudinem vero, pro diversitate locorum, sex vel quatuor. In superiore sui parte lacum ex adjacentibus collectum fontibus habens, piscosum maxime, a fluvio qui vallem percurrit ad mare secus urbem defluens, spatio unius distans milliarii, unde rivus egreditur, qui postmodum in eumdem fluvium inferius circa urbem derivatur. Montes vero, qui eam ex latere vallant utroque, etsi sublimes sint valde, tamen dulces et perspicuas emanant aquas; et usque ad suprema culmina, in clivis et lateribus suis, agriculturæ præbent habilitatem præcipuam. Quorum qui ab austro est, sicut et fluvius, qui eamdem urbem præterlabitur, Orontes dicitur, teste Hieronymo, qui Antiochiam inter Orontem fluvium et Orontem promontorium dicit consistere; cujus pars inferius secus mare in immensam se porrigens altitudinem, nomen sibi vindicat speciale, et vulgari appellatione dicitur mons Parlier; hunc quidam Parnassum reputant, Baccho dedicatum et Apollini; quorum opinioni suffragari videtur fons Daphnidis, quem quidam Castalium reputant, juxta veterum tenorem fabularum, Musis sacrum et gymnasiis celebrem philosophorum; qui ad radices ejusdem montis, in eo loco qui dicitur Scala Boamundi, juxta urbem prædictam habere dicitur exordium. Sed a vero secus est hæc opinio. Nam Aoniæ regionis, quæ pars est Thessaliæ, Parnassum constat esse promontorium; secundum quod Naso in primo Metamorph. describit ita:

Separat Aonios Actæis Phocis ab arvis
Terra ferax, dum terra fuit; sed tempore in illo
Pars maris, et latus subitarum campus aquarum.
Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus,
Nomine Parnassus, superatque cacumine nubes.

Hic autem juxta Solinum, Cassius appellatur, de quo in Polyhistoris sui capitulo quadragesimo primo, sic ait: *Juxta Seleuciam Cassius mons est, Antiochiæ proximus; cujus e vertice vigilia noctis adhuc quarta, globus solis conspicitur, et brevi corporis circumactu, radiis caliginem dissipantibus, illinc nox, illinc dies cernitur.* Sed ne te Seleuciæ nomen decipiat æquivocum, noveris duas esse urbes, quarum utraque dicitur Seleucia. Prima, quæ Isauriæ metropolis est, quæ ab Antiochia plus quam dierum quinque distat itinere; et altera quæ Antiochiæ proxima; vix ab ea milliaribus distat decem, juxta fauces Orontis fluminis; qui locus hodie Portus Sancti Simeonis dicitur. Fons autem supradictus, Daphnis dicitur, et Castalius, ubi fanum fuisse dicitur Apollini dedicatum, quod gentilis superstitio frequentare consueverat, ut inde reportaret oracula et super ambiguis quæstionibus responsa. Quem locum Julianus Apostata, postquam a Christo et a pietatis doctrina descivit, dum in partibus Antiochenis moram faceret, ad Persas iturus, ut Apollinem super eo facto consuleret, adibat frequens, secundum quod Theodoritus in tricesimo primo capitulo Tripartitæ historiæ asserit ita: *Cum igitur Julianus apud Pythonem Daphneum responsa peteret, de Parthici belli victoria; et ille de vicinitate corporis Babylæ martyris eum accusaret, jussit ejus corpus auferri.* Id ipsum etiam evidentius aliquantulum in decimo ecclesiasticæ Historiæ dicitur, hoc modo: *Dedit et aliud Julianus vecordiæ suæ ac levitatis indicium; nam cum Daphnis, in suburbano Antiochiæ juxta fontem Castalium litaret Apollini, et nulla quæ quærebat responsa reciperet; causasque silentii percunctaretur a sacerdotibus dæmonis; aiunt Babylæ martyris sepulcrum prope assistere, et ideo responsa non reddi.* Quia licet fons prædictus dicatur Castalius, non tamen intelligendus est esse ille Castalius, qui alio nomine Pegasæus, Caballinus et Aganippe dicitur; ille enim in prædicta esse legitur Aonia, juxta verbum Solini, quod sic se habet: *Thebis Helicon locus est, Cytheron saltus, amnis Ismenus, fontes Arethusa et Hypodia, Salmace, Dirce; sed ante alios Aganippe et Hippocrene. Quos quoniam litterarum primus repertor, equestri ordinatione deprehendit, dum rimatur quænam insideret loca, incensa est licentia poetarum, ut utrumque pariter disseminaret, et quod aperta foret alitis equi ungula; et quod potus, inspiratione faceret litteraturam.* Qui vero a septentrione, verbo vulgari et consueto Montana nigra dicitur, mons videtur pinguis et uber fontibus et rivis irriguus, in silvis et pascuis multas suis habitatoribus præbens commoditates, ubi et priscis temporibus multa traduntur fuisse virorum religiosorum monasteria; et usque in præsens, Deum timentium loca plura fovet et nutrit venerabilia. Per medium autem hujus vallis, fluvius, de quo supra fecimus mentionem, fluenta deducit usque ad mare. In eum tamen montem qui ab austro est magis vicinus et proclivior, inter montem et fluvium civitas constituta est, ita ut a sublimioribus montis partibus muri sumentes initium, per devexum montis usque ad flumen deducti, maximum infra se spatium, tam de montis declivo latere quam de plano, quod a radice montis usque ad fluvium protenditur, ambientes. Claudantur autem infra muri ambitum, miræ celsitudinis montes duo; in quorum alterius vertice, qui videtur eminentior, situm est præsidium munitissimum et insuperabile; qui duo ab invicem profundissima, sed angusta separantur valle, per quam torrens demissus a montibus, ingreditur, et urbem per mediam defluens, multas civibus præstat commoditates. Sunt præterea in eadem civitate fontes nonnulli, inter quos præcipuus est, qui in porta Orientali est, quæ dicitur Sancti Pauli; sed et fons Daphnidis, ab urbe tribus aut quatuor distans milliaribus, formulis et aquæductu artificialiter immissus, in locis pluribus multo argumento aquas ministrat horis constitutis. Sunt autem tam qui in montibus, quam qui in devexo, quam qui in planicie ex opere solidissimo muri, densi plurimum et proportionabilem habentes altitudinem;

Digitized by Google

turribus frequentibus et ad defensionem aptissimis, æquis spatiis circumsepti. In parte autem occidentali inferius, circa partes civitatis novissimas, ita mœnibus et monti fit vicinus fluvius, ut pons quo transitur, portæ civitatis et muro continuetur. Longitudinem autem civitatis quidam ad duo, quidam vero ad tria reputant milliaria. Distat autem a mari milliaribus decem aut duodecim.

CAPUT XI.

Quis erat dominus in ea, et quomodo audito nostrorum adventu, urbem prius communierant, ex vicinis urbibus; copiis in ea collectis.

Hujus autem tam egregiæ civitatis dominus erat quidam Acxiamus nomine, natione Turcus, qui de familia fuerat magni et potentissimi principis soldani Persarum, de quo superius fecimus mentionem, Belfetoh videlicet, qui universas illas provincias suo violenter subjugaverat imperio; tandem vero subactis populis et nationibus, volens ad propria redire, nepotibus suis ac vernaculis, universas quas sibi vindicaverat, distribuit provincias, ut tantorum beneficiorum memores, perpetuo sibi fidelitatis nexu tenerentur obligati. In qua distributione, Solimanno ejus nepoti, ut prædiximus, Nicea cum adjacentibus provinciis collocata est. Cuidam vero alteri ejus nepoti, Ducac nomine, urbem contulit Damascenam cum urbibus suffragancis et adjacentibus regionibus, quorum utrique Soldanatus et nomen contulit et dignitatem; Solimanno, quia cum Græcis limitans, imperii Constantinopolitani, perpetua, et sine intermissione patiebatur certamina; Ducac vero, cum Ægyptiis, quorum prædicto Soldano suspectum erat incrementum et vires formidabiles, jugem et pene continuum habebat conflictum et guerram pertinacem. Cuidam vero servo ejus, Assungur nomine, qui fuit Sanguini pater et avus Noradini, famosissimam contulit civitatem Alapiam. Huic quoque, de quo sermo, est in præsenti, Acxiano, urbem eadem liberalitate concessit Antiochenam, cum finibus modicis. Nam usque Laodiciam Syriæ, calipha Ægyptius universas possidebat regiones. Hic ergo, audiens quod tantus fidelium principum adveniret exercitus, missis frequentibus nuntiis, et viva voce et epistolarum officio, omnes principes universi sollicitabat Orientis; maxime autem et calipham Baldacensem, et eximium et cæteris omnibus potentiorem soldanum Persarum. Eratque ei satis facile et in expedito persuadere quod postulabat; nam de nostrorum adventu erant multo ante præmoniti, de quorum numerositate et virtute insuperabili Solimannus, qui ipso rerum experimento et fide oculta conspexerat, eos reddiderat fida relatione doctiores. Instat ergo uterque multa precum instantia, et profusis opem postulant lacrymis; hic, ut illatam ulcisci possit injuriam; ille vero, ut patriam ab eorum possit impugnatione tutam reddere, et eorum a se propulsare violentiam. Promittunt igitur illi manus et subsidium pollicentur imploratum; quod postmodum, sicut res ipsa docuit, fideli interpretatione impleverunt. Acxianus tamen interea de nostrorum adventu sollicitus, quanta potest diligentia, ex adjacentibus provinciis et finitimis urbibus vires corrogat et inducit; et obsidionem de die in diem præstolans, victus et alimentorum colligit copias, arma congregat; materiam ad contexendas varii generis machinas, ferrum, chalybem et cætera quæ in hujus modi solent usum præstare necessarium, ardentibus studiis cives hortatur inducere; qui certatim pro statu publico et urbis tutela solliciti, quanta possunt, insistunt diligentia, ut nulla eis desit rerum, quæ civibus obsessis solent ministrare solatium. Circumeuntes itaque regionem, suburbana spoliant; frumentum, vinum, oleum, et cætera vitæ necessaria, greges quoque et armenta inde secum trahentes, urbem necessariis cumulant, contra advenientium importunitatem hostium, multa providentia et labore non parvo, se communientes. Convenerant autem de universis regionibus, quos idem exercitus pertransierat, multi nobiles et magni viri, ante faciem nostrorum fugientes, qui ob loci munimen et robur, quod videbatur insuperabile sine alicujus vocatione, sola spe obtinendæ salutis in eamdem urbem contulerant. Unde ampliato numero, dicebantur in civitate esse tam ex civibus quam ex congregatis auxiliis, equitum sex vel septem millia; peditum autem ad pugnam expeditorum copiæ, quindecim aut viginti millium summam dicebantur excedere.

CAPUT XII.

Deliberatio nostrorum principum, et accessus expeditionum ad urbem.

Videntes ergo nostri civitatem in vicino constitutam, antequam ad civitatem accederent, convenerunt ad invicem, super instanti facto deliberationem habituri. Erant enim de principibus nonnulli qui, propter instantem hiemem, urbis differre obsidionem usque ad veris initium persuadere conabantur, allegantes *quod exercitus per urbes et castella divisus erat, qui non facile ante veris initium posset revocari.* Dicebatur præterea, *quod imperator Constantinopolitanus eis infinitas mitteret copias in subsidium; et quod etiam de partibus transalpinis recens iterum adveniret exercitus: quorum utrumque oportere exspectare, ut multiplicatis viribus, facilius possent obtinere propositum. Interim vero per partes divisum, per loca opulentiora hiemandi gratia dirigendum exercitum, ut vere redeunte, et reparatis viribus, et equis pabulo refocillatis, fortiores iterum ad debita possent opera consurgere.* Aliis vero longe videbatur expedientius, ut *statim et subito urbs obsidione vallaretur, ne datis induciis eam cives communire possent diligentius; et vocati ad eorum subsidium, colligendi majores copias, feriæ haberent ampliores.* In hac igitur tanta deliberatione ea pars obtinuit, quæ operi protinus insistendum, moram esse periculosam, et expeditioni

Digitized by Google

vires non esse ab invicem separandas allegabant. Placuit igitur de communi consilio, ut ad urbem unanimiter accelerent et eam vallarent obsidione: unde factum est ut, solutis castris, urbi appropinquantes, mense Octobri, octava decima die mensis, ante urbem consisterent, castrametati. Et licet nostrorum qui gladium poterant educere, ad trecenta millia diceretur numerus, exceptis mulieribus et parvulis, tamen civitatem non potuerunt undique castris circumpositis vallare; nam exceptis montibus, qui, ut prædiximus, mœnibus eorum claudebantur, circa quos nec attentatum fuit castra locare, civitatis partem, quæ a montis radice usque ad fluvium loco protenditur planiore, non potuit obsidio continuata universam cohibere. In hoc igitur nostrorum adventu et castrorum positione, B licet cum multo strepitu et cornicinum stridore, equorumque hinnitu, et armorum fragore, et confusa vociferatione, quæ usque ad sidera tolli videretur, noster accederet exercitus; tamen tota illa die, et per subsequentes aliquot, tanto silentio conquievit civitas, ut neque ex ea sonus aut strepitus audiretur; et ut merito crederetur defensoribus vacua, quæ tamen multis tam alimentorum, quam optime armatorum copiis militum redundabat.

CAPUT XIII.

Disponuntur principes circa urbem stationibus congruis, et urbem vallant obsidione; cives timore consternantur.

Erant itaque in ea civitatis parte, quæ in plano C sita est, portarum aditus quinque. In plaga enim superiore, quæ ad orientem respicit, erat porta una, quæ hodie dicitur Sancti Pauli; eo quod monasterio ejusdem apostoli, in clivo montis posito, sit subjecta. Secunda vero eidem e regione opposita, tantum ab ea distans, quantum in longum civitas porrigitur universa, porta est occidentalis, quæ hodie S. Georgii dicitur; eo quod ejusdem martyris basilicæ sit vicina. In latere autem septentrionali, tres erant portæ, quæ ad flumen habebant exitum: quarum superior porta Canis dicitur, pontem habens ante se, per quem palus, muris contermina transitur; secunda vero, hodie porta Ducis appellatur, quarum utraque, quasi spatio unius milliarii distat fluvius. Tertia vero porta, Pontis D dicitur, eo quod ibi pons est, quo fluvius transitur; nam inter prædictam Ducis portam, quæ media est, usque ad hanc, quæ est in eo latere novissima, ita muris applicatur fluvius, ut de cætero muris continuus, a civitate non recedat. Hanc igitur, et eam quæ dicitur S. Georgii, quoniam ad utramque illarum, non nisi flumine transmisso, pervenire poterat exercitus, inobsessas dimiserunt, reliquis tribus superioribus obsidione vallatis. Superiorem igitur dominus Boamundus obsedit, cum his qui ab initio ejus castra secuti fuerant: circa eum, a parte inferiore, Robertus comes Normannorum, Flandrensium comes Robertus, Stephanus quoque Blesensium comes, dominus Hugo magnus; hi a castris domini Boamundi, usque ad portam Canis, A castra cum suis Normannis, Francis et Britannis continuaverant sua. Circa portam vero eamdem dominus Raimundus comes Tolosanus et episcopus Podiensis, cum aliis nobilibus, qui eorum castra secuti fuerant, cumque omni Guasconum, Provincialium et Burgundionum infinita multitudine, castra locaverant, usque ad sequentem portam omne spatium occupantes. Circa vero eamdem portam, dux Godefridus cum fratre suo Eustachio et Balduino Hemacorum, Rainardo Tullensium, Conone de Monteacuto, comitibus præclaris et illustribus viris, et aliis nobilibus qui ab initio ejus castra secuti fuerant, Lotharingis, Frisonibus, Suevis, Saxonibus, Franconibus et Bavaris, castra locavit sua, reliquas partes, pene usque ad portam pontis occupans: inter civitatem, et ei jam cohærentem fluvium, et reliquorum castra principum, quasi in triangulo constitutus. Erant autem in prædicta regione pomeria, quæ nostri succidentes universa, claustra sibi, et equis eorum inde contexebant repagula. Admirabantur itaque qui de turribus et muris per cancellos castra contemplabantur cives, armorum fulgorem, operum diligentem instantiam, hospitandi modum, castrorum positionem et suspectam tam viribus quam numero multitudinem; dumque præsentia cum præteritis comparant tempora, præsentem molestiam cum tranquillo qui præcesserat rerum statu conferentes, uxoribus et liberis, paternis quoque laribus, et quod præcipuum est mortalibus, libertati timentes, felices eos reputant, quos tantis mors amica subtraxerat periculis; quibusque dederat obitus, ne tot involverentur calamitatibus. Suspensi igitur de die in diem suorum cladem et urbis exspectabant impugnationem; quasi certum habentes, quod absque ruina civitatis et libertatis ejus naufragio, tanta obsidio solvi non posset, quæ ad id totis viribus anhelabat.

CAPUT XIV.

Nostri super flumen pontem erigunt ligneum, ut liberius pabulatum exeant. In castra comitis Tolosani a civibus fiunt eruptiones repentinæ.

Igitur qui in castris erant, ut equis pabulum, sibique necessariam procurarent alimoniam, trans fluvium de necessitate egredi consueverant, et procedere longius aliquantulum. Cumque sæpe ac sæpius illuc properantes cum omni incolumitate reverterentur indemnes; civibus adhuc infra urbem se cohibentibus, nec præsumentibus adhuc exterius evagari; pro consuetudine sibi fecerant, fluvium sæpius in die transire: idque cum multa fiebat difficultate; nam invadabilis erat fluvius, et natando transire oportebat. Quod compertum habentes qui in civitate erant, plerumque palam, sed clam frequentius, per pontem flumine transmisso, nostris incaute discurrentibus, et gratia quærendi necessaria, dispersis ab invicem, cædem inferebant et vulnera: ea maxime freti fiducia, quod non poterant

Digitized by Google

facilem habere ad castra reditum, fluvio impedimentum ministrante. Eodemque pacto et qui in castris erant, quamvis suos coram se male tractari cernerent, non facile poterant optatum suis præbere subsidium: unde visum est principibus omnino esse expediens, ut pontem ibi ex quacunque erigerent materia, per quem facilius hostium insidiis possent occurrere; et suos recipere compendiosius, ad castra redire cupientes; utque non deesset etiam peditibus eorum, ad suas necessitates evocatis, maximeque usque ad mare volentibus descendere, via compendiosior, et sine difficultate. Inventis igitur aliquot navibus, tam in flumine quam in lacu superiori, eisque ad invicem competenti nexu colligatis; superpositis etiam trabibus, et lignea ad id conveniente materia, vimineis desuper contexuerunt cratibus, ita ut pluribus una fronte transire volentibus, solidam in se præberet habilitatem. Unde ex eo facto majorem populus consecutus est commoditatem. Distabat autem pons iste ligneus, a ponte lapideo qui urbi erat contiguus quasi unius spatium milliarii; eratque positus juxta domini ducis castra, e regione contra portam quæ eidem duci erat ad custodiam deputata; quæ etiam usque hodie ab eo cui commissa fuerat, porta Ducis appellatur, ita ut ejus castra intra prædictam portam et pontem de novo constitutum, essent sine intervallo media. Nec solum per pontem superius dictum et portam ei cohærentem nostris procurabant pericula; verum et per superiorem, quæ ab illa erat tertia, quæ porta Canis etiam hodie dicitur, multa nostris occurrebant discrimina. Erat enim, ut prædiximus, pons ibi lapideus super paludem quamdam urbi contermi-nam, quæ tum ex ejus fontis, qui est in orientali porta Sancti Pauli; tum ex aliorum derivatione jugi et rivulorum continuo processu conficitur. Per hunc igitur pontem in castra domini comitis Tolosani, cui ad custodiam porta illa casu contigerat, nocturnæ fiebant eruptiones; et per diem etiam, repentini nonnunquam assultus. Aperta enim porta, subita sagittarum immittebant grandinem; et pluribus ex ejus comitatu sauciis vel interemptis, in eo spem habentes, quod nonnisi per pontem eos insectari poterant, facto impetu et cæde perpetrata, illico per pontem ad portam redeuntes, infra urbem se recipiebant indemnes, unde fiebat ut prædictus comes et episcopus Podiensis, et alii nobiles, qui in parte illa castra locaverant, majorem equorum jacturam, et plura multo amplius in equis et mulis paterentur dispendia, quam aliorum principum legiones.

CAPUT XV.

Comes contra eos varia percurrit argumenta; tandem porta, objectis molibus, obturatur.

Comes igitur et reverendus episcopus, tanta suorum non ferentes æquanimiter dispendia, convocantes suos, præcipiunt ut, malleis et instrumentis repertis ferreis, omnes unánimiter ad prædicti pontis dissolutionem se præpararent: factumque est ita ut, die quadam, loricati, cassidibus tecti et clypeis, ad pontem convenientes, prædictum cum multa instantia pontem dissolvere conarentur; sed, resistente plurimum operis soliditate omni ferro duriore, et civibus sagittarum immissione et contorsione lapidum, eorum laborem impedientibus, videntes quod non proficerent, ab incepto destiterunt. Mutato igitur consilio, machinam decernunt e regione contra pontem erigendam, de qua per introductorum sollicitudinem et instantiam armatorum, civium irruptiones cohiberentur. Comportata igitur competente et pro votis materia, et artificibus convocatis, subito et infra paucos dies suis absoluta partibus et diligentius completa, cum multo labore et eam trahentium periculo, ante pontem in modum excelsæ turris erecta est, et domino comiti ad custodiam deputata. Cives autem videntes machinam muro proximam, illuc sub omni celeritate contendunt; et directis ad machinam jaculatoriis iterum tormentis, crebra molarium contorsione eam debilitare festinant. Ipsi quoque in turribus et muro constituti, sagittis et omni jaculorum genere his qui in machina erant et circa eam instantes animosius, eos a ponte arcere satagebant. Dumque qui supra murum erant, ex omni latere instarent et jacularentur frequentius, ita ut præ sagittarum immissione et jaculorum frequentia nostros a se aliquantulum propulissent, alii, aperta porta, cum multo exeuntes impetu, pontem violenter occupant; et rem gladiis cominus peragentes, ad machinam accedunt, et exclusis inde qui ad ejus erant deputati custodiam, machinam succendunt, et subito redigunt in favillam. Videntes autem nostri principes quod neque sic contra eas, quæ per eam portam inferebantur, molestias plene proficerent, sequenti die tres jaculatorias erigunt machinas, ut saltem eorum jactu continuo et saxorum contorsione muros et portam debilitare, et civibus per eam exitum possent impedire. Fiebat itaque ut quandiu se in jaculando continuarent machinæ, nemo per eam portam auderet egredi; remittentibus vero illis operam, iterum cives ad solitas recurrebant irruptiones, castri vicinis multas inferentes molestias. Videntes igitur nostri quod neque sic proficerent, de quorumdam consilio, rupes ingentis magnitudinis, quæ vix centum devolvi possent manibus, et robora prægrandia, in virtute loricatorum mille, protegente eos universo exercitu, ultra pontem deferentes, portæ objiciunt, tantam ex eis præstruentes congeriem, ut porta de cætero civibus inutiliter aperiretur, molarium aggere conatus eorum præpediente. Sicque factum est ut tali argumento per eamdem portam civium frangeretur impetus, et eruptiones quiescerent repentinæ.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Nostris pabulatum egressis, hostes occurrerunt; fit conflictus acerrimus : multi ex utroque exercitu cadunt, tum confossi armis, tum submersi flumine.

Factum est autem die quadam quod de nostro exercitu viri, tam ex equitibus quam ex peditibus, numero trecenti, nostrum pontem pabulandi gratia transeuntes, cœperunt per regionem, more suo, ut sibi quærerent necessaria, dispergi. Morem autem fecerat, et pro consuetudine induxerat, tum necessitas importuna, tum id etiam quod frequentius ab illis partibus, licet secum plura comportarent necessaria, redierant indemnes : unde sibi quamdam incautam nimis pollicebantur securitatem, abitrantes quod se perpetuo in hujusmodi continuarent successus, nec se, sicut in bellicis solet fieri negotiis, casus sinister interponeret. Quos ex urbe contuentes, egressi in majore multitudine cives, per pontem transeuntes lapideum, ad eos quos incautius deambulantes viderant, sub omni celeritate contendunt : in quos irruentes subito, pluribus ex eis interfectis, reliquos in fugam vertunt. Qui, dum ad pontem navium tanquam in castra se collaturi properarent, primis pontem occupantibus, plures ex eis vado transire cupientes, mortem invenerunt in undis, in quibus arbitrabantur reperire salutem. Alii quoque nihilominus de ponte, licet inviti, turbis comprimentibus ferebantur in alveum præcipites; quos ex parte plurima aquarum opprimebat violentia, et involutos pariter trahebat in profundum, absorbens avide, quod postmodum reddere denegabat. Quod postquam nostris innotuit, concurrentes ad arma loricatorum aliquot millia, flumine transmisso, hostes a nostrorum redeuntes cæde, et de spoliis exsultantes habent obviam : quos usque ad pontem civitatis, gravissimam in eis stragem operantes, multa prosecuti sunt instantia. At vero cives videntes suorum stragem et vulnera, et deficientibus compatientes, reserata porta in gravi multitudine et audacia solito ampliore, pontem transeunt lapideum; et, ut suis necessarium procurarent auxilium, in nostros irruentes animosius, primum valide resistentes, demum vi oppressos multitudinis, in fugam vertunt, et usque ad pontem contextum navibus persequi non desistunt : in quo facto plurimi, ex nostris peditibus gladio cecideruntur, pluribus etiam submersis in flumine. De equitibus vero, dum super pontem arctius se comprimunt, hostes fugiendo insectantes, de ponte in fluvium dati præcipites, cum equis, loricis, galeis et clypeis postmodum comparere desierunt, fluentorum voragine præfocati. Sic ergo noster exercitus non leviorem quam qui in urbe erant, patiebatur obsidionem : nam cohibentibus eos tam civibus, quos latere non poterat nostrorum exitus, quam hostibus exteris, qui in silvis et montibus delitescebant, nostris insidias prætendentes, et de nostris triumphantes sæpius, non erant ausi extra castra procedere, aut victus quæritandi gratia longius evagari; nec in ipsis etiam castris tuta satis erat mora, timentibus universis, ne hostium ingens, quæ ex locis plurimis congregari dicebatur, super eos repente irrueret multitudo; ita ut prudenti viro merito posset venire in ambiguum, utris magis timendum esset, quorumve melior esset conditio, an obsidentium, an eorum qui obsidionem pati videbantur.

CAPUT XVII.

Consumptis necessariis, cœpit fames invalescere, populus inopia laborare, pluviarum intemperie putrefieri tentoria, exercitus deperire.

Referre casus singulos, qui in tanta obsidione et tanto continuo tempore per loca varia diebus pene singulis accidebant, longum esset enumerare, et historiæ compendio, quod studiose quærimus, valde contrarium : unde, omissis specialibus, generalia prosequamur. Inter hos igitur assidui Martis eventus varios, cum jam quasi in mensem tertium protracta esset obsidio, cœpit in castris victus deficere, et præ alimentorum inopia exercitus laborare. Cum enim ab initio maximam rerum necessariarum habuissent opulentiam, et equis eorum non deessent pabula, more imprudentium arbitrati sunt, quod se in eodem statu deberent continuare tempora, nihil sibi facientes reliquum; sed concessa abutentes ubertate, infra paucos dies quæ ad multos sufficere poterant, si congruo dispensarentur moderamine, profligabant victualia. Non erat in castris modus, nec *prudentibus amica parcimonia;* sed ubique luxus, ubique superfluitas : nec solum in his quæ ad hominum pertinebant alimoniam, verum et in cibis jumentorum, et in equorum pabulis, omnis omnino modus defecerat : unde factum est ut exercitus ad tantam redigeretur inopiam quod, fame invalescente, pene populus deperiret universus. Colligebantur ergo ad invicem, præbitis inter se juramentis quod æquis portionibus et bona fide, cuncta quæ lucro cederent, dividerentur : trecentorum aut quadringentorum simul egrediebantur agmina, universam perlustrantia regionem, ut sibi victum quacunque ratione procurarent. Hi tale propositum habentes, in principio, antequam cives ad eos egredi et insidias moliri consuevissent, dumque suburbana longe lateque gregibus et armentis, frumento, vino, et aliis redundarent alimentis, cum multa præda, et uberibus spoliis, et victu plurimo revertebantur unde prædicta in castris fuerat opulentia. At nunc exhaustis locis conterminis, et Turcis, qui prius timore contabuerant, resumptis viribus, et animositate recepta, sua loca defendentibus, aut vacui penitus revertebantur; aut, quod sæpius contingebat, interemptis omnibus, non supererat, qui vel de eorum interitu castra certificaret. Invalescebat igitur per singulos dies fames et inedia; ita ut vix pro duobus solidis, qui uni personæ semel in die sumpto cibo, sufficeret, panis inveniretur. Bos vel juvenca, quæ ab initio quinque dabatur solidis, duabus marcis vendebatur; agnus vel hædulus, qui pro tribus aut quatuor de-

Digitized by Google

nariis dari consueverat, quinque aut sex solidis vix repertus vendebatur. Equo autem pro cibo necessario per noctem octo vix poterant solidi sufficere: unde factum erat ut qui advenientes equorum secum deduxerant plus quam septuaginta millia, vix in castris haberent duo millia, cæteris fame et algore consumptis: quique superesse videbantur, inedia tabescentes quotidie, et frigoris attenuati violentia, paulatim deficiebant. Computruerant præterea castrorum papiliones et tentoria, ita ut multi quibus adhuc victus supererat, consumpti frigoris inclementia, vitam exspirare cogerentur. Tanta enim erat aquarum inundantia, et pluviarum intemperies, ut et victus et vestes computrescerent, et non esset locus ubi aut capita, aut necessariam possent in sicco locare supellectilem. Tanta igitur lues legiones in castris oppresserat, ut jam locus deesset sepulturæ, jam funeribus exsequiarum negarentur officia. Si qui autem adhuc vigoris aliquid in se videbantur habere, ne ipsi quoque pari consumerentur periculo, aut in fines Edessanos ad dominum Balduinum, aut in Ciliciam ad eos qui urbibus ibi præerant, aut ad alia loca quælibet, quæ in nostrorum jam devenerant potestatem, occulte se conferebant. Sic ergo his abeuntibus, aliis vero languore et fame consumptis, aliis etiam peremptis gladio, adeo comminutus erat exercitus, ut vix ejus dimidium videretur superesse.

CAPUT XVIII.

Boamundus et Flandrensis; cum ingenti militia pabulatum exeunt. Cives interim in castra clam irruunt, nostris damnum et injuriam irrogantes.

Videntes igitur Deo devoti principes afflictionem populi et molestias quibus incessanter premebantur, compassione liquefientes et pereuntis exercitus dolore tabidi, convenerunt ad invicem, sicut et frequenter facere consueverant, deliberationem habituri, quomodo et quale tantis malis possent adhibere remedium. Tandemque post multas diversi generis opiniones, visum est expedientius, ut quidam de magnatibus, assumpta secum exercitus parte, hostium terras ingrederentur, ut inde sibi prædam et victui deferrent necessaria; alii vero medio tempore in castris residentes, cum omni sollicitudine exercitum tuerentur. Factumque est ita ut domino Boamundo, et comiti Flandrensi id muneris injungeretur, domino comite Tolosano et episcopo Podiense ad custodiam castrorum derelictis. Comes enim Normannorum aberat, et dux Lotharingiæ dominus Godefridus lecto decubans, gravi molestabatur ægritudine. Assumptis ergo tum ex equitibus, tum de numero peditum convenientibus copiis, et quales fatigatus exercitus poterat ministrare, in terras hostium profectus est. Audientes ergo cives quod Boamundus et Flandrensis comes abierant, comes Normannorum aberat, dux vero infirmabatur, occasionem sumentes ex tempore et ex utroque solito majorem audaciam, proponunt de communi consilio in nostrorum castra irruere, et oportunitatem non negligere quam principum absentia videbatur ministrare. Convocata igitur ex universa civitate omnimoda multitudine, ad portam Pontis conveniunt; et reserato aditu, quidam per pontem, quidam per vadum quod erat inferius, certatim transeuntes in castra moliebantur irruere. Comes autem cum quadam equitatus manu illis occurrens, duobus ex eis interemptis, reliquos infra urbem se recipere compulit. Acciderat autem in eo conflictu quod nostri equites equum quemdam vacuum, cujus dominum ad terram dejecerant, persequerentur ut eum caperent. Quod videns populus infelix et indiscretus, arbitrati quod nostri equites timoris causa fugerent, in fugam quoque se dederunt, et præ timore se coangustantes ad invicem, ipsi sibi mortis causam ministrabant. Videntes igitur cives quod nostri fugerent, nemine persequente, rursus per pontem egressi, fugientibus instant quominus, a ponte lapideo usque ad navalem pontem nostros insectantes, cædem in eis plurimam operati sunt: nostris enim se ad invicem comprimentibus, et præpedientibus iter, partim gladio, partim flumine de equitibus quindecim, de numero peditum viginti consumpti sunt. Quo successu hostes plurimum erecti, in urbem cum gloria se receperunt.

CAPUT XIX.

Qui pabulatum exierant, inventis hostibus et derelictis, cum præda redeunt et spoliis uberibus.

At vero prædicti principes, dominus Boamundus et Flandrensium comes, qui de communi consilio pabulatum exierant, ut castrorum, victu lato, relevarent inopiam, cum suis cohortibus hostium regionem ingressi, hunc nostrorum casum quocunque modo, factis felicioribus recompensaverunt: nam, expugnata hostium villa quadam bonis omnibus referta, Boamundus ad partes varias exploratores direxerat, ut de statu regionis eum redeuntes instruerent, et prædam, si possent, congregarent ampliorem. Factum est autem ut quidam ex eis revertentes, Turcorum multitudinem in proximo constitutam renuntiarent, contra quam dominum Flandrensem cum honesto dirigens comitatu, ipse cum majoribus copiis subsequebatur, quasi opem, si deficeret, collaturus. Ille vero, sicut vir strenuus erat et magnificus, in hostes animosius irruens, non prius ad Boamundum rediit quam cæteris in fugam versis, centum ex eis gladio peremit. Dumque victor ad majores reverteretur copias, ecce exploratores alii, multo fortiores ex alio latere nuntiant acies advenire: contra quas multiplicatis viribus, et adaucto comitatu, eumdem Flandrensem dirigit; ipse vero cum reliqua parte copiarum pone subsequebatur in subsidium cum opus foret, descensurus. Factum est itaque prævia Domini misericordia, ut hostibus in locis quibusdam angustioribus deprehensis, cum videret quod neque sagittis, neque arcu, sed gladiis quominus res cum eis ageretur, pugnæ hujusmodi usum non habentes familiarem,

Digitized by Google

in fugam versi sunt : quos quasi per duo milliaria insectantes, stragem plurimam in eis exercuerunt. Unde cum tropæo redeuntes, cum equis et mulis et uberibus spoliis, et præda multimoda, quam de universa contraxerant regione, in castra sani et incolumes se contulerunt. Lætatus est exercitus de fratrum successu, et cœpit a laboribus suis aliquantulum respirare ; quoniam tamen præda pauca fuerat, et quæ tantæ multitudini vix ad paucos dies polerat sufficere, non multum relevata est exercitus inopia.

CAPUT XX.

Sueno Danorum regis filius exercitum subsequens, cum suis copiis juxta urbem Finiminis a Turcis interficitur.

Interea de partibus Romaniæ rumor quidam mœrore plenus et anxietate, universorum corda perculerat, et præsentibus miseriis adjecerat cumulum tristiorem. Dicebatur enim, et vere sic erat, quod quidam homo nobilis et potens, Danorum regis filius, Sueno nomine, vir genere, moribus et forma conspicuus et illustris, ejusdem peregrinationis accensus desiderio, mille quingentos optime armatos ejusdem nationis juvenes secum trahens, in subsidium nostris, et ad præsentem properabat obsidionem. Hic de regno patris tardior egressus, plurimum acceleraverat, ut se præcedentibus cum omni suo comitatu adjungeret legionibus; sed causis præpeditus familiaribus, non potuit assequi quod optaverat. Seorsum igitur trahens agmina, solus absque alicujus aliorum cohorte principum, iter arripuerat, et viam aliorum secutus, pervenerat Constantinopolim, ubi ab imperatore satis honeste tractatus fuerat; et cum incolumitate Nicæam perveniens, in partes Romaniæ ad exercitum properans, cum omni suo comitatu descenderat. Dumque inter urbes Finiminis et Termam castrametatus esset, et minus provide se haberet aliquantulum, irruentibus super eum clam et de nocte Turcorum ingentibus copiis, in ipsis castris gladio perempti sunt; tamen advenientium strepitu præcognito, sed nimis e vicino ad arma convolant; ubi antequam plenius instructi hostes possent excipere, ab improvisa oppressi multitudine, pene omnes ceciderunt; sed tamen diu et viriliter resistentes, ne gratis animas viderentur impendisse, cruentam post se hostibus reliquerunt victoriam.

CAPUT XXI.

Tatinus vir subdolus, tanquam vitualium commercia missurus, et imperatorem rogaturus ut subveniat, ab exercitu discedit non rediturus.

Tatinus etiam, de quo et supra fecimus mentionem, imperatoris apocrisiarius, qui quasi pro duce itineris ab eodem imperatore nostrorum exercitui fuerat adjunctus, et usque in præsentem diem nostras secutus fuerat legiones, videns molestias quibus premebatur exercitus, timensque, sicuti et timidus erat, ne principes possent in proposito perseverare, et populus una die sub hostium gladiis contereretur universus, ad conventum accedens principum, persuadere cœpit cum multa instantia, *ut soluta obsidione ad urbes et finitima præsidia, universus se transferret exercitus, ubi et vitæ necessaria possent abundantius reperire, et Antiochenis frequentes inferre molestias, quousque domini imperatoris exercitus, quem ex diversis nationibus, ad infinita contraxerat millia, ut eis subsidium ministraret, circa veris adveniret initium.* Adjiciebat etiam quod, *quia laboribus eorum ab initio communicare decreverat, et tam prosperitatis quam adversorum se optabat habere consortium, majorem se ob communem gratiam et publicam utilitatem velle laborem assumere; videlicet ut ad imperatorem directo festinet itinere, exercitum maturare compellat, et de universis citra urbem finibus, victui necessaria faciat comportari.* Cujus mentem, licet nostri principes extunc et ab initio subdolam cognovissent et fallacem, tamen illius verbo, nemo se obvium dedit, nec fuit quisquam qui ejus se moliminibus opponeret. Tunc, ut quocunque colore fraudem suam palliaret et commentum, tentoria reliquit, et ex plurima parte familiam; aut eorum negligens salutem, aut in occulto significans, ut ad locum destinatum die statuta eum sequerentur. Abiit ergo, quasi in proximo rediturus : qui postea non comparuit vir infidelis et nequam, morti perpetuæ tradendus. Reliquit ergo post se perniciosum exemplum : nam ab ea die, quicunque a castris clam se potuerunt subducere, fugam occultam inierunt, juramentorum immemores, et publicæ professionis, quam ab initio votis conceperant ardentibus. Fames tamen interim invalescebat, nec poterant principes huic tanto malo præsens aliquod remedium adhibere. Nam licet bini et bini de electis principibus, cum ingentibus alternatim copiis, hostium regiones sæpe ingrederentur, et sæpius victoresque redirent ad propria ; tamen nec prædas, nec victui secum deferebant necessaria. Hostes nimirum comperta exercitus eorum qui deprædandi gratia exire consueverant fama, greges et armenta, et si qua alia in peculiis habebant animalia, ad montes impervios et loca transferebant penitiora, ubi nec nostris pateret accessus, et pervenientibus etiam non esset facile prædas abducere.

CAPUT XXII.

Fame invalescente, et lue pestifera populum occupante, triduanum ab episcopis indicitur jejunium. Dux Godefridus plenam recipit sanitatem, et exercitus de ejus salute consolationem.

Per idem tempus, cum circa exercitum de die in diem fames, et ex fame lues, et alia increbrescerent pericula, videntes seniores populi, et qui sensus habebant magis exercitatos, peccata hominum id exigere, et Dominum ad iracundiam provocatum, merito hæc flagella populo duræ cervicis infligere; convenientes ad invicem, et Domini timorem habentes præ oculis, anxie deliberare cœperunt quomodo commissa celeri pœnitudine diluentes, et pro culpis

Digitized by Google

præteritis condigne satisfacientes, et similia inposterum præcaventes, indignationem Domini sibi possent reddere placabilem. Factum est igitur de mandato et auctoritate domini Podiensis episcopi, qui legatione sedis apostolicæ fungebatur, et aliorum Deo amabilium pontificum, consentientibus et idipsum fieri summopere postulantibus principibus laicis et universo exercitu : indictum est triduanum jejunium, ut afflictis corporibus, animæ ad orationem possent consurgere fortiores. Quo cum omni devotione expleto, decernunt pariter, fatuas ac leves mulierculas ab exercitu sequestrare, adulteria et omne fornicationis genus sub pœna mortis inhibentes, comessationes et ebrietates, et periculosum alearum ludum, incauta juramenta, in pondere et mensura fraudem, et omnem circumventionem, furtum et rapinam interdicentes. Quibus decretis, et universorum corroboratis conniventia, judices etiam super horum omnium cognitione certos constituunt, quibus et cognoscendi et animadversionis plenam conferunt auctoritatem. Inventi sunt tamen postea quidam harum sanctionum violatores, quibus per prædictos judices, accusatis et convictis solemniter, juxta legum severitatem pœna pro modo culpæ inflicta, alios a similibus deterrueruut commissis. Factumque est per Domini superabundantem gratiam, ut, populo ad frugem melioris vitæ revocato, ex parte quiesceret ira Domini sævior. Statim enim dominus Godefridus, qui totius exercitus quasi singularis erat columna, de valida ægritudine, qua diu molestatus fuerat, occasione vulneris quod ei apud Antiochiam Pisidiæ ursus intulerat, plene cœpit convalescere : unde totus exercitus plurimam suæ afflictionis recepit consolationem.

CAPUT XXIII.

Exploratorum qui missi erant ab hostibus importunitas, per quoddam domini Boamundi factum memoriale compescitur.

Rumor interea, et fama celebris jam universum repleverat Orientem, sed nec etiam austri regna et exteras nationes intactas reliquerat, tantas Christianorum advenisse copias, et urbem in manu valida obsedisse Antiochenam. Unde regum quisque pro suo statu sollicitus, exploratores ad nostrum dirigebant exercitum, ut per eos de moribus et virtute et proposito tantæ multitudinis redderentur prudentiores : eratque tanta in castris eorum copia, ut pene singulis diebus, aliis abeuntibus, his qui eos miserant, statum exercitus nuntiaturi, recentes eisdem conditionibus advenirent. Nec erat difficile hujusmodi hominibus inter nostros latere, cum linguarum habentes commercium, alii Græcos, alii Surianos, alii Armenios se esse confingerent, et verborum idiomate, et moribus, et habitu talium personas exprimerent. Super eo quoque, ut reipublicæ consuleretur, convenientes ad invicem, deliberare cœperunt principes quid fieri oporteret. Videntesque quod hujusmodi exploratores non facile erat a castris expellere, quoniam a prædictis nationibus, lingua, moribus et habitu penitus erant indifferentes. Interim donec plenius deliberetur, quid contra illos statuendum sit, optimum judicant consilia sua communicare paucioribus, ne per plures diffusa usque etiam ad illos pervenirent, qui in læsionem Christianæ plebis, ea essent hostibus propalaturi. Cumque nihil aliud contra talium improbitatem excogitare possent amplius, dominus Boamundus, sicuti perspicacis erat ingenii, et mentis acumine pollebat, fertur dixisse principibus : *Fratres et domini, omnem istam sollicitudinem projicite super nos. Nam nos, auctore Domino, conveniens huic morbo inveniemus remedium.* Sic itaque soluto principum consistorio, quisque ad castra sua reversus est. Boamundus vero promissi memor, circa primum noctis crepusculum, cum alii per castra pro cœnæ apparatu more solito essent solliciti, educi præcipit Turcos aliquot, quos habebat in vinculis, et tradens eos carnificibus, jugulari mandat; et igne copioso supposito, quasi ad opus cœnæ, diligenter assari præcipit, et studiosius præparari, præcipiens suis, quod si ab aliquibus interrogati essent, quidnam sibi talis cœna vellet? responderent : *Quod inter principes convenerat, ut quotquot deinceps de hostibus, aut eorum exploratoribus caperentur, omnes prandiis et principum et populi ex seipsis escas, via simili cogerentur persolvere.* Audientes igitur, qui in expeditione erant, quod talia in castris domini Boamundi tractarentur, facti admirantes novitatem illuc concurrunt universi. Quo facto, qui in exercitu erant exploratores deterriti, totum esse serium et sine simulatione, quod decretum dicebatur, arbitrantes, ex eo quod acciderat evidens trahebant argumentum : timentesque ne simile quid eis contingeret, a castris egressi, redibant ad propria, his qui eos miserant dicentes : *Quoniam populus hic, quarumlibet nationum, sed et ferarum exsuperat sævitiam : cui non sufficiat urbes, castella, et omnimodam hostium diripere substantiam; et eos vinculis mancipare, aut more hostium torquere inclementius, aut saltem occidere, nisi etiam et de carnibus eorum ventrem suum impleant, et adipe saginentur inimicorum.* Exiit ergo sermo iste ad partes Orientis remotissimas; et non solum finitimas, verum longe positas exterruit nationes. Civitas quoque tota contremuit, verbi novitate et acerbitate facti conterrita. Sicque factum est per studium et operam domini Boamundi, ut hæc exploratorum pestis ex parte quiesceret, minusque nostra hostibus divulgarentur consilia.

CAPUT XXIV.

Ægyptius calipha nuntios dirigit ad principes, fœdus postulans, et eorum gratiam sibi conciliare quærens.

Porro Ægyptius calypha, inter cæteros infidelium principes, divitiis et militia potentissimus, nuntios suos ad nostros direxerat principes, cujus legationis causa hæc erat. A multis retro temporibus vetus odium et graves inimicitiæ inter Orien-

Digitized by Google

tales et Ægyptios ex dissimilitudine superstitionis eorum, et contrariis dogmatibus ortæ fuerant, et usque in præsens, tractu continuo, inexorabiliter deductæ ita ut prædicta regna mutuis congressionibus plerumque collisa, fines suos contra se porrigere, et terminos alternatim protelare certatim contenderent, sicut in primo hujus operis libro dictum est diligentius. Factis vero nunc his, nunc illis, pro temporum differentia et sucessuum varietate superioribus, regna quoque suscipiebant incrementa, ita ut quidquid uni accideret, toti alterum decessisse videretur. Possidebat autem per idem tempus princeps Ægyptius, a finibus Ægypti usque Laodiciam Syriæ universas itinere dierum triginta regiones. Persarum vero soldanus, Antiochiam, regni Ægyptiorum finibus conterminam, modico ante nostrorum adventum sibi vindicaverat tempore; et universas usque ad Hellespontum, ut prædiximus, occupaverat regiones. Suspectum igitur habens Ægyptius Persarum vel Turcorum incrementum, super eo plurimum congratulabatur, quod amissa Nicæa, Solimannus cum suis male tractatus diceretur, et quod circa Antiochiam nostri locassent obsidionem; Turcorum damnum sibi pro lucro reputans; et eorum molestias, pro summa sibi et suis tranquillitate. Timens ergo ne nostri ab incepto deficerent et laboris superati diuturnitate fatigarentur, nuntios dirigit familiares, assumptos ex domesticis, qui nostros principes ad continuandam obsidionem sollicitent; et ejus opem et auxilium promittentes, principum sibi corda concilient et gratiam, fœderent cum eis pacta et amicitiam. Qui mandatum domini fideliter exsequentes, navigio vecti, in nostrorum castra pervenerunt, pro his omnibus quæ injuncta fuerant, valde solliciti. Hi, licet a nostris principibus satis hospitaliter et honeste suscepti fuissent et ad eorum colloquium, ut injuncta nuntiarent, frequenter admissi; nostrorum tamen tolerantiam, vires et armorum genus admirantes, et laboris patientiam, suspectas habebant tantæ multitudinis copias, quod futurum erat, animo præsagientes; nam quod ille fraudulenter in aliorum supplantationem tractabat, id in se postmodum coactus est experiri. Nam Antiochena urbe devicta et Christianæ restituta fidei et pristinæ libertati, quidquid ab eadem civitate, usque ad rivum Ægypti, qui Gazæ conterminus est, itinere dierum quindecim, fidelis hodie detinet populus, totum ab ejus violenta dominatione per omnipotentis Dei gratiam, ab eo sibi potenter vindicavit.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

Cives Antiocheni a finitimis subsidia vocant et obtinent : eorum auxilia circa castrum Harenc tentoria locant.

Interea cives Antiocheni, simul et eorum dominus, pro statu suo valde solliciti, videntes nostrorum longanimitatem et in laboribus perseverantiam, quodque nec fame nec frigoris inclementia ab incepto poterant revocari; sed inter tot molestias propositum continuare satagebant, missis epistolis et crebris legationibus, principes finitimos in sui subsidium evocare contendunt, orantes et persuadere nitentes attentius, quatenus fratrum compassione moti, eis opem maturare non differant. Modum etiam, quo sibi subveniri possit commodius, insinuant talem; ut ad urbem accedentes, occulte in insidiis lateant, exspectantes ut cives more solito cum hostibus, secus pontem congrediantur, et circa eos detineantur occupati; dumque circa id tam interiores quam exteriores plurimum fuerint negotiosi, tunc irruant subito et incautos opprimant; futurumque esse, ut et ante et retro eis occurrentibus, nec uni ex eis liceat mortem evadere. Factum est igitur per eorum jugem instantiam, quod ab Halapia, Cæsarea, Hama, Emissa, Hierapoli, et aliis conterminis civitatibus ad ingentem numerum congregata militia, clam et sine tumultu, sicut in mandatis acceperant, accedentes, circa castrum cui nomen Harenc, quod ab Antiochia vix quatuordecim distat milliaribus, castra taciti locaverant : propositum habentes, sicut ab Antiochenis formam receperant, nostris circa urbis assultum occupatis, ex improviso irruere. Verum fidelibus locorum incolis, qui nostris multo usui sæpius fuisse noscuntur, statum eorum et adventum significantibus, principes præmoniti conveniunt ad invicem, super eo negotio deliberaturi. Placuit itaque demum, ut omnes quotquot in exercitu erant equites, equos quibus uti possent habentes, circa primum noctis crepusculum armis instructi, clam et sine tumultu vexilla suorum sequentes principum, in silentio castris egrediantur; pedites autem in castris remaneant, pro tuitione castrorum solliciti, quousque majores proficiscentes, auctore Domino revertantur.

CAPUT II.

Nostri principes, peditibus ad castrorum tuitionem relictis, cum equestri manu hostibus præcedunt obviam, victores in castra redeuntes.

Sub primo igitur noctis crepusculo, sicuti condictum fuerat, a castris egressi per pontem navium, vix septingentos secum eduxerunt equites, ad eum proficiscentes locum, qui medius inter lacum, de de quo superius fecimus mentionem, dum de urbis situ loqueremur, et Orontem fluvium, qui a se quasi unius milliarii distant spatio : ibi ea nocte quieve-

Digitized by Google

runt. Hostes vero nihilominus eadem nocte, eumdem fluvium per pontem superiorem transierant, de nostrorum adventu ignari penitus. Mane autem facto, ubi lux prima terris se intulit, nostri cum omni celeritate arma corripientes, in sex acies suum ordinant exercitum, certis ducibus præsignatis. Turci vero, jam in vicino constituti, habentes compertum per exploratores, quod nostri eis occurrebant, ipsi etiam de suis copiis duas acies præmiserant, reliquarum copiarum majore turba subsequente. Factum est autem divinitus, ut nostri, qui vix erant, ut prædiximus, septingenti, per turmas, juxta rei militaris disciplinam dispositi, quasi suscepto de supernis incremento, infinita millia viderentur. Procedentibus itaque paulatim contra se legionibus, cœperunt eorum primæ acies in nostros cum impetu irruere maximo; et immissa sagittarum grandine, ad suos habere recursum. Nostri autem eorum neglecto impetu, sed quominus accedentes, vibratis solito vigore lanceis et gladiis incumbentes, eos in unam compellunt turbam solidari; comprimentibus autem eos locorum angustiis, hinc lacu, inde fluvio evagandi licentiam inhibente; videntes quod ad consuetas discurrendi artes et sagittandi habilitatem recurrere non daretur, nostrorum non valentes sustinere instantiam, et se præ timore gladiorum comprimentes, in sola fuga spem salutis constituunt; dantes ergo terga, fugam arripiunt. Nostri vero certatim insectantes, usque ad prædictum eorum castrum, Harenc nomine, quod a loco pugnæ decem distabat milliaribus, eos occidendo et stragem infinitam operando, persecuti sunt. Videntes autem oppidani, suos in fugam versos, hostium gladiis pene omnes occubuisse, timentes post eorum casum in præsidio remanere, succenso oppido, ipsi quoque in fugam versi sunt. At vero regionis incolæ Armenii et alii fideles, quorum illic multa erat copia, prædictum occupant municipium, illud statim nostris principibus antequam redirent ad castra, resignantes. Ceciderunt illa die de hostibus quasi ad duo millia: ex quibus quingenta capita reportantes, erecti in spem bonam, et de gemino qui eis acciderat triumpho, lætantes, cum mille validis equis, qui eis plurimum erant necessarii, et spoliis ingentibus ad castra reversi sunt, Domino maximas persolventes gratiarum actiones.

CAPUT III.

Cives cognito auxiliarium suorum casu graviter consternantur.

At vero cives interim tota nocte promissum exspectantes subsidium, votis ardentibus lucem adfore præoptabant, ut videlicet hostibus exterius irruentibus, ipsi quoque nihilominus ab interius prodeuntes, nostros harum rerum ignaros et repertos incautius, possent opprimere. Videntes autem circa noctis novissima jam illucescente aurora; quod adventus illorum nulla comparebant argumenta; et cognito per exploratores, quod nostri principes eis obviam processissent, congregati adinvicem et per portas civitatis certatim egredientes, pene tota die nostris gravissima intulerunt certamina, quousque de superioribus civitatis significantibus excubiis nostrorum adventum, in urbem se receperunt: ubi super turres et mœnia, et loca eminentiora constituti, adventare quidem considerant legiones, ignari tamen nostrorum an suorum essent castra, quæ accederent. Tandem vero nostris propius accedentibus, ubi eorum cœperunt arma cognoscere, eosque prædam et manubias trahere conspexerunt; et eos redire victores, attritis suorum copiis compertum habuerunt, in gravia se dederunt, tanta spe frustrati, lamenta. Nostri vero ad urbem accedentes, et castris illati, in victoriæ signum, et doloris eorum incrementum, ducenta Turcorum capita machinis jaculatoriis in urbem contorqueri fecerunt; reliqua vero ante urbem in palis præceperunt conservari suspensa, ut tam hæc quam illa, *tanquam spina in oculo*, eorum augerent et multiplicarent molestias. Dicitur autem numerus fuisse eorum qui ad prædictum Antiochenorum subsidium venire decreverant, ad viginti octo millia, sicut ex relatione captivorum plenius compertum est. Factum est autem hoc mense Februario, septima die mensis, anno ab Incarnatione Domini 1097.

CAPUT IV

Nostri castrum ædificant. Naves Januensium in portu applicant. Populus ad mare descendit, et insidias passus, ex parte corruit.

Eodem tempore visum est nostris principibus, ut in colle quodam qui supra domini Boamundi erat tentoria, castrum ædificaretur; ut si aliquando in nostras expeditiones Turci tentarent irrumpere, eis nova munitio impedimentum præstaret, et nostrorum castris esset quasi antemurale. Quod postquam factum est et diligenti custodiæ deputatum, totus exercitus ita collocatus est in tuto, tanquam si urbis mœnibus essent per circuitum vallati. Erat enim eis ab oriente hæc nova munitio; ab austro murus civitatis, et palus muris adjacens; ab occasu vero solis et septentrione, fluvius in civitatem se obliquans. Cumque jam in mensem quintum se protraxisset obsidio, naves quædam Januensium, peregrinos et victualia deferentes, infra fauces fluminis egressæ a pelago, se contulerant; exspectantes et id ipsum nuntiis frequentibus exigentes, ut missis de principibus aliquot, qui eos secure conducerent, ad castra proficiscerentur. Hostes enim scientes, quod eorum qui in expeditione erant, frequens erat ad mare discursus, et eorum iterum qui in navibus erant, recurrendi ad castra votum non remissius, vias obsidebant et itinera; et frequentes transeuntibus porrigebant insidias et stragem in eis operabantur: unde non nisi in maximo comitatu ad castra præsumebant accedere. Decreverant autem per eosdem dies in capite pontis, ubi erat quoddam eorum superstitionis oratorium, munitionem quamdam nostri principes erigere, ut minus liber hostibus per pontem pateret exitus.

Digitized by Google

Sed quoniam infiniti de exercitu ad mare descenderant, qui, peractis negotiis, ad castra redire proposuerant, eliguntur de principibus dominus Boamundus, et comes Tolosanus, et cum eis dominus Evrardus de Pusato et comes Garnerus de Gres, qui Ægyptiorum nuntios redire cupientes, usque ad mare prosequerentur; et eos qui in portu erant, tam qui recentes advenerant quam qui de castris ad eos descenderant, ad castra reducerent. Audientes vero Antiocheni, quod prædicti principes ad mare descenderant, missis quatuor millibus expeditorum militum illis obviam, præcipiunt ut eis parent insidias; et incaute redeuntibus, si ita contigerit, viriliter occurrere non formident. Factum est autem, ut post diem quartum, cum in redeundo essent, secum traherent inermis populi et jumentorum victualibus, et omnimoda supellectile onustorum multitudinem, hostes eis in quibusdam locorum angustiis repente ex insidiis occurrerent. Præibat autem dominus comes Tolosanus, dominus vero Boamundus posteriora tuebatur agmina; qui, licet viri strenui essent, et per omnia commendabiles, plebem tamen inconsultam pro voluntate regere non valentes, nec vires addere, vel alios, quibus natura negabat, postquam diu, tum pro sua honestate, tum pro illorum arcendo periculo restiterunt, videntes quod mora ad se traheret periculum, nec eos amplius inutiliter laborare oporteret, sibi providentes, imparem nimis conflictum reliquerunt, ad castra cum suis qui eos sequi poterant, se conferentes. At vero vulgus, relictis sarcinis et impedimentis, partim ad silvas, partim ad montes fugit; qui vero fugere nequiverunt, hostium gladiis ceciderunt interempti. Facta est ibi nostrorum strages maxima; sed de numero occisorum quidam aliter et aliter nobis retulerunt: tamen plurium opinio est, promiscui sexus et ætatis usque ad trecentos cecidisse.

CAPUT V.

Consilium ducis, et opus admirabile, contra sinistrum casum qui acciderat.

Rumor interea ad castra pervenerat, eos qui a mari ascendebant, omnes in via hostium insidiis et congressione improvisa, penitus corruisse; de principum autem vita vel morte, non erat quispiam qui pro certo aliquid nuntiaret. Interea vero dominus Godefridus, sicuti vir erat impiger et ad arma promptissimus, tantam pro Dei populo, quantam pro liberis gerens sollicitudinem, convocatis principibus et legionibus universis, arma eos incunctanter jubet arripere; et emissa voce præconia, sub pœna mortis interdicitur, ne quis tantæ necessitatis articulo se audeat subtrahere; sed omnes ad arma convolent, fratrum sanguinem vindicaturi. Nec mora, quasi vir unus convenerunt universæ legiones; quibus in unum redactis, pontem transit navium; et per acies diviso exercitu, principes ei præficit, dominum Robertum Normanniæ comitem, dominum quoque Flandrensem, dominum Hugonem Magnum dominumque Eustachium fratrem suum, singulis singulas acies distribuens, congruis locat stationibus; verbis infundens animos, ad virtutem invitat, et tanquam viris prudentibus propositum aperit, dicens: *Si ita, ut nobis nuntiatum est, peccatis nostris exigentibus, Domino permittente, de dominis et fratribus nostris hostes nominis et fidei Christianæ triumphaverunt, nihil aliud restare video, viri illustres, quam ut cum eis moriamur, aut tantam Domino Jesu Christo illatam ulciscamur injuriam. Mihi, credite, quia nec vita, nec salus, morte vel quolibet ægritudinis genere, charior est, si tantorum principum sanguis impune effusus est super terram, aut tanta Deo devoti populi strages maturam non invenerit ultionem. Videtur ergo mihi quod hostes de præsenti aliquantulum elati victoria, imprudentius se habebunt; et de sua virtute præsumentes, per nos ad urbem redire, prædam et manubias inferre non verebuntur.* Solet enim prosperitas eos, quibus præsens arridet, reddere incautiores; sicuti versa vice, miseris et afflictis rebus, solet solertia major accedere. *Nos ergo, si tamen ita vobis videtur, hic simus parati, et justam causam foventes, de obtinenda victoria, in eo cui militare nos credimus, spem certam habeamus; et hostes, si per nos redire voluerint, in ore gladii, hostium more suscipiamus, injuriæ memores illatæ, et a paternis virtutibus non degeneres.* Placuit itaque sermo iste, et in oculis omnium visus est bonus; dumque in eo adhuc consisterent verbo, ecce dominus Boamundus a mari rediens, in castra se contulit; et post modicum intervallum, comes est subsecutus: quos revertentes, cum lacrymis et plena charitate suscepit populus, tantorum principum pene solatio destitutus. Intellecto itaque domini ducis consilio, verbum approbant, et ita fieri oportere protestantur. Axcianus itaque cognoscens quia sui vicerant, timensque redeuntibus, maxime propter egressas de castris præter solitum legiones, quotquot erant in civitate armorum usus habentes, sub edicto publico ad portam Pontis, præcipit convenire, ut suis redeuntibus, opem impendere, si opus fuerit, non morentur. Nostri vero, missis exploratoribus, diligenter percunctari faciunt, quo accedant itinere, de obtinenda victoria spem habentes in Domino.

CAPUT VI.

Hostes redeuntes cum victoria, ante portam civitatis nostrorum gladiis obtruncantur; cadunt ex eis duo millia. Dux loricatum per medium dividit.

Nec mora, dum ordinatis aciebus et erectis vexillis, hostium præstolantur adventum, ecce advolant, qui eos in vicino constitutos denuntiant, et nostros armari, et hostibus exire obviam, multa vociferatione hortantur. Illis vero appropinquantibus et eatenus vicinis, quo nostris progrediendum esse videretur, invocato de supernis auxilio, mutuo se exhortantes, vibratis hastis, pristinæ virtutis memores, in eos unanimiter irruunt, gladiis in-

Digitized by Google

stantes cominus. Dumque solita eis incumbunt instantia, et injuriæ memores, quam pertulerant, nec respirandi permittunt ferias, emarcuit virtus eorum, et præ timoris angustia renibus dissolutis, in fugam versi, versus pontem civitatis certatim contendunt. Sed prævenerat eorum molimina, in hujusmodi assuetus negotiis, Lotharingiæ dux illustris; et locum, qui ante pontem eorum erat aliquantulum eminentior, cum suis occupat; et eos quos venerabiles principes gladiis insectabantur, ad pontem volentes effugere, aut gladiis obtruncat, aut in agonem unde fugerant violenter redire compellit perituros. Instat comes Flandrensium, tanquam vir strenuus; et armorum usum habens familiarem, cum suis sequacibus hostium prosternit agmina, objiciens animosius et frequenter quæ in nostros mala commiserant, exaggerat. Normannorum vero nihilominus comes, a paterna virtute non degener, strenue nimis in eodem desudat opere. Comes quoque Tolosanus, zelo Dei succensus; Hugo etiam Magnus, regii memor sanguinis et a tantæ dignitatis culmine non recedens; comes Eustachius, domini ducis frater; Balduinus quoque, Flermancorum comes, et Hugo de Sancto Paulo, cum aliis nobilibus, tanta hostes animositate insequuntur, tanta in eos virtute desæviunt, ut contritis eorum viribus, more pecudum impune cæderentur. Acxianus autem urbis portas post suos, quos inde ad pugnam emiserat, claudi præcipiens, ut eis animos ampliores infunderet, et pro desperatione reditus, magis animaret ad prælia, dum sibi credit consulere, suos inconsulte trahit in ruinam; dum enim nostrorum impetus et armorum instantiam sustinere non valerent diutius, salutis unicum erat fuga remedium; cujus spe frustrati penitus, passim gladiis cæduntur et pereunt, qui ea via mortem poterant evasisse. Erat autem in castris tantus armorum fragor, et gladiorum tinnitus et coruscatio, equorum fremitus et populi vociferantis clamor, quod nisi armorum genus manifestam inter eos præberet differentiam, multos potuisset error indiscretus imminentibus subjecisse periculis aut sinistris casibus exemisse. Matronæ autem civitatis cum filiabus et parvulis, senes quoque et imbellis populus, de turribus et muro suorum stragem contuentes, gemitibus et lacrymis suorum deplorant exterminium: *Felicia judicantes quæ præterierant tempora; eos felices nihilominus, quibus mors amica pridem contulerat, ne istis involverentur calamitatibus. Quæcunque fecundas, beatas prius matres reputaverant, nunc mutato cantico, faustas esse steriles, et matribus multo prædicant feliciores.* Acxianus interea populum suum videns penitus defecisse, quodque residuum erat gladiis expositum, strage vicina consumendum, portas præcipit sub omni celeritate aperiri, ut populi reliquias in tuto permitteret collocari. Reserato autem aditu tanta per pontem fugientium facta est turba et tumultus, ut hostibus insectantibus, et præ timore se invicem comprimentibus, infiniti præcipitarentur in fluvium. Dux vero Lotharingiæ, etsi in toto conflictu optime se habuerat, tamen circa pontem jam advesperascente die, tantum tamque insigne virtutis, qua singulariter præeminebat, dedit argumentum, ut perpetua dignum judicetur memoria factum ejus celebre, quo se universo exercitui reddidit insignem. Nam, postquam multorum capita loricatorum, sine ictus repetitione, solita virtute amputavit, unum de hostibus protervius instantem, licet lorica indutum, per medium divisit, ita ut pars ab umbilico superior, ad terram decideret; reliqua parte super equum cui insederat infra urbem introducta. Obstupuit populus, visa facti novitate; nec latere patitur, quod ubique prædicat, factum tam mirabile. Cecidisse ea die dicuntur de hostibus, quasi ad duo millia: quod nisi nox importuna, nostrorum titulis et palmæ invidens, se intulisset immatura, finem ea die procul dubio Antiochenorum habuisset negotium. Tanta autem circa pontem et in flumine perpetratæ cædis exstabant vestigia, ut mutato colore fluvius totus ad mare sanguineus descenderet. Fama est etiam, et ita per quosdam fideles, qui ab urbe egressi ad nostros se contulerunt, plenius innotuit, quod duodecim de majoribus eorum satrapis, in ea congressione gladiis obtruncati, irreparabile civitati damnum intulerunt.

CAPUT VII.

Nostri in capite pontis præsidium construunt, victoriæ signum ad naves dirigunt.

Luce demum postera solito cursu terris restituta, iterum convenerunt principes adinvicem, gratias Omnipotenti pro collata exhibentes victoria, ut de instantibus deliberarent negotiis. Visumque est omnibus expedire, ut ad id quod prius conceperant redeuntes, munitionem quamdam in capite pontis erigerent, ut et civibus præpediretur exitus et nostris securior discurrendi ministraretur facultas. Erat autem ibi, ut prædixisse nos meminimus, superstitionis eorum oratorium; ubi etiam sepulturæ suorum, locum deputaverant. Illuc ergo tam nocte præterita, quam diei parte sequentis jam exacta, defunctorum suorum transtulerant et sepelierant corpora. Quod ut plebi nostræ plenius, et pro certo compertum est, illuc violenter irruentes, occasione spoliorum, quæ cum ipsis tradita fuerant sepulturæ, sepulcra violant; sepultos effodiunt, aurum et argentum, et vestes pretiosas cum ipsorum funeribus de monumentis extrahentes. Factum est autem, ut qui prius de numero interemptorum, eo quod de nocte consummatum erat prælium, dubitarent, per hanc talem revelationem facti doctiores, pleniorem de hesterno negotio lætitiam concerpint. Nam præter eos qui in flumine variis casibus submersi sunt, et qui in urbe sepulti, quique lethaliter saucii, mortem adhuc præstolabantur imminentem, mille quingenti in prædicto loco reperti sunt. Ex quibus trecenta vel ampliora capita ad portum dirigentes, nostros qui illuc ab hesterno

Digitized by Google

conflictu redierant, lætificaverunt admodum : Ægyptiorum quoque legatos, qui nondum a portu discesserant, plurimum in eo facto deterrentes : unde factum est, ut qui in montibus et speluncis, et silvis et frutectis, ab hesterno elapsi periculo, latebant, audita nostrorum victoria, ad castra se contulerunt ; multique milites, quos in prælio cecidisse crediderant, sani et incolumes, auctore Domino, reversi sunt. Unde recepto populo, qui ad varia loca se contulerant, castrum circa pontis initium, ex ipsis lapidibus, quos de monumentis effoderant, unanimiter et ferventi studio muro erigunt solido, et erectum vallo profundo communiunt. Dumque inter principes de ejus custodia esset deliberatio, et nemo esset eorum, qui tanto oneri se vellet subjicere ; et causas quisque pro sua excusatione varias allegaret, vir Deo amabilis, dominus comes Tolosanus, ultro se obtulit ; et publicæ utilitatis gratia novum præsidium in suam suscepit curam. Unde et universarum expeditionum gratiam, quam toto anno valde demeruisse videbatur, sibi reconciliavit in integrum. Nam ab æstate præterita, per totam insequentem hiemem, occasione cujusdam ægritudinis, ita remissus jacuerat, et pene inutilis, ut curam exercitus, quam principum aliorum quisque pro viribus et studio supportabant indefesso, ipse solus videretur negligere, nemini se exhibens munificum, nemini affabilitatis gratiam indulgens ; eratque id in eo notabilius, eo quod omnibus aliis amplius posse et habere plura diceretur. Ut igitur et desidiam simul et avaritiam excusaret, onus prædictum gratanter assumpsit. Præterea in manu domini Podiensis et quorumdam nobilium quingentas dicitur marcas argenti examinati, ad restaurationem equorum, quos in conflictu amisisse contigerat, dedisse. Unde ejus facti animosiores domestici, de damno equorum resarciendo habentes fiduciam, hostibus solito fortius instabant ; et domini comitis, quam passus fuerat, lenita est invidia, ita ut ab omnibus pater et conservator exercitus appellaretur.

CAPUT VIII.

Civitas subito amplius angustatur, munitione nova super Occidentalem constituta.

Porta igitur pontis per prædictum novum præsidium, in quo quingentos viros fortes dominus comes locaverat, sic obsessa, ut civibus per eam non nisi cum maximo periculo pateret exitus, nostri ad necessaria prosequenda discurrebant liberius. Hostes vero jam non nisi per portam Occidentalem, quæ inter radicem montis et fluvium erat, exire poterant. Et licet nostris, quorum castra omnia trans fluvium posita erant, non multum eorum exitus per eam portam posset esse periculosus, quia tamen nimis liberam evagandi videbantur habere licentiam ; et vitæ necessaria per eam solam adhuc inferebantur obsessis, convenientes iterum, ut super hujusmodi necessarium haberent tractatum, viri virtutum et immortalis memoriæ principes, decernunt præsenti plurimum expedire negotio, ut trans fluvium in loco ad id idoneo aliqua constitueretur munitio, ubi aliquo ex principibus locato, illa talis evagandi amputaretur licentia. Cumque de constituenda munitione apud omnes constaret, nemo tamen se obtulit, qui ejus præsumeret tuitionem sibi assumere. Dumque sic hærerent, et factum non procederet, dominus Tancredus, vir insignis et industrius, ad id muneris eligitur ; sed cum de rei familiaris tenuitate excusationem vellet intexere, prædictus comes Tolosanus ad opus ædificii centum ei marcas argenti contulit ; et ut laboris consortibus honestum non deesset salarium, quadraginta eis marcæ per menses singulos ex publico sunt deputatæ. Sicque factum est, ut in colle quodam eidem portæ contermino, ubi pridem monasterium fuerat, præsidio locato, et viris prudentibus et robustis ad ejus deputatis custodiam, dominus Tancredus tam strenue quam feliciter, usque ad consummationem negotii, debita sollicitudine conservavit illæsum. Erat autem inferius, secus fluminis decursum, secessus quidam inter montes et eumdem amnem, herbidus, et pascuorum amœnitate simul et ubertate commendabilis, tribus aut quatuor vix ab urbe distans milliaribus ; in hunc ob defectum in urbe pabulorum, Antiocheni equos ex parte plurima transtulerant suos, quod ubi nostris compertum est, clam convocatis equitum cohortibus, quædam secuti viarum dispendia, ut propositum occultarent, ad locum prædictum conveniunt : ubi occisis qui armentis præerant nonnullis equitibus, exceptis mulis et mulabus, duo millia nobilium ad castra deduxerunt equorum. Nec erat præda vel manubiarum genus aliud eo tempore, quod magis exercitui foret necessarium ; nam suos tum in acie, tum fame, tum frigore, aliisque casibus innumeris pene omnes amiserant.

CAPUT IX.

Dispersi ad exercitum redeunt. Balduinus ab Edessa singulis principibus munera dirigit.

Sic igitur civitate ex omni parte obsidione vallata, ut jam civibus ad procuranda exterius negotia, nec liber exitus, nec sine difficultate daretur introitus, cœperunt multa difficultate laborare, et multis aggravari molestiis. Victus enim deficiens et subito exorta inopia, cives plurimum molestabat ; imminuta quoque equorum usibus alimonia, eos inedia tabescere, et omnino sua negare officia compellebat. Nostris autem solito liberior tum ad mare, tum ad alia loca ad quæ eos sua trahebat necessitas, progrediendi data erat facultas : unde et in castris ex parte plurima relevata erat illa victus inopia, qua periculose nimis per totam hiemem laboraverat exercitus. Nam decursa hiemis asperitate, et veris jam adulti temperie restituta, sedato pelago, classis quæ in portu erat, ire et redire poterat tranquillius ; et viarum difficultate temporis incalescentis beneficio deposita exire poterant, qui cura domestica et familiari sollicitudi-

Digitized by Google

ne ad procuranda negotia trahebantur. Et jam etiam qui in castris et in urbibus finitimis, castrorum fugientes asperitatem, latuerant, reddito favore temporis clementioris, iterum ad castra revertebantur, arma reparantes; et redintegratis viribus iterum se accingebant ad prælia. Sed et dominus Balduinus, ducis frater, de quo supra fecimus mentionem, de suarum cumulo divitiarum, quas ei, ut prædiximus, multa liberalitate contulerat Dominus, audiens quod tanta inopia laboraret exercitus, illorum decrevit de sua plenitudine piæ compassionis affectu, relevare paupertatem : et missis ingentibus donis, in auro, argento, sericis, equis nobilibus et pretiosis, singulorum principum rem domesticam reddidit ampliorem. Nec solum majoribus, verum et multis de plebe munificum se exhibens et liberalem, propensius omnium sibi reconciliavit gratiam, universos in suam excitans charitatem. Insuper autem ne domino suo et fratri primogenito aliquid minus fecisse videretur, in terra quam citra Euphratem possidebat, omnes reditus quos circa Turbessel, et in suburbanis ei adjacentibus, in frumento, hordeo, vino et oleo habebat, nec non et aureorum quinquaginta millia fratri designavit persolvenda. Prætera quidam Armeniorum potens satrapa, domini Balduini familiaris, *Nichossus* nomine, tentorium miri operis, maximæ capacitatis, gratia domini Balduini, per nuntios suos direxit ad dominum ducem; sed positis in itinere a Pancratio insidiis, ablatum est prædictum tentorium a pueris deferentibus; et ex parte prædicti Pancratii, ad dominum Boamundum dono delatum est : quod postquam domino duci innotuit, et per pueros prædicti Nichosii ita rem processisse cognovit, adjuncto sibi Flandrensium comite, cujus amicitia specialiter in tota expeditione usus fuerat, dominum Boamundum convenit, ut munus sibi destinatum et ablatum violenter, restituat; ille vero licet donationis nobilis viri Pancratii titulum prætenderet, seque juste possidere, quod dux petebat, allegaret; tamen, ne tumultus fieret in populo aut inter principes scandalum oriretur, multa precum reliquorum principum victus instantia, munus quod sibi oblatum fuerat, restituit, gratia inter eos plenius reformata. Unde miramur plurimum, quod vir tanta modestia insignis, tantaque morum dignitate conspicuus, rem modicam et contemnendam facile, tanta importunitate repetiit; nec aliquid nobis pro solutione occurrit, nisi quia scriptum est:

Nihil ex omni parte beatum;

et illud :

Quandoque bonus dormitat Homerus;

HORAT., *Ars poet.*, v. 359.

illud quoque tertium :

. . . Opere in longo fas est obrepere somnum.

HORAT.

Ut enim in nobis sæpius a bono sentiamus defectum, humanæ leges conditionis habent.

CAPUT X.

Nuntiatur in castris, hostilium copiarum adventus. Stephanus Blesensium comes, simulata ægritudine, ad mare descendit, non rediturus.

Interea fama celebri vulgabatur, Persarum principem potentissimum, ad Antiochenorum instantiam et suorum etiam postulationes assiduas, ex universo imperio suo in eorum subsidium innumerabiles dirigere copias; et infinitam Turcorum multitudinem in Syriam ascendere, sub deputatis magistratibus, lege edictali præcepisse. Nec solum ab exterioribus rumor hic originem habebat et incrementum; verum etiam qui de urbe egrediebantur, ad castra nostra habentes refugium, id ipsum consone protestabantur. Cumque per dies singulos magis et magis rumor hic ampliaretur et jam pro foribus dicerentur imminere, timor nostrum concussit exercitum; ita etiam ut dominus Stephanus Carnotensium comes, vir potentissimus et princeps illustris, quem ob meritum singularis prudentiæ principes suis consiliis quasi patrem præfecerant, simulata ægritudine, sumpta a fratribus licentia, cum domesticis et familiaribus universis et omnimoda qua plurimum abundabat substantia ad mare descenderet, dicens se apud Alexandriam minorem, quæ non longe a portu in littore maris sita, initium præstabat Ciliciæ, moram velle facere, quousque recepta plena convalescentia et viribus resumptis, iterum redire valeat : quo discedente, secuti sunt eum, qui in ejus comitatu advenerant, viri quasi ad quatuor millia, qui ad mare perveniens, ad prædictam secessit Alexandriam, rei eventum præstolans : habens apud se propositum quod, si nostris in bello, quod sperabatur futurum, prospere succederet, rediret ad exercitum, quasi de ægritudine convalescens; sin autem, in navibus quas sibi paraverat, cum probro perpetuo et existimationis jactura, redire in patriam tentaret. Quo facto tam notabili et perennem irrogante infamiam, principes qui in castris erant consternati, nobili viro compatientes, qui et decus generis et honestatem propriam tanta culpa funestaverat, cœperunt anxie deliberare quomodo huic tanto malo possent occurrere : ne qui residui erant, pernicioso illius provocati exemplo, simile aliquid auderent attentare. Placuitque tandem de communi consilio ut missa voce præconia, omnibus generaliter ab exercitu discessus interdiceretur: adhibita pœna, quod si aliquis, cujuscunque conditionis officio fungeretur, aut cujuscunque dignitatis cingulo præmineret, furtim et sine principum licentia, se a castris subtraheret, tanquam sacrilegus aut homicida, perpetuæ subjaceret infamiæ et ultimum præterea supplicium cogeretur subire. Factumque est ita, ut tum virtutis amore, tum pœnæ formidine, nemo jam de cætero, nisi a principibus impetrata licentia, vel ad modicum auderet se a castris subtrahere; sed omnes unanimiter, tanquam viri claustrales, principibus suis sine difficultate et molestia se obedientes exhibebant.

Digitized by Google

CAPUT XI.

De statu civitatis dicitur. Boamundi cum quodam fideli de civitate, gratia contracta describitur.

Porro hæc civitas Deo amabilis, a tempore apostolorum, ut prædiximus, Christi doctrinam et jugum suave, prædicante ei apostolorum principe, suscepit, et usque in præsentem diem fideliter et devote portavit. Dumque totus concuteretur Oriens, successoribus Mahumet ad impietatem superstitionis et perversorum dogmatum universas violenter subjugantibus provincias, hæc et eorum languorem respuit; et gentis incredulæ dominationem, quam diu potuit, ferre detrectavit. Nam, cum omnes a sinu Persico usque ad Hellespontum, et ab India usque ad Hispanias, hæreses illius seductoris, universas occupassent regiones, hæc in medio perversarum nationum, quasi sola et singularis, fidei conservavit integritatem, et pro sua stetit viriliter libertate. Nam vix annorum quatuordecim elapsa erant curricula, ex quo perurgente eam intolerabili hostium procella, longis obsidionibus fatigati ejus cives inclyti, et jam diutius resistere non valentes, urbem hostibus nominis et fidei Christianæ resignare coacti sunt. Unde factum est quod etiam, adveniente nostrorum exercitu, pene omnes civitatis habitatores fideles erant, sed nullam in civitate habentes potestatem; nam eis negotiationi et aliis mechanicarum artium officiis vacantibus, solis Turcis et infidelibus militare licebat, et majores civitatis administrare dignitates, unde nec arma eis licebat tractare, nec ad curam rei militaris admittebantur: et maxime postquam de adventu Occidentalium Christianorum rumor ad principem civitatis pervenerat, ita suspecti habebantur, et præsertim postquam urbem vallaverat obsidio, ut etiam non nisi certis horis de domibus exire et prodire in publicum liceret. Erant autem ex eis in civitate familiæ valde nobiles, antiquam ducentes ex generosis proavis sanguinis dignitatem; inter quas erat tribus una generositate insignis, quæ dicebatur Beni Zerra, quod in lingua Latina interpretatur *filii loricatoris*. Hi enim sive a primo eorum parente, qui hanc artem exercuit; sive ab eo quod ipsi hanc professionem exercerent, ut loricas intexerent, dicebantur *filii loricatoris*. Probabilius tamen est et videtur, quod quidam ex eis adhuc eidem arti darent operam, ut sicut nomen habebant hæreditarium, ita et per successionem traditam artem non desererent. Unde et in parte civitatis occidentali secus portam, quæ hodie dicitur S. Georgii, turris una quæ vulgari appellatione dicitur duarum sororum, ut in ea artis suæ, quæ domino et civitati plurimum videbatur utilis, quieti convacarent, erat eis deputata. Erantque in ea familia duo fratres, quorum major et qui contribulium suorum et familiæ princeps erat, dicebatur Emirfejrus, vir potens plurimum et urbis domino multa familiaritate conjunctus, ita ut in ejus palatio notarii fungeretur officio et plurima esset insignis dignitate. Hic autem, quoniam vir erat valde industrius et vafer, audiens quod dominus Boamundus princeps magnificus esset et illustris, et in omnibus quæ exterius gerebantur, primas haberet partes; statim post urbem obsidione vallatam, per fideles internuntios ejus sibi conciliavit gratiam, totoque obsidionis tempore, fideliter et devote se continuaverat in proposito, ita ut diebus pene singulis de statu civitatis et Acxiani proposito eum redderet doctiorem. Dissimulabat enim quantum poterat, sicuti vir discretus erat et prudens, hanc quam cum domino Boamundo contraxerat familiaritatem, ne forte aliis cognita, sibi et suis posset esse in periculum. Dominus quoque Boamundus versa vice hanc boni viri occultabat amicitiam, et arcanum penes se quasi sepultum comprimebat; ita ut nec eorum familiaritatis et discurrentis internuntii, etiam utriusque domestici et contectales, nullum vel leve possent intelligere argumentum.

CAPUT XII.

Consilium per internuntios inter Boamundum, et prædictum fidelem virum.

Dumque jam quasi mensibus septem hæc inter eos se continuasset gratia, ita occulte, ut diximus, plerumque de eo, quomodo civitas Christianæ restitueretur libertati, sermo inter eos habitus est familiaris; cumque super eo a domino Boamundo sæpius esset commonitus, semel eidem per filium, qui secretorum erat bajulus, respondisse dicitur: *Nosti, virorum optime et mea mihi luce charior, quam sincere te dilexerim, ex quo, auctore Domino, in hanc communem gratiam descendimus; teneoque nihilominus memoriter quod, in verbo tuo firmam et bono viro condignam reperi usquequaque stabilitatem: unde factum est ut, per dies singulos, mihi magis et magis insinueris et multo charior occurras. Super eo autem, unde me commonuisti sæpius, nonnunquam sollicitus deliberavi, partes congruo pensans libramine. Nam, si patriam pristinæ restituere libertati, et exclusis immundis canibus, quorum violenta dominatione premimur, Dei cultorem populum possem introducere, certus sum æterna mihi non defutura præmia et cum sanctis animabus æternæ beatitudinis non defuturum consortium. Si vero rem, semel aggressus, difficilem et arduam consummare nequivero, certum est et nulli venit in dubium quin domus mea et præclaræ nomen familiæ penitus deleatur, ita ut non memoretur nomen illius ultra. Verumtamen* quoniam consuevit emolumentorum spes mortalium mentes ad similia sæpius invitare, *si hoc posses apud tuos consortes obtinere quod nostro studio traditam tibi, propriam vindicares civitatem; ego, tui gratia, (cui omne bonum, tanquam liberis meis, cupio) ad prædictum opus, licet difficile videatur, auctore Domino, cujus glutino mihi conjunctus es, me accingam; et turrim hanc munitissimam, ut vides, cujus plenam habeo potestatem sine difficultate tibi tradam, unde vestris omnibus liber in civitatem esse poterit introitus. Si vero, sicut pares estis, ita urbem captam æquis in-*

Digitized by Google

ter vos portionibus proposuistis dividere, ego gratia illorum, ad quos nulla mihi est proportio, in hoc periculum non descendo. Unde tu diligenter elabora et enitere, publicæ utilitatis et salutis gratia, ut apud tuos conprincipes id obtineas: sciturus procul omni dubio quod, quacunque die te id obtinuisse cognovero, urbis tibi aditum, sicut persuadere niteris, aperire non differam. Ad hæc, noveris quod, nisi hoc in proximo fiat, differetur fortasse in perpetuum; nam diebus pene singulis civitatis domino, et nuntii diriguntur et epistolæ, quod qui in subsidium ejus ex omni Oriente convenerunt, circa Euphratem castrametati sunt, equitum ducenta trahentes secum millia. Quod si vos extra urbem repererint, difficile est, ut et civium et advenientium multitudinem hostium, tolerare possitis.

CAPUT XIII.

Laborat Boamundus ut ei civitas concredatur; solus Tolosanus comes contradicit.

Ab ea igitur die dominus Boamundus prætentare cœpit sollicitus et singulorum principum corda percunctari diligenter, quidnam haberent in animo; et quid si urbs obsessa caperetur, de ea disponerent, celans tamen propositum, nisi apud eos de quibus certum habebat, suis grato assensu obtemperaturos desideriis. Cumque intelligeret se apud quosdam illorum non multum posse proficere, rem distulit usque in tempus magis opportunum. Dux tamen Godefridus et Normannorum comes, et comes simul Flandrensium, nec non et dominus Hugo Magnus, ejus acquieverant postulationi, et grato concurrebant assensu; secretum nobilis viri approbantes, et admirantes prudentiam, et apud se occultum, et nemini unquam publicandum comprimentes. Solus vero Tolosanus comes in eo ab aliis erat dissonus. Unde factum est quod res in periculosam pene descendit dilationem; nam nec ille, domini Boamundi familiaris, tantum sibi aliorum gratia laborem volebat assumere, nec tantis se mancipare periculis; nec ipse dominus Boamundus tanta pro utilitate communi, quanta pro domestica et familiari laborabat instantia; familiaritatem tamen cum viro prædicto, muneribus et obsequiis prosequebatur, legibus sinceræ impletis amicitiæ; missisque frequentibus et receptis pariter nuntiis, utrinque semel concepto vires et fomitem ministrabant amori.

CAPUT XIV.

Qui in subsidium Antiochenis properabant, Edessam obsident; sed resistente viriliter Balduino, vacui recedentes Euphraten transeunt.

Interea qui ab Acxiano et civibus subsidium postulaturi missi fuerant in Persidem, consummato pro votis negotio et impetrata postulatione quam prætulerant, revertebantur ad propria. Princeps enim ille magnificus, Antiochenorum molestiis, quas audierat compatiens, et occurrere volens nostrorum conatibus, et vires præcidere, ne regnorum ejus aliquas partes sua violentia possent comprimere; infinitas Persarum, Turcorum, Curdinorumque copias in Syriam dirigit, quemdam familiarem suum, de cujus virtute, fide et industria plurimum præsumebat, illis præficiens; et sub eo centuriones, quinquagenarios et inferiores constituens magistratus, qui omnes ejus et parerent et regerentur imperio. Epistolas præterea ad universarum sibi subjectarum præsides regionum, vim legis obtinentes, ei delegat, præcipiens populis et nationibus, tribubus et linguis, *ut omnes sine excusatione dilectum filium suum Corbagath, quem exercitibus suis de meriti electione præfecerat, sequantur; et ejus omnes subjiciantur potestati, parentes in omnibus quæcunque pro liberæ voluntatis arbitrio ipse imperare decrevisset.* Assumptis igitur de mandato domini prædictis legionibus et quæ toto itinere occurrebant, cum ducentis millibus Mesopotamiam ingressus, circaque partes Edessanorum castrametatus est. Hic cum eidem multorum relatione cognitum esset, quod unus de Francorum principibus, contra quos dirigebatur, tam civitatem quam universam adjacentem obtineret provinciam, decrevit antequam Euphraten pertransiret, prædictam impugnare et violenter occupare civitatem. Dominus autem Balduinus, præcognito ejus adventu, urbem suam victualibus, armis et viris strenuis undique corrogatis, diligenter communierat, ita quod de ejus minis et terroribus modicum quid erat sollicitus. Cumque voce præconia publice mandatum esset cohortibus ut urbem obsidione vallarent et obsessam tota impugnarent instantia, videntes quod, resistentibus strenue civibus, non multum in eo facto possent proficere, qui sensus habebant magis exercitatos, ad illum accedentes principem suum, post multa tandem persuaserunt ut, relictis incidentibus causis, principale propositum exsequeretur; et, Euphrate transmisso, Antiochiam, quo principaliter dirigebatur, obsidionem dissoluturus maturaret. Nam in reditu suo, obtenta victoria, vix unius opus esset diei, et prædictam occupare civitatem, et Balduinum vinculis mancipare. Cumque per tres septimanas continuas ibi operam consumpsisset et impensam, præcepit legionibus ut transirent fluvium; et ipse nihilominus transiens, proposito cœpit instare diligentius. Hæc autem ejus circa partes Edessanas mora causa fuit quod dominus Balduinus prædictæ obsidioni se præsentem dare non potuit; causa fuit etiam et nostrorum salutis. Nam si directo ad eos pervenisset itinere, sicuti et domino Boamundo ab ejus amico prædictum fuerat, antequam urbem obtinerent, in gravi esset res eorum constituta discrimine; nam etiam, urbe prius per Dei gratiam obtenta, vix ejus potuerunt adventum sustinere.

CAPUT XV.

Nostri exploratores diriguntur de adventu hostium solliciti.

Rumor interea adventum tantorum exercituum præcurrens castra repleverat, et multis id ipsum

Digitized by Google

referentibus, quasi pro certo habebatur quod in vicino essent constituti. Super quo principes valde solliciti, viros experientissimos, de quorum fide et industria merito possent præsumere, ad loca dirigunt diversa, ut, quanta possiat diligentia, per suos de quibus dubitare non erat licitum, percontarentur et fierent prudentiores, an ita foret sicuti vulgo dicebatur. Eliguntur ergo ad id muneris viri nobiles et in armis strenui, Drogo de Neella, Clarenbaldus de Vendoil, Girardus de Cerisiaco, Rainardus comes Tullensis, et alii nonnulli, quorum nomina non tenemus : qui ad varias partes dispersi cum suis comitatibus, sedulitate quanta possunt diligenter investigant; et, missis iterum suis exploratoribus ad loca ulteriora, ex omni parte expeditiones confluere et convenire in unum exercitus, sicut solent flumina in mare decurrere, pro certo colligunt : tandemque mature reversi, principes qui eos miserant, super eo plenius instruunt, jam non de cætero dubitantes. Septem itaque diebus, antequam prædictus princeps cum suis adveniret legionibus, præmoniti sunt nostri majores exercitus, exploratoribus injungentes, ne id populo notum fieret; nc forte plebs famis angustia et laboris diuturnitate fatigata, timore concuteretur nimio et de fuga cogitaret; quod quibusdam etiam de majoribus nuper acciderat.

CAPUT XVI.

Convenientes adinvicem deliberant. Boamundus secretum refert quod ei commiserat amicus.

Convenientes igitur adinvicem super facto in quo totius negotii videbatur summa consistere, in spiritu humilitatis et in animo contrito cœperunt adinvicem deliberare quid in tanta necessitate fieri oporteret; tandemque placuit quibusdam ut omnes quotquot erant in obsidione, exterius advenienti multitudini urbe relicta procedant obviam ad duo vel tria milliaria : ibique cum superbo principe et de viribus suis nimium præsumente, invocato de cœlis auxilio, belli fortunam experiantur. Aliis autem videbatur expedientius ut partem exercitus in castris deserant, qui cives egredi et hostibus admisceri volentes, infra mœnia cohibeant; pars vero potior et armis magis instructa, juxta consilium priorum, advenientibus hostibus in virtute Omnipotentis occurrant ad tria milliaria; ibique si ita est a Domino provisum, congrediantur. Dumque in hac deliberatione studiosius disceptarent adinvicem et quisque suam pro arbitrio daret sententiam, dominus Boamundus majores principes, dominum ducem Godefridum, et dominum Flandrensium comitem Robertum, dominum item Robertum comitem Normannorum, dominum quoque Raymundum comitem Tolosanum, seorsum a turba secretius convocat, et in loco familiari constitutos alloquitur, dicens : *Video vos, fratres dilectissimi et divinæ servitutis consortes, de adventu istius principis qui venturus esse dicitur, multa sollicitudine macerari; et in deliberatione præmissa variis affectos desideriis, varia sensisse; sed tamen neutram partium illuc se dirigere, ubi totius negotii summa consistit. Nam sive omnes egrediamur, ut volunt ex vobis quidam, sive pars in castris remaneat; videmur operam et studium, et impensas per tam longa tempora inutiliter expendisse; nam egredientibus universis solvetur obsidio et nostrum evacuabitur propositum, civibus in suam se libertatem recipientibus, aut dum hostibus egressu libero se adjungent, aut dum urbi auxiliares introducunt cohortes. Si vero pars legionum in castris remanserit, id ipsum video de necessitate contingere. Nam quomodo poterit pars una, præsente eorum subsidio, cives infra urbem cohibere, cum nos omnes, viribus communibus et indivisis, absque ulla spe subsidii dejectos, vix poteramus cohibere? Alterutrum horum mihi videor videre profecto futurum ut, vel suis conjuncti auxiliis, mistis viribus in nos irruant fortiores; aut saltem introductis auxiliariis copiis, urbem victu et armis diligenter communiant : ita ut etiamsi, auctore Domino, exteriores viceremus, de obtinenda tamen urbe nulla nobis fiducia reservetur. Unde mihi videtur, Patres reverendissimi, quod illuc omnis nostra deberet festinare intentio et circa id sollicitudo versari, ut ante hujus tanti principis adventum civitas in nostram prius descenderet ditionem. Quod si modum quæritis quo hoc nostrum tale consilium effectui valeat mancipari, ne impossibilia videamur suggerere, in promptu est nobis viam aperire compendiosam et qua facile ad finem perveniatur optatum. Amicum habeo in civitate fidelem, quantum humanus dijudicare valet oculus, et prudentem plurimum : hic, secundum quod aliquibus ex vobis jam me retulisse memini, turrim habet in sua potestate munitissimam, quam sub certis conditionibus, quoties id ab eo exegero, fide media obligatus, mihi resignare tenetur. Pro quo facto multam illi pactus sum dare pecuniam; sibique et hæredibus ejus in perpetuum non modica prædia et libertatem omnimodam, quasi pro labore salarium, si res optatum sortiri poterit eventum, fide interposita, compromisi. Si ergo vestræ videtur amplitudini ut nostra sollicitudine et studio capta civitas in nostram jure hæreditario possidenda transeat jurisdictionem, paratus sum cum prædicto familiari meo pacta complere. Sin autem, elaboret vestrum quilibet et quocunque studio urbem poterit obtinere, habeat eam sibi in omni pace quietam; ego illi inpræsentiarum meas cedo actiones et juri meo renuntio.*

CAPUT XVII.

Gavisi principes Boamundo urbem concedunt; ipse cum amico de urbe tradenda tractat secretius.

His dictis, principes gavisi sunt gaudio magno; et petitioni oblatæ grato concurrentes assensu (excepto comite Tolosano, qui partes suas se nemini cedere, proterve nimis asseverabat) urbem cum suis pertinentiis jure hæreditario possidendam concedunt in perpetuum; et compromittentes adinvicem et datis dextris se obligantes, quod sibi creditum nemini revelarent arcanum; dominumque Boamun-

Digitized by Google

dum monent et hortantur attentius, quatenus ad rei consummationem tota incumbat sollicitudine, ne periculosam intercedere patiatur moram. Soluto itaque conventu, ille sicut vir erat moræ impatiens et ardenter urgens propositum, amicum solitis convenit internuntiis; et significans quod apud principes cuncta pro votis impetraverat, amici animum solito reddidit lætiorem. Monet ergo et per fidem invitat mediam ut, nocte proxime subsequente, auctore Domino, res effectui mancipetur. Acciderat autem medio, ut dicitur, tempore quiddam, quod ad conceptum prius opus eum nihilominus animaverat. Nam, dum circa frequens ministerium et curam, quam in domo domini sui et urbe universa habebat amplissimam, detineretur occupatus, casu filium quem habebat, jam puberem, ex causa urgente, sed nobis occulta, domum direxisse dicitur, qui illuc perveniens rem invenit detestabilem. Unum enim de majoribus Turcorum principibus eum matre reperit puer, illicita carnis copula commisceri; quod abhorrens et dolore cordis tactus intrinsecus, ad patrem properus rediit, rem nefandam seriatim pandens. Ille vero facti acerbitate permotus et zelo maritali succensus, dixisse fertur: *Non sufficit canibus immundis quod nos indebite jugo premunt servitutis et nostra quotidianis exactionibus debilitant patrimonia; nisi et tori leges violent et jura dissolvant conjugalia. Ego, si vixero, hanc eorum, auctore Domino, abbreviabo insolentiam, dignam pro meritis compensationem retribuens.* His dictis, injuriam dissimulans, filium secreti conscium et de illata matri turpitudine confusum, solito itinere ad dominum dirigit Boamundum, monens attentius ut ad opus prædictum universa præpararet necessaria; in se vero nullam esse moram, quo minus nocte proxima promissum impleatur. Significabat nihilominus ut circa horam nonam omnes principes, singuli cum suo comitatu, tanquam hostibus obviam profecturi de castris egrediantur; circa primam vero noctis vigiliam, clam et cum silentio revertentes, parati sint circa noctis medium, juxta ejus monita se habere. Susceptum ergo adolescentem ad principes secreti conscios occulte secum deducit; et consilii formam, quam per eumdem a patre susceperat ordinatam, pandit ex ordine. Illi vero viri argumentum et fidei stupentes sinceritatem, consilium approbant; et ita fieri oportere consentiunt.

CAPUT XVIII.

Cives prædictum virum suspectum habent; ipse coram principe suam declarat innocentiam.

Accidit autem per eosdem dies quiddam, quod in majoribus negotiis solet contingere frequentius. Civium enim et eorum maxime qui curam urbis gerebant propensiorem, cœpit animus præsagire, non ex aliquibus evidentibus indiciis, sed magis ex suspicione, quod de urbe tradenda occulte haberetur tractatus; cœpitque sermo iste in omnium ore pene versari. Unde convenientes adinvicem majores civitatis, principem adeunt, super eo verbo consilium habituri; videbatur enim verisimile, et multæ ad id concurrebant præsumptiones. Erant enim in eadem civitate, ut prædiximus, multi fideles qui, etsi omnino hujus reatus erant immunes, tamen suspecti habebantur: inter quos prædictus nobilis homo, et si de ejus fidei sinceritate Acxianus non modice præsumeret, a reliquis magnatibus in eadem habebatur suspicione. Verum et coram Acxiano positi, dum super eo facto deliberationem haberent sollicitam, inter alios qui videbantur suspecti, hujus habuerunt mentionem; ideoque majorem videbantur de ejus suspicione habere rationem, quod et vir erat industrius et præ cæteris fidelibus in urbe potentior. Quibus prædictus princeps quodammodo persuasus, eum ad se præcipit evocari, quo in ejus præsentia constituto, de eodem verbo coram eo cœpit studiose idem continuari tractatus, ut ejus super hoc consilium audiretur; et deprehenderetur ex ejus verbo manifeste, utrum merito suspectus esset vel non. Contingit autem, sicut vir industrius erat, et celeris valde perspicacitatis, quod protinus cognovit quod ejus gratia ille talis haberetur conventus, quod apud eos suspectus haberetur; unde, ut artificiose celaret propositum et se apud eos assereret innocentem, fertur dixisse his qui convenerant ut tentarent eum: *Sollicitudinem geritis, viri venerabiles et hujus civitatis principes maximi, valde commendabilem, et quæ nonnisi in prudente locum potest habere.* Prudenter enim timetur, quod accidere potest; et abundans in re capitali cautela non nocet. *Unde non levi motu inducti esse videmini, ut pro libertate, vita, uxoribus et liberis hanc geratis sollicitudinem. Est tamen, si nostro vultis acquiescere consilio, via compendiosa satis, qua huic morbo quem venturum formidatis, possit conveniens aptari remedium, et cura competens adhiberi. Hoc negotium tam detestabile quod ita prudenter veremini posse accidere, nullatenus potest effectui mancipari, nisi per eorum operam, qui turribus et muris sunt præfecti et ad portarum deputati custodiam. Quod si de eorum sinceritate diffiditis, mutentur frequentius, ne in aliquo certo loco moram facientes diuturnam, perniciosam cum hostibus possint contrahere familiaritatem. Hujusmodi enim negotium non facile absolvitur, sed temporis indiget diuturnitate; nec penes privatam personam tantæ rei potest consistere momentum, nisi et de majoribus civitatis pari factionis scelere corrupti muneribus, involvantur. Mutatio vero hæc repentina et frequens, omnem hujusmodi periculosæ negotiationis amputabit opportunitatem.* Hæc cum dixisset, innocentiam visus est astruxisse suam, et suspicionem quam de eo conceperant, aliquatenus mitigasse. Placuit itaque ejus sermo et in oculis omnium visus est bonus; fuissetque statim effectui mancipatum ejus consilium, nisi quia nocte irruente dies jam declinaverat ita ut nequaquam circa urbis statum tanta posset fieri mutatio. Cura tamen vigili et exacta diligentia

Digitized by Google

urbem præcipiunt custodiri, eorum quæ a prædicto viro tractabantur occulte, penitus ignari. Ipse autem scius quod in proximo res esset maximam mutationem subitura, sedulum se gerit quomodo interim propositum impleretur, antequam aliquid occurreret impedimenti.

CAPUT XIX.

Quantis angustiis fidelium populus, qui in urbe erat, premeretur : et quomodo strages eis destinata quievit.

Porro cives ab ipso primo nostrorum introitu, ex quo circa urbem locata est obsidio, suspectos habuerunt Græcos, Syros et Armenios, et alios cujuscunque generis, Christianæ fidei professores. Unde statim eos qui tenuiores erant, nec sibi et familiolis suis poterant sufficere, victum penes se habentes necessarium extra urbem fecerant, ne urbi essent oneri ; solis divitibus, et qui ampla habebant patrimonia, et alimenta penes se domibus suis sufficientia, retentis. Hos etiam tantis angariis affligebant et parangariis, ut melius esse videretur his quos ab urbe depulerant, quam quibus pro summo beneficio urbis indulserant habitationem. Nam et pecuniarias eis sæpius infligebant multas, id quod habere videbantur violenter extorquentes ; et ad quælibet sordida munera et onera civilia rapiebant invitos. Nam si erigendæ erant machinæ aut immensi ponderis transferendæ trabes, statim id eis muneris injungebatur. Hi lapides et cæmenta et quamcunque materiam ad opus ædificiorum necessariam circumferre compellebantur ; hi jaculatoriis etiam machinis, molares qui extra mitterentur tenebantur ministrare ; et funibus quibus extra contorquebantur inservire, pro arbitrio præfectorum sine intermissione, nulla data requie, cogebantur. Demum vero, postquam injuncta sibi obsequia fideliter et devote compleverant, colaphos et verbera reportabant, pro mercede indignis affecti contumeliis. Nec sufficiebat hoc immundis canibus quorum violenta dominatione premebantur ; sed ut inauditam complerent malitiam, octo diebus, antequam supradictum virum, ut prædiximus, tanquam suspectum convenirent, consilio secretius habito, universos quotquot in urbe habitabant fideles, subito et de nocte occidere decreverunt ; quod nisi per quemdam magnum et prudentem civitatis principem, qui semper Christianis se amicum exhibuerat, octo dierum ad id complendum, invitis aliis, datæ fuissent induciæ, procul omni dubio, missis speculatoribus, illius tam perniciosi exsecutoribus consilii, eadem nocte universa fidelium turba gladio cecidisset. Recepta autem fuerat eo intuitu octo dierum prædicta dilatio, ut interim considerarent utrum solveretur obsidio ; quod si nostri in obsidendo perseverassent, tunc quod decretum fuerat exsecutioni mandaretur ; sin autem, parceretur civibus, qui ad mortem erant deputati. Effluxerant porro feriæ, eaque nox erat novissima ; jamque secretius exierat edictum, ut prædicta exsecutioni mandaretur sententia : cum de complendo eadem nocte nostris proposito, inter dominum Boamundum et prædictum Emirfeirum convenerat ; et pro fixo fuerat statutum ut, quod multum ante inter eos conceptum fuerat, adimpleretur ; quod, auctore Domino, factum est. Unde accidit quod eadem nocte nostris urbem occupantibus, pro excito tumultu, majores civitatis minus facti sunt solliciti ; nihil aliud arbitrantes urbis strepitum significare, quam id quod in Christianos concives præceperant exerceri. Unde et urbe violenter effracta, in domibus fidelium reperti sunt de hostibus quamplures, qui ad hoc convenerant ut, sicuti eis injunctum fuerat, incautos repente occiderent.

CAPUT XX.

Juxta consilium prædicti viri, exercitus de castris egreditur, circa noctem reversurus.

Igitur circa horam nonam, missa voce præconia per castrorum ambitum, edicitur publice universis de equestri ordine, quatenus armati omnes, majores sequantur principes, id quod eis injunctum fuerit, sine mora exsecuturi. Erat autem non solum plebs hujus ignara secreti, verum etiam paucis ex majoribus revelatum erat hoc mysterium. Factum est igitur ut, juxta prudentis viri consilium, egressæ a castris universæ equitum copiæ, principum secutæ vexilla, longius se abire finxerunt, quousque nox irruens terris solitam induxit caliginem ; qua occultati, clam et in silentio ad castra sunt reversi. Huic autem viro Dei, qui tantum nostris favorem contulerat, frater erat uterinus, longe alterius mentis et disparis propositi ; cui frater, quoniam de ejus non multum præsumebat sinceritate, nihil secreti sui communicaverat ; sed, suspectum habens eum, quantum poterat, propositum occultabat suum. Accidit autem eadem die, dum nostræ circa horam nonam egrederentur legiones, quod ambo fratres juncti adinvicem per cancellos murorum, castra prospicerent et egredientia contuerentur agmina ; laborabat autem frater senior junioris nosse propositum et ejus voluntatem diligenter indagare ; unde exorsus, ad fratrem dixit : *Misereor, frater mi, populo huic nostræ professionis gratiam et fidem consecuto, cui tam subitus paratur interitus ; ignarus enim quid crastina pariat dies, securus egreditur, et quasi rebus in tuto locatis, nihil timere videtur ; verum si sciret quantæ illæ præstruantur insidiæ, et quanta in proximo eorum paretur ruina, forte aliter sibi provideret.* Cui frater : *Stulta,* inquit, *sollicitudine consumeris et indiscreta compassione fatigaris : utinam Turcorum gladiis jam occubuissent universi : a die enim introitus eorum primo, multo deterior facta est nostra conditio : vixque esse poterit, ut tantum nobis per eos utilitatis accedat, quantum molestiarum eorum occasione passi sumus.* Sic ergo qui prius dubitaverat an fratri suo communicaret propositum, nunc tanquam pestem declinans, abhorret animo, exsecratur in conscientia, et, ne Christi obsequium per eum præpediretur,

Digitized by Google

de ejus cœpit morte (charitati fraternæ publicam fidelium præponens salutem) tractare.

CAPUT XXI.

Boamundus amicum sollicitat, ut opus compleatur: ille fratrem non consentientem perimit; Christianos per scalam demissam in urbem recipit.

Interea dominus Boamundus tota mente anhelus, quomodo votis satisfaceret, ne de ejus desidia res optata susciperet dilationem, principes circuit, tota instantia monet esse sollicitos, scalam in funibus cannabinis satis artificiose intextam, paratam habens præ manibus, quæ uncis inferius ferreis, superius vero ad murorum propugnacula debeat alligari. Jam vero nocte media, cum se universa quieti dedisset civitas, continuis vigiliis et labore immenso vires sopori ministrantibus, interpretem domesticum et valde familiarem ad prædictum amicum dirigit, ut ab eodem sciscitetur diligentius, utrum adhuc sibi velit adesse domini sui familiam. Adveniens autem ille, virum in cancellis reperit vigilantem. Cumque ei interpres voce submissa, verba domini sui exposuisset, respondit ei : *Sede quietus et tace, quousque præfectus vigilum, qui cum multo accedit comitatu, et fulgore lampadarum, locum istum pertranseat.* Erat enim in civitate consuetudo, quod præter vigiles, qui singulis turribus erant deputati, eorum superior magistratus, ter vel quater in nocte, muros cum ingenti circuiret comitatu, faculas ardentes gestando præ manibus, ut si quos inveniret aut somno gravatos, aut negligentius se habentes, debitæ animadversioni subjiceret. Pertransiens autem hic, cujus tanta erat jurisdictio, et prædictum virum vigilantem reperiens, ejus commendavit diligentiam, ad ulteriora deproperans loca securus. Videns autem vir prædictus horam se obtulisse rebus agendis opportunam, interpretem sepositum alloquitur, dicens : *Vade citus, et dic domino tuo ut cum viris electis festinus adveniat.* Qui dicto citius recurrens ad dominum et paratum reperiens, convocatis etiam aliis principibus, et in ictu oculi, sicut prænoniti erant, subsequentibus, quisque cum suo domestico comitatu, subito ante turrim diu ante prænotatam, quasi vir unus astiterunt, ita ut nec clamor, nec strepitus ex eis audiretur. Interea ille vir prædictus turrim eamdem ingressus, fratrem reperit somno gravatum, cujus quia mentem noverat alienam a suo proposito, timens ne per eum rei jam pene consummatæ ministraretur impedimentum, gladio transverberat, facto pius et sceleratus eodem. Post hæc rediens ad cancellos, et quos evocari præceperat præsentes conspiciens, dato et resumpto mutuæ salvationis affatu, funem demittit inferius, quo scalam ad se pertrahat sublevatam. Erecta igitur scala, et tam a superiore parte, quam ab inferiore firmius annexa, nemo repertus est qui ad vocem superioris vel domini Boamundi mandatum præsumeret ascendere et in se hujusmodi experimentum facere. Quod dominus Boamundus videns, conscendit ipse prior intrepidus. Cumque jam muri propugnaculo, transcursa scala, manum adhibuisset, comprehendens eam qui erat interior, sciens quia Boamundi esset manus, dixisse fertur : *Vivat hæc manus.* Et ut ejus et omnium fidelium sibi majorem conciliaret gratiam, eo quod fratrem uterinum in opere tam sancto non consentientem transverberaverat, inducit eum in turrim ; et fratrem ostendit exanimem proprio sanguine cruentatum. Deosculatus igitur dominus Boamundus viri constantiam et fidei sinceritatem, ad murum rediens, emisso paulisper per cancellum capite, voce suppressa suos ad ascensum cœpit invitare : cumque adhuc dubitarent, nec erat aliquis ausus ascendere, totum reputantes sophisticum, quidquid de muro dicebatur : quo cognito, ad suos per eamdem scalam rediens, suæ incolumitatis evidens dedit argumentum. Unde factum est, ut certatim ascendentes, in momento murum replerent; et non solum turrim illam, verum et de collateralibus nonnullas occuparent. Audivimus quod inter alios dominus Flandrensium comes et dominus Tancredus ascenderint, quorum doctrina cæteri regebantur.

CAPUT XXII.

Intromissi aperiunt portam; exercitus, jam facti conscius, in urbem irruit. Civitas expugnatur.

Videntes vero principes, quod sufficiebat numerus et prudentia eorum qui jam ascenderant, ut una vel plures portæ aperirentur, sub omni velocitate reversi sunt ad castra, ut suas præparent copias, et dato signo ab interioribus, urbem ingredi non morentur. Qui vero supra murum ascenderant, virtute induti ex alto, duce prædicto viro qui eos introduxerat, jam decem turres, in eodem sine interpolatione tractu, occisis earum custodibus occuparant : et tamen adhuc universa quiescebat civitas, ita ut nec rumor aliquis audiretur. Erat autem secus eam partem muri, unde nostri ascenderant, porta adulterina; ad quam descendentes, confractis ejus vectibus et seris, eam violenter aperiunt; et admittentes eos qui de foris exspectabant, crevit eorum numerus qui intus erant in immensum, ita ut ad portam, quæ Pontis dicitur, facto impetu concurrentes, cæsis gladio ejus custodibus, eam violenter aperirent. Interea quidam de familia domini Boamundi, ejus vexillum super eum contulerant montem qui urbi præeminebat; et juxta præsidium superius in arce quadam, loco eminentissimo collocaverant. Cognoscentes autem quod aurora rutilans solis ortum nuntiaret, dato signo cornibus et lituis, cœperunt perstrepere ad urbis ingressum, eos qui in castris erant, animantes. Principes vero, signi quod condixerant intelligentes argumentum, raptis armis, subito sua secum trahentes agmina, in urbem irruunt, aditus et portas occupantes. Interea populares exciti, quos hactenus secretum latuerat, videntes jam castra pene vacua, alios secuti, in urbem certatim se ingerunt. Cives autem tanto tumultu

Digitized by Google

expergefacti, primum dubitant quidnam sibi velit clamor iste insolitus; deinde videntes discursus per urbem loricatorum insuetos et stragem quæ passim per vicos fiebat et plateas, rem prout erat, arbitrati sunt. Relictis ergo domibus, cum uxoribus et liberis tentabant effugere; dumque armatorum declinant acies, latebras quærentes et salutis viam, attoniti quid faciant, armatis se ingerunt imprudenter. Qui autem erant urbis habitatores, Syri, Armenii et aliarum nationum fideles, hi de eventu qui acciderat congratulantes plurimum, correptis armis, nostrorum se adjungebant cœtibus; et sicuti majorem habebant locorum peritiam, ita alios post se trahentes urbis docebant diverticula; et portas, si quæ adhuc clausæ tenebantur, obtruncatis eorum custodibus, confractis seris aperientes, reliquum exercitus intromittebant. Videbatur eis hæc a Domino egressa vicissitudo, ut qui canibus immundis, indebitæ servitutis jugo subjecti fuerant, angariis et parangariis et cruciatibus immisericorditer fatigati, nunc versa vice, æquipollentes refunderent calumnias, et eis procurarent interitum. Et jam universus nostrorum introductus erat exercitus; jam libere portas turresque sibi vindicaverant, et mœnia; jam principum vexilla, et omnibus nota in locis sublimioribus constituta insignia, victoriæ dabant argumentum. Erant ergo ubique strages, ubique luctus, ubique mulierum ejulatus; et, interfectis patribus familias, passim obtruncabatur familia; et, effractis domibus, vasa diripiebantur; et, universa illarum substantia his qui primi accedebant, concedebatur ad prædam. Discurrebant victores per loca prius inaccessa; et, tracti cædis cupidine et lucri desiderio, nec sexui parcunt, nec conditioni; ætatis etiam apud eos nulla erat differentia. Occurrentes autem sibi per vicos et plateas civitatis, quærunt diligentius ubi potentum sint domicilia et ubi habitaverant locupletiores; illucque junctis concurrentes agminibus, interfectisque domesticis, effringentes penetralia, nobilium liberos, matres quoque familias gladiis transverberantes, domus supellectilem, aurum, argentum, et vestes pretiosas æqua sorte invicem partientes. Cæsa fuisse dicuntur ea die de civium numero plus quam decem millia, quorum corpora passim et sine delectu per vias jacebant insepulta.

CAPUT XXIII.

Cives in præsidium se receptant; Acxianus extra urbem fugiens occiditur; multi de monte præcipites prosternuntur.

Acxianus vero videns, quod hostibus erat tradita civitas, et quod turres et mœnia et urbem sibi vindicaverant universam; vidensque quod populus, qui stragem evaserat, in præsidium certatim se conferebat, timens ne Christianus exercitus illuc eos prosequens, præsidium vellet obsidione vallare, solus absque comite per posticum egressus, amens, vitæ tamen et salutis quærens compendium, fugam iniit; dumque solus præ doloris angustia, sine certo proposito errabundus vagaretur, casu habuit obviam quosdam Armenios, qui statim eum cognoscentes, accesserunt, quasi solitam exhibituri reverentiam; dumque ille, quasi extra se factus, hos passus esset ad se pervenire, cognoscentes ex eo quod solus ita aufugerat urbem esse devictam, violenter eum ad terram dejecerunt; et educto ejusdem gladio, caput ei præcidentes, in urbem intulerant, coram universo populo illud principibus offerentes. Erant autem in civitate quidam nobiles, qui de remotis partibus ad Antiochenorum, gratia exercendæ virtutis, venerant subsidium: hi locorum ignari, cognito quod civitas in nostrorum devenerat ditionem, dubii quid facerent et pro vita solliciti, in præsidium superius se recipere decreverant; dumque illuc tota properarent intentione, casu accidit quod nostros a parte superiori habentes obviam, et inter locorum intercepti angustias, ita ut neque ascendere, neque descendere, propter montis devexitatem liceret, instantibus nostris desuper, dum quocunque modo fugere nituntur, præcipitati sunt cum equis et armis, quibus erant insigniti, quasi trecenti; qui, confractis cervicibus et membris contritis, vix de seipsis reliquerunt aliquam memoriam. Qui autem aut de urbe aut de adjacente provincia locorum habentes peritiam, inventi sunt expeditiores, hi summo diluculo, postquam cognoverunt urbem effractam, per portas, quæ jam incipiebant reserari, junctis agminibus egrediebantur, ut confugerent ad montana; quos nostri cominus insectantes, partem reduxerunt, violenter eos compedibus alligantes; pars equorum erepta beneficio, ad montana confugiens, vitæ consuluit et saluti. Circa horam vero diei quintam, redeuntibus nostris, qui egressi fuerant; et qui per urbem dispersi fuerant recollectis adinvicem, quæsitum est diligentius et pro certo cognitum, quod nihil prorsus alimentorum in urbe repertum fuerat: nec mirum, cum jam pene mensibus novem continua obsidione vallata fuisset. Sed tamen in auro, argento, gemmis, vasis pretiosis, tapetibus et holosericis, tot et tantæ repertæ sunt copiæ, ut qui prius mendicabat esuriens, nunc factus locupletior, omnibus affluenter abundaret. Reperti sunt autem in tota urbe qui ad arma facerent, equi vix quingenti; et hi etiam confecti macie et inedia tabescentes. Capta est ergo Antiochia, anno ab Incarnatione Domini 1098, mense Junio tertia die mensis

Digitized by Google

INCIPIT LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

Describitur mons, et pars ejus ab hostibus occupatur, custodibus illuc locatis. Emittuntur ad mare qui populum evocent; et illatis victualibus civitas communitur.

Sedato autem tumultu et gladiis inebriatis sanguine, fessis a cæde continua victoribus, cum jam civitas quievisset, convenientes adinvicem principes, multum adhuc superesse laboris et nondum consummatum negotium intelligentes, per portas et mœnia designatis custodibus, in montem ascendere decreverunt, et oppugnare præsidium. Et missa voce præconia, cohortes universas, in montem prædictum ascendere certatim compellunt; quo pervenientes, cum præsidii constaret munitione, quod omnino esset insuperabilis et quod sola fame poterat expugnari; videntes quod inutiliter consumerent operam et studium, et res multorum dierum ferias exigeret, ad alia se convertunt argumenta. Mons enim iste, qui urbi præeminet, valle quadam profundissima et devexo plurimum præcipitio divisus est, ita ut ejus pars quæ in orientem respicit sit humilior, largam in sui vertice habens planitiem, vinetis aptam et agriculturæ; tanta tamen est profundæ intercapedinis distantia, ut potius montes duo quam unus in duo divisus videatur. Qui vero in occidentem protenditur, longe sublimior est et cacuminatus, in cujus parte sublimiore situm est præsidium, muro solido et turribus validioribus: ab oriente et a septentrione prædictum habens immane et in modum barathri præcipitium, ita ut nec excogitari possit quomodo ex illis duabus partibus præsidio noceatur. Ab occidente vero collis erat depressior, inter quem et præsidium vallis erat, sed modica, nec latitudine diffusa, nec profunditate præceps, per quam volentibus a præsidio in urbem descendere, iter unicum et singulare, satis per se nemine impugnante periculosum. Hunc ergo collem nostris visum est principibus occupare, ne forte per portam præsidii hostibus immissis, in nostrorum læsionem, in urbem pateret descensus. Locatis ergo ibi viris prudentibus et strenuis, et relictis tam in armis quam in victu necessariis; factoque muro cum propugnaculis ex opere solido, et locatis super eum ordine congruo machinis, quibus a se hostium possent repellere molestias: principes de majoribus deliberaturi in urbem descenderunt, ad eumdem locum completis negotiis redituri. Omnes enim illic moram facere, quousque expugnaretur præsidium, decreverant: excepto domino duce, qui de communi principum consilio, portam Orientalem in suam receperat custodiam, simul et præsidium, quod nostri extra urbem firmantes, domino Boamundo commiserant. Audientes igitur, quod magnus princeps, de quo supra dictum est, Corbagath videlicet, in proximo venturus esset, et jam fines Antiochenos ingressus, innumerabiles infuderat copias: decernunt usque ad mare aliquem de principibus dirigere, ut eos de fratribus, qui illuc gratia alimentorum et colligendi victus se contulerant, revocent; et quidquid necessariorum illic repererint, totum ad urbem quantocius præcipiant comportari.

Factum est autem, ut per illud biduum, quod usque ad adventum majorum copiarum superesse videbatur, in omni sollicitudine discurrentes, quidquid victus et pabulorum undecunque contrahere potuerunt, in urbem introducentes, ad ejus conductionem toto studio laborarent. Sed et suburbanorum incolæ, et agrorum cultores, scientes Christianis urbem esse redditam, quæcunque inferre poterant, diligenti studio comportabant. Sed modicum erat et pene nihil quod undique inferebatur; nam diutina obsidio, quæ mensibus novem continuis universam exhauserat regionem, nihil reliqui fecerat, unde vel ad paucos dies nostris posset suppeditari.

CAPUT II.

Trecenti a majore hostium præmissi exercitu, ante urbem discurrunt. Rogerius de Barnavilla incautius occurrens occiditur.

Altera vero die post urbem captam, cum nostri circa urbis custodiam et pro inferendis alimentis essent valde solliciti, ecce trecenti equites de exercitu Corbagath, studiose præmissi, si forte ex nostris aliquos extra urbem incaute se habentes reperire possent, armati ad unguem et equis invecti celeribus, juxta urbem se locant in insidiis. Ex quibus triginta, qui equos videbantur habere velociores, usque ad urbem cœperunt discurrere, ex industria ignorantiam prætendentes, et discurrentes incautius. Hos cum nostri qui in civitate erant, ita viderunt discurrere, ægre tulerunt, indignum omnino reputantes, nisi eis obviam procederetur. Unde vir in armis strenuus, cujus multa in eodem exercitu egregia fuerunt opera, Rogerus videlicet de Barnavilla, de comitatu domini Roberti Normannorum comitis, assumptis secum consortibus quindecim, eis in occursum ab urbe properat, more suo aliquid insigne gesturus. Qui dum laxis habenis in prædictos excursores irrueret animosius, subito, sed fraudulenter, in fugam versi sunt, tandiu fugam continuantes, quousque ad suorum pervenerunt insidias. Unde consurgentibus his qui latuerant, reintegrato suorum numero, in eos qui socios insectabantur, calle reciproco irruentes, in fugam

Digitized by Google

adegerunt; dumque Rogerus et sui, viribus impares et numero, in urbem se contendunt recipere, hostilium equorum velocitate præventus, ictu sagittæ trans præcordia lethaliter confossus, equo lapsus interiit : vir suis perpetuo lugendus, expeditionis Christianæ quantum in se erat, fidelissimus procurator. Cæteris autem in urbem se recipientibus, in præsentia omnium qui in muro erant et turribus, nemine ex eis opem ferente, viri memorabilis capite amputato, hostes reversi sunt indemnes. Quibus abeuntibus, nostri corpus ejus cum honestis exsequiis, non sine lacrymis et universorum gemitu in urbem introducentes, in porticu basilicæ apostolorum Principis, supremo humanitatis officio, præsentibus principibus et universo populo, sepulturæ dederunt magnifice.

CAPUT III.

Princeps major accedit, castra locat in montibus supra præsidium. Dux in porta Orientali prosternitur, ducenti pereunt de nostris.

At vero sequenti die, quæ ab urbis liberatione erat lux tertia, summo diluculo, circa solis exortum sæpe dictus princeps potentissimus, cum infinitis et majoribus etiam quam prius diceretur copiis, regionem quantum ex sublimiore civitatis parte poterat quis intueri, suorum multitudine occupaverat universam; et, ponte superiore transito, inter lacum et fluvium, qui inter se quasi spatio unius milliarii distare videntur, castrametatus est. Erat autem tanta expeditionum ejus multitudo et militiarum numerus, ut etiam illa tam insignis planities, in qua sitam esse prædiximus Antiochiam, vix eorum castris sufficeret, ut de collibus etiam vicinis locando tabernacula, nonnullos occuparent. Die demum tertia, postquam ante urbem castrametatus est, videns quia nimis esset ab urbe remotus, habito cum suis consilio, ut his qui præsidium tuebantur, de loco viciniore conferret solatium; et ut per eam portam, quæ castro suberat, suos in civitatem posset immittere, solutis castris, ad montana conscendit, a porta Orientali usque ad Occidentalem universum australe latus continua vallans obsidione. Erat autem secus eamdem Orientalem portam præsidium quoddam in colle aliquantulum edito situm, quod ab initio ad castrorum tuitionem fundatum, domino Boamundo prius tradiderant conservandum; urbe vero capta, postquam generalem cœpit gerere administrationem, prædictam munitionem, simul cum vicina porta, domini ducis custodiæ deputaverunt. Circa quod præsidium, dum castra hostes locassent sua, et his qui erant in præsidio assultus darent cum multa instantia frequentissimos, dux eorum non ferens insolentiam, cum suo egressus est comitatu, ut his qui in præsidio erant pene deficientibus ministraret subsidium, et castra quæ ante portam erant locata dissolveret; sed egredienti duci et suis volenti subvenire, occurrit Turcorum multitudo ingens, quam et viribus et numero longe superiorem dux sustinere non valens, vix eorum ereptus gladiis, fuga inita, in urbem se recepit : ubi hostibus proterve nimis insistentibus, dum plebs indiscreta comprimeretur acrius et mutuo sibi præ turba negarent introitum, ducenti pene partim oppressi, partim vulneribus saucii, nonnullis etiam captis, miserabiliter perierunt.

CAPUT IV.

Nostri infra urbem secus radicem montis vallum ducunt; pugnatur ibi; vincuntur hostes. Princeps hostium de monte descendit, urbem obsidet a parte inferiori.

Sic igitur duce confuso, qui quasi omnium præcipuus videbatur, Turci in tantam elati sunt audaciam, ut per portam superioris præsidii, quibusdam notis compendiis, in urbem descendentes, in nostros subito irruerent; et reperientes improvidos, sagittis et gladiis plerumque multos interficerent; nostris autem eos insequentibus, subito montem corripientes, in arcem se recipiebant superiorem; aliunde vias habentes, quam per eum collem, quem nostri occupaverant et communierant diligentius. Dumque sæpius ita contingeret, et multi de populo in civitate hac fraude deperirent, convenerunt in unum principes, ut huic tanto malo remedium procurarent. Factumque est quod de communi consilio, dominus Boamundus et dominus comes Tolosanus, inter partem urbis inferiorem et clivum montis, vallum duxerunt profundum admodum et latitudinis competentis, quo impetus eorum qui descendere de monte consueverant, retardaretur et populus infra urbem posset tranquillus quiescere. Et ut etiam vallum ad sui tuitionem redderent habilius, munitionem ibi construunt, fidelem et devotam operam impendentibus, tanquam pro salute propria, universis legionibus. Turci vero, qui superius adhuc obtinebant præsidium et qui exterius erant in obsidione, per superiorem portam admissi, per occultas semitas descendentes, huic novæ munitioni frequentes dabant assultus, et quanta poterant instantia, ut eam dejicerent, elaborabant. Accidit autem die quadam, quod erumpens a superioribus partibus, per solita compendia Turcorum manus solito numerosior, circa prædictum et de novo conditum præsidium, tanta cœpit eos qui intus erant oppugnare instantia, quod nisi principes qui aliis urbis partibus erant ad custodiam deputati, et universus qui per urbem dispersus erat populus, maturius subvenisset, pene dominum Boamundum et Evrardum de Pusato, Radulphum de Fontanis, Reibaldum Crêton, Petrum filium Gilæ, Albericum et Ivonem, viros strenuos et nobiles, qui ad ejus tuitionem intro se contulerant, expugnassent; sed advenientes cum multo impetu dux, et comes Flandrensis, et princeps Normannorum, eorum adeo represserunt insolentiam, ut interemptis pluribus et captivatis nonnullis, non solum a præsidio, verum ab urbe universa, conversos in fugam et male tra-

Digitized by Google

ctatos sub omni celeritate fugere compellerent : qui ad dominum suum reversi, nostrorum vires et admirabilem animorum constantiam prædicabant, ita ut in eis videretur completum illud vaticinium : *Lingua canum tuorum ex inimicis* (*Psal.* LXVII, 25); nam fidelis populi extollebant præconium, qui erant ejus persecutores. Corbagath vero, cum per dies quatuor in montanis, ut prædiximus, moram fecisset continuam, videns quod non proficeret, et quod equis pabula deficerent, solutis castris, iterum cum universis legionibus suis denuo descendit ad campestria; et transito flumine per vadum inferius, partitis agminibus æquipollentibus spatiis et locatis in gyrum principibus suis, urbem vallat obsidione: ubi dum die sequente, quidam ab exercitu divisi, nostros ad conflictum provocarent, contigit ut de equis descendentes et his qui in muro erant instantes protervius suorum jacturam incurrerent. Dominus enim Tancredus per portam egressus Orientalem, in hos tales irruit subitus, et antequam ad equos possent habere recursum, sex ex eis interimens, reliquos in fugam adegit; quorum amputans capita, in urbem intulit ad consolationem populi, qui pro defectu Rogeri de Barnavilla, qui ibidem occisus fuerat, gravi mœrore concutiebatur.

CAPUT V.

Populus infra urbem multa laborat inedia. Quidam nobiles clam inde aufugiunt; Boamundus universis præficitur.

Interea populus, qui paucis ante diebus eamdem urbem obsederat et obsessam vindicaverat violenter, nunc versa vice, sicut et rerum solet esse vicissitudo, obsidionem sustinens, gravi supra modum molestabatur inedia et immensis supra vires fatigabatur laboribus. Foris erat gladius, et intus pavor. Nam, præter eam, quam de numerosis expeditionibus quæ ab exterioribus urbem obsederant, merito conceperant formidinem; hostibus adhuc præsidium detinentibus, unde fiebant sæpissime, ut dictum est, irruptiones, non erat illis tranquillitas. Fiebat igitur, peccatis eorum exigentibus, quod multi in desperationem lapsi, professionis immemores et juramentorum quæ exhibuerant prodigi, clam funibus et in sportis per murum demissi, derelictis sociis, aufugerent ad mare : ex quibus nonnulli in manus hostium devenientes, perpetuæ mancipati sunt servituti; alii vero ad mare pervenientes, eos qui in navibus erant, præcisis anchoris, in fugam compulerunt, dicentes : *Princeps hic magnus, qui cum innumerabilibus advenit copiis, urbem quam nos expugnaveramus, exstincto universo nostrorum numero et principibus interemptis, violenter recepit; nos autem, opitulante Domino, gladios eorum evasimus. Vos igitur funes præcidite et maturate fugam, ne ad mare descendentes, pari vos involvant periculo.* Ipsi autem cum eis conscendentes, fugam inierunt. Erant autem qui sic aufugerant, non solum de popularibus et plebeiis, verum etiam viri nobiles, et multa generositate insignes : Willelmus videlicet de Crantemaisnil, vir inclytus de Apulia, qui sororem domini Boamundi habebat uxorem, et Albericus frater ejus; Willelmus Carpentarius, Guido Trussellus et Lambertus Pauper, et alii multi, quorum nomina non tenemus, quia deleta de libro vitæ, præsenti operi non sunt inserenda. Nonnulli etiam, quod multo erat abominabilius, futuri timore periculi, famis et laborum impatientia, ad hostes se conferebant, Christi doctrinam et ejus fidem cum impietate abnegantes. Hi de statu nostro certificantes adversarios, supremum eodem modo pene nostris intulerunt periculum: Alii vero qui in civitate remanserant, spem diffugii nihilominus ex parte plurima conceperant. Sed vir vitæ venerabilis, Podiensis episcopus et dominus Boamundus princeps illustris eorum prævenerunt molimina. Nam, designatis per portas singulas viris prudentibus, et de quorum experientia simul et fide merito præsumerent; turribus quoque per singulos nobiles collocatis, ita nocte et die studio indefesso servabant excubias, ut nemini penitus, quantumcunque properanti et arguto, ulla pateret via subterfugii. Et ut liberius generalem, quæ eis concessa fuerat, exercere possent jurisdictionem, juraverunt omnes, a majore usque ad minimum, quod usque ad consummationem negotii Antiocheni, et bellum quod sperabatur futurum, completum, domini Boamundi mandatis devote et fideliter obedirent : unde ille incessanter nocte ac die, suis comitatus domesticis et familiaribus, et de his quibus ampliorem habebat fidem, vicos et plateas, muros et turres civitatis cum multa circuibat sollicitudine, diligenter investigans, ne quis incaute se haberet, ne quis hostium introitus pateret insidiis. Erant autem præsidia quatuor, in quibus major exigebatur custodiæ diligentia; superius videlicet, quod contra arcem superiorem e regione positum erat; secundum item, quod inferius, infra urbem supra vallum erat constitutum, contra eorum irruptiones, qui a porta castri superioris in urbem consueverant descendere; tertium extra portam Orientalem positum, quod ad castrorum custodiam ante urbem captam fuerat fabricatum; quartum quoque, quod in capite pontis constructum fuerat, per quod porta pontis novissime fuerat obsessa, cujus curam dominus comes Tolosanus, ex quo civitas capta fuerat, cum aliis in urbem se conferens, dereliquerat. Urbe autem capta, Flandrensium comes prædictum ingressus castrum, cum quingentis viris fortibus et strenuis diligenter communierat, timens ne, si in manus forte hostium deveniret, nostris per pontem introitus negaretur et exitus; in quo fieret obsessorum deterior multo conditio.

CAPUT VI.

Comes Flandrensis præsidium ante Pontis portam, quoniam conservare non poterat, ultro deserit et incendit. Princeps hostium quosdam de nostris captos in Persidem dirigit.

Contigit autem die quadam, quod videns Corba-

Digitized by Google

gath, nostros nimiam egrediendi et ingrediendi habere licentiam, et prædictum juxta pontem præsidium, multum suis obstare conatibus, præcipit de suis ad duo millia loricatorum armari et prædictum cum omni instantia impugnare præsidium. Illi autem dicto citius parentes, circa prædictæ munitionis vallum congruis locatis stationibus, quanta possunt instantia, immissa sagittarum grandine, prædictum locum, ab hora diei prima usque in undecimam continuis infestant assultibus et congressionibus impugnant : comite cum suis resistente viriliter, et locum, cujus tuitionem assumpserat, totis viribus protegente. Cumque circa solem jam occiduum et vesperam imminentem viderent impugnatores, quod non multum proficerent, soluto assultu in castra reversi sunt. At vero comes timens ne, multiplicatis viribus, in crastino ad opus simile accingerentur; sciensque quod nullatenus posset contra tantum exercitum, prædictam tueri munitionem, intempestæ noctis silentio ignem adhibens et incendio tradens universa, in urbem cum suis ejusdem rei consortibus se contulit. Mane autem facto, redeuntes in id ipsum qui hesterna die castrum impugnaverant, assumptis sibi duobus aliis millibus, iterum ad idem opus se accingunt; et ad prædictum locum properantes, ubi desertum reperiunt et ex parte plurima dirutum, infecto negotio reversi sunt ad propria. Per eosdem dies accidit quod quidam de hostium exercitu latenter egressi, quosdam de nostris casu obviam habentes, viros egenos et inopes, proficiscentes incautius, ceperunt : quos ante principem suum deductos statuerunt, ut ei tanquam domino, successus sui et manubiarum dedicarent primitias. Ille autem in captivis et armorum, et habitus contemnens vilitatem (erant enim eis arcus lignei, enses quoque sordebant operti rubigine; vestes etiam præ continuis laboribus laceræ et assiduitate utendi prætendentes vetustatem ; non enim erant populo peregrinanti, diversa, quibus alternatim uterentur, mutatoria) dixisse fertur : *Ecce populus qui regna debeat sollicitare aliena; cui pro multis divitiis deberet sufficere, ut in quocunque terrarum angulo panis eis quasi vilibus daretur mercenariis. Ecce arma, quibus Orientalium ingenuitas debeat flagellari, quibus vix passer ictus periret. Alligate eos et compeditos cum armis suis, et isto suo habitu, domino meo qui me misit repræsentate, ut ex istis colligat quam nullius momenti sit de talibus triumphare: qualesque habendi sint, quos tam miserabilis populus se gloriatur subegisse. Abjiciat ergo a se curam. et omnem istam super me projiciat sollicitudinem; in proximo enim erit, quod canes eæ immundæ comparere desinant, et consumptæ penitus nequeant in populis numerari.* His dictis, tradi præcipit quibusdam ad hoc deputatis, qui eos juxta ejus definitionem ad majorem Soldanum vinctos deducerent in Persidem. Levissimum enim judicabat, eos sibi posse subjicere, quorum virtutem nondum expertus fuerat; quod quia sibi pro gloria putaverat ascribendum, ut eos apud dominum suum vilipenderet, id in ejus postea confusionem retorsum est : quanto sane a contemptibilioribus, suo judicio, victus abiit et confusus, tanto illi major est inflicta contumelia; tantoque major irrogata confusio. *Solet enim esse victis quasi pro solatio et casum reddere leviorem, si a viris fortibus et strenuis dicantur superati, sicut e diverso, ruborem ingeminat et adauget ignominium, ab indignis et vilibus obtenta victoria.*

CAPUT VII.

Fame invalescente, populus ad immundos invitus convertitur cibos.

Urbe igitur sic ex omni parte obsidione vallata, cum jam populo egredi vel ingredi et sua exterius procurare negotia non liceret, facta est nostrorum multo deterior conditio; nam cum nihil inferretur alimentorum, exorta est fames in civitate solito vehementior, ita ut præ defectu victualium et famis importune urgentis acerbitate, jejuna plebs propagandi cibi gratia, ad turpia nimis declinaret compendia. Non erat in escis, etiam apud delicatos, differentia; non erat mundorum ab immundis legalis illa distinctio; sed quod casus offerebat, sive gratis sive cum pretio, id in cibum vertebatur : inde venter rugiens et famelicus, si tamen ad hoc sufficiebat quod assumptum fuerat, implebatur. Non erat rubor nobilibus, non ingenuis verecundia, mensis alienis importunos se convivas ingerere, avide manibus alienis inhiare, importune petere quod sæpius negabatur. Fugerat a matronis, quibus aliquando familiaris fuerat, pudor; a virginibus reverentia : et suorum oblita natalium, exhausta facie, vocibus flebilibus, et quæ saxa possent movere pectora, non timentes repulsam, passim victum quæritabant; quas autem famis acerbitas expugnare non poterat, ut rubore deposito, fronte indurata ad mendicandum descenderent, hæ in abditis delitescentes, in seipsis tabescebant; mori magis eligentes quam se dare in publicum ut aliquid postularent. Erat denique intueri viros robustiores prius, quos virtus præcipua et nobilitas præclara cunctis reddiderant conspicuos et insignes, innixos præ nimia debilitate baculis, per vicos et plateas artus circumferre semineces; vultu dejecto, etsi non voce, eleemosynam petere a transeuntibus. Intueri erat nihilominus pueros vagientes et adhuc lactis egentes alimonia, per compita passim expositos, quibus quæ eos genuerant, materna denegabant obsequia, dum sibi non sufficerent ad hoc saltem, ut sibi aliquid peterent necessarium. Vix erat in tanto populo qui sibi sufficeret : universis pene sumptus defecerant; omnibusque, quasi in usum venerat mendicare. Aut si cui res adhuc domestica suppetebat, dum non occurrebat venale quod erat necessarium, nihilominus indigebat; quique apud suos in largiendis dapibus prius liberales judicabantur, et profusi, hi secessus quærentes abditissimos et loca inaccessa cæteris, qualemqualem su-

Digitized by Google

mentes refectionem, his quæ undecunque collegerant incumbebant avidius, nemini quod eis erat pro cibo communicantes. Quid plura? Camelos, equos, asinos, mulos et immunda quælibet et indigna relatu, suffocata et morticina, quoties dabatur ex his aliquid habere, pro summis reputabant deliciis; et ex his importunam repellentes esuriem, miseram quocunque modo sustentabant vitam. Nec solum plebeios et mediæ manus homines hujus tam miserabilis inediæ calamitas involverat, verum et majoribus nimis importune se ingesserat principibus; eratque eis tanto molestior, quanto pluribus providentes, indigebant amplioribus; et suam, petentibus, negare non poterant munificentiam. Referre vero quid singulis acciderit majoribus, licet hoc habeant adhuc veterum traditiones, et quanta egestate pii pro Christo laboraverint principes, longe esset ab historiæ compendio et speciales tractatus exigeret. Sed ut in summa dicatur, vix est quod aliqua contineat historia, tantos principes, tantumque exercitum, tantas alibi sine defectu et tam patienter pertulisse molestias.

CAPUT VIII.

Hostes clam unam pene de turribus occupant; Henricus de Ascha resistit viriliter, et pluribus occisis arcem obtinet violenter.

Interea dum ita civitas per studium et operam Corbagath et suorum, ex omni parte circumdata esset obsidione; et populus inclusus nusquam egredi, nullusque ad eos introire posset; insuper et congressionibus pene continuis, tam in urbe quam extra supra vires fatigati essent, accidit ut præ laboris diuturnitate et famis angustia in se ipsis deficientes, minus vigiles, minusque solliciti urbem custodirent; quibus cura circa corporis alimentum pene tota versabatur, necesse erat, ut ad cætera tractanda consurgerent remissiores. Unde factum est, ut die quadam turris una, juxta eam per quam nostris datus fuerat in civitate introitus, custodita negligentius, hostibus paulo minus ad urbem iterum impugnandam occasionem præstitisset. Quidam enim de hostibus sperantes, quod in noctis silentio potuissent eam occupare, ut inde sibi, sicuti et nostris prius in urbem pateret descensus, ad eam obtinendam scalas muro clam adhibuerunt, quibus jam circa noctis crepusculum, quasi triginta super murum ascenderant, turrim vacuam ingressuri; in quo negotio dum ferventius desudarent, casu contigit, quod qui vigilum administrabat præfecturam, mœnia perlustrans, ad eam partem pervenit, ubi hæc talia gerebantur. Cognitisque eorum moliminibus, multa vociferatione eos qui in vicinis erant turribus excitavit, turrim denuntians, fraudulenter ab hostibus occupatam. Ad quem tumultum excitati sunt, qui in ea regione observabant excubias; inter quos vir strenuus et insignis Henricus de Ascha cum duobus aliis, Francone videlicet, et Sigemaro, cognatis, de villa quæ dicitur Machela, super Mosam fluvium, ad partes illas impiger convolat: timens ne forte ab aliquibus pecunia corruptis, civitas proditione tradita esset hostibus. Quo perveniens cum confluentibus ad eum qui in vicinis erant turribus, hostes invadit viriliter; et strenuitate solita, in momento, licet perplurimum resistentes, a prædicta turri depulit, quatuor ex eis peremptis gladio; reliqui viginti sex (triginta enim jam ascenderant, alios postmodum introducturi), fractis cruribus et brachiis et cervicibus, de muro præcipitati sunt. Amisit tamen vir strenuus socium suum Sigemarum, transverberatum gladio; Franconem vero lethaliter saucium, quasi seminecem, domum fecit reportari.

CAPUT IX.

Hostes ad mare descendunt, incendunt naves, et in via multos de nostris perimunt.

Perurgente igitur obsessos singulis diebus majore media et fame periculosius invalescente, affligebatur populus vehementius: unde præ angustiarum multitudine et quotidianæ afflictionis pondere intermisso, quidam vitæ negligentes et salutis, urbe clam egressi, per medias hostium acies, per mille discrimina, ad mare, ubi adhuc aliquot tam Græcorum quam Latinorum erant naves, descendebant, ut cibos emerent et iterum referrent in urbem venales; alii vero, ut se tantorum eximerent casibus periculorum, abibant non redituri; nullam spem habentes, quod eorum qui in urbe relicti fuerant, in melius possent procedere negotium, aut hostium saltem gladios declinare. Quod postquam Turcis compertum est, clandestinis itineribus et nocturnis causa quærendi victus nostros ad mare descendere, et circa urbem evagari; missis nonnullis locorum habentibus peritiam, qui eis prætenderent insidias, sæpissimas ex eis operati sunt strages. Et quoniam sæpius eis in eo successerat facto, duo millia electorum equitum ad oram maritimam dirigunt, qui peremptis nautis et institoribus, et classe succensa, omne de cætero commerciorum genus amputarent; ut et ea præcisa negotiandi semita, omnis omnino Christianis deficeret alimonia et salutis spes intercluderetur: quod et factum est. Nam mandatum exsequentes, succensis ex parte navibus, et earum nautis, quos incautos repererant, ex plurima parte interfectis, reliquos in fugam adegerunt: quo rumore, qui a Cypro, Rhodo et aliis insulis, quique de Cilicia, Isauria et Pamphilia, et aliis maritimis regionibus gratia commerciorum solebant accedere, plurimum deterriti, jam illuc redire et merces inferre formidabant, nec audebant accedere; unde nostris, etsi nimis periculosa prius, periculosior tamen facta est conditio, rerum venalium penitus cessante commercio. Nam, dum institoribus liber per mare patebat accessus, etsi modicum erat quod per eos inferebatur, nec tanto poterat sufficere populo; tamen ad nonnullam nostris erat consolationem, et eorum aliquatenus relevabat inopiam. Hostes vero redeuntes ab ora maritima, de nostris etiam in via quosdam reperiunt,

Digitized by Google

quos omnes gladiis interimunt, exceptis paucis, qui per dumos et fruteta et speluncarum latebras delitescere potuerunt : quæ fama mali nuntia, nostros non minus quam ipsa famis enormitas molestavit : quoties enim suorum casum audiebant, toties eorum dolor renovabatur. Unde tot molestiis et laboris immensitate, et quotidiana suorum ruina, et infortuniorum acerbitate supra vires fatigati, jam de vita desperare ; jamque minus pro sua tuitione sollicitari, minusque obedire principibus incipiebant.

CAPUT X.

Stephanus comes Carnotensium ad imperatorem Constantinopolitanum proficiscitur.

Interea Willelmus de Grentemaisnil et alii qui cum eo aufugerant, pervenientes Alexandriam Minorem, ubi dominus Stephanus Carnotensium et Biesensium comes, cujus reditum tam principes quam universus populus, per dies singulos ardentibus præstolabantur desideriis, adhuc suam simulabat ægritudinem : quæ apud Antiochiam gerebantur, exponunt ; et ne ipsi etiam ob levem et frivolam causam, et tanquam timidi socios deseruisse viderentur, ærumnarum et afflictionis modum qui erat, amplificant. Et licet magnus esset et incomparabilis, tamen studiosa relatione majorem efficiunt, et de magnis majora loquuntur. Nec erat difficile ei persuadere quidquid timiditatem augere poterat, cum ipse prius ejusdem rei gratia socios deseruerat et fugerat a consortibus, ægritudine simulata. Factum est itaque, quod communicato adinvicem consilio, naves habentes paratas, mare ingressi sunt ; qui, dum aliquandiu navigassent, pervenientes in unam ex urbibus maritimis, sicuti solliciti erant, ut ubinam imperator esset diligenter investigarent, didicerunt per quorumdam dissonam relationem et veridicam, quod imperator cum infinitis legionibus tam Græcorum quam Latinorum, apud urbem Finiminis castra locaverat, Antiochiam proficiscens, quasi nostris subsidium collaturus, sicuti ex compromisso tenebatur. Exceptis autem exercitibus quos ipse ex universis nationibus collegerat, erant ei adjuncti, quasi ad quadraginta millia Latinorum, qui a legionibus quæ præcesserant, aut paupertatis causa, aut sua suorumque valetudine, aut ex quibusdam aliis urgentibus causis, per terram imperatoris derelicti fuerant ; nunc vero resumptis viribus et animo de imperatoris præsentia, et ejus innumerabilibus copiis, transeundi fiduciam habentes, ad viæ consortes toto spiritu, totaque mente festinare satagebant. Audiens ergo prædictus comes Stephanus, quod illic residens imperator, vires majores præstolaretur et ad proficiscendum se accingeret, assumpto cum his qui secum erant, itineris compendio, versus imperatoris exercitum cum omni celeritate contendit ; quo perveniens, ab imperatore honeste satis, sed cum admiratione susceptus est ; noverat enim eum imperator ; et ab initio dum cum aliis transiret, ejus sibi contraxerat amicitiam. Interrogans igitur ab eo imperator diligenter de vita et salute et statu principum ; et quænam esset causa quod ab aliis rediret separatus, respondit :

CAPUT XI.

Oratio ejus ad eumdem imperatorem, mendacio plena, perniciosa fidelibus.

Fideles tui, imperator invictissime, qui paulo ante per tuam habuerant transitum eminentiam, et de tua plenitudine, te largiente, facti sunt locupletiores, capta Nicæa, usque Antiochiam satis prospero cursu pervenerunt, urbemque ipsam jugi obsidione quasi per novem continuos menses expugnatam, prævia Domini misericordia, violenter sibi, excepto urbis præsidio, quod in monte sublimiori situm, urbi præminet nullis superabile viribus, vindicaverunt. Cumque crederent rem esse consummatam, quodque se periculis exemissent universis, urbe jam recepta, factus est error novissimus pejor priore, et in multo majora quam passi fuerant, inciderunt discrimina. Vix enim ab urbe capta tertia dies elapsa fuerat, cum ecce Corbagath Persarum princeps potentissimus, cum infinitis Orientalium copiis, et in multitudine omnem numerum excedente, eamdem obsidione vallavit urbem ; et ex omni parte obsessis introitum negans et exitum, principes et omnem populum tot et tantis molestiis affligit, quod nec etiam de eorum vita sperare liceat. Multitudinis autem eos obsidentium non est facile numerum comprehendere ; nam ut in summa dicatur, omnem adjacentem urbi regionem, locustarum more operuerunt eorum agmina, ita ut etiam tabernaculis videatur locus deesse. Noster autem populus, fame, frigore simul et æstu, cædibus et clade, ita comminutus est, quod totus infra urbem se collegerit, et vix ad ejus tuitionem sufficere posse videatur. Præterea et id solatii, quod de regno tuo, tam de insulis quam de aliis urbibus maritimis, navigio inferri consueverat, noveris funditus esse præcisum. Nam emissa copiarum parte, omnem inter Antiochiam et mare regionem, ita occupaverunt, ut classe penitus consumpta, nautis et institoribus gladio peremptis, omnem commerciorum spem et obtinendi victus fiduciam nostris amputaverint. Sed nec in civitate tantum alimentorum dicitur superesse, ut vel unius diei subvenire possit necessitati. Ad hæc, ad majorem ærumnarum cumulum, nec in urbe etiam tutum habent refugium ; nam irruentibus iis qui per castrum superius in urbem clam et sæpius immittuntur, in ipso civitatis medio per vicos et plateas periculosæ fiunt congressiones ; nec minorem curam intestinorum habentes conflictuum, quam eorum quæ ab exterioribus inferebantur. Unde nos, et qui hic nobiscum sunt præsentes capitanei et nobiles viri, videntes confratrum negotia non posse procedere, eos convenimus, sæpius et fraterne monentes, ut sibi consulerent ; et invita divinitate rem impossibilem comprehendere velle desisterent ; quos cum a suo non possemus revocare proposito, nos, ne paribus imprudenter involveremur calamitatibus, nostræ curavimus saluti providere. Et nunc, si placet tuis ita visum

Digitized by Google

fuerit illustribus, desiste procedere, ne tuæ felices quas tecum trahis expeditiones, paribus involvantur periculis; nam a facie tantæ multitudinis, quam universus ministravit Oriens, consultius est intentato negotio, re adhuc integra, discedere; quam temere, casu fortuito, cum tot et tantis experiri. Testes sunt eorum quæ loquimur præsentes inclyti viri, ejusdem sortis participes; sed etiam et Tatinus vir prudens et vafer, quem nobiscum tua direxit amplitudo, qui nostrorum cognoscens defectum, prudenter nimis ab eorum se subtraxit collegio, ut hæc tuæ nota faceret majestati. Erat autem in prædicto imperatoris exercitu, quidam domini Boamundi frater, Guido nomine; qui hoc audiens, pene ad insaniam motus est, fratris et amicorum casum deplorans. Hic, licet primum comitis narrationi obvium se daret, timoris causam objiciens, quod a tantorum cœtu principum se subtraxisset imprudenter; compescuit eum prædictus vir, secundum carnem inclytus, et si moribus non ita, Willelmus de Grentemaisnil, qui suam et domini Boamundi sororem habebat uxorem.

CAPUT XII.

Revertitur imperator ad propria: expeditiones quas in nostrorum subsidium collegerat, dissolvit, verbo credens prædicti comitis.

His igitur auditis, convocato principum suorum consistorio, deliberat, utrum procedendum sit ei, an domum exercitus oporteat revocare; habitaque pro tempore et negotio deliberatione argumentosa, tandem de communi consilio visum est expedire, tutius esse, incolumes domum exercitus revocare, quam universi in se excitare Orientis regna; et se dubiis inconsiderate committere fortunæ casibus, et præliorum. Tantam igitur imperator verbis prædicti comitis fidem adhibuit, ut non solum ita fore, prout asseruerat; verum etiam ut timeret apud se, ne princeps prædictus, nostris, ut dicebatur, interemptis, cum universa multitudine quam secum trahere dicebatur, in regnum ejus introiret; et quam, de opera et studio peregrinantium principum, Nicæam cum universa Bithynia receperat, iterum cogeretur amittere. Unde huic providens articulo, universas provincias ab Iconio usque Nicæam rediens, a dextra lævaque incendiis et rapina mandari præcipit, ut si casu quolibet suas adversus ejus imperium hostes vellent expeditiones dirigere, regio vastata alimentis carens, et habitatoribus viduata, aliquod saltem ministraret impedimentum. Sicque factum est, ut per operam prædicti comitis, subsidium, quod ex compromisso conferre paratus erat imperator, Christianus eo plurimum indigens non haberet exercitus. Considerantibus tamen interius, et rem perscrutantibus diligenter, videri potest, etsi prædicti comitis opus nullatenus valeat excusari, utpote vitiosam habens originem et causam primam ab honestate dissentientem, tamen quod ex eo subsecutum est, eo procurante qui solus potest et novit ad meliores exitus, etiam quæ malo sunt inchoata principio pertrahere, in eorumdem principum et plebis Dei, quæ ita cecidisse videbatur, certum est gloriam redundasse. Nam qui portaverant pondus diei et æstus, et relictis uxoribus et liberis, peregrinantes Domino decreverant militare, dignum erat, ut gloriam pro suis laboribus reportarent; quam si præsens fuisset imperator, cæteris omnibus invidisset. Videretur enim, si cum suis expeditionibus abfuisset, ob præcipuam sui auctoritatem et copiarum majorem numerum, negotium consummasse; et ita sibi merito palmam competere. Unde creditur a Domino procuratum, ut qui fideliter, et devote et cum innumerabilibus desudaverant periculis, laboris fructum et victoriæ titulum reportarent.

CAPUT XIII.

Hostes, cognito imperatoris recessu, instant amplius. Desperant nostri, obsequia negant. Boamundus urbem incendit, ut eos de latebris eliciat, principes fugam meditantur, dux resistit.

Rumor interea de recessu imperatoris, multorum relationibus urbem repleverat, qui et molestiis quibus premebantur incessanter, adjecit cumulum et in desperationis barathrum omnes pene dedit præcipites. Abominantur prædicti comitis et in perpetuum damnant memoriam, exsecrantur Willelmum de Grentemaisnil et omnes illius impietatis participes, imprecantes ut cum proditore Juda in æternis incendiis habeant portionem; qui non solum communibus se subtraxerunt laboribus, verum etiam tanto, quod eis videbatur Dominus præparasse, Dei populum defraudaverunt subsidio. At vero Corbagath, et qui in castris ejus erant principes maximi, sicuti cognito per exploratores imperatoris adventu, suspensi merito tenebantur, viresque ejus suspectas habentes, robur imperii non immerito formidabant; ita nunc notum per eosdem ejus habentes discessum, in majorem se erigunt insolentiam; et quasi de victoria certa spe concepta, nostros animosius comprimebant, et coangustabant attentius. Unde fiebat, ut in tanta essent, fideles qui in urbe erant, calamitate, et multiplicis miseriæ novissimo constituti, ut jam nec salutis spes, nec consolationis via ulla superesse videretur. Adeoque invaluerat et omnes occupaverat desperatio ut, circumeunte domino Boamundo civitatem, cui super omnes universi exercitus cura commissa erat generalis, nec verbo, nec verberibus quidquam proficeret, ut vel unum de domibus in quibus latitabant, posset avellere; et ad peragendas excubias, vel ad occurrendum hostibus, sive intus sive extra, quorum multiplices patiebantur insidias, destinare. Unde die quadam, defatigatis vociferando præconibus et apparitoribus, infecto negotio reversis, cum videret quod inutiliter operam consumerent, nec aliquem de latebris posset educere, in locis plurimis incendia per ministros suos procurari jubet et urbem succendi, ut saltem incendiorum metu prodirent in publicum, qui congelatis visceribus, obsequio divino studium negabant et operam, unde factum est, ut quorum

Digitized by Google

prius non poterat habere copiam, eos postmodum ad prosequenda munera certatim inveniret præcipites. Dicitur etiam, quod principes de vita desperantes et salute, habito invicem familiari consilio occulte decrevérant ut, relicto populo et plebe universa, ipsi clam de nocte aufugerent, ad mare properantes. Quod postquam duci innotuit et viro venerabili Podiensi episcopo, convocantes eos ad se, justis in eos increpationibus invecti sunt, ponentes præ oculis, quam perennem infamiæ notam sibi et posteritati suæ in perpetuum meruerint prædicti nobiles viri, qui contra honestatem morum, generositatis suæ titulos denigrantes, tanto fidelium Christi se collegio subtraxerant. Erat igitur in populo Dei tantus alimentorum defectus, tanta famis angustia, tot et tantæ, tam exterius quam interius, hostium importunitates, ut nusquam contra ea solatium, nusquam contra remedium inveniretur. Majores et minores, paribus involuti calamitatibus, nullam sibi adinvicem consolationis gratiam impendebant : memores uxorum et liberorum quos domi reliquerant, amplissima quæ ob Christi charitatem dimiserant patrimonia, mente recolunt, et de Domini quasi conqueruntur ingratitudine, eo quod labores eorum et devotionis sinceritatem non respiciat; sed quasi a Deo alienum populum, in manus hostium tradi patiatur.

CAPUT XIV.

Petro cuidam fit revelatio; lancea Domini reperitur. Iterum confortatur populus.

Dum ergo sic afflligeretur Dei populus, respexit eum Dominus, et gemitus eorum audivit, mittens eis consolationem de sede majestatis suæ. Quidam enim Petrus clericus, ut dicitur, de regione quæ dicitur Provincia, ad episcopum Podiensem, et dominum comitem accessit Tolosanum, asserens quod ei beatus Andreas apostolus in somnis apparuerat; et eum ter vel quater commonuerat diligentissime; quatenus ad principes loqueretur et nuntiaret ut lanceam, qua Domini nostri Jesu Christi latus fuerat perforatum, in ecclesia Principis apostolorum occulte repositam, cum omni studio perquirerent eique locum certis designavèrat indiciis. Qui accedens ad prædictos Deo amabiles viros, verbum sicut ei injunctum fuisse testabatur, ex ordine pandit, asserens se ab eodem apostolo multis terroribus ad hoc compulsum. Nam, cum sæpe legationem hanc sibi assumere, quoniam pauper et nullius prudentiæ erat, detrectasset, urgentissimam apostoli jussionem, nisi cum mortis periculo, declinare se non posse profitebatur. Hi autem reliquis principibus verbum secretius communicantes, eumdem clericum præsentem constituunt ut ab eodem modum et formam jussionis acciperent. Quibus verbis fidem habentes, ad locum quem eis infra septa prædictæ ecclesiæ designaverat, conveniunt : ubi effossa terra in altum aliquatenus, lanceam, sicuti prædixerat, reperiunt. Quod audiens populus, tanquam immissa de supernis consolatione, ad ecclesiam cucurrit unanimis; et donis muneribus tam pretiosum multo honore prævenientes inventum, cœperunt quodammodo a suis anxietatibus respirare, et in obsequiis divinis reparari fortiores. Fuerunt et alii nonnulli, qui se dicebant visiones angelorum et sanctorum apostolorum vidisse, quibus quasi in invicem consonantibus fides habebatur amplior, et populus a sua dejectione resurgebat in immensum. Factum est igitur, ad suggestionem venerabilium et Deum timentium virorum, quod principes universi, iterum voto concepto et juramentis corporaliter præstitis, se obligaverunt mutuo, ut si Dominus eos de præsenti casu clementer eriperet, et de hostibus suis optatam indulgeret victoriam, quod ipsi ab invicem non discederent, quousque auctore Domino, urbem sanctam, et gloriosum ejus sepulcrum Christianæ fidei et pristinæ restituerent libertati.

CAPUT XV.

De communi principum consilio mittitur Petrus Eremita legatus ad hostes : intrepidus peragit legationem.

Cum autem diebus viginti sex continuis hac tam intolerabili afflictione laborassent, cœpit iterum populus ad cor rediens fortitudine lumbos suos accingere, et longanimitate plus solito abundare, quadam spe immissa divinitus se confortans : ita ut omnes unanimiter a majore usque ad minimum his molestiis finem imponendum consonarent, et cum hostibus pugnandum ut subito, per divinam virtutis auxilium, eos de suis viribus præsumentes, a se possent repellere, et urbem quam eis contulerat Dominus, liberam vindicare. Utilius enim judicabant belli semel fortunam experiri quam perpetua tabescere inedia, et ingruentium molestiarum jugi sarcina torqueri. Hic igitur erat, et in omnium ore sermo vertebatur, ut extra urbem egredientes, cum hostibus decertarent : nec erat ea mens nobilium tantum sed etiam populares eodem desiderio succensi, principum arguebant desidiam et moras increpabant. Convenientes igitur principes in unum, et populi immissum divinitus cognoscentes fervorem, de communi decernunt consilio, ut missa legatione ad principem hostium, alterutrum duum proponant : *Quod aut cedat, urbem nostris perpetuo possidendam derelinquens, sicut juris eorum ab initio fuerat, et nunc, auctore Domino, in idipsum est reversa; aut ad pugnam se præparet, gladii judicium subiturus.* Electus est igitur ad id muneris prosequendum, Petrus Eremita, vir vitæ venerabilis, de quo in superioribus multa diximus, adjunctusque est ei socius et comes quidam Herluinus, Persarum idiomatis, et Parthicæ linguæ aliquam habens peritiam, vir itidem prudens et discretus : quibus datum est in mandatis id quod præmisimus, cum subdivisione tamen hac, ut, *si pugnam præeligere inveniretur, esset in ejus optione, utrum singulariter ipse cum uno ex principibus experiri vellet an certum numerum suorum, nostrorum oti-*

Digitized by Google

dem opponere, an simul hinc inde universos confligere exercitus, et legiones unanimiter ad pugnam convenire. Impetrato igitur ad tempus fœdere, et gratia mittendæ legationis pace petita, profecti sunt duo prædicti viri, cum sibi destinatis consortibus, usque ad tentorium principis : ubi eum reperientes cum suis ducibus et satrapis, Petrus Eremita, sicuti vir magnanimus erat, licet statura pusillus esset, munus injunctæ legationis strenue et fideliter procuravit. Accedens enim ad præfatum Persarum satrapam, nullamque ei omnino exhibens reverentiam, constanter et imperterrite verba proposuit, dicens : *Direxit nos ad tuam nobilitatem Deo amabilium qui in Antiochia sunt principum sacer conventus, monens ut ab eorum infestatione, et ab urbis, quam eis restituit divina clementia, impugnatione desistas : hanc enim apostolorum princeps Petrus, nostræ fidei fidelis et prudens dispensator, verbi sui virtute, et exhortationis qua præminebat gratia, sed et signorum magnitudine ab idololatria revocans, ad fidem Christi convertit, nobis eam reddens peculiarem. Nunc vero a vobis violenter, sed indebite occupatam, nobis restituit fortis et potens Dominus : unde pro avita hæreditate, et Christi domicilio familiari debitam gerentes sollicitudinem, unum tibi ex pluribus proponunt : ut aut ab urbis obsidione, et eorum molestatione quiescas ; aut tertia ab hac die cum eis gladiis decernentibus experiaris. Ac ne forte oblatum certamen causeris, et subterfugii causam justam invenias, optionem tibi proponunt, ut unum e pluribus eligere possis : an solus cum uno ex principibus tantum congrediaris, et victor totum obtineas, aut victus conquiescas ; aut plures cum totidem eisdem conditionibus decertent ; aut universæ hinc legiones bellicis eventibus experiantur.* Ille vero, spreta ejus legatione, respondisse dicitur : « *Non videtur, mi Petre, quod principum qui te huc miserunt, res sit in eo statu collocata, quod mihi debeant optiones proponere ; vel quod ego tenear, pro eorum arbitrio, aliquid eligere cum ad hoc per nostrum devenerint gladium, ut neque sibi liberam habeant optandi facultatem, sed pro nostro arbitrio eos oporteat sumere et deponere voluntatem Vade ergo, et dic imprudentibus qui suam adhuc non intelligunt conditionem, qui te huc ad nos direxerunt, quod omnes quotquot integræ ætatis ex utroque sexu reperire potero, domini mei obsequiis deputatos, vitæ reservabo ; omnes vero alios, tanquam arbores inutiles, gladio succidam, ita ut neque eorum aliqua supersit memoria. Quod nisi satius duxissem eos famis acerbitate consumi quam gladiis interire, jampridem effractis mœnibus et urbe violenter occupata, viarum suarum fructus collegissent, gladiis ultoribus subjecti.*

CAPUT XVI.

Revertitur Petrus ad proceres ; hostium superbiam nostris insinuat ; bellum indicitur.

At vero Petrus intellecta principis, ad quem missus fuerat, mente et superbia cognita, quam ex multitudine suorum et incomparabilibus divitiis collegerat, sumpta licentia ad suos revertitur. Quem infra urbem receptum, et quæ secum deferebat responsa volentem edere, et significare his qui eum miserant principibus, adfuit universa tam patrum quam plebis multitudo, cum summa aviditate audire gestientes responsi formam et legationis finem. Dumque Petrus secundum verborum seriem, principis ad quem missus fuerat, superbiam, minas et immoderatum fastum, præsente populo universo, seriatim proponere decrevisset timens vir illustris dux Godefridus, ne si cuncta ex ordine populo continuis afflicto laboribus, et jam præ ærumnarum immensitate deficienti panderentur, plebs nimis deterreretur, et timore deficeret, volentem in narratione procedere compescuit, seorsum ducens eum a turba frequentiore, suggerens ut omissis aliis, id solum breviter et in summa significetur, quod bellum exigant hostes, et ad id omnino se præparent. Populus ergo juxta Petri verbum intelligens quod hostes pugnam deposcerent, unanimiter omnes a majore usque ad minimum, paribus accensi desideriis, id ipsum votis expetunt ardentibus, cum tanta hilaritate verbum suscipientes, ut jam omnino pressurarum quas pertulerant viderentur immemores, et de victoria securi. Acclamantibus ergo universis et tam voce quam signis consonantiam et omnium conniventiam significantibus, bellum crastina die futurum indicitur. Gavisus igitur reversus est populus ad propria, totamque illam noctem præ pugnæ desiderio ducunt insomnem : dum arma exerunt, dum equos præparant, loricas detergunt et galeas, aptant clypeos, gladios acuunt, somno locus non datur, nec indulgetur sopori. Edicitur præterea publice, et voce præconia nuntiatur quatenus summo mane, ante solis exortum, unusquisque armis correptis et instructus ad prælium, suis associetur legionibus ; et proprii principis vexillum sequatur. Mane autem facto, circa primum diei crepusculum, sacerdotes et ministri Domini, per ecclesias divina celebrantes, et consummantes sacrificium, plebes monent ut, peractis de more confessionibus in spiritu humilitatis et animo contrito, contra mundi pericula corpore et sanguine Domini se communiant ; et indultis offensis, et rancore deposito, si quis erat, reformata plenius charitate, cum majore fiducia ad prælium egrediantur, et ejus vere sint auditores et membra qui dixit : *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII, 35). Celebratis ergo divinis et legionibus universis cœlesti munere satiatis, tanta est eis divinitus infusa gratia, ut qui heri et nudius tertius quasi segnes et abjecti, macilenti et exsangues, præ defectu virium vix poterant attolere lumina, frontes erigere et jejuniis attenuati, victi laboribus quærebant latibula, pristinæ honestatis immemores, nunc ultro in publicum prodeuntes, abjecta ignavia, quasi resumptis viribus, arma bajulant viriliter, et de bellicis tractare animositate præsumunt

Digitized by Google

solita, palmam sibi promittentes. Vix reperiebatur in tanto populo conditionis aut ætatis cujuspiam qui non meditaretur fortia, qui ad arma non consurgeret, qui non sibi præsagiret victoriam. Sacerdotes vero sacris induti, vestibus turmas circumeuntes et conventus, cruces deferebant in manibus, et sanctorum patrocinia, peccaminum promittentes indulgentiam, et plenam delictorum remissionem his qui fortiter in acie desudarent, et paternarum traditionum et Christianæ fidei vellent esse defensores. Episcopi nihilominus, principes, et exercitus primicerios tam seorsum quam in publico exhortantes, quanta eis divinitus dabatur exhortationis gratia instabant, benedicentes populum, et Domino commendantes : inter quos præcipuus Christi cultor dominus Podiensis episcopus, exhortationibus jugiter insistens, jejuniis, et orationibus et larga eleemosynarum liberalitate seipsum Domino dabat in holocaustum.

CAPUT XVII.

Ordinatis aciebus, urbem egrediuntur, Tolosano comite ad urbis tutelam derelicto.

Convenientes igitur summo diluculo, quarto Kalendas Julii, ante portam quæ ponti erat contermina, invocato de supernis auxilio, omnes unanimiter quasi vir unus, antequam urbem egrediantur, acies instruunt, et instructis ordinem et modum assignant procedendi. In prima igitur acie, Hugonem Magnum, fratrem regis Franciæ, ducem et signiferum constituunt; eique associant virum per omnia commendabilem, Anselmum de Riburgismonte, cum aliis nobilibus, quorum numerum vel nomina non tenemus. Secundæ præficiunt dominum Robertum, qui cognominatus est Friso, Flandrensium comitem, cum his qui ab initio castra ejus secuti fuerant. Tertiam jussus est regere dominus Robertus Northmannorum dux, et cum eo vir inclytus, nepos ejus, comes Stephanus de Albamarla, et alii nobiles, qui in ejus advenerant comitatu. Episcopus vero Podiensis, dominus Ademarus, bonæ memoriæ, cum sua et domini comitis Tolosani familia, quartæ præerat aciei, Dominicam secum deferens lanceam. Quintam vero Rainardus comes Tullensis, et Petrus de Stadeneis frater ejus, comes Garnerus de Gres, Henricus de Ascha, Rainardus de Ammerbac, Galterus de Dommedart, suo moderamine jussi sunt producere. Sextæ vero aciei de mandato principum præfecti sunt Rainboldus comes de Oringis, Ludovicus de Moncons, Lambertus filius Cononis de Monteacuto. Septimam vero vir illustris et magnificus, dominus Lotharingiæ dux Godefridus, cum viro venerabili fratre suo Eustachio, juxta militarem disciplinam disposuit. Octavæ vero vir in armis strenuus et morum generositate insignis præfuit Tancredus. Nonam vero comes Hugo de Sancto Paulo, et Engelrandus filius ejus, Thomas de Feria, Balduinus de Burgo, Robertus filius Gerardi, Rainoldus Belvacensis, Galo de Calvomonte disponere jussi sunt. Decimæ vero præfecti sunt Rotoldus comes Percensis, Everardus de Pusato, Drogo de Monci, Radulphus filius Godefridi, Conanus Brito. Undecimam vero Iscardus comes Diensis, Raimundus Piletus, Gastus Biterensis, Girardus de Roseilon, Wilhelmus de Montepessulano, Guilhermus Amaneus tenuerunt. In duodecima vero, quæ erat novissima, et cæteris refertior, constitutus est princeps et moderator dominus Boamundus, jussusque est postremus incedere, ut præcedentibus tempore opportuno ministraret subsidium, et pro his qui amplius ab hostibus gravarentur providam gereret sollicitudinem. Dominum autem comitem Tolosanum ægritudine valida periculosius laborantem, in urbe dimiserunt ad ejus custodiam, contra illos qui adhuc rebelles erant in præsidio, ne forte in absentia principum, urbem arbitrantes vacuam, super debiles et infirmos, senes et mulierculas, et imbellem populum, irruptiones molirentur. Fecerunt autem et in colle qui præsidio erat oppositus, murum ex calce et lapidibus cum propugnaculis solidissimum, super quem machinas jaculatorias constituerunt nonnullas, ducentos viros, robustos viribus et armis instructos, qui locum tucrentur, ibi relinquentes.

CAPUT XVIII.

Hostium princeps exitum parat impedire, sed nostri viriliter erumpunt.

Sic ergo dispositis suorum ordinibus, et in aciem redactis, de communi decernunt consilio quod dominus Hugo Magnus, dominus quoque comes Flandrensis, et dux Northmannorum reliqua præcedant agmina : universisque præcipiunt hunc observare proficiscendi ordinem, ut præmissis peditibus equites subsequerentur, et eis diligentem adhiberent custodiam. Cautum est etiam edicto publico, et lege communi promulgatum, *ne quis hostium spoliis inhiare præsumat; sed omnes hostium cædi unanimiter incumbant, quousque, obtenta victoria et prostratis hostibus, licite possint ad spolia colligenda redire.* Porro Corbagath suspectum habebat ab initio, et maxime postquam ad eum Petrus missus fuerat, nostrorum subitum in castra sua egressum : unde et cum iis qui in præsidio erant, convenerat, ut si quando nostri de exitu cogitarent, et se præpararent ad egressum, oppidani dato signo castris id significare properarent. Factum est igitur circa horam diei primam, dum nostri acies suas disponerent, qui in præsidio erant, id compertum habentes, signo dato de quo inter eos convenerat, id castris cominus significaverunt. Unde nostrorum volentes præpedire propositum, præmiserunt de suis quasi ad duo millia, qui circa pontem nostris occurrerent, et eos egredi non paterentur : qui, ut instarent protervius et ad sagittandum essent habiliores; descendentes de equis pedites se constituerunt, pontis partem ulteriorem occupantes. At vero nostri, compositis aciebus et juxta rei militaris disciplinam ordine congruo digestis, reserata porta, observatis stationibus et legionibus impermistis seriatim egrediuntur. Dumque prædicti hostes qui ad

Digitized by Google

cohibendum nostris exitum convenerant, in eo propo- A sito fortius desudarent, dominus Hugo Magnus, qui primæ præerat, ut præmisimus, cohortì, præmissis turbis pedestribus et sagittariis, in eos irruens animosius, primo tentantes resistere, sed tandem nostrorum impetum ferre non valentes, violenter dissolutos adegit in fugam, tanta instans animositate, ut vix equos ex quibus descenderant, recipere possent : quibus fugam ingressis, vir memoria dignus Anselmus de Riburgismonte, qui in prima constitutus erat acie, protinus irruens, sæculis memorabile virtutis suæ dedit experimentum; nam in mediis eorum cuneis salutis immemor, audaciter involutus, dum hos dejicit, illos perforat, et in eorum strage desudat animosius, universorum ordinum in se provocavit et oculos et favorem. Quod videntes B Hugo Magnus, et Robertus comes Flandrensium, Robertus quoque Northmannorum comes, et Balduinus comes Hemaucorum, et Eustachius ducis frater, prædicto nobili viro ut subsidium administrent, advolant celerius, viri strenuitatem admirantes; et collatis viribus irruentes, si quid adhuc erat roboris, potenter confringunt, et stragem ex eis operantes innumeram, pene usque ad eorum castra insectati sunt fugientes.

CAPUT XIX.

Nostris egredientibus ros de supernis infunditur, in quo consolationem receperunt universi.

Accidit autem in exitu nostrorum ab urbe quidam memoria dignum, quod, dum essent in pro- C cinctu, et jam extra portam acies dirigerent, hostibus qui aditum præpedire proposuerant, partim interemptis, partim in fugam versis, ros quidam suavissimus immissus de supernis, modicus, sed gratissimus, super nostrum exercitum descendit ita placidus, ut quasi in eo benedictionem et gratiam suam videretur Dominus infudisse. Quicunque enim eo imbre cœlitus immisso conspersus est, ita plenam mentis et corporis, suscepit hilaritatem et integritatem sospitatis, tanquam nihil laboris, nihil molestiæ tota illa expeditione passus esset; nec solum hominibus, verum etiam equis vigor pristinus a Deo restitutus est in integrum, ut qui per multos ante dies non nisi folia et cortices arborum habuerant pro pabulo, hostium equos et hordeo pastos D et palea, totâ illa die et celeritate vincerent et laboris patientia. Tanta ergo ex illius benedictionis rore nostris legionibus victoriæ spes et fortitudinis gratia videbatur accessisse, ut de eis videretur esse dictum : *Pluviam voluntariam segregabit Deus hæreditati suæ* (*Psal.* LXVII, 10), et Spiritus sancti gratiam manifeste se non dubitarent accepisse. Eductis autem extra urbem legionibus, decernunt esse utilius versus montana acies dirigere, quæ ab eadem urbe quasi distabant duabus milliaribus · et ita universam occupare planitiem, ne forte hostes infinitas habentes copias inter eos et urbem clam vel violenter transeuntes, sicuti facere consueverant in prœliis, nostros possent ex omni parte vallare, et aditum ad urbem intercludere fugientibus. Procedebant autem gradu lento, ita tamen ut non permiscerentur acies, neque ordines confunderentur. Factumque est divinæ virtutis operatione ut qui intra urbem hostibus pauciores, imo pene nulli eorum comparatione crederentur, tot et tanti, quot et quanti extra urbem, aut plures aut non pauciores esse viderentur. Qui enim quinque panes post quinque millium refectam esuriem in tantam fragmentorum quantitatem novit prius multiplicare (*Matth.* XIV, 17); idem populum sibi acceptabilem et sectatorem bonorum operum, ad nominis sui gloriam, non inferiori miraculo voluit augere. Erant autem immisti procedentibus ad prælium, Deo devoti sacerdotes et levitæ stolis amicti albis, signum crucis mirabile deferentes in manibus. Qui vero in urbe remanserant super muros ascendentes, vestibus induti sacerdotalibus, in lacrymis et oratione perseverantes, expansis manibus pro fideli populo sine intermissione orabant ad Dominum, ut parceret populo suo, et ne daret gentibus in opprobrium hæreditatem suam.

CAPUT XX

Curbagath suas instruit acies; pugnatur cominus. Solimannus a tergo irruens, aciem Boamundi graviter opprimit; subveniunt principes. Turci deficientes ignem subjiciunt, ut fumum excitent.

Interea princeps hostium intellecto nostrorum egressu, tum ex signo quod in præsidio urbis conspexerat, tum ex eorum relationum qui ab egredientibus devicti aufugerant, convocatis senioribus et expeditionum primiceriis, jam incipit habere pro seriis, quæ prius quasi ludicra reputaverat; et quorum prius arma et tenuitatem negligere videbatur, jam incipit habere suspecta. De communi igitur consilio, Antiochenorum tamen maxime usus experientia, acies instruit, disponit agmina; et qui præcedere, qui subsequi debeant, diligenti studio distinguit, et debita digerit sollicitudine. Inter cætera vero antequam nostri universa inter urbem et montes occupassent campestria, aciem unam, viris prudentibus et robustis insignem, cui præesse dicebatur vir illustris Solimannus Nicænorum princeps, de quo superius mentionem fecimus sæpissimam, versus mare dirigit, eo intuitu ut, nostris devictis et conversis in fugam, volentibus ad mare descendere vel in urbem ingredi, illi occurrerent, et ita inter molares duos, videlicet inter subsequentes et occurrentes a fronte, Dei populus contereretur. Reliquas autem a dextris locans et a sinistris, sub singulis principibus, sub obtentu gratiæ suæ, districte præcipit, *quatenus pristinæ virtutis memores, strenue et viriliter decertare contendant, frivolum reputantes quidquid tam imbellis populus, vulgus famelicum, plebs inermis et inconsulta, niteretur moliri.* Occupata igitur universa planitie, et proviso diligentius ne ab hostibus possent circumdari, monentibus lituis, et præcedentibus legionum vexilliferis, nostri versus acies hostium gradatim pro-

Digitized by Google

deunt : quibus cum appropinquassent, adeo ut jam in eos, hostes sagittas suas contorquere possent, facto impetu, tres primæ acies unanimiter in eos irruunt, lanceis et gladiis instantes cominus. Sed et nostri peditet qui arcubus utebantur et balistis, equitum præcedentes manipulos, votis ardentibus ultro et certatim se ingerebant; quibus subsequentes equitum turmæ, quantam poterant, adhibebant custodiæ diligentiam. Dumque primæ acies viriliter in agone desudant, ecce subsequentes eis, adjunctæ et illatæ impetu non inferiore, eos qui se præcesserant reddunt tam audacia quam viribus præstantiores. Cumque jam omnes, excepta novissima, cui præerat dominus Boamundus, ad hostes pervenissent acies, et cum eis decertarent viriliter, ita ut pluribus interfectis, jam pene dissolutis agminibus hostes in fugam verterentur, duxque cum suo comitatu validiorem et densissimam hostium cohortem jam penitus in fugam adegisset, ecce Solimannus, cum ea legione quam supra diximus eum versus loca maritima deduxisse, rediens, in aciem domini Boamundi audacter et cum multo impetu a tergo irruit, tantam immittens sagittarum multitudinem, ut instar grandinis totam aciem operiret; moxque depositis arcubus, et eorum neglecto officio, clava instans et gladiis, ita ut importunam eorum instantiam dominus Boamundus vix sustineret: dumque iis premeretur atrocius, et pene dissolveretur legio cui præerat, licet ipse strenui more et fortis viri, in hostes medios cum paucis consortibus decertaret, dux subito cum suis copiis evocatus, unaque cum eo vir spectabilis dominus Tancredus, impiger advolat, domino Boamundo subsidium ministraturi: quorum opportuno adventu, statim hostium enervatæ sunt vires, et omnis eorum virtus emarcuit, instantibus nostris animosius, vulneraque et mortem ministrantibus. Dumque viderent se viribus impares, irruentium pondus se non posse sustinere diutius, ad alia se convertunt argumenta; et ignem solito excutientes artificio, subjiciunt in stipulam; erat enim fenum multum in loco aridum valde, et stipula apta prorsus incendio; quæ subjectum ignem suscipientia gratum ministraverunt fomitem, et licet flammam quidem modicam, tetram tamen atque densam fumi dederunt caliginem, qua involutæ acies, minus quidem instabant hostibus, fumo plurimum officiente luminibus, et pulvere nihilominus, qui equorum et peditum excitabatur frequentia. In hac igitur tanta fumi caligine studiosius excitata, hostes nostros insecuti, de peditibus, nonnullos occiderunt; equites autem equorum rapti beneficio periculosam illam declinantes nebulam, redeuntes in idipsum, et divino freti adminiculo agonem continuantes, reintegratis divino munere viribus, hostes in fugam gladiis persecutoribus convertunt; nec desistunt insequi, quousque ad suorum jam dissoluta agmina, eos recurrere violenter compulerunt.

CAPUT XXI.

Fugit hostium princeps; legiones eorum permuntur; qui evaserunt, versi sunt in fugam.

Erat autem in eadem regione vallis modica, per quam horis hiemalibus torrens de monte defluens descendere consueverat, cursuque præcipiti alveum in vallem subegerat, ultra quam cum hostes confugere noster compulisset exercitus, in colle quodam eminentiori aliquantulum, dum tentarent resistere, et tubarum sonitu et strepitu tympanorum dissolutas iterum revocare conarentur legiones, sine intermissione eos subsecuti, nostri principes advolant celerius: tam qui in postremis, ubi majus exercebatur negotium, cum Solimanno laboraverant, dominus dux Godefridus, dominus Boamundus, Tancredus quoque, et alii quidem nobiles, auctore Domino, victoria potiti; quam qui in prima fronte, obvias sibi jam contriverant acies, Hugo Magnus videlicet, et uterque Robertus, tam Flandrensium quam Northmannorum comes, et alii multi perpete digni memoria: vallo transmisso hostes a prædicto colle dejiciunt violenter; et iterum ab invicem dissolutos, nostrorum constantiam sustinere non valentes, fugam inire compulerunt. Corbagath autem ab initio turbam declinans, in colle quodam constitutus frequentes dirigebat nuntios, qui ad eum recurrentes sæpius, de belli eventu eum edocebant. Hic dum præstolaretur anxius quo fine tantum terminaretur negotium, repente suas dissipatas penitus et in nullo sibi cohærentes, diffluere conspicit legiones. Quo facto perterritus, monentibus suis qui eum comitabantur, ut saluti consuleret, relictis castris et suorum immemor, fugam iniit quantocius, tanta correptus formidine, ut neminem exspectans, et equos permutans alternatim, ut fugæ possent sufficere, transito Euphrate vix tutum se reputaret. Relictæ vero acies, principis destitutæ solatio, resistendi animo simul et viribus vacui, quibus equi sufficere poterant, eadem via saluti consulentes, fuga elapsi, insequentium gladios evaserunt. Nostri autem equorum timentes defectum, non multum insequi præsumpserunt, excepto domino Tancredo, et paucis aliis, qui usque ad occasum solis, tribus aut quatuor milliaribus eos sternendo prosecuti sunt. Tantum siquidem divina virtus eis timorem immiserat, ut vel resistere, vel a se insectantium propulsare injurias nec attentarent; decem enim ex nostris videbantur eis quasi multa millia; nec erat qui a facie nostrorum fugientibus ministrare posset consolationem. Hic plane innotuit quia *non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI, 30): quamque vere dicatur quod *non deserit Dominus sperantes in se* (*Judith.* XIII, 17), ipso rerum experimento factum est evidens et manifestum, cum populus inops et famelicus tantam virorum fortium multitudinem, Dei fretus auxilio, potuit superare; et præter spem propriam, in uno prælio universum a Deo destitutum Orientem confundere.

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Redeuntes a cæde hostium nostri, de castris eorum infinita reportant spolia.

Consummato igitur prælio, et divinitus concessa nostri principes potiti victoria, in castra hostium redeunt: ubi tantam rerum necessariarum reperiunt opulentiam, tantas Orientalium divitiarum copias, ut jam auri, argenti, gemmarum, holosericorum et pretiosarum vestium, nec non et vasorum, tam artificio quam materia commendabilium, neque numerus esset, neque mensura: equorum etiam, sed et gregum et armentorum, annonæ quoque nihilominus et victualium tanta ibi reperta est abundantia, ut jam nescirent quid eligerent, etiam qui suprema prius laboraverant inopia. Colligentes itaque hostium papiliones et tentoria, quibus plurimum indigebant (sua quippe vetustas et imbrium quos sæpe pertulerant intemperies corruperant, ut jam essent inutilia) gazas in eis reperiebant multiplices; sed et ancillas et parvulos quos fugientes dimiserant, secum in urbem detulerunt. Inter cætera autem, et majoris eorum principis admirabile reperiunt tabernaculum, in modum civitatis, turribus, propugnaculis et mœnibus, ex optimo serico et variis coloribus contextum: a cujus medio quasi a triclinio principali, in partes plures adnexæ defluebant diversoria, quæ quasi per vicos distinguebantur, quibus duo hominum millia spatiose considere posse dicebantur. Onerati igitur spoliis et manubiis ditati, cuncta in urbem deferunt, diem agentes solemnem in lætitia et exsultatione, gratias illi exhibentes de cujus munere venerat, ut tot casibus superatis, tot decursis laboribus, optatam consecuti essent victoriam. Qui autem erant in præsidio videntes quod sui defecerant, et necessariam subsidii spem haberent nullam, interpositis conditionibus, quod cum salute liceret egredi, uxoresque ac liberos simul et omnem eorum substantiam libere possent educere, arcem nostris resignant principibus, eorum vexillis in summis turribus collocatis. Sic igitur factum est per Domini superabundantem gratiam, ut recepto urbis præsidio, et obtenta victoria, qui heri et nudius tertius tenues erant et pene famelici, bonis inciperent omnibus abundare. Ad hoc enim jam devenerant etiam qui inter eos erant potentissimi et eximii nominis, ut etiam mendicare compellerentur. Nam ut de gregariis taceamus, comes Harmannus vir nobilis de regno Teutonico, ad eam deductus est paupertatem, ut ei de mensa ducis, panis pro quotidiano stipendio, quasi magnum, deputaretur. Henricus quoque, de Ascha, vir probitate singularis, inedia penitus consumptus esset, nisi ab eodem domino duce assumptus esset in convivam. Sed et ipse etiam dux, dum civitas obsideretur, antequam egrederentur ad prælium, tanta laborabat inopia ut equos non habens, eum cui insedit in prælio a comite Tolosano multis precibus vix extorserit. Jam enim tam ipse quam alii principes quidquid pecuniarum secum detulerant, in larga eleemosynarum liberalitate et pietatis operibus, et his maxime quæ ad communem respiciebant utilitatem, prona devotione consumpserant. Unde factum est quod multi nobiles, et apud suos tam genere quam strenuitate præclari, ea die qua bellum indictum est, consumptis opibus inopes facti, et equos non habentes, partim pedites, partim super asinos et vilia jumenta, egressi sunt ad pugnam: quorum inopiam benigne respiciens consolator Dominus, antequam sol vergeret ad occasum, devictis hostibus, opes contulit redundantes. Renovatum est ibi evidentius illud Samariæ antiquum et vetus negotium, de mensura similaginis et hordei, quæ statere uno accipiebatur. Nam qui mane vix sibi sufficere poterat, vespere habuit unde multos aleret. Factum est autem hoc, anno ab Incarnatione Domini 1098, mense Junio, vicesima octava die mensis.

CAPUT XXIII

Civitate composita, ecclesias mundant et reparant; clericum in eis ordinant studiose.

Reversis igitur principibus de prælio, et urbe jam in omni tranquillitate composita, curæ fuit omnibus, et præcipue patrono exercitus, viro venerabili domino Podiensi episcopo, cooperantibus aliis qui in eodem exercitu erant pontificibus, et plebe suffragia ministrante, tam majorem urbis ecclesiam, quæ in honore Principis apostolorum dedicata erat, quam reliquas, quæ per urbem erant constitutæ, in pristinum decorem reformare basilicas, et in eis clerum restituere, qui divinis jugiter se manciparet obsequiis. Gens enim Turcorum impia, loca profanaverat venerabilia; et ejectis inde cultuum divinorum ministris, usibus profanis ea deputaverant; in aliis equos et jumenta, quasi in stabulis collocantes; in aliis vero indigna locis exercentes negotia. Venerabiles quoque sanctorum imagines (quibus simplex populus, et *plebs Dei cultrix pia ruditate commendabilis*, quasi pro libris utitur, quæ vice lectionis simpliciores ad devotionem excitant), ex ipsis corraserant parietibus; et quasi in viventes personas desævientes, oculos effoderant, mutilaverant nares, et luto sumpto de immundis obduxerant, dejecerant altaria, et nefandis operibus inquinaverant Domini sanctuarium. Placuit igitur de communi consilio ut statim sine dilatione in eis clerus restitueretur et pristina reformaretur dignitas, designatis stipendiis unde possent sustentari qui in eis Domino militarent. Obtulerunt itaque de spoliis hostium aurum et argentum, unde fierent candelabra, cruces, calices, et textus Evangeliorum, et cætera ecclesiasticis necessaria usibus utensilia, holoserica quoque ad opus sacerdotalium indumentorum, et altarium operimenta. Dominum quoque patriarcham, Joannem nomine, qui tanquam verus Christi confessor, post nostrorum adventu, infinita ab infidelibus pertulerat supplicia, in sede propria cum multo honore locaverunt, per urbes finitimas, quæ cathedralem consueverant ha-

Digitized by Google

bere dignitatem, constituentes episcopos. Nostræ vero Latinitatis patriarcham, eo vivente qui pridem ibi ordinatus fuerat, eligere vel consecrare non præsumpserunt, ne duo unum et eumdem obtinere thronum viderentur: quod manifeste contra sacros canones et contra sanctorum constituta Patrum esse dignascitur. Sed tamen postmodum vix evoluto biennio, videns ipse quod non satis utiliter præesset Græcus Latinis, urbe cedens, Constantinopolim abiit. Post cujus discessum convenientes ejusdem civitatis clerus et populus, Artasiensem episcopum Bernardum nomine, natione Valentinum, qui in eadem A expeditione dominum Podiensem episcopum secutus, fuerat capellanus ejus, sibi præfecerunt patriarcham. Urbis autem potestatem et dominium sicuti ab initio promiserant, omnes unanimiter domino Boamundo concesserunt, excepto comite Tolosano, qui portam ponti conterminam cum adjacentibus turribus, suis munitam satellitibus detinebat: quas postmodum post discessum comitis ex urbe, ejectis inde militibus, sicuti inferius dicetur, recepit. Quoniam autem apud suos nomine dignitatis princeps dictus fuerat, obtinuit consuetudo, ut de cætero Antiochiæ dominus, princeps appelletur.

INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Diriguntur nuntii ad imperatorem Hugo Magnus et comes Heumacorum; Balduinus comes in via defecit; Hugo Magnus non revertitur. Podiensis episcopus moritur; lues oritur.

Rebus igitur in urbe sic dispositis, de communi decernunt consilio, ut dominum Constantinopolitanum imperatorem per nuntios suos sollicitent, quatenus juxta pacta quæ cum eis inierat, eis auxilium in propria persona non differat ministrare; sed proficiscentes Hierosolymam, sicut tenebatur ex promisso, mature subsequatur; alioquin pactorum seriem negligenti, ipsi nullatenus vellent se obligatos teneri. Electi autem sunt ad id muneris prosequendum viri nobiles et clarissimi, dominus videlicet Hugo Magnus, domini Philippi Francorum C regis frater, et dominus Balduinus Heumaucorum comes: quorum alter irruentibus in itinere hostibus, comparere desiit, cujus usque hodie dubius est exitus, aliis dicentibus eum in acie cecidisse, aliis ab hostibus captum et mancipatum vinculis, in ulteriora deductum Orientis, asseverantibus. Dominus vero Hugo Magnus irruentium insidias declinans hostium, ad imperatorem pervenit incolumis, ubi insignibus gestis ejus multam nubem induxit, et titulo generis derogavit non modicum. Nam cum in expeditione multa gessisset egregie, unde sibi famam pepererat immortalem, in ea legatione meritum denigravit, dum expleto negotio, ad eos qui eum miserant nec responsa detulit, nec D curavit redire. Fuitque in eo delictum hoc, tanto notabilius, quanto ipse genere erat præclarior: nam juxta verbum nostri Juvenalis:

Omne animi vitium, tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto qui peccat major habetur.

Suscitata est itaque, ex causis occultis, statim urbe capta et consummata victoria, postquam res jam erant in tranquillo collocatæ, tanta clades in populo, ut vix aliqua præteriret dies, in qua triginta vel quadraginta non efferrentur funera; ita B quod de populo supererat, jam quasi penitus deleretur. Qua lue pestifera et contagione, cunctos longe lateque indifferenter involvente, vir vitæ venerabilis et immortalis memoriæ, dominus Ademarus Podiensis episcopus viam universæ carnis ingressus est, atque cum gemitu et lacrymis et intimis omnium suspiriis, tanquam pater et præcipuus plebis universæ moderator, in basilica beati Petri, in eo loco ubi lancea Domini reperta fuisse dicebatur, cum multa sepultus est honorificentia. Ejusdem cladis acerbitate Henricus de Ascha, vir et generis titulo et strenuitate commendabilis, apud castrum Turbessel consumptus est, ibique sepultus. Sed et Rainardus de Amesbach, miles pariter et manu et sanguine clarissimus, eodem occubuit casu, sepultus in vestibulo basilicæ Principis apostolorum. Sexus quoque femineus ibi pene universus eadem lue deperiit, ita ut infra paucos dies pene quinquaginta millia deficerent. Cujus tanti mali, quidam circa hoc curiosi, causas assignare cupientes, dissentiebant ab invicem; dicentibus aliis quod ex occultis quibusdam acris passionibus hoc accideret; aliis vero id pro causa assignantibus, quod populus longo tempore famis acerbitate vexatus, postquam alimentorum attigit abundantiam, cibos cum aviditate sumens nimia, præteritos defectus quærens redimere, sibi ipsi causam mortis immoderata gulositate inferebat. Idque pro suæ opinionis assertione in evidens trahebant argumentum, quod sobriis et iis qui sibi parce sumebant alimenta, multo melius erat, et redibant ad convalescentiam.

CAPUT II.

Vociferatur populus ut Hierosolymam eatur; differtur iter usque ad Kal. Octobris. Boamundus in Ciliciam descendit, et regionem recepit universam.

Interea vero tum cladis effugiendæ gratia, tum assumptæ peregrinationis intuitu cœpit vociferari populus, et instanter acclamare, ut ad iter versus Hierosolymam, cujus causa venerant iterum prin-

Digitized by Google

cipes se accingerent, et Domini prærent exercitui, causæ principali, quæ omnes de regionibus suis exciverat, satisfacientes. Qua ex causa principes convenientes in unum, super hac populi postulatione tam favorabili et exauditione digna, deliberationem ingressi sunt, in qua alius sic, alius aliter afficiebatur : quibusdam enim id videbatur expedientius, ut statim sine dilatione iter arriperent, et populi satisfacerent desideriis ; quibusdam vero ob instantis fervorem æstatis et aquarum penuriam, et populi famis acerbitate diutius afflicti debilitatem, et equorum defectum, usque ad clementioris initium temporis et Kal. Octobr. iter differendum videbatur, ut hoc medio tempore, equis de novo acquisitis et refocillatis veteribus, populo quoque alimentis et requie in statum pristinum reformato, et omnium viribus reparatis, ad laborem itineris possent resurgere fortiores. Placuit tandem omnibus posterior sententia, et usque ad tempus prætaxatum de communi conniventia receptæ sunt feriæ. Ut vero interim et cladis declinarent imminentis periculum, et necessariorum majorem alibi reperirent abundantiam, divisi sunt principes ab invicem, ea conditione, ut sine dilatione, tempore redirent condicto. Boamundus enim in Ciliciam descendens, Tharsum, Adanam, Manistram, Anavarzam urbes recepit, et, custodibus deputatis, regionem sibi vindicavit universam. Alii quoque per urbes dispersi finitimas, seorsum a turbis, equis et sibi, agentes, indulgebant. Multi etiam tam de plebe quam de nobilioribus ad dominum Balduinum ducis fratrem, ut ab eo aliquid accipere mererentur, Edessam, cui præerat, transito Euphrate, certatim properabant. Quos ille cum multa honestate suscipiens, et apud se commorantes tractans benignius, multis donatis muneribus, hilares remittebat ad suos.

CAPUT III.

Dominus Hasarth contra dominum suum Rodohan a duce petit auxilium. Dux, evocato fratre Balduino, illuc properat.

Accidit autem per eosdem dies quod Rodohan Halapiensium princeps, cum quodam de suis satrapis, qui castello Hasarth præerat, contraxerat inimicitias ; eoque odium inter eos pervenerat, quod, convocata ex universis sibi subditis regionibus militia, castrum prædictum obsederat. Videns autem præsidii dominus, quia non facile nisi per auxilium Francorum, domino potenti et irato posset resistere, missa legatione ad ducem Godefridum per quemdam Christianum fidelem suum, missis muneribus, ut ejus sibi facilius conciliaret gratiam, ejus amicitiam postulat ; servitium suum cum devotione spondet, indissolubili nexu fœderis ei se cupiens obligare ; et ut verbis ejus pleniorem haberet fidem, et nulla ex parte de ejus promisso dubitaret, filium suum ei destinat obsidem, orans et petens, ut a præsenti eum solvat periculo, condignam pro meritis tempore opportuno retributionem percepturus. His et hujusmodi vir venerabilis persuasus, præ- A dicto nobili amicitia fœderatur, in suam eum gratiam recipiens, missoque nuntio, fratrem suum Edessanum comitem cum militaribus copiis ad se præcipit evocari, ut amicum obsidione soluta expediat. Vixque prædictus Rodohan circa castrum Hasarth per quinque dies cum suis expeditionibus consederat, cum ecce dux Godefridus in magna multitudine tam fidelium suorum, quam amicorum, quos ad persequendum propositum invitaverat, ab Antiochia egressus in manu forti, ad partes illas ut amico subveniret, impiger properabat. Qui autem a prædicto nobili viro ad dominum ducem missi fuerant, videntes quia prospere et pro votis cuncta compleverant, in conspectu ducis domino suo gratiam obtinentes cumulatiorem, quoniam ipsi in persona propria dominum suum super eo nullatenus poterant reddere doctiorem (exercitus quippe hostilis ita undique castrum vallaverat, ut nec introitus alicui pateret, vel exitus) duas emiserunt columbas, ad id muneris prosequendum instructas apprime, quibus litterulas legationis suæ seriem continentes, ad caudas religaverunt, quibus dominum suum super his omnibus quæ obtinuerant, instruerent diligentius. Quæ suæ libertati restitutæ, in momento ad locum unde eductæ fuerant redeuntes, ab earum custode pariter et alumno captæ sunt, et dissolutæ paginulæ præsentatæ sunt domino. Quibus perlectis, in tantam spem erectus est, ut qui prius obsidentem veritus multitudinem, de resistendo diutius desperaverat, eosdem sponte lacessere non vereretur.

CAPUT IV.

Balduinus fratri occurrit cum ingentibus copiis. Reliqui principes ministrant auxilium. Fugit Rodohan. Quidam ex nostris in via pereunt; occiduntur hostium ad decem millia.

Interea cum jam diei unius itinere dux cum suo comitatu processisset, occurrit ei frater ejus cum tribus millibus virorum fortium, et armatorum optime : quo cum plena charitate et pietatis affectu benigne suscepto, propositi pandit seriem, et gratiam quam cum prædicto nobili vero contraxerat, aperit diligenter : quæ omnia frater approbans, ante omnia monet, ut quoniam ejus vires, ad tantam obsidionem violenter dissolvendam, non videbantur posse sufficere ; antequam procedat, principes qui apud Antiochiam remanserant in suum evocet auxilium, ut confidentius valeat in facto procedere. Acquiescens ergo dux fraternis monitis, missa legatione, dominum Boamundum, dominumque Tolosanum comitem multa precum exorat instantia, et sub obtentu fraternitatis invitat humiliter, ut sibi pro amico laboranti, opem ferre non differant, vicem condignam tempore accepto recepturi. Invitaverat autem eos et prius, antequam urbem egrederetur, et multum amice illorum sibi postulaverat suffragium ; sed invidiæ stimulis agitati, eo quod prædictus vir nobilis, ducis prius quam suum expetierat adminiculum, eum sequi

Digitized by Google

detrectaverant : at nunc iterata vocatione commoniti, videntes quod non possent cum sua honestate ducis preces non admittere, convocatis copiis dominum ducem secuti, ejus se expeditioni sociaverunt. Qui postquam convenerant adinvicem, facti sunt omnes quasi ad triginta millia pugnatorum. Rodohan vero, licet Turcorum quadraginta diceretur habere millia, tamen diffidens de viribus, et nostrorum timens adventum, quos in proximo adfuturos per suos noverat exploratores, soluta expeditione, reversus est Halapiam. Dum autem nostrorum exercitus fugæ Rodohan ignarus, cœptum adhuc continuant iter, multique ab Antiochia utriusque ordinis viri de remoto sequerentur, ut proficiscentibus se associarent legionibus, in quasdam hostium, quas illi studiose prætenderant, non pauci, casu descenderunt insidias, longe a præcedenti, ut diximus, agmine separati : quos longe et industria et viribus impares exsuperantes Turci, captivatis nonnullis, plurimos ex eis occiderunt. Quod postquam duci cæterisque principibus innotuit, a cœpto desistentes itinere, prædictos malefactores unanimiter insecuti, antequam in suos se possent secessus recipere, et solita reperire diverticula, eos casu habuerunt obviam : quos gladiis excipientes et irruentes in eos animosius, dissolverunt in momento; et retentis nostris, quos captivos abducebant in compedibus, interemptisque ex eis quampluribus, et captivatis innumeris, in fugam verterunt, pene ad supremam deletos internecionem. Erant autem hi ex electa sæpe dicti Rodohan millitia, ex familiaribus et domesticis ejus quasi decem millia. Quo peracto, iterum rediens in unum noster exercitus, ad locum destinatum cum victoria pervenerunt : quibus cum trecentis equitibus præsidii dominus occurrens, in conspectu universarum legionum, prono capite, defixis in terram genibus, primo duci, dein principibus aliis in multa devotione magnas agens gratiarum actiones, se coram omni populo præbitis corporaliter juramentis, Christianis principibus fidelem obligavit et tradidit, asserens, quod ab eorum gratia et obsequiis, nulla dies, casus nullus, illum avelleret in perpetuum. Sic igitur feliciter consummato negotio, et amico pro votis expedito, exercitus reversus est Antiochiam, domino Balduino fratre ducis Edessam redeunte.

CAPUT V.

Dux cladem declinans, in terram fratris secedit; quorumdam proditorum illic oppida diruit. Properant illuc et alii quidam principes, ut Balduini munificentiam consequantur.

Dux ergo videns adhuc prædictam in urbe regnare pestilentiam, et cladem magis ac magis in populo dominari, fratris acquiescens petitionibus, qui eum præsens quam intime rogaverat, ut in suam descenderet regionem, ibique Augusti fervorem et pestilentis aeris declinaret malitiam : assumpto familiari comitatu, et indigentium maxima manu, ut eis in necessariis charitative provideret, in terram fratris descendit, in finibus Turbessel, Hatab et Ravandel habitans, regione tota pro suo utens arbitrio, et fratris sæpius habens præsentiam. Accidit autem, dum moram ibi faceret, quod regionis incolæ, et maxime viri religiosi, qui in monasteriis, quæ illinc erant plurima, graves de Pancratio et Covasilio ejus fratre in ejus præsentia fundebant quæstiones. Erant autem hi duo fratres, Armenii natione, viri præclari, sed subdoli supra modum ; habentes in ea regione municipia, de quorum munimine præsumentes, regionis habitatores, et maxime monasteria, gravibus et indebitis molestabant exactionibus ; processeratque eo usque eorum temeritas, quod etiam domini comitis Edessani nuntios cum muneribus ad fratrem directos, dum adhuc obsidio circa Antiochiam perseveraret, in itinere spoliare præsumerent, et destinata domino duci munera, domino dirigerent Boamundo ut ejus sibi adversus comitem Edessanum conciliarent gratiam. Auditis ergo querimoniis, et justa motus indignatione, missis quinquaginta de numero suorum equitibus, cum populo regionis, eorum præsidia effregit violenter, et effracta solotenus dejecit, ut eorum intolerabilem aliquatenus comprimeret insolentiam. Duce igitur in partibus illis commorante, universi pene majores nostri exercitus, sed de popularibus infiniti, ut contra imminentes paupertatis angustias aliquod reperirent solatium, ad dominum comitem prædictum certatim confluebant : et maxime ex quo præsidium Hasarth, quod in medio itinere constitutum erat, in nostrorum devenerat gratiam. Quos omnes in tanta suscipiebat honorificentia, et tanta remunerabat liberalitate, et ipsi etiam qui ad hoc venerant, mirarentur.

CAPUT VI.

Cives Edessani, indignati quod comes eorum solis uteretur Latinis, adversus eum conspirant : super quo Balduinus commonitus, conspiratores interficit.

Factum est itaque quod nostrorum turbis ad urbem sæpe dictam confluentibus, tanta erat in ea Latinorum multitudo, quod civibus jam inciperet esse molestum : frequentes enim eis in hospitio suscepti inferebant molestias, supra modum in populo dominari volentes. Jamque civium consilio nobilium, quorum beneficio tantam urbem acquisierat, minus et minus utebatur. Unde vehementi indignatione adversus eum suosque succensi sunt, pœnitentes admodum, quod eum sibi præfecissent ; timentes, una die, ab eo cui nihil sufficere videbatur, bonis omnibus spoliari. Facta ergo conspiratione cum principibus Turcorum finitimis, tractare cœperunt quomodo dominus Balduinus aut casu occideretur repentino, aut urbe saltem pelleretur. Ut autem ad hoc propositum invenirentur paratiores, thesauros suos, et omnem substantiam per castella et urbes finitimas apud suos deposuerant familiares. Dumque circa id plena sollicitudine tractarent frequentius, factum est ut relatione cu-

Digitized by Google

jusdam, qui erga eumdem plurima fidei et dilectionis sinceritate abundabat, hujusmodi ad eum sermo perveniret : cui rei plurima et digna fide reperiens argumenta, missa satellitum suorum numerosa manu, omnes homicidas illos teneri præcepit, et vinculis alligari. Tandem re per eorumdem confessionem plenius intellecta, factionis illius principes excæcari præcipiens; alios vero, qui minus deliquerant, confiscatis eorum bonis, urbe fecit extorres ; aliorum autem substantiam suos applicans ærario, urbis habitatione clementer indulta, pecunialiter tantum multavit. Unde, suscepta ad viginti aureorum millia quantitate, his qui ad se venerant, quorumque ope urbes et finitima sibi subjiciebat municipia, multa liberalitate erogabat stipendia; et tam civibus quam populis adjacentibus, solo nomine inferebat formidinem. Unde et de ejus exterminio multi cum omni sollicitudine cogitabant; ita ut socer ejus timens, nec pro dotis residuo, quam cum filia promiserat, necdum persolverat, graves quæstiones pateretur, in montes, ubi sua habebat præsidia, clam aufugit.

CAPUT VII.

Balas proditionem adversus comitem molitur ; comes sibi præcavet ; capiuntur ex ejus sociis quidam. Fulcherus Carnotensis casum reddit leviorem. Balduc proditor occiditur.

Erat porro in eadem regione nobilis quidam, genere Turcus, Balas nomine, eidem comiti confœderatus, qui aliquando Sororgiæ dominus fuerat, ante illum Latinorum frequentem accessum comiti plurimum familiaris. Hic videns quod circa eum comitis amor intepuerat, sive rogatu civium, sive propria ductus malitia, accessit ad eum orans et petens ut unicum, quod ei supererat præsidium, veniens ipse in propria persona, susciperet : asserebat enim, sibi ejus gratiam sufficere, et pro multa hæreditate reputari. Uxorem autem ac liberos, et omnem substantiam suam in urbem Edessanam asserebat se velle introducere : multum enim contribulium suorum indignationem fingebat se vereri, eo quo Christianis factus esset familiaris. Quibus verbis comes persuasus, diem condixit, ut ad locum perveniens, ejus satisfaceret voluntati. Statuta autem die, assumptis secum ducentis equitibus, ad locum prævio Bala destinatum pervenit. Balas autem oppidum occulte præmunierat, Turcos centum fortes viribus et armis optime instructos introducens, qui ita latebant in præsidio, ut nullus ex eis compareret. Cum ergo ante oppidum constitissent, rogavit comitem ut cum paucis et familiaribus castrum ingrederetur, ne forte omni illa intromissa multitudine, ipse in substantia sua aliquam jacturam sustineret. Et jam pro voto cuncta pene persuaserat, cum proditionem quodammodo præsagientes quidam, qui circa eum erant nobiles et viri circumspecti, ingredi volentem quasi violenter detinuerunt, hominis suspectam merito habentes malitiam, et tutius judicantes per alias personas hoc primum fieri experimentum. Quorum prudenti comes acquiescens consilio, duodecim de suis viros robustissimos et armatos egregie, in præsidium jussit introire; ipse autem exterius in loco satis vicino cum reliqua militia subsedit quietus, donec rei exitum fide conspiceret oculata. Qui autem ingressi sunt, fraudem et malitiam iniqui proditoris in seipsos experti sunt : nam egressi de latibulis armati ad unguem Turci, de quibus prædiximus centum, seductos equites resistere volentes, sed incassum, violenter comprehenderunt, vinculis eos mancipantes.

Quo cognito, comes pro suis fidelibus, quos ita fraudulenter amiserat, tristis admodum et maxime sollicitus, accedens propius ad præsidium, cœpit Balas diligenter commonere ; et sub obtentu juramentorum, quæ illi de observanda fidelitate exhibuerat, attentius convenire ut, sumpta immensitate pecuniæ, quos proditiose ceperat, restitueret; negavit penitus, nisi ei Sororgia redderetur. Comes autem videns quod non proficeret ; erat enim præsidium in excelsis rupibus situm, arte et viribus insuperabile, reversus est Edessam, suorum ægre ferens captivitatem, et fraudem quam pertulerat animo revolvens anxietate nimia. Præerat autem prædictæ urbi Sororgiæ, quidam Fulbertus Carnotensis, vir in militaribus negotiis expertissimus, centum expeditissimos sub se habens equites. Hic dolum comperiens quem dominus ejus passus fuerat, tota mente compassus, æstuabat animo, quomodo tantam ulcisceretur injuriam. Unde die quadam positis in loco ad id opportuno insidiis, ante sæpius memoratum oppidum, quasi prædam abacturus, cum paucis studiose, ut eum insequerentur, accessit; qui autem erant in municipio, videntes quod ex pascuis prædam abigeret, armis correptis, certatim illum ultra quas idem posuerat insidias, insectati sunt fugientem. Unde resumptis viribus, et erumpentibus his qui latuerant, in eos irruentes, quibusdam interfectis, aliis in oppidum vix refugium habentibus, ex eis sex vivos comprehendit; pro quibus totidem de suis, modico temporis intervallo, facta compensatione, recepit; quatuor vero ex eisdem, deceptis custodibus elapsi, in suam se receperunt libertatem ; duos vero, qui de illorum supererant numero, vir nequam et impius decollari præcepit. Unde factum est ut ab ea die dominus Balduinus Turcorum declinaret amicitiam, et suspectam penitus haberet fidem : quod statim evidenti docuit argumento. Erat enim in eadem regione quidam ejusdem generis, Balduc nomine, qui urbem Samosatum veterem et munitissimam, pretio interveniente, eidem comiti vendiderat. Hic uxorem et liberos, et universam familiam in urbem Edessanam traducere tenebatur ex compacto; sed calvas quærens occasiones, propositum adimplere differebat, malignandi quærens opportunitatem : hunc ad se more ingressum solito, et meræ causas allegantem

Digitized by Google

frivolas, ne simile aliquid ab eo pateretur, decapitari jussit.

CAPUT VIII.

Comes Tolosanus Albaram occupat : episcopum in ea constituit. Classis Teutonicorum applicat in portu. Cladis non cessat.

Interea vero dum circa Turbessel dux moram faceret, et hæc circa partes Edessanas agerentur, comes Tolosanus cum suo comitatu et multo pauperum populo egressus Antiochia, ne interim otiosus torpesceret, Albaram urbem munitissimam in Appamiensi provincia constitutam, ab Antiochia quasi duorum dierum itinere distantem, obsedit, et obsessos in ea cives violenter compulit ad deditionem. Urbe vero capta, et adjacente sibi cum universis suburbanis subjecta regione, quemdam Petrum Narbonensem genere, de suo comitatu, virum honestæ conversationis, et valde religiosum, in ejusdem loci elegit episcopum; cui statim dimidium civitatis et universi contulit territorii, Deo gratias exhibens, quod per ejus operam et studium Oriens episcopum haberet Latinum : qui Antiochiam ut suæ consecrationis munus susciperet, de mandato comitis profectus, pontificalis adeptus est plenitudinem potestatis. Postmodum vero Antiochena ordinata Ecclesia, per dominum Bernardum ejusdem civitatis patriarcham Latinorum primum, suæ metropolis in eamdem Ecclesiam transtulit dignitatem, suscepto ab eodem pallii genio, factus archiepiscopus. Erat per idem tempus cum domino comite Tolosano quidam nobilis Willelmus nomine : hic effracta urbe Antiochena, casu fortuito uxorem Aciani, Antiochenorum principis, cum duobus nepotibus ex filio Samsadolo parvulis ceperat, et apud se detinebat in vinculis : pro quorum redemptione, prædictus Samsadolus, supra nominato nobili viro infinitam dedit pecuniæ summam, matre cum liberis pristinæ restitutis libertati. Eodem quoque tempore ingens virorum multitudo de regno Teutonico, de partibus Ratisponensibus, numero quasi mille quingenti prospero vecti navigio, in portu Sancti Simeonis applicaverant; qui omnes infra modicum tempus eadem clade consumpti sunt. Tribus enim mensibus continuis usque ad Kalend. Decembris. morbus ille pestilens, ita populum afflixerat, ut infra hoc temporis spatium, de equestri ordine ceciderint viri nobiles plus quam quingenti; de plebe vero infinitus erat numerus.

CAPUT IX.

Civitatem Marram obsident; obsessam capiunt. Dominus Wilhelmus Aurasicensis episcopus moritur. Gulferus de Turribus insignis habetur.

Kalendis autem Novembribus, cum jam sicut ex compacto tenebantur omnes principes, qui cladem evitantes ab urbe secesserant, essent reversi, capta jam, ut præmisimus, Albariensi urbe, de communi consilio, Marram urbem munitissimam, ab Albara octo distantem milliaribus, ne nil interim ageretur, expugnare proponunt; non enim poterant vociferantis populi, et iter versus Hierosolymam expetentis clamorem tolerare. Præparatis igitur necessariis, die constituta profecti sunt, ut proposito satisfacerent, comes Tolosanus et Flandrensis, comesque Northmannorum; dux etiam et dominus Eustachius ejusdem frater et Tancredus, una cum illis supranominatam urbem obsidione vallaverunt. Erant autem cives ejusdem loci superbi admodum, et præ multitudine divitiarum arrogantes; eoque maxime, quod semel in quodam conflictu, multos de nostris occiderant; unde adhuc apud se gloriabantur, nostrum contemnentes exercitum et principibus irrogantes convicia. Sed et cruces etiam super turres et mœnia figentes, sputis et aliis modis quibusdam probrosis nimium, in nostrorum contumeliam afficiebant. Unde motu majore et indignatione vehementi, quantam poterat incendere sacrilegii dolor, urbem aggredientes, continuis assultibus, si scalarum habuissent copiam, die secunda, qua ad eamdem applicuerant, urbem violenter effregissent Tertia demum die, adveniens Boamundus cum majoribus copiis, urbem ex ea parte qua inobsessa remanserat, obsidionem continuavit; post cujus adventum diebus aliquot, indignantes nostri, quod ibi tam diu detinerentur inutiliter, crates contexunt, et turres erigunt, ligneas machinasque componunt jaculatorias, et impatientes moræ, urbem protervius impugnare satagunt. Complanato igitur multo labore vallo, nostri murum suffodere nitebantur, qui vero intus erant totis viribus resistentes, lapides, ignem, et plena apibus alvearia, calcem quoque vivam, quanta poterant jaculabantur instantia, et eos a muro propellerent; sed Dei virtute et misericordia, de nostris nullos, aut paucos lædere poterant; tantoque nostri instabant vehementius undique urbem impugnantes, quanto cives deficere et eorum evacuari conatus conspiciebant. Cum autem a primo diei crepusculo usque ad solem occiduum continuatus esset assultus, defatigatis labore continuo civibus, et jam minore resistentibus cura, applicatis ad murum scalis, violenter nostri muros conscendunt. Inter quos vir nobilis de episcopatu Lemovicensi Guilferus, cognomento de Turribus, murum primus conscendit; quem plures subsecuti, quasdam civitatis turres occupaverunt; sed in eodem facto procedere et urbem sibi vindicare universam, nox irruens intempesta prohibuit. Differentes autem usque in sequentem diem, nostri equites et majorum manus, negotium, ut summo mane rediret in id ipsum, tota nocte circa urbem, ne hostibus pateret exitus, custodierunt vigilias. At vero plebs indomita longis fatigata laboribus et diutinæ famis acerbitate vexata, videns quod hostium nemo compareret in mœnibus, quod civitas sine strepitu tota quiesceret, absque majorum conscientia in urbem ingressa est; et eam reperientes vacuam, clam et sine strepitu universa ejus obtinuerunt spolia. Cives enim in speluncas se contulerant subterraneas, ut saluti consulerent vel ad tempus Mane

Digitized by Google

autem facto, exsurgentes principes, et urbem obtinentes sine prælio, pauca inde sustulerunt spolia; cognoscentes tamen, quod in latibulis subterraneis se cives occultaverant, appositis ignibus et fumo copiosius immisso, eos ad deditionem compulerunt; et inde violenter abstractos partim obtruncaverunt gladiis, partim compedibus mancipaverunt. Mortuus est ibi dominus Willelmus, bonæ memoriæ, Aurasiacensis episcopus, vir religiosus ac timens Deum. Dux autem cum per dies, cum aliis, ibi moram fecisset, quindecim, cum Flandrensium comite familiaribus tractus negotiis, Antiochiam reversus est.

CAPUT X

Dux ad fratrem revertitur, licentiam impetrat: rediens ad exercitum, insidias patitur in via; sed illæsus evadit.

Per idem tempus videns dominus Godefridus Lotharingiæ dux, quod populus ad proficiscendum se accingeret et principes ad id ipsum invitaret instantius, proposuit, priusquam a regione illa discederet, fratrem videre et ejus colloquio recreari. Profectus ergo cum familiari comitatu, in fratris regionem descendit: quo viso, completisque pro quibus ierat negotiis, et sumpta licentia, Antiochiam, ad cæteros principes, qui eum exspectabant, revertebatur. Cumque jam urbi per sex vel quinque milliaria esset proximus, accidit quod in loco herbido et amœno satis, secus fontem, qui dulces et perspicuas emanabat aquas, ipsa loci facie ad id invitante, descendit ut cibum sumeret; dumque in eo sociorum ferveret intentio, et aptus pro loco et tempore prandii fieret apparatus, ecce repente de carecto paludis, quæ loco illi erat contermina, hostium equites ad unguem armati, super convivantes irruunt. Dux tamen et sui, antequam ad eos Turci accederent, arma corripuerant equis insidentes: unde factum est ut, habito inter eos conflictu, prævia Domini gratia, dux fieret superior, ita ut, interfectis pluribus, reliquos in fugam adigeret; et inde cum gloria in urbem se recepit.

CAPUT XI.

Apud Marram oritur contentio inter comitem Tolosanum, et Boamundum. Boamundus partes comitis apud Antiochiam occupat. Principes apud Rugiam conveniunt, nihil utile statuentes. Populus fame laborat.

Capta ergo civitate prædicta, orta est inter dominum Boamundum et Tolosanum comitem grandis controversia. Comes enim Albariensi episcopo eam dare proposuerat; Boamundus vero eam civitatis partem quam occupaverat, pro comitis arbitrio episcopo nolebat concedere, nisi comes eas quas ipse apud Antiochiam possidebat, prius ei resignaret turres. Tandem vero neglecto negotio quod apud Marram gerebatur, dominus Boamundus cum indignatione reversus est Antiochiam, ubi expugnatis turribus quas Tolosani comitis munitas detinebant satellites, ejus inde violenter dejecit familiam; et sic universam absque consorte possedit civitatem. Comes vero videns quod ejus recesserat æmulus, et pro libero arbitrio de urbe capta posset disponere, episcopo eam sicut et prius proposuerat, contulit Albariensi. Dum autem cum eodem ordinaret episcopo, quomodo deputatis ex utroque ordine custodibus, urbem possent ab hostibus conservare indemnem, sentiens hoc populus, moleste nimium cœpit ferre; et apud se conqueri, quod moras innecterent principes, et pro singulis captis urbibus lites inter se suscitarent et jurgia, ita ut principale eorum propositum omnino neglectum videretur. Unde convenientes adinvicem ordinaverunt apud se, ut quacunque ex causa absente comite, urbem diruerent, ne de cætero eorum votis aliquot præstaret impedimentum.

Contigit vero interea, quod convenientibus apud Rugiam, quæ quasi in medio inter Antiochiam et prædictam Marram sita est, principibus, ut ad vociferationes populi, super itinere deliberationem haberent, comes vocatus illuc pervenit. Ubi dissentientibus ab invicem, nihil consonum, nihilque utile de proposito constitutum est: ulidum comes moram faceret, populus qui apud Marram relictus fuerat, nacta occasione ex comitis absentia, multum prohibente et renitente plurimum prædicto episcopo, turres et mœnia dejecerant funditus, ut comes rediens, ulterius innectendi moram ex eo causas non haberet. Redeunte vero comite, tristis admodum pro casu, qui acciderat, videns tamen populi voluntatem, factum prudenter dissimulavit. Populus vero nihilominus protervius insabat, orans et petens, ut populo Dei ad peragendum iter incœptum ducem se præberet: alioquin ipsi unum quemlibet de militibus sibi præficerent, qui eorum præesset exercitui, et eos in via Domini præcederet. Erat præterea in eodem exercitu tanta famis acerbitas, ut deficientibus alimentis, multi contra morem, ferarum animos induti, ad esum immundorum se converterent animalium. Dicitur etiam, si tamen fas est credere, quod multi præ alimentorum inopia, ad hoc ut carnes humanas ederent, prolapsi sunt; sed neque clades deerat in populo, nec merito deesse poterat, ubi tam immundis et pestilentibus cibis (si tamen cibi dicendi sunt, qui contra naturam sumuntur) misera plebs alebatur. Nec enim momentaneum fuerat, nec ad tempus modicum, illa tanta talisque, quæ populum afflixerat, inopia; sed quasi hebdomadibus quinque, vel amplius, circa illam quam expugnare nitebantur urbem, moram fecerant cum hoc periculo. Defecerant autem ibidem non solum bellicis casibus verum etiam valetudinibus variis, viri præclari et nobiles; inter quos perfectissimæ indolis adolescens Engelrandus, filius domini Hugonis comitis Sancti Pauli, ægritudine correptus valida, diem clausit extremum.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Comes in terras hostium ingressus, prædas inde ducit; populum vociferantem non perferens, iter arripit. Junguntur ei Normannorum comes et Tancredus.

His omnibus vir inclytus et insignis dominus comes Tolosanus, mente anxiatus et spiritu, infra se ipsum fluctuabat dubius; nam et periclitantis populi eum affligebat molestia, et fatigabat necessitas; et itineris desiderium, quo tam majores quam minores succensi erant, ita ut etiam cum clamoribus assiduis et frequenti contestatione id importunius exigerent, requiem penitus denegabant. Volens igitur utrique morbo congruum aptare remedium, certus tamen quod alii principes eum in hac parte sequi nollent, ut populo vociferanti et suæ satisfaceret conscientiæ, diem ad iter aggrediendum populo præfixit quintumdecimum, et ne medio tempore fame, quæ nimis invaluerat, populus periclitaretur, assumpta parte militiæ, et de turbis pedestribus his, qui videbantur validiores, parte reliqua infra urbem relicta, in terras hostium descendit, ut vitæ necessaria plebi quocunque periculo procuraret. Ingressus igitur cum maximo comitatu, regionem hostium opulentissimam, effractis municipiis pluribus, et succensis suburbanis aliquot, greges inde retulit et armenta, servosque et ancillas et alimentorum ingentes copias, ita ut usque ad satietatem plenam, jejunus et esuriens reficeretur populus; et sociis qui apud Marram urbem tuentes remanserant, portiones pro sorte virili deputarent. Regressus igitur cœpit comes æstuare, quid faceret, populo iterum clamante, quod ad iter aggrediendum præfixa jam instaret dies et dilationes omnes respueret. Videns autem quod causam foveret populus honestam, et quod eorum non posset amplius sustinere instantiam, licet solus esset, nec eum de principibus aliquis sequi decrevisset, cum suo tantum comitatu, succensa urbe et in favillam redacta, iter aggressus est. Videns autem quia non multos haberet equites, episcopum rogavit Albariensem, ut secum proficisceretur: qui benigne preces admittens comitis, quemdam nobilem virum, Willelmum videlicet de Cumliaco, super res suas cum septem equitibus et peditibus triginta præficit; qui bona fide et plena devotione res suas conservans commendatas, infra paucos dies, pro septem equitibus habuit quadraginta, et pro triginta peditibus octoginta vel amplius recepit, res domini multiplicans in immensum. Igitur statuta die iter arripiens profectus est, neminem aliorum operiens. Erant autem in ejus comitatu quasi decem virorum millia, ex quibus vix trecenti quinquaginta erant equites. Cui proficiscenti, Northmannorum comes et dominus Tancredus, uterque cum quadraginta equitibus et numerosa peditum manu se aggregaverunt, comites in itinere se præstantes indivisos. Profecti autem, tantam in itinere rerum invenerunt opulentiam, ut populo nihil amplius esset necessarium. Transeuntes enim per Cæsaream, Hamam et Emissam, quæ vulgari appellatione Camela dicitur, a principibus earum et ducatum merebantur habere, et rerum venalium forum optimis conditionibus; insuper et dona plurima in auro, argento, gregibus et armentis, et victualibus omnimodis, a municipalibus et oppidanis, per quorum fines transibant, ut eorum parcerent regioni. Sicque per dies singulos eorum augebatur exercitus, et in meliorem proficiebat statum, rebus ad omnem sufficientiam abundans necessariis. Equorum etiam, quorum maximam passi fuerant indigentiam, tam gratis quam pretio ingentem sibi comparaverunt multitudinem, ita ut antequam cum reliquis convenirent principibus, mille et ampliores, exceptis prioribus, in suo haberent exercitu. Tandem cum per dies processissent aliquot, iter agentes mediterraneum, de communi decretum est consilio, ut ad oram redirent maritimam, ut de statu reliquorum principum, quos in finibus Antiochenis post se dimiserant, facilius instruerentur; et a navibus quæ ab Antiochia et Laodicea per mare ascendebant, rerum necessariarum assequerentur commercium.

CAPUT XIII.

Prædonum incursus in itinere, comitis sustinet exercitus: contra quos comes prudenter irruit. Castrum repugnans effringitur. Ante Archis castra locantur, et finitimorum nuntii ad principes accedunt.

Fuerant sane toto illo itinere, ex quo a Marra discesserant, eis cuncta satis prospera, nisi quod sæpius circa expeditionis novissima, prædones quidam occulte consueverant irruere; et de senibus et valetudinariis, qui exercitum non poterant æquis subsequi passibus, nonnullos interimebant aut captivabant, quorum fraudibus comes argute obvians, præeuntibus exercitum domino Tancredo, domino quoque Northmannorum duce Roberto, una cum Albariensi episcopo, ipse cum quibus viris insignibus et egregiis post exercitum remansit in insidiis, ut prædictis malefactoribus, qui proficiscentem exercitum pone sequebantur, ut incautos opprimerent, tempore occurreret opportuno. Factumque est ut more solita irruentibus maleficis, comes e latebris egrediens, eis se daret obviam; et repente irruens prosterneret universos, equos eorum et spolia, et de captivis aliquot, cum multa lætitia in expeditionem referens. Ab ea die tute et sine difficultate incedebat populus, rebus necessariis affluenter abundans; nec fuit in omni regione quam præterierunt proficiscentes, a dexteris vel a sinistris civitas ulla, vel municipium, cujus cives exercitui et ejus ducibus non dirigerent munera; fœdus non impetrarent a transeuntibus et amicitiam: excepto uno, cujus habitatores de sua multitudine et loci præsumentes munimine, nec forum eis obtulerunt rerum venalium, nec impetrato fœdere, ducibus miserunt exenia; sed junctis agminibus nostrorum expeditioni conati sunt impedimentum præstare. Quod videntes

Digitized by Google

nostri, justa indignatione succensi, in eos irruerunt unanimiter; et in momento dissolutis eorum manipulis, et captivatis nonnullis, eorum oppidum effregerunt violenter; gregesque eorum et armenta, equos etiam, qui in subjectis pascuis alebantur, et omnem eorum substantiam diripientes, adduxerunt secum. Erant autem in eodem exercitu finitimorum principum nuntii, ad hoc ut pacem impetrarent missi. Hi nostrorum videntes vires et audaciam, ut plenam pacem suis obtinerent dominis, ad propria revertebantur, ut qui eos miserant, de nostrorum moribus et fortitudine plenius instruerent; sed mox cum equis et aliis muneribus revertebantur. Post dies autem aliquot, regione media cum omni tranquillitate decursa, in campestria urbis antiquæ et loci situ munitissimæ, haud longe a mari, quæ Archis appellatur, descenderunt, satis in vicino juxta urbem castrametantes.

CAPUT XIV.

Describitur Archis. Captivi ex nostris qui in urbe Tripolitana detinebantur, urbem obsidendam significant.

Est autem Archis una de urbibus provinciæ Phœnicis, ad radices Libani, in colle sita munitissimo, quatuor aut quinque a mari distans milliaribus, longe latequé diffusa, optimi soli, et glebæ uberis habens planitiem; cui etiam et lætissima non desunt pascua, et aquarum commoditates viventium. Hanc, ut veterum habent traditiones, Aracheus septimus filiorum Chanaan fundasse dicitur, et de suo nomine Arachis dixisse; sed postea corrupto nomine, Archis dictam fuisse. Circa hanc, ut præmisimus, nostri castra locaverunt sua, non casu fortuito; sed quorumdam ex nostris, qui in vinculis hostium detinebantur, litteris et exhortatione commoniti. Erant enim in civitate Tripolitana, quæ est civitas nobilissima in littore maris sita, ab Archis sex aut quinque distans milliaribus, de nostris aliquot, qui in ea violenter detinebantur. Ab initio enim obsidionis Antiochenæ, et maxime post urbem debellatam, cœperunt nostri ut sibi victum propagarent, compellente inopia, imprudenter circuire regiones, et se hostibus circumjacentibus ultro ad prædam exponere. Unde factum erat, ut vix esset civitas vel oppidum, quod de populo nostro non haberet captivos; juxta quem modum in urbe Tripolitana, de qua præmisimus, de nostris plus quam ducenti eadem detinebantur conditione. Qui nostrorum intelligentes adventum, significaverunt principibus, ut nullatenus ab Archis discederent, sed eam vallarent obsidione; sic enim aut urbem infra paucos dies possent recipere; aut a rege Tripolitano, ut ab obsidione desisterent, infinitam extorquere pecuniam et captivorum fratrum obtinere liberationem. Quod et factum est; nam statim accedentes ad urbem, propius castris circumpositis obsidione vallaverunt : tum ut id tentarent quod eis intimatum fuerat; tum ut reliquos principes operirentur, qui eos in proximo subsecuturi credebantur.

CAPUT XV.

A castris egressi quidam, urbem Antaradon occupant viriliter; unde cum spoliis uberibus ad castra redeunt; et continuant obsidionem.

Egressi autem de castris eisdem equites centum, cum peditum ducentorum duobus manipulis; et Raimundum Pelet secuti, usque ad urbem Antaradon, quæ vulgari appellatione Tortosa dicitur, ab obsidione viginti vel amplius distantem milliaribus, ut experirentur si quid sibi necessarium et usui futurum reperirent, pervenerunt. Est autem Antarados civitas in littore maris sita, juxta se insulam habens modicam, quasi per duo distantem milliaria, ubi antiqua et per multa sæcula insignis civitas, Arados nomine fuit. Hujus Ezechiel propheta memoriam facit, ad principem Tyri dirigens sermonem, ita : *Habitatores Sidonii et Aradii fuerunt remiges tui* (*Ezech.* xxvii, 8). Et idem infra : *Filii Aradii cum exercitu tuo erant super muros tuos, in circuitu tuo* (*ibid.*, 11). A cujus nomine et prædicta civitas nomen accepit, ut Antarados diceretur, eo quod prædictæ Arado esset opposita. Harum utraque sita est in Phœnice provincia, et ejusdem civitatis unus et idem auctor fuit, Aradius videlicet, novissimus natu filiorum Chanaan, filii Cham, filii Noe. Ad hanc itaque urbem accedentes domini Tolosani exercitus pars prædicta, urbem cœperunt acrius impugnare; sed cum resistentibus civibus animose satis, in ejus expugnatione non possent multum proficere, nocte irruente, in diem crastinam distulerunt negotium, ut receptis consortibus, qui eos subsequi decreverant, facto mane ad idem opus fortiores resurgerent. At vero cives timentes ne majores ea nocte accederent copiæ, quibus tandem resistere non valerent, cum uxoribus et liberis et familia urbem egressi, ad montes vicinos, ut fugam saluti consulerent, se contulerunt. Nostri porro summo mane se adhortantes adinvicem, casus qui de nocte illa acciderat ignari, ut opus continuarent hesternum et ad urbem impugnandam se armarent, accedentes cominus, et eam reperientes vacuam, intrepide et constanter ingressi sunt, victualibus et spoliis eam invenientes redundantem Unde onerati usque ad supremam satietatem, ad castra reversi sunt; eis quæ interim acciderant, cuncta per ordinem edocentes et de successu proprio universum lætificantes exercitum.

CAPUT XVI.

Dux Godefridus cum Flandrensium comite et expeditionum residuo Laodiciam pervenit, Guinimerum a vinculis expedit, classem ei restituens, Boamundus usque ad prædictam urbem abeuntes prosequitur.

Interea circiter Kalendas Martias, populus, qui Antiochiæ remanserat; videns præfixam ad iter aggrediendum imminere diem, dominum Lotharingiæ ducem Godefridum, dominum quoque Robertum Flandrensium comitem, et alios principes multa

Digitized by Google

cœpit urgere instantia, ut iter arriperent; et eis volentibus voti consummationem adimplere, ducatum præberent. Prætendebant et domini comitis Tolosani, ducis quoque Normannorum, et domini Tancredi fidem et constantiam, et admirabilem gratiam quam plebi Dei exhibuerant, eos jam per dies multos in via Domini fideliter præcedentes. His et hujusmodi persuasi principes antefati, compositis sarcinis et necessariis ad iter præparatis, assumpta secum universa tam equitum quam peditum multitudine, quibus cordi erat et in proposito versus Hierosolymam proficisci, in Kalendis Martiis apud Laodiciam Syriæ quasi ad viginti quinque millia virorum fortium et armatorum convenerunt, prædictos principes secuti. Sed et dominus Boamundus cum suo comitatu illuc usque eos prosecutus est; non tamen aut cum eis proficisci, aut ibi moram facere longiorem poterat, ne forte recens captam Antiochiam hostibus circumpositis, temere vel ad tempus inobservatam negligere videretur; tamen ut societatis memor et gratiæ, quam in via Domini cum aliis contraxerat proceribus, eos usque ad locum prosecutus est supradictum, quidquid officii et humanitatis poterat prompta exhibens devotione, ut sui memoriam altius imprimeret abeuntibus. Reversus est ergo salutatis principibus, et sumpta cum multo gemitu et suspiriis licentia, ut civitatis sibi creditæ curam ageret diligentem, populo apud Laodiciam derelicto. Est autem Laodicia, civitas nobilis et antiqua, sita in maris littore, quæ fideles habens habitatores, sola de urbibus Syriæ, imperatoris Græcorum jurisdictioni erat supposita. Ad hanc Guinimerus quidam Bolonien-sis, quem superius cum classe apud Tharsum Ciliciæ, dum dominus ducis frater Balduinus eam occupasset, applicuisse meminimus, cum eadem classe sua pervenerat. Et dum eam imprudenter, non comparatis viribus aggrederetur impugnare et suæ mancipare ditioni, captus erat a civibus et carceri cum omni suo pene comitatu mancipatus. Hunc quia de terra patris sui advenerat, et apud Tharsum prædictam, fratri suo utilitati fuerat et honori, dominus dux a præside civitatis et loci primatibus sibi petiit restitui; qui verbo ducis non audentes in quopiam contraire, prædictum Guinimerum cum sociis universis et classe quam induxerant, duci restituerunt; quem suæ classi dux præficiens, æquis eum passibus per terras gradientem subsequi præcipit : quod et factum est.

CAPUT XVII.

Dux, et qui cum eo erat exercitus, Gabulum obsidet. Tolosani fraus intercedit. Archis properantes reliquis associantur principibus; obsidio non proficit.

Egressus igitur Loadicia Syriæ prædictus exercitus, receptis his quos in eadem urbe repererant, et qui ab Antiochia et Cilicia et urbibus finitimis, causis familiaribus et occupationibus domesticis detenti, tardius egressi fuerant, oram legentes maritimam, ad urbem Gabulensem, quam vulgari appellatione Gibellum dicunt, quæ a prædicta Laodicia duodecim distat milliaribus, pervenerunt. Ubi cum per aliquod temporis intervallum castris in gyrum locatis urbem obsedissent, is qui civitati præerat, principis Ægyptii procurator (nam hæc prima de urbibus maritimis Ægyptiorum erat sujecta potestati) aureorum sex millia duci obtulerat, insuper ingentia munera, si ab obsidione desisteret; quem, tanquam sordidorum contemptorem munerum, cum flectere nequivisset, ad alia se convertens studia, legatos de quorum fide præsumebat et industria, ad comitem direxit Tolosanum, prædictam pollicens pecuniam, si eum a ducis manibus posset expedire. Ille autem, ut dicitur, clam oblata sumpta pecunia, confinxisse dicitur, quod infinita hostium multitudo a tractu descenderet Persico, propositum habens eas injurias ultum ire, quas Persarum populus sub duce Corbagath passus fuerat apud Antiochiam, et quod non inferius priore bellum parabatur redivivum : et super his omnibus nuntios se dicebat recepisse fide dignos, de quorum verbo nullatenus esset ambigendum. Missa igitur legatione per virum venerabilem, dominum Albariensem episcopum, et directis epistolis, dominum ducem et comitem Flandrensium anxie nimis sollicitat ut, obsidione soluta, properare non differant, sed communibus periculis fraterna compassione occurrant. Illi vero, audita fratrum necessitate, et quod imminere dicebatur periculo, in simplicitate spiritus gradientes, soluta statim obsidione et itinere maturato, transeuntes urbem Valeniam, quæ sub oppido Margat, in littore maris sita est; deinde Marecleam, quæ prima de urbibus Phœnicis a Septentrione venientibus occurrit, Antaradum, quæ vulgari appellatione Tortosa dicitur, quæ similiter una est de urbibus supra nominatæ provinciæ, in littore maris similiter constituta, pervenerunt. Quam reperientes habitatoribus vacuam, insulæ quæ ab Occidente eidem objecta est civitati, ubi et nostrorum naves aliquot opportuna statione locatas invenerant, vicinitatem admirati sunt. Unde compendia secuti, infra paucos dies ante urbem Arscensem cum omni sua multitudine constiterunt. Quibus dominus Tancredus occurrens, fraudem comitis universam seriatim edocuit : unde et seorsum, longe a tabernaculis eorum qui præcesserant, castrametati sunt. Videns autem comes, quod ab eo aliorum principum esset alienatus animus, missis muneribus, eos sibi reconciliare satagebat. Unde factum est ut, post modicum temporis intervallum, reconciliatis sibi principibus, excepto domino Tancredo, qui adversus eum graves suscitabat quæstiones, in unum corpus circa urbem convenerint expeditiones. Cumque comes ante ducis adventum multis jam diebus inutiliter ibi consumpsisset operam, spes erat quod in adventu reliquorum principum, urbs facile superari posset, et obsidentium labor optato fine consummari; sed contra spem accidit. Nam,

Digitized by Google

neque prius neque posterius propitium in eo facto habuit populus Dominum; quoties enim urbem nitebantur impugnare, et ad varia se attollebant nocendi argumenta, ut vel * agerent ad dejiciendum murum, vel contra eum assultus committerent, toties nova occurrebant impedimenta, et omnis eorum evacuabatur conatus, frustrabantur opera, impensa deperibat : ita ut manifeste daretur intelligi, quod in eo opere, eorum conatibus favor se subtraxisset divinus. Quippe occidebatur populus, et viri nobiles et præclari inutiliter decumbebant. Ceciderunt ibi viri nobiles et præclari, casu miserabili, uterque jactu lapidis, Anselmus de Riburgismonte, vir in armis strenuus et perpete dignus memoria; et Pontius de Baladuno, vir nobilis et familiaris domino comiti Tolosano.

Propterea et populus invitus ibi detinebatur, cui erat in proposito iter inceptum consummare : unde nec operam dabat cum studio, nec multam in facto impendebat sollicitudinem, maxime autem post ducis adventum; etiam qui cum comite Tolosano advenerant ejus familiares et domestici, se subtrahebant ex industria, ut comes affectus tædio, aliorum principum vias sequeretur, qui etiam inviti et compellente comite contra conscientias detinebantur.

CAPUT XVIII.

Renovatur quæstio de lancea Domini : Inventor rogum intrat accensum; paucis post diebus moritur.

Renovata est ibi quæstio de lancea, quæ apud Antiochiam reperta fuerat : utrum ea esset, qua de latere Domini sanguis et unda profluxit; an res esset commentitia. Dubitabat enim valde super hoc populus; sed et majores penitus fluctuabant incerti; aliis dicentibus quod vere ipsa esset, quæ Domini cruore maduerat, ejus latus aperiens, et per inspirationem divinam in consolationem plebis revelata; aliis asseverantibus, quod versutiarum Tolosani comitis esset argumentum, et gratia quæstus adinventio ficta. Hujus autem dissensionis auctor erat præcipuus quidam Arnulphus, domini Normannorum comitis familiaris et capellanus; vir quidem litteratus, sed immundæ conversationis et scandalorum procurator; de quo in sequentibus multa dicenda occurrent. Cumque diu super hoc in populo sermo hic discurreret contradictorius, hic qui eam revelationem sibi factam fuisse asserebat, ut populo fidem faceret et omnem toleret ambiguitatem, rogum copiosum præcepit accendi, pollicens se, auctore Domino, certo per ignem experimento fidem se facturum incredulis, quod nihil conflictum, nihil commento adumbratum in eo facto interessisset; sed sola revelatione divina, ad notitiam hominum et eorum consolationem, totum esset procuratum. Accenso igitur rogo copioso admodum, cujus incendii fervor etiam circumpositos terrere poterat, convenit universus populus a majore usque ad minorem, in ea sexta feria, quæ sanctum Domini Pascha præcedit, in qua et mundi Salvator pro nostra salute passus esse legitur, ut tantæ rei plenum haberet experimentum. Qui vero tam periculosum examen sponte subiturus erat dicebatur Petrus Bartholomei, clericus quidem, sed modice litteratus, et quantum ad humanum diem dijudicare pertinet, homo simplex videbatur; qui oratione facta in conspectu circumpositarum legionum, assumpta secum prædicta lancea, per ignem transivit, quantum populo videbatur, illæsus. Verum hoc ejus factum non solum non amputavit quæstionem, sed majorem suscitavit; nam infra paucos dies vita decessit, cujus accelerati obitus occasionem, cum homo sanus et vitalis prius videretur, quidam asserebant tentatum incendium, dicentes quod in eo tanquam fraudis patronus, mortis causam collegisset. Alii vero dicebant quod ab incendio sanus evaserat et incolumis; sed egressum ab igne, turbæ, causa devotionis irruentes, oppresserant et contriverant eatenus, ut vitæ finem ministrarent. Sicque res, quæ in dubium venerat, nullam recipiens decisionem, majus induxit ambiguum.

CAPUT XIX.

Nuntii, qui a nostris principibus missi fuerant in Ægyptum, revertuntur.

Per idem tempus legati nostri qui, invitantibus Ægyptiis, qui ad obsidionem Antiochenam missi a calipha Ægyptio venerant, ut præmisimus, descenderant in Ægyptum, post annum quo tam violenter quam dolose detenti fuerant, ad principes, qui eos miserant, sunt reversi; venerantque cum eis Ægyptiorum principis legati, verba deferentes multum ab his quæ prius attulerant, dissimilia. Cum enim multa prius obtinere laborassent precum instantia, ut nostrorum principum contra insolentiam Turcorum et Persarum haberent gratiam et auxilium; nunc mutato cantico, pro summo beneficio se arbitrabantur nostris indulgere, si Hierosolymam ducentos aut trecentos simul permitteret inermes accedere et completis orationibus redire incolumes. Quod verbum nostri principes pro ludibrio habentes, prædictos nuntios redire compulerunt, significantes quod *non secundum propositas conditiones particulatim illuc accederet exercitus; sed junctis agminibus Hierosolymam proficiscerentur unanimes, regno ejus periculum illaturi.* Hujus autem mutationis causa fuerat quiddam, quod ex nostra victoria, quæ apud Antiochiam acciderat, habuerat ortum. Nam Turcis ita ibi periclitantibus, ita per omnem Orientem eorum confractus est gladius; et sublimis quæ fuerat gloria, versa est in confusionem, ut ubicunque cum aliis nationibus erat eis negotium, in omni loco succumberent, et calculum reportarent in omni conflictu deteriorem. Juxta quam eorum conditionem, invalescente super eos Ægyptiorum regno, per manum cujusdam, cui erat nomen Emireius, principis militiæ regis Ægyptiorum, Hierosolymam amiserant, quam triginta et octo annis ante ab eisdem Turci eripuerant violenter. Unde factum est, ut hostes, quos prius quasi fortiores horruerant, nunc per nostrorum operam

Digitized by Google

dejectos, et confractis viribus, in imo videntes constitutos, nostrorum auxilium, quod prius instanter nimis expetierant, contemnebant.

CAPUT XX.

Imperatoris legati adsunt, de Boamundo conquerentes. Imperatorem nuntiat venturum; principes dissentiunt; pugnatur cum Tripolitanis, et vincuntur hostes; nostri victores in castra redeunt.

Advenerant præterea Constantinopolitani imperatoris legati, multum conquerentes de domino Boamundo, qui contra legem pactorum et exhibiti tenorem juramenti Antiochiam præsumebat detinere; allegantes in conspectu principum, *quod domino suo præbitis corporaliter juramentis, omnes qui per eum transierant, tractis sacrosanctis Evangeliis, promiserant quod neque de oppidis, neque de civitatibus aliquam, quæ de imperio ejus fuerant, usque Hierosolymam, detinere præsumerent, sed ea capta, ejus imperio resignarent;* de reliquis vero habitæ conventionis partibus, nullam omnino habebant memoriam. Certum est autem, quod id inter eum et principes, apud Constantinopolim convenerat; sed in fine conventorum fuerat annexum, quod ipse cum omni suo comitatu, et ingentibus copiis eos deberet sine dilatione subsequi; et auxilium in suis necessitatibus ministrare. Quibus de communi principum consilio responsum est, quod *imperator pacta conventa prior violaverat; unde merito et ab his quæ juxta legem pactorum sibi poterant competere, casum patiebatur. Iniquum enim est ei fidem servari, qui contra pactum nititur persari.* Nam, cum nostris principibus ex compacto teneretur obligatus, quod convocatis exercitibus, statim eos sequeretur; et per mare navibus continuum eis ministrari faceret commercium, et rerum venalium toto itinere exhiberi præciperet opulentiam, utrumque neglexit fraudulenter adimplere, cum sine difficultate utrumque posset effectui mancipare. Unde quod de Antiochia factum fuerat, quoniam id jure fecisse videbantur, ratum volebant permanere et inconvulsum, ut is eam jure hæreditario possideret in perpetuum, cui de communi liberalitate concessa fuerat. Instabant præterea ejusdem imperatoris legati, persuadere cupientes, ut ejusdem imperatoris adventum, quem in Kal. Julii adfuturum promittebant, præstolaretur exercitus, pollicentes quod singulis principibus ingentia daturus esset munera; sed et plebeis cum multa liberalitate stipendia, unde honeste sustentari possent, esset largiturus. Super quo deliberationem habentes, dissentiebant ab invicem. Nam Tolosanus comes exspectandum esse tanti principis adventum utile judicabat, sive ex eo quod ita futurum arbitraretur; sive ex eo quod ea occasione principes et populum detinere laboraret: quousque urbem quam obsederat, sibi posset vindicare. Turpe enim et ignominiosum reputabat, si a proposito ita manifeste deficeret, desiderium non valens adimplere. Aliis autem, opposita longe melior videbatur sententia, videlicet ut cœpto instarent itineri, et votum pro quo tot labores pertulerant, feliciter consummarent: fraudes enim imperatoris, et ejus versutias, quas sæpius experti fuerant, declinare judicabant commodius, ne ejus labyrinthis et ejus ambagibus iterum se involverent, a quibus non satis facile postmodum possent expediri. Effusa est igitur inter principes contentio, et eorum pene in nullo consonabant desideria. Unde et is, qui urbi præerat Tripolitanæ, cum prius infinitam obtulisset pecuniæ summam ut, obsidione soluta, ab ejus finibus nostræ migrarent expeditiones, cognito schismate, quod inter principes erat exortum, non solum dare pecuniam prius oblatam renuit, verum nostris sponte occurrere, et cum eis experiri proposuit. Factum est autem, quod de communi consilio, relicto Albariensi episcopo, et aliis nonnullis viris potentibus in obsidione, qui castra tuerentur, principes indicto prælio, instructis aciebus, et ordine congruo dispositis, versus Tripolim agmina dirigunt: quo pervenientes, ejusdem loci præsidem, cum universa civium multitudine tam equitum quam peditum extra urbem reperiunt, ubi, ordinatis pari modo agminibus, nostrorum adventum præstolabantur intrepidi. Cum enim duobus mensibus et amplius aliquid, comes Tolosanus in prædicta obsidione operam consumpsisset inutiliter, nec profecisset quidpiam, cœperant eos Tripolitani contemnere, et nostrum exercitum minus et minus habere suspectum, quasi ab ea virtute quam prius audierant, facti degeneres, in seipsis strenuitatis consuetæ paterentur defectum. Postquam ergo ad urbem ventum est, et hostium contra se positas nostris datum est intueri legiones, in eos statim irruerunt animosius, et primo impetu dissolutis eorum cohortibus hostes in fugam versos, infra urbem certatim se recipere proterva compulerunt instantia, septingentis ex eorum numero gladio peremptis; de nostris vero tres aut quatuor cecidisse dicuntur. Ibi celebraverunt pascha, quarto Idus Aprilis.

CAPUT XXI.

Præses Tripolitanus multa pecunia et muneribus a nostris pacem impetrat. Principes de fidelium consilio, qui in illis partibus habitabant, viam eligunt maritimam.

Obtenta igitur victoria, in castra iterum reversi sunt, ubi nihilominus vociferari et acclamare cœpit populus universus, ut, illa perniciosa obsidione dimissa, versus Hierosolymam, quo eorum omnino festinabat desiderium, iter arriperent; obtinuitque proterva instantia populus, ut incensis castris, dux et Flandrensium comes, nec non et Normannorum comes, sed et Tancredus, populo satisfacientes, invito et plurimum retinente comite Tolosano, obsidionem deserentes, versus Tripolim, tanquam iter continuaturi, expeditiones direxerunt. Erantque in eo facto procliviores, qui ab initio prædicti comitis castra fuerant secuti ita ut eum deserentes, prædictos principes certatim sequerentur: quo intellecto, videns quod neque precibus neque pol-

Digitized by Google

licitis eos revocare poterat, *faciens de necessitate virtutem*, alios secutus est, licet invitus. Cumque vix quinque milliaribus progressi, ante urbem Tripolitanam castrametati essent, ejus loci præses, qui Egyptii caliphæ in ea regione procurabat negotia, deposita illa tali arrogantia, qua prius cum nostris principibus de pari posse contendere arbitratus fuerat, cognoscens seipsum, missa legatione a principibus, obtinuit ut, datis quindecim millibus aureorum, insuper etiam muneribus in equis, mulis, sericis et vasis pretiosis, et restitutis universis quos de nostro populo detinebat captivis, a sibi commissa discederent provincia; ac tribus, quibus præerat civitatibus, Archis videlicet, Tripolis ac Biblio cum suis pertinentiis parcerent transeuntes. Misit insuper greges et armenta, et alimentorum uberem copiam, ne præ victualium inopia, suburbana spoliare compellerentur, et agrorum cultoribus inferre molestiam. Accitis etiam quibusdam fidelibus Syris, montis Libani habitatoribus, qui urbibus illis a parte supereminet orientali, excelsus admodum et in sublime juga porrigens, tanquam a viris prudentibus et locorum gnaris, qui ad eos gratulabundi descenderant, ut fraternæ charitatis dependerent affectum, consilium ab eis petierunt, qua via versus Hierosolymam tutius possent incedere, et commodius. Illi tandem, compensatis bona fide universarum viarum, quæ illuc ducebant tam commoditatibus quam compendiis, novissime viam eis commendaverunt maritimam, ut et directiorem sequerentur, et navium suarum quæ proficiscentem subsequebantur exercitum, eis solatium non deesset. Erant autem in nostrorum classe, non solum Guinimeri, sociorumque ejus, qui a Flandria, Normannia et Anglia, ut præmisimus, descenderant; verum et Januensium, Venetorum, Græcorumque naves, quæ a Cypro, Rhodo, et aliis insulis rebus onustæ venalibus frequenter accedebant, quæ nostris legionibus multam inferebant consolationem. Assumptis ergo ducibus itineris, tum ex prædictis fidelibus, tum ex Tripolitani principis familia, oram legentes maritimam, juga Libani a sinistris habentes, Biblium pertranseuntes, supra ripam fluminis secus locum cui nomen est Maus, castrametati sunt, ubi per diem vulgus debile, et eos, qui non ita celeriter subsequi poterant, operientes, habuerunt requiem.

CAPUT XXII.

Proficiscentes urbes prætereunt in littore maris sitas, Liddamque et Ramulam perveniunt.

Die demum tertia ante urbem Beritensium, secus fluvium, qui juxta urbem labitur, castrametati sunt: ubi, a præside loci, ut satis parcerent et arboribus, data pecunia et victualibus ad sufficientiam ministratis, nocte quieverunt una. Sequenti vero die Sidonem pervenientes, secus fluenta, aquarum commoditatem secuti, locaverunt tabernacula. Ubi, nescimus qua fiducia, qui urbi præerat nostris principibus nullam exhibuit humanitatis gratiam; sed de viribus præsumens suis, exercitum nostrum aggressus est molestare: in quo facto non multum successit ei prospere. Nam quibusdam ex nostris in eos irruentibus, qui eorum discursionibus provocati, diutius dissimulare non poterant, interfectis ex eis aliquot, reliquos infra urbem se recipere compulerunt: unde factum est ut noctem illam in castris, cessantibus eorum molestiis, cum omni tranquillitate peragerent. Mane autem facto, ut aliquanto per recrearetur populus, moram ibi facere decreverunt, mittentes de exercitu expeditiores quosdam, qui de urbanis adjacentibus victui necessaria contraherent: qui comportatis, gregibus et armentis et victualium ingente copia, cum sospitate regressi sunt omnes, excepto quodam nobili viro, Galtero videlicet de Verra, qui, redeuntibus aliis, ad ulteriora progrediens, ut majorem prædam contraheret, dubia sorte sublatus, comparare desiit, universis ejus dubium exitum nimis moleste ferentibus. Sequenti postmodum die transcursis scopulosis ex parte plurima locis, per loca planiora, a dextris relicta antiqua urbe Sarepta Sidoniorum, viri Dei Heliæ nutricia, transmisso flumine, qui medius discurrit, egregiam illius regionis metropolim Tyrum, vetustissimum Agenoris et Cadmi domicilium, pervenerunt; ubi circa illum egregium et sæculis admirabilem fontem hortorum et puteum aquarum viventium castrametati, in pomœriis lete patentibus et multa commoditate refertis, nocte quieverunt una: dehinc die restituta, iterum ad iter se accingentes, exsuperatis angustiis, quæ inter montes proeminentes et mare periculose nimis jacent mediæ, iterum in plana descenderunt, quæ urbi Acconensium subjecta sunt. Ubi juxta civitatem, secus fluvium, qui eamdem urbem præterlabitur, castrametati, a procuratore et civibus munera suscipientes, rerum venalium bonis conditionibus habuerunt commercium; factus est insuper nostris principibus familiaris et amicus, spondens quod si, post captam Hierosolymam, viginti dierum spatio, absque contradictione in regno possent consistere, aut Ægyptiorum vires superare, ipse urbem Acconensem absque difficultate ulla eis resignaret. Inde vero progressi Galilæam a læva deserentes, inter Carmelum et mare, Cæsaream secundæ Palæstinæ metropolim, quæ prisco nomine Turris Stratonis appellata est, pervenientes, secus fluvium, qui de paludibus eidem urbi adjacentibus defluit, castrametati sunt; ubi et sanctum Pentecostes diem, quarto Kal. Junias celebraverunt, a prædicta urbe, vix duobus distantes milliaribus. Inde post diem tertium, itineris resumentes laborem, relictis a dextra locis maritimis, Antipatrida et Joppe, per late patentem planitiem, Eleutheriam pertranseuntes, Liddam quæ est Diospolis, ubi et egregii martyris Georgii gloriosum usque hodie sepulcrum ostenditur, in quo secundum exteriorem hominem in Domino creditur requiescere, pervenerunt. Cujus ecclesiam, quam ad honorem ejusdem martyris,

Digitized by Google

pius et orthodoxus princeps Romanorum augustus, illustris memoriæ dominus Justinianus multo studio et devotione prompta ædificari præcaperat, audito nostrorum adventu, solotenus hostes dejecerant paulo ante, timentes ne trabes ecclesiæ, quæ multæ proceritatis erant, in machinas et tormenta ad expugnandam urbem vellent convertere. Compertum autem habentes quod in vicino nobilis quædam esset civitas, Ramula nomine, cum quingentis equitibus dominum Flandrensium comitem præmiserunt, qui civium prætentarent animos, et quidnam haberent propositi experirentur : qui accedentes ad urbem propius, videntes quod nemo ad eos egrederetur, portas, quas patentes repererunt, ingressi sunt, urbem penitus reperientes vacuam. Nocte enim quæ præcesserat, cognito nostrorum adventu, abeuntes cum uxoribus et liberis, et universa eorum familia, urbem vacuam reliquerant : quod statim remisso nuntio, comes legionibus significans, ad urbem eos accedere maturare consuluit. Illi vero, completis de more orationibus, ad urbem accedentes, in omni commoditate frumenti, vini et olei, ibi continuum exegerunt triduum, episcopum eidem ecclesiæ præficientes quemdam Robertum Normannum genere, de episcopatu Rothomagensi, cui utramque urbem, Liddam videlicet et Ramulam cum adjacentibus suburbanis, jure perpetuo possidendas contulerunt, primitias laborum suorum cum omni devotione egregio martyri dedicantes.

CAPUT XXIII.

Hierosolymitæ viris fortibus, armis et victualibus, urbem communiunt diligenter. Cives fideles ex plurima parte extra urbem projiciunt.

Interea Hierosolymitæ, de nostrorum adventu nuntiis edocti frequentibus, scientes quod omnis quæ advenire dicebatur multitudo, speciale et præcipuum haberet civitatem illam obtinendi propositum, quanta possunt diligentia, quanta valent sollicitudine, urbem communire satagunt; victui necessaria, armorum genera quælibet, ligna, ferrum et chalybem, et quæcunque obsessis solent præstare præsidium, corrogare, et in urbem inferre, studiis se invicem provenientibus, contendunt. Sed et princeps Ægyptius, qui multo labore eodem anno, Turcorum expulso principatu, prædictam urbem receperat, comperto quod ab Antiochia noster discesserat exercitus, quanto poterat studio, turres reparari præceperat et mœnia. Civibus ut eorum sibi et fidem conciliaret et gratiam, de proprio ærario cum multa liberalitate ministrari præcipiens stipendia, tributorum et vectigalium præstationes remittens in perpetuum : qui tum ut vitæ consulerent et saluti, tum ut tantæ libertatis sublimarentur privilegio, regiæ satagentes parere voluntati, convocatis vicinarum urbium civibus, viris fortibus et industriis, et armatis optime, urbem communierant diligenter. Insuper etiam convenientes omnes unanimiter in atrio templi, quod erat spatiosissimum, ut nostrorum prævenire possent adventum et præcidere, decreverunt ut, interfectis universis fidelibus, qui ejus urbis erant habitatores, ecclesiam Dominicæ Resurrectionis dejicerent funditus, et sepulcrum Domini ab eadem radicitus convellerent, ne illorum occasione aut orationis gratia, fidelium populus deinceps accedere, aut urbem frequentare proponerent. Sed tandem cognito, quod per hoc majora populorum nostrorum in se conflarent odia, et in suum vehementius irritarent interitum, mutato consilio, extorta ab eis violenter universa pecunia, et quidquid habere videbantur, quatuordecim aureorum millia, tum a patriarcha, qui tunc urbi præerat, tum a populo civitatis, tum ex adjacentibus monasteriis abstulerunt : unde oportuit eumdem virum venerabilem, ut haberet unde tantam summam extortæ pecuniæ solvere posset (nam ad id universorum non sufficiebant patrimonia) et ut inopiam suam, et plebis quocunque modo consolaretur tenuitatem, in Cyprum insulam navigare, ut ibi a fidelibus eleemosynarum et piæ largitionis mendicaret suffragia, quæ attritæ et esurienti plebi Dei, quæ Hierosolymis et in ejus finibus habitabat, mitteret ad vitæ sustentationem. Nec etiam hoc eis visum est sufficere, sed extortis a plebe per quæstiones et gravia tormenta bonis omnibus, exceptis solis senibus et valetudinariis mulieribus et parvulis, omnes alios urbe depulerunt : qui usque ad nostrorum adventum in viculis suburbanis delitescentes, quotidie mortem exspectabant, non audentes urbem introire; sed nec exterius inter persequentem populum, tuta eis dabatur requies, habentibus locorum incolis omnem eorum suspectam operam, et eos usque ad immundas et intolerabiles perurgentibus angarias. Erat præterea eodem tempore, in eadem Deo amabili civitate, vir vitæ venerabilis et fide insignis, Geraldus nomine, qui ei, de quo supra diximus, præerat xenodochio, in quo pauperes, qui orationis gratia ad urbem accedebant, hospitabantur, et aliqualem pro loco et tempore sumebant refectionem. Hunc credentes pecuniarum aliquam habere repositionem, et suspectum habentes ne in nostrorum adventu aliquid eis moliretur damnosum, vinculis subjecerunt et verberibus, ita ut manuum ac pedum torquendo ejus confringerent articulos, et membrorum partem maximam redderent inutilem.

CAPUT XXIV.

Bethlehemitæ ad principes legatos dirigunt; dirigitur illuc Tancredus, qui ecclesiam et locum occupat.

Consummato igitur ibi triduo, custodibus ibi aliquot deputatis, qui munitiorem ejusdem civitatis partem ab hostium tuerentur insidiis, summo diluculo ad exsequendum se accingunt propositum. Unde, assumptis itineris ducibus, viris prudentibus, et locorum peritis, pervenerunt Nicopolim. Est autem Nicopolis civitas Palæstinæ : hanc, dum vicus adhuc esset, sacer Evangeliorum liber appellavit Em-

Digitized by Google

maus, beatusque Lucas evangelista hanc dicit ab Hierosolymis distare stadiis sexaginta. De hac Sozomenus in sexto *Tripartitæ Historiæ* libro ita ait: *Hanc Romani post vastationem Hierosolymorum, Judæamque victoriam, Nicopolim ex eventu victoriæ vocaverunt. Ante hanc urbem in trivio, ubi Christus cum Cleopha post resurrectionem noscitur ambulasse, tanquam ad alium vicum iturus, fons quidam est salutaris, in quo passiones hominum diluuntur, et alia pariter animalia diversis detenta languoribus emundantur: quod ut ita contingat, traditur ex quodam itinere apparuisse Christum ad fontem cum discipulis suis, et lavasse pedes: ex quo aqua facta est diversarum medicamen passionum.* Hæc prædictus historiographus de castello Emmaus ita disserit: Ubi noctem illam in aquarum abundantia, et rerum copia victui necessariarum egerunt tranquillam; ubi circa noctis medium, fidelium qui in civitate Bethlehem habitabant, legatio adfuit ad ducem Godefridum, orans et petens cum multa instantia, ut illuc aliquam militiæ partem dirigeret. Convenientibus enim ex universis finitimis oppidis et locis suburbanis hostibus, Hierosolymam properabant, tam ut urbem tuerentur quam ut ipsi etiam in urbe salutis sibi invenirent consilium. Timebant autem prædicti fideles, ne ad partes eorum accedentes, ecclesiam dejicerent, quam multo pretio sæpius ab eisdem hostibus, ne dejiceretur, redemerant. Audita igitur et cum pietatis affectu suscepta fratrum fidelium postulatione, electis ex suorum numero centum expeditis equitibus, ad locum prædictum, ut fidelibus opem ferrent, dux præcipit contendere: quibus dominus Tancredus datus est primicerius, et consors itineris: qui ducibus ejusdem loci habitatoribus, ad locum summo diluculo perveniunt destinatum; ubi a civibus cum hymnis et canticis spiritualibus honorifice suscepti, introducente eos populo et clero, ingressi ecclesiam, felicis puerperæ diversorium, et Salvatoris præsepe, in quo felicium cibus animalium requievit, beatis oculis conspexerunt. Ubi etiam et cives ejusdem loci, præ gaudii et exsultationis immensitate, votiva Domino cantica psallentes, in signum victoriæ, domini Tancredi vexillum super ecclesiam statuerunt. At vero, qui in exercitu remanserant, præ itineris desiderio, loca venerabilia scientes in proximo constituta, pro quorum amore et reverentia tot labores, tot pericula tertio jam anno sustinuerant, noctem ducebant insomnem, votis ardentibus auroram deposcentes, ut itinerarii sui felicem conspicerent clausulam, et tam longæ peregrinationis beatam consummationem possent intueri. Videbatur eis nox ultra solitum vices suas producere, partemque lucis futuræ sibi usurpare indebite, omnisque mora animis ardentibus periculosa videbatur, eratque abominabilis, juxta id quod proverbialiter dici solet: *Animo cupienti nihil satis festinatur;* et item illud: *Dilatione votum creverat.*

CAPUT XXV.

Proficiscens exercitus Hierosolymam pervenit; sed interim excitatur tumultus, in quo cadunt nonnulli de hostibus.

Postquam autem in castris cognitum fuit quod Bethlehemitarum nuntios dux nocte illa susceperat, et de suis in eorum subsidium præmiserat quosdam, non exspectata procedendi licentia vel opportunitate, qualem lux exoriens iter agentibus solet ministrare, intempestæ noctis silentio, excitantibus se mutuo plebeis et moram arguentibus, invitis principibus, surrexerunt iter arripientes. Cumque processissent aliquantulum, vir quidam nobilis et strenuus, Gastus Biterrensis, assumpto sibi triginta expeditorum equitum comitatu, ab exercitu separatus versus Hierosolymam, aurora jam illucescente, cœpit contendere, ut si quas extra urbem gregum aut armentorum reperiret copias, eas secum in expeditionem deduceret. Cumque jam urbi esset proximus, juxta votum occurrerunt ei animalia, quibus pauci præerant pastores, qui, visa nostrorum militia, in urbem perterriti aufugerunt. Gastus vero interim, relicta absque custodibus secum trahens animalia, ad exercitum revertebatur: cum ecce ad pastorum vocem exciti Hierosolymitæ, correptis armis, prædam abactam violenter revocare cupientes, certatim insecuti sunt abeuntem. Vir vero insignis, insectantium veritus multitudinem, relicta præda, saluti fugiendo consulens, in collis cujusdam culmine cum suo substitit comitatu; dumque ibi rei præstolaretur eventum, ecce per vallem eidem loco subjectam, dominus Tancredus, cum prædictis centum equitibus, a Bethlehem rediens ad exercitum maturabat, quibus prædictus vir nobilis occurrens, casum qui ei acciderat, ex ordine pandit. Conjunctis itaque agminibus, eos qui prædam reducebant verso secuti sunt itinere; et antequam in urbem se reciperent, subito in eos irruentes, interfectis pluribus, reliquisque in fugam versis, prædam iterum receptam violenter abducentes, ad exercitum cum multa lætitia sunt reversi: a quibus cum quæreretur unde prædam illam contraxerant, respondentes quod de agro Hierosolymitano eam abduxissent, audito nomine civitatis, pro qua tot et tantos labores pertulerant, præ fervore devotionis lacrymas et suspiria cohibere non valentes, pronos in terram se dederunt, adorantes et glorificantes Deum, de cujus munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne et laudabiliter serviatur; quique populi sui vota benigne exaudire dignatus est, ut juxta eorum desideria, ad loca optata mererentur pervenire. Unde progressi pusillum, e vicino urbem sanctam contemplantes, cum gemitu et suspiriis præ gaudio fusis spirituali, pedites, et nudis ex plurima parte vestigiis, cœpto ferventius insistentes itineri, subito ante urbem constiterunt, castra circumponentes eo ordine, quo a majoribus principibus singulis designabatur. Videbatur impletum esse, quod per prophetam præmissum fue-

Digitized by Google

rat vaticinium, et exhibitum historialiter verbum Domini : *Leva, Hierusalem, oculos, et vide* (*Isa.* XLIX, 18) *potentiam regis. Ecce Salvator tuus venit* A *solvere te a vinculo.* Et illud : *Elevare, elevare, consurge, Hierusalem* (*Isa.* LI, 17); *solve vincula colli tui, captiva filia Sion* (*Isa.* LII, 2).

INCIPIT LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

Descriptio situs urbis sanctæ, in qua ostenditur quas regiones et quæ habeat loca per circuitum.

Urbem sanctam et Deo amabilem Hierosolymam, in sublimibus sitam esse montibus certum est; et in tribu Benjamin positam veterum tradit auctoritas; habetque ab Occidente tribum Simeon, et Philisthiim regionem, et mare Mediterraneum : a quo B ubi propius est, juxta vetustissimum oppidum Joppen, viginti quatuor distat millaribus, inter se et prædictum mare habens castellum Emaus, quæ postea dicta est Nicopolis, ut prænisimus, ubi post resurrectionem suam Dominus duobus discipulis apparuit; Modim etiam, sanctorum Machabæorum felix præsidium; Nobe quoque vicum sacerdotalem, ubi David, esuriens cum pueris suis, tradente Abimelech sacerdote, panes propositionis comedit; et Dispolim, quæ est Lidda, ubi Petrus Æneam virum paralyticum ab annis octo in grabato jacentem saluti restituit; et Joppen prædictam, ubi idem Petrus, discipulam nomine Tabitham, plenam operibus bonis et eleemosynis, defunctam suscitavit, et sanctis ac viduis resignavit vivam : ubi et apud C Simonem coriarium hospitatus, Cornelii nuntium suscepit, sicut in Actibus apostolorum continetur. Ab oriente vero Jordanis habens fluenta et ei adjacentem solitudinem, filiis prophetarum familiarem, quasi ad milliaria quatuordecim; et vallem silvestrem, ubi nunc est mare salis, quod et lacus Asfaltes, et mare Mortuum nuncupatur; quæ omnis regio antequam Dominus subverteret Sodomam, ut in Genesi legitur, *quasi paradisus Dei irrigabatur* (*Gen.* XIII, 10). Citra vero Jordanem, urbem Jericho, quam Moysi successor Josue, magis orando quam pugnando subegit; ubi postea Dominus prætériens, cæco lumen restituit (*Matth.* XX); Galgala quoque Elisæi receptaculum. Ultra Jordanem vero D Galaad, Basan, Ammon et Moab, quæ postmodum Ruben, Gad et dimidia tribus Manasse susceperunt in sortem, quæ omnis hodie regio generali appellatione dicitur Arabia. Ab Austro vero, habens sortem Juda, in qua est Bethlehem, familiare Domini reclinatorium, et felix nativitatis Dominicæ et cunarum locus; et Thecua urbs, prophetarum Habacuc et Amos domicilium; et Ebron, quæ alio nomine dicitur Cariatharbe, sanctorum patriarcharum sepulcrum venerabile. A septentrione vero urbem habens Gabaon, Josue, filii Nun, insignem victoria, et defixi solis miraculo præclaram; tribum quoque habens Ephraim, in qua est Silo, tabernaculi Domini custos aliquando; Sichar, confabulatricis Domini Samaritanæ patria; Bethel, aureorum cultrix vitulorum, et peccati Jeroboam testis. Sed et Sebastea Joannis Baptistæ, Elisæi quoque et Abdiæ tumulus, quæ olim dicta est a monte Somer, in quo sita est Samaria, regum Israel thronus sublimior, unde et tota prædicta regio usque in præsentem diem dicitur Samaria. Neapolis quoque, quæ olim dicta est Sichem, conditoris nomen habens; in qua, secundum lectionem libri Geneseos (*cap.* XXXIV), filii Jacob Simeon et Levi, in ultionem stupri, quod filius Sichem, Hemor, sorori eorum Dinæ, amore illius captus, intulerat, tam ipsum quam filios ejus in ore gladii percusserunt, urbem eorum succendentes.

CAPUT II.

Quibus nominibus et quot appelletur civitas, et quod David eam regni solium constituerit. Quomodo Ælius Adrianus, de clivo, in montis verticem transtulerit. Et quædam iterum de situ ejus.

Est autem Hierusalem, Judeæ metropolis, in loco rivis, silvis, fontibus et pascuis penitus carente, sita. Hæc, juxta veteres historias et orientalium populorum traditiones, primum dicta est Salem; deinde Jebus; postmodum tempore David, qui ejecto inde Jebusæo ejus habitatore, postquam septem annis regnaverat in Ebron, eam ampliavit, et regni constituit solium, dicta est Hierusalem. Unde ita legitur in Paralipomenon : *Abiit ergo David et omnis Israel in Hierusalem, hoc est Jebus, ubi erant Jebusæi habitatores terræ; dixeruntque qui habitabant Jebus ad David : Non ingredieris huc. Porro David cepit arcem Sion, quæ est civitas David; dixitque : Omnis qui percusserit Jebusæum in primis erit princeps et dux. Ascendit igitur primus, Joab filius Sarviæ, et factus est princeps. Habitavit autem David in arce, et idcirco appellata est civitas David, ædificavitque urbem in circuitu a Mallo usque ad gyrum; Joab autem reliqua urbis extruxit* (*I Par.* XI, 4 et seq.). Postea vero, regnante filio ejus Salomone, dicta est Hierosolyma, quasi Hierusalem Salomonis. Hanc vero, ut referunt egregii scriptores et illustres historiographi, Hegesippus et Josephus, Judæorum id exigentibus meritis, quadragesimo secundo post passionem Domini anno, Titus Vespasiani filius, Romanorum princeps magnificus, obsedit; obsessam expugnavit, et expugnatam dejecit funditus, ita ut, juxta

Digitized by Google

verbum Domini : *Non remaneret in ea lapis super lapidem* (*Matth.* XXIV, 2). Hanc eamdem postea Ælius Adrianus, quartus ab eo Romanorum augustus, reparavit, unde et ab eodem dicta est Ælia, sicut in Nicæa synodo legitur : *Episcopus Æliæ ab omnibus honoretur*, et cætera. Cumque prius in clivo sita esset præcipiti, ita ut in orientem partim, partim in austrum tota devexa respiceret, in latere tam montis Sion, quam Moriæ constituta, ut solum templum et præsidium, cui nomen Antonia erat, in sui haberet fastigio et parte superiore; ab eodem imperatore in montis verticem tota translata est, ita ut Dominicæ passionis et resurrectionis locus, qui prius extra urbem fuerat, urbe resædificata infra murorum ambitum clauderetur. Est autem civitas et minor maximis et mediocribus major; forma quidem oblonga, et parte altera longiore, tetragona tamen vallibus profundis admodum, ex tribus partibus circumsepta. Nam ab oriente vallem habet Josaphat; hujus mentionem facit propheta Joel, dicens : *Cum convertero captivitatem Juda et Jerusalem, congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat; et disceptabo ibi cum eis super populo meo, et hæreditate mea Israel* (*Joel.* III, 2). Cujus in imo constructa est nobilis ecclesia in honore Dei Genitricis, ubi et sepulta creditur; et gloriosum ejus usque hodie, accedentibus populis, monstratur sepulcrum. Sub qua etiam torrens Cedron, aquis pluvialibus factus tumidior, hibernis mensibus defluere consuevit, cujus mentionem beatus Joannes evangelista facit dicens : *Egressus Jesus trans torrentem Cedron, ubi erat hortus* (*Joan.* XVIII, 1), et cætera. Ab austro vero vallem habet prædictæ contiguam, cui nomen Ennon, quæ sortis Benjamin et Juda, in funiculo distributionis limes fuit, sicuti in Josue scribitur (*cap.* XV, 8) : *Ascenditque per convallem filii Ennon, ex latere Jebusæi ad meridiem, hoc est Jerusalem; et inde se erigens ad verticem montis qui est contra Gehennon ad occidentem;* in qua hodie de pretio Salvatoris, pro quo Judas, mercator pessimus, Dominum Judæis tradidit, ager emptus ostenditur, in sepulturam peregrinorum deputatus, cui nomen Acheldemac. De hac etiam valle in Paralipomenon scribitur ita, fitque sermo de Achaz : *Ipse est qui adolevit incensum in valle Ennon, et lustravit filios suos in igne juxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in adventu filiorum Israel* (*II Par.* XXVIII, 3). Ab occidente vero, ejus vallis partem, in qua vetus piscina, quæ tempore regum Juda celebris fuit, designatur : indeque protenditur ad superiorem piscinam, quæ hodie vulgari appellatione dicitur Lacus Patriarchæ, quod est juxta vetus cœmeterium, in spelunca quæ cognominatur Leonis. A septentrione vero plano itinere ad urbem acceditur, ubi usque hodie locus in quo protomartyr Stephanus a Judæis lapidatus, et pro persecutoribus orans positis genibus, emisit spiritum, designatur.

CAPUT III.

Quoa partem duorum montium intra muri ambitum contineat, et quod sit Dominicæ Resurrectionis, in alto vero templum Domini, et quæ sit forma utriusque ecclesiæ

Sita est autem in montibus duobus, sicut David commemorat, dicens : *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI, 1); quorum fastigia infra muri ambitum ex parte plurima continet, modica valle distincta, quæ etiam urbem per medium dividit. Horum alter qui ab occidente est, Sion appellatur, unde plerumque et tota denominatur civitas, ut ibi : *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob* (*Psal.* LXXXVI, 1). Alter vero qui ab oriente est, mons Moria dicitur, cujus mentio fit in Paralipomenon secundo, hoc modo : *Et cœpit ædificare Salomon domum Domini in Jerusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus, in loco quem paraverat David in area Orna Jebusæi* (*II Par.* III, 1). In occidentali ergo quasi in supremo montis vertice ecclesia est, quæ nomine montis dicitur Sion; et non longe ab ea turris David, opere constructa solidissimo quæ quasi præsidium civitatis cum turribus, muris et antemuralibus sibi annexis, universæ sub se positæ præeminet civitati. In eodem quoque, sed in devexo quod ad orientem respicit, sita est sanctæ Resurrectionis ecclesia, forma quidem rotunda; quæ quoniam in declivo prædicti montis sita est, ut clivus eidem eminens et contiguus, Ecclesiæ pene superest altitudinem, et eam reddit obscuram; tectum habet, erectis in sublime trabibus, et miro artificio in modum coronæ contextis, apertum et perpetuo patens, unde lumen ecclesiæ infunditur necessarium; sub quo hiatu patulo Salvatoris positum est monumentum. Porro ante nostrorum Latinorum introitum, locus Dominicæ passionis qui dicitur Calvariæ sive Golgotha; et ubi etiam vivificæ crucis lignum repertum fuisse dicitur; et ubi etiam de cruce depositum Salvatoris corpus, unguentis et aromatibus dicitur delibutum et sindone involutum, sicut mos erat Judæis sepelire, extra prædictæ ambitum erant ecclesiæ, oratoria valde modica. Sed, postquam nostri opitulante divina clementia, urbem obtinuerunt in manu forti, visum est eis prædictum nimis angustum ædificium : et ampliata ex opere solidissimo et sublimi admodum ecclesia priore, intra novum ædificium veteri continuo et inserto, mirabiliter loca comprehenderunt prædicta. In altero vero monte, qui in parte est orientali, in declivo ejus, quod in austrum respicit, templum Domini est in eo loco ubi, juxta lectionem libri Regum (*II Reg.* XXIV) et Paralipomenon, David rex, ab Aureuma sive Orna homine Jebusæo aream emit. Ubi et præceptum est ei altare Domino ædificare, in quo postmodum obtulit holocausta et pacifica; et invocavit Dominum, et exaudivit eum in igne de cœlo, super altare holocausti. Ubi etiam de mandato Domini, filius ejus Salomon, post patris obitum templum ædificavit, cujus quæ forma

Digitized by Google

fuerit, et quomodo sub Nabuchodonosor Babyloniorum rege ceciderit, iterumque sub Cyro rege Persarum a Zorobabel et Jesu sacerdote magno reædificatum fuerit; et quomodo illud idem cum universa urbe postmodum sub Tito, Romanorum principe, deletum fuerit, veteres tradunt historiæ. Hujus autem quis auctor fuerit, et quæ compositionis sit forma, in præsenti sufficit edocere. Porro, in principio hujus voluminis, ædificii hujus auctorem diximus Homar filium Catab, qui tertius a seductore Mahometh, erroris et regni successor exstitit : et ita esse, antiqua litterarum monumenta in eodem ædificio intus scripta, et de foris, manifeste declarant. Forma vero hujusmodi est : platea quædam, quantum arcus vix jacere potest habens longitudinis et latitudinis tantumdem, quadrangula et æquidistantibus contenta lateribus, muro circumdata est valido, altitudinis moderatæ; in quam ab occidente, duabus portis introitur, quarum altera dicitur speciosa; ubi secundum quod in Actibus apostolorum continetur, claudum ex utero matris suæ, eleemosynam a transeuntibus petentem, consolidatis basibus erexit Petrus; alterius vero certum nomen non tenemus. A septentrione vero una; ab oriente quoque alia, quæ usque hodie Porta aurea dicitur. Ab austro vero domum habet regia quæ vulgari appellatione templum Salomonis appellatur. Super singulas autem portas, quæ urbi sunt conterminæ, et per angulos prædictæ superficiei turres erant sublimes admodum, in quibus certis horis superstitionis Saracenorum sacerdotes, ut populum ad orationem invitarent, ascendere consueverant : quarum quædam adhuc supersunt, quædam vero variis casibus sunt depositæ. Infra hæc igitur septa nemini habitare, nemini etiam introire, nisi nudis et lotis pedibus permittebatur, janitoribus per singulas portas constitutis, qui hujus rei curam haberent diligentem. Porro in medio hujus sic circumseptæ areæ, planities iterum quædam est eminentior, eodem modo quadrilatera a lateribus subjectæ ex omnibus partibus æquidistans; ad quam a parte occidentali, duobus locis per gradus et ab austro totidem, ab oriente vero uno tantum ascenditur : in cujus singulis angulis, singula erant oratoriola, quorum quædam adhuc exstant, quædam vero, ut alia ibi construerentur, deposita sunt. In hujus superioris areæ medio templum ædificatum est, forma quidem octogonum et laterum totidem; intus et deforis marmoreis tabulis et opere musaico decoratum; tectum habens sphæricum, plumbo artificiose coopertum. Harum utraque platearum tum continens et inferior, quam superior et contenta, albo strata est lapide, ita ut hibernis temporibus aquæ pluviales, quæ plurimæ de templi descendunt ædificio, quasque aliunde non pauciores excipiunt; limpidissimæ et absque cœno in cisternas defluant, quæ plurimæ infra septa prædicta continentur. Intus vero in medio templi, infra interiorem columnarum ordinem, rupes est aliquantulum eminentior, cum subjecta ex eodem saxo spelunca, supra quam sedisse angelus dicitur, qui propter dinumerationem populi a David incaute factam, percussit populum, quousque præceptum est ei a Domino, ut parcens populo gladium suum converteret in vaginam. Ubi postmodum empta sexcentis siclis auri justissimi ponderis area, altare, ut præmisimus, construxit. Hæc autem ante nostrorum introitum, et postmodum annis quindecim nuda patuit et aperta; posteà vero, qui eidem præfuerunt loco, albo eum cooperientes marmore altare desuper et chorum, in quo clerus divina celebrat, construxerunt.

CAPUT IV

Quod in loco arido et inaquoso sita sit civitas. De fonte Siloe. Et quomodo cives, audito nostrorum adventu, lacus dissipaverint, et obstruxerint fontes.

Dicitur autem regio, in qua prædicta Dei cultrix civitas cita est, Judæa; dicitur nihilominus et Palæstina prima. Judæa sane ab eo, ex quo decem tribus Jeroboam filium Nabath secutæ, a Roboam filio Salomonis discesserunt, solæque duæ tribus, Benjamin videlicet et Juda, adhæserunt ei. Unde a cognomento Judæ, utriusque tribus regio, Judæa dicta est. Unde et illud est de Evangelio : *Revertere in terram Juda.* Unde etiam tam ipse Roboam, quam ejus successores, reges Juda dicti sunt, cum reliquarum decem tribuum reges, reges Israel vel Samariæ dicerentur. Palæstina autem quasi Philisthina a Philisthiim deducto nomine dicitur. Dicuntur autem tres esse Palæstinæ, quarum prima est quæ propriè Judæa dicitur, cujus metropolis est Hierosolyma; secunda, cujus metropolis est Cæsarea maritima; tertia, cujus metropolis est Bethsan, sive Scythopolis, cujus hodie dignitatem obtinet Nazaræa Ecclesia. Sive autem sic, sive sic dicatur, certum est, terræ promissionis et Syriæ portionem esse, quod ex ea homelia datur intelligi, qua dicitur : *Familiare est Syris, et maxime Palestinæ regioni, quæ pars Syriæ est, in qua Dominus corporaliter apparere dignatus est, ad omnem pene sermonem suum parabolas jungere.* Sed et quasi in umbilico terræ promissionis eadem posita est regio, secundum hoc quod in Josue terræ promissionis termini describuntur, in quo ita legitur : *A deserto et Libano, et flumine magno Euphrate, usque ad mare Occidentale, erunt termini vestri* (*Jos.* I, 4). Est autem locus in quo civitas sita est, aridus et inaquosus, rivos, fontes ac flumina non habens penitus, cujus habitatores aquis tantum utuntur pluvialibus. Mensibus enim hibernis, in cisternis quas in civitate habent plurimas, imbres solent sibi colligere, et per totum annum ad usus necessarios conservare. Unde miramur plurimum quod Solinus Judæam aquis dicit esse illustrem; ait enim in suo Polyhistore : *Judæa illustris est aquis; sed natura non eadem aquarum.* Nec aliquid nobis pro solutione occurrit, nisi dicamus; aut eum rei veritatem non

Digitized by Google

esse assecutum, aut terræ pristinam faciem postmodum immutatam. Certum est tamen quod amicus Domini, Ezechias rex Juda, cognito adventu Sennacherib, filii Salmanassar regis Assyriorum, fontes qui erant extra urbem, obturavit. De quo ita legitur in secundo Paralipomenon : *Quod cum audisset Ezechias, venisse scilicet Sennacherib, et totum belli impetum verti contra Hierusalem, inito cum principibus consilio virisque fortissimis, ut obturarent capita fontium quæ erant extra urbem, et hoc omnium decernente sententia, congregavit plurimam multitudinem, et obturaverunt cunctos fontes, et rivum qui fluebat in medio terræ, dicentes : Ne veniant reges Assyriorum, et inveniant aquarum abundantiam* (*II Par.* XXXII, 2). Inter quos præcipuus erat qui dicebatur fons Gion, de quo in eodem legitur : *Hic est Ezechias, qui obturavit superiorem fontem aquarum Gion, et avertit eas subter ad occidentem urbis David* (*ibid.*, XXX). Gion autem locus est ab austro, in valle Ennon media Jerusalem positus, ubi hodie est in honore Beati Procopii martyris ecclesia, ubi Salomon in regem inunctus fuisse dicitur, juxta quod in tertio Regum libro legitur ita : *Tollite vobiscum servos Domini vestri, et imponite Salomonem filium meum super mulam meam, et ducite eum in Gion, et ungat eum ibi Sadoch sacerdos et Nathan propheta, in regem super Israel et Judam, et canetis buccina, atque dicetis : Vivat rex Salomon* (*III Reg.* I, 33). Id tamen ante prædicti Solini tempora fuisse certum est ; nam eum et post Titum Romanorum principem, qui urbem delevit, et ante Ælium Adrianum, qui eamdem reparavit, fuisse, evidenter ex ejusdem Polyhistoris lectione colligitur, in cujus quadragesimo capitulo ita legitur : *Judææ caput fuit Hierosolyma, sed excisa est ; successit Hiericus, et hæc caput esse desiit, bello Artaxerxis subacta.* Extra urbem ad duo vel tria milliaria, fontes sunt nonnulli ; sed et pauci numero, et modicam nimis ministrantes aquarum commoditatem, juxta urbem tamen a parte australi, ubi duæ valles prædictæ se continuant, quasi milliario distans ab urbe, fons est quidam famosissimus, Siloe ; ad quem, eum qui a nativitate cæcus fuerat, Dominus misit, ut ibi lavaretur et videret (*Joan.* IX) : fons quidem modicus, in imo vallis scaturiens, et qui nec sapidas, nec perpetuas habet aquas ; interpolatum enim habens fluxum, die tantum tertia aquas dicitur ministrare. Porro cives, prægnito nostrorum adventu, ora fontium et cisternarum quæ in circuitu urbis erant, usque ad quinque vel sex milliaria, ut populus siti fatigatus, ab urbis obsidione desisteret, obstruxerant : unde postmodum in ejus obsidione, infinitas molestias noster passus est exercitus, sicut in sequentibus dicetur. Qui autem intus erant, præter aquarum pluvialium, quam habebant, ubertatem maximam, fontes etiam a partibus deductos exterioribus et aquæductis invectos, in piscinas duas maximæ quantitatis, quæ circa templi ambitum, exterius tamen, sed infra urbem continentur recipiebant ; quarum altera usque hodie Probatica piscina reputatur, in qua olim immolatitiæ lavabantur hostiæ, quæ in Evangelio quinque porticus dicitur habere (*Joan.* V) et in quam angelus dicebatur descendere et aquam movere, illo effectu, ut qui primus post motionem aquæ descenderet in piscinam, sanaretur : in qua et Dominus paralyticum curatum, grabatum jussit tollere.

CAPUT V.

Quo tempore noster exercitus ante urbem advenerit ; et quis fuerit nostrorum, hostiumve numerus ; et quo ordine castra sunt locata.

Anno igitur ab Incarnatione Domini 1099, mense Junio, septima die mensis, nostrorum ante prædictam urbem castrametatæ sunt legiones ; diciturque fuisse advenientium numerus promiscui sexus, ætatis et conditionis, quasi ad quadraginta millia, inter quos expeditorum vix poterant esse viginti millia peditum ; equites autem mille quingenti ; reliqui autem omnes, aut inerme vulgus, aut valetudinarii et debiles. In urbe autem dicebantur esse virorum fortium et optime armatorum quadraginta millia ; convenerat enim ex vicinis oppidis et suburbanis adjacentibus in urbem maxima multitudo, tum ut a facie exercitus in urbem se conferentes, propriæ saluti consulerent ; tum ut urbem regiam ab imminentibus protegerent periculis, eam armis et victualibus communientes. Postquam ad urbem accesserunt, habito diligenti tractatu, unde facilius et commodius urbem possent impugnare, cum his qui locorum habebant peritiam, videntes quod neque ab oriente, neque ab austro propter v llium prædictarum profunditatem possent proficere, a septentrione eam obsidere decreverunt. Ab ea igitur porta, quæ hodie dicitur Sancti Stephani, quæ ad aquilonem respicit, usque ad eam quæ turri David subjecta est et ab eodem rege cognominabatur, sicuti et turris quæ in parte ejusdem civitatis sita est occidentali, nostri principes castrametati sunt. In quorum ordine dominus Lotharingiæ dux Godefridus primus fuit ; post eum, dominus Flandrensium comes Robertus ; tertium vero locum dominus item Robertus Normannorum comes ; quartum vero locum circa turrim angularem, quæ ab eodem cognominata est, dominus Tancredus, et alii quidam nobiles obtinuerunt ; ab eadem vero turri usque ad portam Occidentalem, comes Tolosanus cum suo comitatu urbem obsedit ; verum postea, tum propter turrim, quæ castris ejus imminebat, prædictam portam quasi sub se positam potenter tuebatur ; et propter vallem nihilominus quæ inter urbem et castra ejus erat media, videns quod in eo parte urbem impugnando non multum posset proficere, de consilio quorumdam prudentum, et qui locorum habebant peritiam, super montem in quo civitas ædificata est, inter urbem et ecclesiam, quæ dicitur Sion, quæ ab urbe distat quantum arcus semel potest jacere, in parte septentrionali, castrorum partem transtulit ; parte etiam ibidem, ubi prius fuerat

Digitized by Google

derelicta. Hoc autem ea dicitur intentione fecisse, ut et facilius ad urbem expugnandam sui possent accedere, et prædictam ecclesiam ab hostium injuria tueri. Is enim locus erat, in quo Salvator cum discipulis cœnasse, et eorum lavisse pedes dicitur; ibidem etiam et Spiritus sanctus super discipulos in linguis igneis die sancto Pentecostes descendisse: ibi etiam et piam Dei Genitricem mortis solvisse debitum, veterum habent traditiones, ubi etiam protomartyris Stephani sepulcrum usque hodie designatur.

CAPUT VI.

Quinta post obsidionem die urbem impugnant: ductu cujusdam fidelis in silvas descendunt, trabes deferunt, erigunt machinas.

Locatis igitur, ut prædiximus, castris a porta septentrionali, quæ vulgo dicitur Sancti Stephani, usque ad turrem angularem, quæ valli Josaphat præeminet; et inde usque ad oppositum ejusdem civitatis angulum, qui super clivum ejusdem vallis ab australi situs est parte, et inde usque ad portam australem, quæ hodie dicitur montis Sion, civitas remansit inobsessa, vix ejus dimidium obsidione claudente. Quinta igitur die, postquam ante urbem noster constitit exercitus, indictum est generaliter, et voce significatum præconia, quatenus omnes unanimiter a majore usque ad minimum armis instructi, et protecti clypeis, ad urbem impugnandam se accingerent: quod et factum est. Consurgentes enim omnes unanimes, tanta circa partes urbis obsessas irruerunt instantia, tantaque cura et virtute continuantes congressum, cives impugnabant, ut effractis antemuralibus, infra muros interiores eos se cum timore recipere compellerent et de resistendo diffidere cogerentur: quod si illa die, in eo urbem impugnandi fervore, scalas habuissent aut ad occupanda mœnia machinas aptassent, procul omni dubio civitatem sibi poterant vindicasse. Cumque a summo mane circa horam diei septimam in eo facto desudassent, videntes quod absque machinis non multum possent proficere, propositum ad tempus distulerunt, opus auctore Domino, consummatis machinis, felicius repetituri. Dumque circa id principes plena deliberarent sollicitudine, ubi apta instrumentis ligneis posset reperiri materia (nam adjacens universa regio nullam hujusmodi videbatur opportunitatem ministrare) casu adfuit quidam fidelis indigena, natione Syrus, qui in valles quasdam secretiores, sex aut septem ab urbe distantes milliaribus, quosdam de principibus direxit, ubi arbores, etsi non ad conceptum opus aptas penitus, tamen ad aliquem modum proceras invenerunt plures. Ubi habentes artifices et lignorum cæsores, quantum ad opus prædictum necessarium videbatur, camelis et plaustris impositis, ad urbem detulerunt. Convocatis ergo artificibus, et qui in hujusmodi exercitio majorem habebant peritiam, omnem operam adhibent et studium indefessum, in securi et ascia, et in hujusmodi omnimodo instrumentorum genere, ex subjecta materia, castella et machinas jaculatorias, quas mangana vel petrarias vocant, arietes quoque simul et scrophas ad suffodiendum murum, certatim et summa contexunt diligentia. Dabatur autem artificibus, quibus propriæ non supputebant facultates, ut gratis operam possent impendere, merces, de symbolis quos populi offerebat devotio. Nam nullius principum ad hoc sufficiebant copiæ, ut architectis possent ministrare salarium, excepto comite Tolosano, qui perpetuo plus cæteris abundabat. Ipse enim de proprio ærario absque collatione populi, suis artificibus impensas ministrabat necessarias; sed et multis nobilibus, quibus sua defecerant viatica, stipendia ministrabat. Dumque sic circa majora negotia majores principes essent solliciti, alii nobiles et præclari viri, erectis vexillis, populum educebant ad loca ubi aliquid frutectorum et silvæ humilis esse, per indigenas compererant, ut equis, asinis, et omnium jumentorum genere virgulta deferrent inde, et vimina, ut inde crates contexerentur et majora supplerentur opera. Fervebat igitur opus, et omnium invigilabat studium, nec erat in tanto populo deses quispiam, aut qui otio torpescere permitteretur; sed quisque aliquid muneris impendebat, sublata differentia, quid quemque secundum suam deceret conditionem. Quidquid enim usui esse poterat, id totum tractare reputabatur honestum. Instabant operi simul in unum dives et pauper, nec conditionis reputabatur imparitas, ubi par erat studium, et in exsequendo opere fervor non dissimilis, qui major erat meritis, magis sollicitus erat circa frequens ministerium; qui vero inferior, ad aliquod tamen obsequium admittebatur. Pro nihilo reputabant quidquid in toto itinere pertulerant, nisi tanti laboris fructum liceret carpere, et urbem introire, pro qua tot casus sustinuerant adversos: leve judicabant quidquid mandari poterat, dum ad id tantum modo cooperari crederetur, ut voti compotes fieri mererentur.

CAPUT VII.

Siti populus fatigatur; dumque aquas quærunt longe positas, et reliqua vitæ necessaria, ab hostibus perimuntur frequenter.

Interea siti fatigabatur exercitus vehementissima. Nam, ut prædiximus, locus civitati adjacens aridus est et inaquosus, rivos aut fontes, vel etiam puteos aquarum viventium nisi remotos, non habens aliquos: eosque ipsos, audito nostrorum adventu, ut locus ad continuandam obsidionem redderetur ineptior, jactu pulveris et modis aliis quibus poterant, oppilaverant, universos; sed et cisternas et pluvialium aquarum receptacula dissipaverant, ut aquas non valerent cohibere; aut de malitia occultaverant, ne indigentibus et populo sitienti remedium ministrarent. Cives tamen Bethlehemitæ et qui apud Thecuam prophetarum urbem habitabant viri fideles, frequentes erant in exercitu, quorum ductu utebatur populus egrediens ad fontes, qui per quatuor vel quinque ab obsidione distabant milliaria:

Digitized by Google

unde cum difficultate nimia; invicem se comprimentibus et undas haurire prohibentibus, post moras longissimas, quas sibi mutuis improbitatibus innectebant, aquas in utribus deferebant lutulentas, quarum haustu, quo vix sitiens semel refocillari posset anima, multo pretio vendebatur. Sed et Siloe fons urbi conterminus, de quo supra fecimus mentionem, cum neque perpetuas aquas haberet, et easdem certo tempore funderet insipidas, populo non poterat laboranti sufficere. Augebat denique sitis importunitatem et angoris geminabat molestiam, æstatis inclementia et ardens Junius : labor quoque et excitatus pulvis, oris et pectoris ariditatem provocabat. Dispersi ergo et seorsim egredientes, aquas diligenti perscrutabantur indagine; et, dum cum paucis se arbitrarentur quæsitos invenisse latices, subito ingens occurrebat turba, idem habens propositum, ita ut inventis fontibus inter eos nonnunquam oriretur seditio; et dum mutuo se præpedirent, plerumque ad pugnam veniretur. Qui tamen pedites erant, hi sibi quocunque modo aquis inventis parce utentes, poterant procurare remedium; verum hi quibus equorum ingens erat numerus, cum difficultate maxima, sitibundos equos per tria vel quatuor milliaria educentes, adaquare poterant. Neglecta porro animalia, et quibus domini sui providere non poterant per campos lento gradu et deficientibus viribus vagantia, equi videlicet, muli, asini, sed et greges et armenta, siti et ariditate consumpta, in se ipsis deficiebant, tabescentia; et liquefacta interius moriebantur; unde in castris fetor erat maximus, et pestilens, et periculosa nimis aeris corruptela. Non videbatur in hac obsidione, improbæ sitis molestia minus populum fatigare, quam circa Antiochiam victus inopia maceraverat eumdem. Porro victum et ad opus equorum pabula per adjacentia suburbana disquirentes, incaute dispersi, secure nimis per regionem vagabantur; unde cognitis eorum discursionibus, urbani per partes inobsessas clam egredientes, his talibus occurrebant aliquoties, multosque ex eis interficiebant, sæpius equos secum deducentes : nonnullos etiam plerumque saucios, fuga lapsos, casus eripiebat prosperior. Imminuebatur diebus singulis nostrorum numerus; et ei quod hesterna dies habere videbatur, sequens aliquid detrahebat, dum casibus variis, quibus mortalis subjacet infirmitas, pene quotidie multi deperirent : nec accederent aliunde, qui loca deficientium supplerent, vel officia. Hostium vero versa vice augebantur vires, multiplicabantur auxilia, quæ per partes inobsessas liberum in urbem habebant introitum, et in nostrorum perniciem civibus adjungebantur.

CAPUT VIII.

Cives machinas construunt; ad resistendum se præparant; fideles, qui cum eis erant, angariis afficiunt.

Cum igitur circa construendas machinas, contexendas crates, scalas connectendas, universus noster desudaret exercitus, et circa id plurimum sollicitaretur, cives nihilominus, ut argumentis argumenta repellerent omnem impendebant vigilantiam; et tota cura se erigebant, ut viam invenirent, per quam possent resistere. Habentes itaque sufficientem lignorum et arborum procerarum materiam, quam cum multa diligentia ante nostrorum adventum, ad urbem communiendam satis abundante cautela comportaverant, machinas interius nostris æquipollentes, sed meliore compactas materia, certatim erigebant; id toto studio procurantes, ne in hujusmodi instrumentorum genere, vel arte vel materia reperirentur inferiores; sed et continuas super murum et in turribus habentes excubias, universa pene quæ fiebant in exercitu, maxime quæ ad hujusmodi instrumentorum spectabant artificia, diligentissime considerantes, majoribus pandebant civitatis, ut, arte æmula et cuncta imitari satagente, ipsi nostrorum moliminibus exæquo responderent : eratque satis facile. Nam et artificium et instrumentorum fabrilium, ferri quoque et æris et funium et cæterorum, quæ ad hujusmodi solent esse necessaria, multo majores habebant intus, quam nostri deforis copias; nec solum in eo cives, edicto publico, compellebantur laborare, verum etiam fidelibus, qui cum eis habitabant, servilem et extremam conditionem sustinentibus, angarias infligebant insolitas et gravibus affligebant parangariis. Nec solum præstationibus eos macerabant violentis; verum ad vincula trahebant et carceres, suspectos eos habentes tanquam nostris faverent, et eis statum et secreta reserarent civitatis : nec erat de fidelium numero ausus quispiam murum ascendere, aut comparere in publico, nisi aliquibus onustus necessariis, quasi jumentum traheretur; hi enim cogebantur et onera portare; et qui alicujus artificii habebat experientiam, operas compellebantur impendere fabriles. Ad levem etiam cujuslibet delatoris calumniam, rapiebantur ad supplicia; et eos qui ex vicinis oppidis et finitimis civitatibus se in urbem contulerant, hospitio cogebantur recipere et eis ministrare necessaria; cumque domesticis et familiaribus, eorum substantia ad victum tenuem et miserum non sufficeret, angariabantur tamen exteris bona communicare sua, ita ut ipsi indigerent primi. Ad hoc, etsi ad opera publica aliquid erat necessarium, primum ante omnia fidelium domus effringebantur, ut si in eis tale quid reperiretur, violenter extorqueretur ab eo cujus erat domicilium. Vocati porro quocunque loco vel tempore, sive nocte sive interdiu, sive quocunque ex casu moram innecterent, ut primam citationem sine temporis intervallo minus sequerentur, rapiebantur ignominiose per barbam et capillum, ita ut etiam hostium eorum misera conditio posset lacrymas excitare : miseriarum denique et laborum ponderis immensi neque numerus erat, neque finis. Unde et supra modum fatigati, in su-

Digitized by Google

premium jam devenerant defectum ita ut magis mori optarent in Domino, quam vitam continuare temporalem ; vita enim eorum miserabilis nimium distabat a morte, cum nec sumendæ refectioni semel in die tempus indulgeretur, nec sopori necessario vel ad modicum requies præstaretur ; quidquid sinistri accedebat, id illis imputabatur totum : non erat illis a propriis penatibus in publicum exitus, aut introitus in propria, a suscipione liber, quorumlibet patebant calumniis et cuilibet dabatur ad eorum accusationem locus.

CAPUT IX.

Classis Januensium apud Joppen applicat ; mittuntur de exercitu, qui eos ad obsidionem deducant ; patiuntur in itinere, qui missi fuerant, hostium insidias.

Interea dum hæc circa Hierosolymam in obsidione geruntur, adfuit nuntius qui naves Januensium in portu Joppensi applicuisse nuntiaret, petens a principibus, ut de exercitu aliqua dirigeretur militia, cujus ducatu et viribus ii, qui appulerant, ad urbem possent accedere. Est autem Joppe civitas maritima, de qua Solinus in XXXIX. *De memorabilibus mundi* capitulo, sic ait : *Joppe oppidum antiquissimum orbe toto, utpote ante terrarum inundationem conditum. Id oppidum saxum ostentat, quod vinculorum Andromedæ vestigia adhuc retinet, quam expositam belluæ non irritus rumor circumtulit. Quippe ossa monstri illius M. Scaurus inter alia miracula, in ædilitate sua Romæ publicavit. Annalibus nota res est. Mensuræ quoque veracibus libris continentur, scilicet, quod costarum longitudo excesserit pedes quadraginta, sublimitas autem elephantis indicis eminentior fuerit ; porro verticuli spinæ ipsius, latitudine semipedem sunt supergressi.* Id ipsum et Hieronymus in epitaphio sanctæ Paulæ testatur his verbis : *Vidit et Joppen, fugientis portum Jonæ ; et, ut aliquid perstringam de fabulis poetarum, religatæ ad saxum Andromedæ spectatricem.* Accidit autem ut, juxta eorum postulationem, de communi consilio, dominus comes Tolosanus, qui cæteris amplius abundabat, quemdam nobilem de suo comitatu, cui nomen Galdemarus, cognomento Carpinnelle, cum triginta equitibus et peditibus quinquaginta illuc dirigeret ; qui, postquam profecti sunt, videntes principes quod qui missi erant, ad tantum onus non sufficerent, iterum eumdem comitem rogaverunt, ut illuc dirigeret plures ; qui eorum monitis acquiescens, viros egregios et insignes, Raymundum Pelet et Willelmum de Sabran, cum quinquaginta equitibus post eos, qui prius egressi fuerant, iterum ad opus prædictum destinavit. Galdemaro vero, qui prius egressus fuerat, postquam in campestria, quæ circa Liddam et Ramulam sunt, descenderat, occurrerunt hostium sexcenti ; qui in eos protinus irruentes, de ejus equitibus interemerunt quatuor et de peditibus multo plures ; dumque nostri quocunque modo resisterent, et se, licet pauci essent, ad conflictum hortarentur mutuo, accidit ut qui subsequebantur prædicti duo nobiles viri, cum omni celeritate adessent, et antequam eorum dissolveretur congressus, prædicto se inferrent negotio : unde factum est ut, conjunctis nostris adinvicem, adfuerit virtus divina, et hostibus insistentes, cæsis ex eorum numero ducentis, reliquos in fugam adegerunt. Ceciderunt tamen in eo conflictu viri nobiles Gillebertus de Treva et Aicardus de Montmerla, quorum casus, postquam innotuit nostris expeditionibus, non mediocrem intulit mœstitiam. Nostri vero palma sibi concessa divinitus, Joppen, juxta eorum propositum, pervenerunt incolumes : ubi a prædictis nautis cum ingenti suscepti lætitia, mutua charitate et gratis confabulationibus recreati sunt ad invicem. Dumque ibi moram facerent aliquam, quousque illi qui in navibus advenerant, sarcinas composuissent et se aptassent ad iter, subito et de nocte, Ægyptiorum classis, quæ apud Ascalonam delitescebat, nocendi locum operiens, circa eamdem urbem adfuit : quod cum nostris compertum est, ad mare accedentes, naves prius tentaverunt ab hostium insidiis protegere ; sed, cognoscentes postmodum quod eorum multitudini non valerent resistere, sumptis velis et funibus et cæteris earum armamentis, et cum omni supellectili sua egressi, in præsidium loci se contulerunt. Una autem ex eis, quæ prædatum abierat, dum onusta spoliis in locum rediret eumdem, cognoscentes quia classis hostium portum Joppensem occupaverat, flatibus acta prosperis Laodiciam pervenit. Erat autem Joppe per idem tempus versa in solitudinem et habitatoribus vacua ; ejus enim cives modico ante nostrorum adventum tempore, de ejus munimine diffidentes, locum deseruerant ; nostri vero nonnisi arcem tantum conservabant. Rebus igitur compositis ad iter succincti, prævia militia quæ ad eum usum descenderat, ut ejus ducatum impenderet, cum omni substantia sua Hierosolymam profecti sunt : ubi a legionibus gaudenter excepti, maximam castris consolationem attulerunt. Erant enim viri prudentes et nautarum more architectoriæ habentes artis peritiam, in cædendis, dolandis et copulandis trabibus, erigendisque machinis, expeditissimi. Sed et alia multa, his qui in expeditione erant modis omnibus profutura, secum attulerant argumenta : ita ut quod ante eorum adventum, vix et cum difficultate sperabatur effectui posse mancipari, per eorum operam facile compleretur.

CAPUT X.

Qui in classe advenerant, ad exercitum se conferunt, et in erigendis machinis plurimas præstant commoditates. Pacificantur ad invicem Tolosanus et Tancredus.

At vero qui expeditione remanserant, cœpto fideliter instantes operi, et in erigendarum studio machinarum se tota diligentia continuantes, opus jam ex parte maxima peregerant. Dux enim et duo comites, Normannorum videlicet et Flandrensis, quemdam egregium et magnificum virum, dominum

Digitized by Google

videlicet Gastonem de Beart, operi præfecerunt; et super artifices ne se haberent negligentius circa propositum, curam eum rogaverant impendere diligentem. Ipsi vero egrediebantur sæpius populum educentes in manu forti, ut ligna cæderent et cæsa ad opus ædificiorum comportarent. Alii vero virgulta, frutices, et vimina, et minorum ramos arborum cædentes, ut ex eis crates fierent, ex quibus machinæ operirentur exterius, certatim congerebant; alii animalium tam occisorum quam præ sitis aridiate deficientium detrahebant coria, mundorum sive immundorum indifferenter; ut ex eis super crates protegerentur machinæ, ne forte ab hostibus ignis immissus ædificia posset consumere. Nec solum circa partem septentrionalem ducis studio, et prædictorum comitum duorum opus ita fervebat, verum etiam et a turri angulari usque ad portam occidentalem, quæ est sub arce David, dominus Tancredus, et alii nobiles plurimi, qui in ea parte castra locaverant, non inferiore sollicitudine eidem instabant operi, curam impendentes diligentissimam. Sed in parte australi domini comitis Tolosani exercitus, et cuncta familia, indefesso studio, et cum omni diligentia circa idem sollicitabatur negotium: eoque fervențius, quo et ditior erat, et majores ei de novo tam hominum quam rerum necessariarum accesserant copiæ: quotquot enim de navibus advenerant, ejus se adjunxerant castris, et supellectilem intulerant ad opus ædificiorum valde necessariam. Funes enim et malleos et alia instrumenta ferrea secum habentes; sed et optimos artifices qui in construendis erigendisque machinis, ut prædiximus, multam habebant experientiam, ad consummationem operis plurima præstiterunt compendia. Præerat autem Januensibus, qui advenerant, quidam nobilis Wlelmus nomine, cognomento Ebriacus, cujus in operis artificio multa pollebat industria. Cumque jam per quatuor hebdomadas circa id universus desudasset exercitus, multo labore ad consummationem jam pervenerat negotium. Unde et communicato consilio, principes urbis oppugnationi diem prælixerant; sed, quia inter dominum Tolosanum comitem et dominum Tancredum gravis intercesserat simultas, et inter cæteros etiam nonnullos, ex causis quibusdam exortæ erant inimicitiæ, placuit episcopis, principibus quoque et universo populo, ut prius reformata inter eos plenius charitate, divinum sinceris mentibus implorare possent auxilium.

CAPUT XI.

Indicantur populo Litaniæ. In montem Oliveti ascendit universus populus.

Die igitur statuta, de publico decreto indictæ sunt universo populo Litaniæ, et assumptis crucibus et sanctorum patrociniis, episcopi et clerus universus induti sacerdotalibus et leviticis indumentis, nudis pedibus et cum multa devotione populum subsequentem, usque ad montem Oliveti præcesserunt. Ubi vir venerabilis Petrus Eremita, et Arnulphus comitis Normannorum familiaris, vir litteratus, exhortationis sermonem habentes ad populum, in quantum poterant ad longanimitatem animabant. Est autem mons Oliveti urbi ab Oriente oppositus, ab urbe quasi milliario distans, valle Josaphat interjecta: unde est, quod a beato Luca dicitur: *Ab Hierosolymis iter habens Sabbati* (*Act.* 1, 12). Unde et Salvator noster, cernentibus discipulis, quadragesimo resurrectionis suæ die est elevatus in cœlum, et nubes suscepit eum ex oculis eorum. Ad quem locum cum pervenisset plebs fidelis, in spiritu humilitatis et in animo contrito, implorato cum gemitu et lacrymis de supernis auxilio, reconciliatis ad invicem principibus prædictis et omni populo in mutuam charitatem revocato, de monte descendentes, ad ecclesiam Montis Sion, quæ in australem ejusdem civitatis partem, secus urbem, ut prædiximus, in montis fastigio sita est, ascenderunt. Cives autem in turribus et muro positi admirantes, quid sibi vellet hujusmodi populi circuitus, arcubus et balistis tela in turmas jaculabantur: unde nonnulli ex nostris, incautius se habentes, vulnera susceperunt. Sed et cruces in nostrorum opprobrium et contumeliam, quas super murum locaverant, sputis et aliis immundis actionibus ignominiose tractantes, in Dominum nostrum Jesum Christum et ejus salutiferam doctrinam convicia et verba blasphemiæ impudenter congerebant. Populus tamen cum omni devotione votum prosequens, ira succensus, qualem sacrilegii dolor poterat ministrare, ad prædictam pervenit ecclesiam. Ubi, completis iterum orationibus, et indicta die qua urbem unanimiter impugnarent, circumdata urbe, in castra reversi sunt. Si quid autem operis consummationi deerat, cum multa celeritate id maturari præcipitur, ne quid impedimenti ex aliqua imperfectione, urbem impugnare volentibus, occurreret.

CAPUT XII.

Dux et duo majores comites de noctu castra sua transferunt; per gyrum ante urbem eriguntur machinæ.

Adveniente igitur die ad impugnandam urbem præfixa, ea nocte quæ diem proximam præcedebat, dux et duo sæpedicti majores comites, videntes quod ea pars civitatis, quam ipsi obsederant, a civibus esset machinis, armis et viris fortibus maxime communita, eoque fortius quo magis ex ea parte timendum arbitrabantur; et quod in ea parte die sequenti, ob loci munimen, non multum sperarent se posse proficere, mirabili providentia et stupendo labore machinas et castellum antequam connecterentur ad invicem membra, ad eam regionem, quæ est inter portam S. Stephani, et turrem angularem, quæ a septentrione super vallem Josaphat posita est, particulatim transtulerunt, castris etiam illuc delatis. Videbatur enim eis, et vere sic erat, quod quia ex illa parte civitas remanserat inobsessa, idcirco et a civibus minore diligentia servaretur;

Digitized by Google

factumque est, ut translatæ machinæ, continuatis tota nocte vigiliis, ante solis exortum cum multo labore compactæ sunt et congruis stationibus collocatæ. Sed et castellum in ea parte, qua murus videbatur humilior, et deforis planior et commodior accessus, mœnibus ita est applicatum, ut qui erant in turribus et qui in machina pene posse pugnare cominus viderentur : nec fuit sane labor modicus. Nam pene per dimidium milliare ab eo loco, in quo prius castra locaverant, prædicta transtulerant instrumenta, et ibidem ea antequam sol exoriretur, compactis ad invicem membris, erexerant. Sole autem exorto, accedentes ad murum cives, ut quid extra molirentur nostri conspicerent, partem castrorum et omnem apparatum bellicum, qui heri et nudius tertius ibi visus fuerat, abesse cum stupore admirati sunt, et circumspicientes cum diligentia adjacentem regionem, et muri ambitum perlustrantes, cognoverunt castra ducis translata esse; et erectas in parte, qua prædiximus, machinas speculati sunt. Eadem quoque nocte, et circa alias urbis partes, prout in diversis, ut prædiximus, locis castra posuerant, vigilias et laborem continuantes, machinas suas erexerant; nam pene eodem momento, et comes Tolosanus castellum, quod cum multo studio fabricaverat, inter prædictam ecclesiam montis Sion et urbem, muro applicaverat : et reliqui principes, qui secus turrim angularem, quæ hodie Tancredi dicitur, eadem diligentia et pari laboris pondere, ejusdem pene altitudinis et soliditatis ligneam turrim juxta murum locaverant. Erat autem par prædictarum machinarum effectus, et non dissimile artificium; cum enim quadrilatera essent ædificia, latus quod urbi erat oppositum, duplici erat textura munitum, et exterior arte quadam deponi poterat, ita ut muro superpositum, vicem pontis introire volentibus posset exhibere. Nec tamen ex ea parte immunita erat machina; sed quod suberat, anteriore deposito, castellum non minus quam latera reliqua communiebat.

CAPUT XIII.

Oppugnatur civitas et vehementissimus hinc inde fit conflictus; sed nox interposita litem dirimit.

Adolescente igitur die, juxta condictum ad urbem impugnandam adfuit nostrorum universa armis accincta multitudo, omnes unum et idem habentes propositum, aut animas pro Christo deponere, aut urbem Christianæ restituere libertati. Non erat in tanto populo senex aut valetudinarius aut ætate minor, quem non moveret zelus, et devotionis fervor non accenderet ad pugnam; sed et mulieres, oblitæ sexus, et inolitæ fragilitatis immemores, tractantes virilia, supra vires, armorum usum apprehendere præsumebant. Accedentes igitur ad pugnam unanimes, præparatas machinas muro nitebantur propius adjungere, ut facilius eos qui a turribus et muro resistebant, animosius possent impugnare. At vero cives propositum habentes adversantibus omnino resistere, telorum ictu, sagittarum immissione innumerabilium, contorsione lapidum, tam de manibus emissarum quam qui ex machinis jaculatoriis cum horrendo impetu torquebantur, nostros ab accessu muri propellere satagebant. Nostri vero nihilo segnius protecti clypeis, et objectis cratibus, tam arcubus quam balistis tela immittentes frequentia et pugillaria contorquentes saxa, ad murum accedere nitebantur imperterriti, his qui in turribus erant requiem denegantes et resistendi audaciam. Alii vero, infra machinas constituti, aut castellum contis promovere nitebantur, aut jaculatoriis molares maximos ad mœnia dirigentes, ipsa, collisione frequenti et ictibus continuis, debilitare et ad casum impellere nitebantur. Alii vero minoribus tormentis, quæ mangana vocantur, minores immittendo lapides, eos qui erant in propugnaculis a nostrorum infestatione compescere satagebant. Verum neque hi qui ad promovendum castrum dabant operam, juxta votum satis poterant proficere, cum vallum ingens et profundum quod antemurali erat suppositum, accessum machinæ plurimum impediret; nec qui tormentis mœnia perforare nitebantur, satis eorum labor proderat; nam cives a propugnaculis, stramine plenos et palea saccos suspenderant, restes quoque et tapetia, trabes ingentis magnitudinis, et culcitras refertas bombice, a turribus et muro aliquantulum dimiserant, ut per eorum mollitiem et mobilitatem, contortorum molarium ictus eluderent, et laborantium evacuarent conatum. Præterea et ipsi interius machinas erexerant nostris multo plures, quibus sagittando et immittendo lapides, nostros ab opere deterrebant incepto. Instantibus igitur tota animositate hinc inde partibus et omni decertantibus conatu, horrendus et supra hominum opinionem, protervus a mane usque ad vesperam se continuavit conflictus, et congressio pertinax, ita ut instar grandinis super utrumque populum telorum et sagittarum descenderet multitudo, et emissi cautes in ipso aere mutuo se colliderent, et causas mortis varias et multiplices irrogarent pugnantibus. Porro par labor et idem periculum erat, tam iis qui sub duce quam qui sub Tolosano et sub aliis etiam militabant principibus. Nam in locis tribus, ut præmissum est, pari studio et fervore non dissimili civitas impugnabatur. Nostris vero ut vallum jactu ruderum, lapidum quoque et terræ implere possent; et iter dirigere, ut procedere possent machinæ, cura erat propensior. Civibus e converso, ut eorum impedirent propositum, labor erat præcipuus et magis urgens sollicitudo. Unde et his qui ad prædictum opus accingebantur, quanta poterant resistebant instantia; et in ipsas machinas, torres incensos, tela ignita sulphure, pice, pasta et oleo, et iis quæ incendio solent fomitem ministrare, ut eas exurerent, certatim jaculabantur. Præterea et ingentium quæ intus paraverant tormentorum ictus in castella nostra tanta dirigebant arte, ut machinarum pene crura confringerent, perfora-

Digitized by Google

rent latera, et eos qui in cœnaculis, ut inde urbem impugnarent, ascenderant, pene ad terram dejicerent attonitos. Nostri vero, injectis ignibus occurrentes, aquas desuper fundebant copiosius, ut incendiorum comprimerent importunitatem.

CAPUT XIV.

Nocte illa, in multa anxietate tam obsidentes quam obsessi permanent.

Hunc igitur tam periculosum procacemque nimis, et adhuc ancipitem utriusque partis conflictum, nox diremit interveniens. Et licet corpora qualemqualem per noctis intempestum viderentur habere requiem, animi tamen cura immoderata pervigiles nihilo remissius laborabant. Fatigabantur interius mordaci mentes sollicitudine, et propositi memores æstuabant, lucem exspectantes avidissime, ut iterum redirent ad certamen, et præliorum experirentur fortunam; spem habentes in Domino, quod palmam et meliorem essent reportaturi calculum. Angebantur tamen plurimum, timentes ne clam in eorum machinas hostes quocunque pacto procurarent incendia: unde continuas exegerunt vigilias, noctem illam penitus trahentes insomnem. Cives autem nihilominus curis torquebantur edacibus, formidantes plurimum, ne quos pridie tanta viderant protervitate instantes, sumpta occasione ex noctis intempestæ silentio, effracto muro, vel scalis adhibitis, clam urbem ingrederentur. Unde sollicitudine non pigri, sed diligenti vigilantia, tanquam quibus res erat pro capite, ferventes, tota nocte muri circumibant peribolon, præfectis vigilum in singulis turribus constitutis. Præterea et qui majores erant natu, et quibus reipublicæ erat cura propensior, plateas civitatis circuibant, alios admonentes, pro uxoribus et liberis, pro rebus domesticis, et statu publico se exhiberent pervigiles; portas et vicos perlustrarent, ne qua hostium via pateret in insidiis. His igitur curis pars angebatur utraque, nec quietis locum sollicitudo pervigil patiebatur adesse. Deterius erat partibus, cessante conflictu, animis æstuantibus, nec habentibus requiem, quam pridie fuerat, dum in prælio desudaretur.

CAPUT XV.

Sequenti die redeunt in idipsum, et solito vehementius impugnatur civitas. Pereunt veneficæ, quæ nostram machinam fascinatum venerant.

Nocte igitur circa diem procliviore, cum jam aspirantis diei aurora nuntiaret exortum, excitus est cum omni aviditate populus iterum ad certamen. Revertebatur porro quisque ad officium, cui hesterna die fuerat deputatus. Quidam enim infra machinas positi jaculatorias, ingentis molares magnitudinis et soliditatis exquisitæ in mœnia contorquebant; alii in castello inferius positi, ad ipsum promovendum tam arte quam viribus operam dabant omnimodam; alii in supremo constituti cœnaculo, arcubus et balistis, et quolibet missilium genere eos qui erant in turribus lacessentes, quanto poterant studio et indefessa instantia, ut nec manum auderent exerere, infra propugnacula coercebant; alii vero, ut vallo complanata, et effracto antemurali, castellum mœnibus propius posset applicari, omnem habebant sollicitudinem. Alii porro, quorum erat turba plurima, sagittis et jactu lapidum cives arcebant a propugnaculis, ne per eos his qui in producenda machina desudabant, ministraretur impedimentum. Cives autem, quo majorem nostrorum videbant instantiam, eo diligentius in contraria se attollebant argumenta, ut et vim viribus, et artem simili repellerent artificio. Nam et impugnantibus æquipollenter tela remittebant et lapides; et his qui castellum promovere satagebant, admirabili strenuitate præstabant impedimentum. Et, ut semel omnium nostrorum eluderent molimina, ignem incessanter in ollis fragilibus, et quibuscunque modis poterant, cum sulphure et pice, arvina et adipe, stupa,, cera, lignis aridis et stipula, et quæcunque solent incendium irritare, et ignibus ministrare fomitem, jaculabantur. Fiebat igitur in utroque populo strages maxima, et de utraque classe, variis casibus et eventibus inopinatis plurimi sternebantur. Alii enim machinarum jactu in frusta conterebantur munitissima; alii trans loricas et clypeos, sagittis et telorum multiplicitate confossi, subito deficiebant corruentes; alii pugillaribus, manu missis vel funda, cautibus elisi, aut moriebantur protinus, aut attritis membris, per multos dies, aut in perpetuum reddebantur inutiles. Nec tamen his omnibus periculis ab opere deterrebantur incepto, nec congrediendi fervor his omnibus in eis poterat mitigari: nec erat facile discernere uter cum majore studio decertaret populus Sed nec silentio prætereundum credimus, quod eadem die relatione dignum dicitur accidisse. Erat sane nostris exterius una inter cæteras machina, quæ saxa miri ponderis in urbem multa violentia et impetu immittebat horribili, quæ stragem in populo civium operabatur multiplicem: contra quam cum nulla arte possent proficere, duas adduxerunt maleficas, ut eam fascinarent et magicis carminibus redderent impotentem; quæ dum suis præstigiis instarent super murum, et incantationibus, repente ex eadem machina molaris immissus utramque illarum cum tribus puellis, quæ illarum gressum fuerant comitatæ, obtrivit, et excussis animabus, de muro inferius dejecit exanimes: unde in castris factus est plausus et ingens exsultatio; civibus autem ingens ex adverso accrevit mœstitia.

CAPUT XVI.

Datur signum a monte Oliveti divinitus; et populus qui fatigatus erat, redit in pugnam acrius.

Cum igitur usque in horam diei septimam, sine certa victoria anceps et dubium satis protractum esset negotium, desperantes nostri et immensitate laboris defatigati supra vires, cœperunt instare remissius, ita ut jam propositum haberent castellum

Digitized by Google

continuis pene ictibus confractum, et alias machinas igne recepto jam fumantes, reducere pusillum, et conflictum usque in diem differre crastinam; et jam paulatim diffidens dilabebatur populus, animis pene dissolutis, et hostibus insultantibus et provocantibus ultro ad prælia nimis procaciter et amplius solito, cum ecce adfuit virtus divina, quæ rebus desperatis necessariam, et pro votis fidelium intulit consolationem. Nam de monte Oliveti miles quidam, qui tamen postea non cómparuit, splendidum et refulgentem ventilando clypeum, signum dabat nostris legionibus, ut redirent in id ipsum et congressionem iterarent. Quo signo exhilaratus animo dux Godefridus, qui cum fratre suo Eustachio, in superiori castelli nostri cœnaculo ad urbem impugnandam et ad cautius tuendum ædificium erat constitutus, populum et majores cœpit ingentibus revocare clamoribus. Factumque est, prævia Domini misericordia, quod universus cum exsultatione ad pugnam reversus est populus, cum tanto fervore, ut tanquam viribus integris de novo videretur incipere prælium. Denique qui prius aut fessi, aut læsi vulneribus, operam subtraxerant, nunc receptis animis et viribus geminatis ultro se offerebant, instantes animosius. Porro principes, et qui columnæ videbantur exercitus, hi alios præcedebant et suo exemplo reddebant animosiores. Sed et mulieres, ne tanti expertes laboris esse viderentur, viris in agone desudantibus, potum, ne deficerent, ministrabant in vasculis et verbis efficacibus eos ad certamen animabant. Porro tanta erat in castris lætitia, ut jam quasi certi de victoria, infra horæ spatium vallo complanato et effracto antemurali, castellum muro violenter applicarent. Cives autem, ut prædiximus, trabes proceræ longitudinis, et soliditatis multæ a muro suspenderant, ut machinarum ictus eliderent, quarum duas nostri qui erant in castello, præcisis funibus, quibus erant religatæ, dejecerunt in terram : quas, qui erant inferius, cum multo periculo suscipientes, infra machinam detulerunt, easque demum ponti, quem statim, ut dicetur in sequentibus, de castello super murum erexerunt, ad majorem subjecerunt soliditatem. Ex fragilibus enim pons contextus erat lignis, nec nisi horum subjecto adminiculo, populum transeuntem sustinere potuisset.

CAPUT XVII.

In parte australi Tolosanus cum suis urbem nihilo segnius impugnat.

Interea vero, dum hæc in septentrionali plaga tanto studio tractarentur, comes Tolosanus, et qui cum eo erant in parte australi, quanta poterant instantia, eodem zelo ferventes, urbem impugnabant; completoque vallo, circa quod opus per continuum desudaverant triduum, castellum in manu forti, juxta murum locaverant, ita ut qui in turribus erant et in machina, pene possent se mutuo lanceis vulnerare. Erat ergo par utrobique populi fervor, et instantia non dissimilis; eoque diligentius instabant operi, quod ea esset dies, qua quidam Christi servus, qui in monte Oliveti habitabat, confidenter promiserat urbem esse capiendam. Sed et signum, quod et ipsi agitati clypei ab eodem monte Oliveti viderant, eos, vehementer accenderat et reddiderat de obtinenda victoria securiores. Videbatur porro utriusque exercitus æquis passibus procedere negotium, tanquam quod ab eodem auctore pari diligentia procurabatur, qui mercede condigna, servorum suorum devotionem remunerare decreverat. Tempus enim erat, ut tanti laboris fructum, et militiæ fideliter exhibitæ stipendia reportarent.

CAPUT XVIII.

Dux et qui cum eo erant, a castello ligneo pontem super murum deponunt; suos immittunt. Urbs capitur, porta aperitur, et noster introducitur exercitus.

Igitur ducis et comitum legiones, quæ, ut prædiximus, in parte septentrionali urbem impugnabant, eousque opitulante Domino profecerant, quod hostibus defatigatis et jam resistere non valentibus, effractis antemuralibus et vallo penitus complanato, ad murum impune poterant accedere, raro audentibus adversariis eis per cancellos aliquid irrogare injuriæ. Qui vero in castello erant, hortante duce, in culcitram bombice plenam, et saccos plenos stramine ignem injecerant, qui flante Borea accensus, fumum infra urbem intorquebat caliginosum : quo instante protervius, qui murum defendere tenebantur, ora vel oculos non valentes aperire, stupidi et fumidæ caliginis turbati voragine, muri deseruere custodiam. Quo cognito dux, sub omni celeritate trabes, quas ab hostibus eripuerant, sursum ferri præcepit, quibus ex una parte in machina, ex altera super murum locatis, latus castelli, quod moveri poterat, deponi præcepit : quo super trabes prædictas collocato, vicem pontis præbuit congrua soliditate subnixum. Sic ergo quod hostes pro se introduxerant, in eorum versum est læsionem. Ponte igitur sic ordinato, primus omnium vir inclytus et illustris dux Godefridus, reliquos ut subsequantur exhortans, cum fratre suo Eustachio urbem ingressus est; quem continuo subsecuti sunt Ludolfus et Gislebertus uterini fratres, viri nobiles et perpete digni memoria, ortum habentes de civitate Tornaco; consequenter vero infinita tam equitum quam peditum manus : ita ut nec machina, nec pons prædictus plures posset sustinere. Videntes ergo hostes, quod nostri murum jam occupaverant, et dux suum jam introduxerat exercitum, turres deserunt et mœnia, ad vicorum angustias se conferentes. Porro nostri videntes, quod dux, et maxima pars nobilium turres sibi vindicaverant, jam non exspectato per machinam ascensu, scalas certatim ad murum applicant, quorum illis maxima erat copia; nam bini et bini equites ex edicto publico singulas sibi præparaverant, per quas ascendentes unanimiter, aliis qui supra murum erant, ducis

Digitized by Google

mandatum præstolantes, se adjungebant. Ingressi sane statim post ducem sunt, Flandrensium comes et dux Normannorum; vir strenuus et per omnia commendabilis, dominus Tancredus, Hugo senior, comes de Sancto Paulo, Balduinus de Burgo, Gasto de Beart, Gastus de Beders, Girardus de Rosseillon, Thomas de Feria, Conanus Brito, comes Raimboldus de civitate Oringis, Ludovicus de Monson, Conon de Monte acuto et Lambertus filius ejus, et alii plures, quorum numerum et nomina non tenemus. Quos omnes, postquam dux cognovit se infra urbem recepisse incolumes, quosdam ex eis ad portam septentrionalem, quæ hodie dicitur Sancti Stephani, cum honesto dirigit comitatu, ut portam aperiant et populum introducant, deforis exspectantem: qua sub omni celeritate reserata, ingressus est passim, et sine delectu universus exercitus. Erat autem feria sexta et hora nona. Videturque procuratum divinitus, ut qua die et qua hora pro mundi salute in eadem urbe passus est Dominus, eadem et pro Salvatoris gloria fidelis decertans populus, desiderii sui felicem impetraret consummationem. Eadem enim die et primus homo conditus et secundus pro primi salute morti traditus esse dicitur. Unde et decuit ut ejus membra et imitatores in ipsius nomine de hostibus ejusdem triumpharent.

CAPUT XIX.

Dux cum suis per civitatem discurrens, stragem operatur innumeram. Tolosanus a parte Australi violenter ingreditur, et suos introducit legiones. Civium pars in præsidium civitatis se recipiunt.

Porro dux et qui cum eo erant per vicos civitatis et plateas, strictis gladiis, clypeis tecti et galeis, juncto agmine discurrentes, quotquot de hostibus reperire poterant, ætati non parcentes, aut conditioni, in ore gladii indifferenter prosternebant. Tantaque erat ubique interemptorum strages et præcisorum acervus capitum, ut jam nemini via pateret aut transitus, nisi per funera defunctorum. Jamque pene ad urbis medium diversis itineribus stragem operantes innumeram, nostri principes pervenerant; et subsequentis populi infinita multitudo, infidelium cruorem sitiens, et ad cædem omnino proclivis: cum comes adhuc Tolosanus et principes alii, qui cum eo erant, circa montem Sion decertantes, urbem captam, et nostrorum victoriam ignorabant; sed excito de nostrorum introitu et strage civium, ingenti clamore et horrendo sonitu, admirantibus qui in ea parte resistebant civibus, quidnam sibi vellet clamor insolitus et populi vociferantis tumultus, cognoverunt urbem violenter effractam et nostrorum immissas legiones: unde, relictis turribus et muro, ad diversa fugientes loca, saluti propriæ consulere satagebant. Hi, quoniam præsidium civitatis in vicino constitutum erat, ex parte plurima se in arcem contulerunt; at vero exercitus pontem libere et sine difficultate super murum aptantes, et scalas applicantes mœnibus, certatim in urbem nemine obstante ingressi sunt. Intromissi autem, portam Australem, quæ illis erat contermina, statim aperuerunt, ut reliquus sine difficultate populus admitteretur. Ingressus est igitur vir insignis et strenuus Tolosanus comes, et Isoardus comes Diensis, Raimundus Pelez, Wilelmus de Sabran, episcopus Albariensis, et alii multi nobiles, quorum numerum vel nomina nulla nobis tradit historia. Hi omnes unanimiter, junctis agminibus, ad unguem armati, per mediam urbem discurrentes, stragem operati sunt horrendam; nam qui ducem et suos effugerant, putantes se mortem quocunque modo declinasse si ad alias se conferrent fugiendo partes, hos sibi habentes obviam, occumbebant periculosius; et Scyllam evitantes, incurrebant Charybdim. Tanta autem per urbem erat strages hostium, tantaque sanguinis effusio, ut etiam victoribus posset tædium et horrorem ingerere.

CAPUT XX.

Cives in atrium templi se conferunt. Tancredus illuc eos persequitur. Fit strages innumera, et sanguis ibidem funditur infinitus.

Confugerat porro in atrium templi populi pars maxima, eo quod locus in parte urbis esse videretur secretior, muro quoque et turribus, et portis validioribus apprime communitus; verum eis nihil fuga talis contulit ad salutem. Nam statim cum parte maxima exercitus universi, illuc dominus Tancredus se contulit, et templum violenter ingressus, post stragem innumeram, infinitas auri et argenti, et gemmarum copias inde secum dicitur abstulisse; quæ tamen postmodum, sedato tumultu, restituisse creditur in integrum. Porro reliqui principes, interemptis his, quos sibi per reliquas urbis partes repererant obviam, audientes quod infra septa templi populus fugiens se contulerat, illuc descendunt unanimes, et intromissa tam equitum quam peditum multitudine, quotquot ibi reperiunt, nemini parcentes, obtruncant gladiis, sanguine replentes universa; justoque Dei judicio id certum est accidisse, ut qui superstitiosis ritibus Domini sanctuarium profanaverant, et fidelibus populis reddiderant alienum, id proprii cruoris luerent dispendio et morte interveniente piaculare solverent flagitium. Horror erat denique cæsorum intueri multitudinem, et humanorum artuum passim fragmenta conspicere, et effusi sanguinis aspergine cunctam redundare superficiem. Nec solum defunctorum corpora membris potioribus lacera et abscisis mutilata capitibus, intuentibus erat angustia; verum et ipsos victores a planta pedis usque ad verticem cruore madentes periculosum erat conspicere, et horrorem quemdam inferebant occurrentibus. Cecidisse dicuntur infra templi ambitum ex hostibus ad decem millia, exceptis aliis qui passim per urbem obtruncati, vicos replebant et plateas, quorum non minor dicebatur esse numerus. At vero exercitus pars reliqua per urbem discurrens, per

Digitized by Google

angiportus et viarum diverticula latentes miseros, et mortis periculum declinare cupientes, pecudum more raptos in publicum, detruncabant. Alii divisi per manipulos ingrediebantur domicilia, raptumque patremfamilias cum uxoribus et liberis, et universa familia, aut gladiis transverberabant, aut de locis superioribus in terram dabant præcipites, ita ut confractis cervicibus interirent; quam vero quisque domum effregerat, eam sibi cum universa ejus substantia jure perpetuo vindicabat; id enim prius ante urbem captam inter eos convenerat, ut urbe violenter impugnata, quod sibi quisque acquireret, id jure proprietatis sine molestia possideret in perpetuum. Unde urbem perlustrantes diligentius, et stragi civium protervius instantes, urbis diverticula, secessus quoque et secretiora civium effringebant penetralia, clypeos vel quodlibet armorum genus in introitu defigentes, ut esset signum accedentibus, ne gressum ibi figerent; sed loca præterirent, quasi jam ab aliis occupata.

CAPUT XXI.

Urbe composita sedatur tumultus; et armis depositis orationis gratia, loca circumeunt venerabilia, diem agentes solemnem.

Subjugata igitur penitus civitate et interemptis civibus, tumultu aliquantulum sedato, convenerunt principes ad invicem, antequam arma deponerent, ordinantes ut per turres singulas ad majorem cautelam custodes deputarentur; et per portas urbis singulas viri honesti constituerentur janitores, quousque de communi conniventia et publico decreto principum, aliquis urbi præficeretur, qui ejus curam gereret, et pro libero cuncta dispensaret arbitrio. Hostium enim circumpositorum merito suspectas habebant insidias et impetus non imprudenter formidabant repentinos. Tandem vero urbe ad hunc modum ordinata, armis depositis, in spiritu humilitatis et in animo vere contrito, nudis vestigiis, lotis manibus et sumptis mundioribus indumentis, cum gemitu et lacrymis loca venerabilia, quæ Salvator propria voluit illustrare et sanctificare præsentia, cœperunt cum omni devotione circuire, et cum intimis deosculari suspiriis; specialiter autem Dominicæ passionis et resurrectionis ecclesiam, ubi clerus et populus fidelium, qui per tot annos duræ nimis et indebitæ servitutis jugum portaverant, de restituta libertate, Redemptori gratias exhibentes, cum crucibus et sanctorum patrociniis, principibus occurrentes, eos in prædictam cum hymnis et canticis spiritualibus introduxerunt Ecclesiam. Intueri erat amœnissimum, et spirituali plenum jucunditate, quanta devotione, quanto pii fervore desiderii, ad loca sancta fidelis accederet populus; quanta mentis exsultatione et spirituali gaudio Dominicæ dispensationis deosculabantur memoriam. Ubique lacrymæ, ubique suspiria, non qualia mœror et anxietas solet extorquere, sed qualia fervens devotio et interioris hominis consummata lætitia, solet Domino in holocaustum incendere. Erat porro tam in ecclesia quam per urbem universam, tantus populi, gratias Domino exhibentis, clamor, ut jam quasi usque ad sidera tolli sonus videretur, et de eis merito dictum crederetur : *Vox lætitiæ et exsultationis in tabernaculis justorum* (*Psal.* CXVII, 15). Fervebant sane pio succensa desiderio, per urbem universam opera misericordiæ. Hi Domino confitebantur deflenda quæ commiserant, voto se obligantes ne de cætero deflenda committerent; illi in senes valitudinarios et egentes profusa liberalitate cunctam erogabant substantiam; pro summis et sufficientibus reputantes divitiis, quod hunc vidisse diem sibi fuerat concessum divinitus; illi flexis nudisque genibus, cum singultibus et præcordialibus suspiriis loca circuibant venerabilia, lacrymarum cuncta replentes aspergine; quorum vere sermo dirigebatur ad Dominum : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei* (*Psal.* CXVIII, 136). Quid plura? Difficile est, ut nostro comprehendatur sermone, quanta in plebe fideli sanctæ devotionis esset immensitas. Certatim enim se mutuo vincere cupientes, in operibus pietatis unanimiter desudabant, cœlestis memores beneficii, et gratiam præ oculis habentes divinam, quæ tantos eorum labores remunerare dignata est. Quis enim tam ferrei pectoris, quis tam mentis adamantinæ, cujus interiora non liquefierent, cum uceret tantæ peregrinationis fructum carpere dignissimum, et exhibitæ militiæ numerare stipendia? Quibus tamen mens erat altior, in arrham futuræ retributionis, qua sanctos suos se remuneraturum promisit Dominus, id muneris videbatur exhibitum, ut per collationem præsentium munerum, firma sit exspectatio futurorum, et per eam quæ hic peregrinatur Hierusalem, ad eam perveniatur, *cujus participatio est in idipsum* (*Psal.* CXXI, 3). Porro episcopi et sacerdotes in ecclesiis consummantes, sacrificia, orabant pro populo, pro collato beneficio gratias exhibentes.

CAPUT XXII.

Podiensis episcopus, et alii quidam qui in itinere dormitionem acceperant, visi sunt in civitate et apparuerunt multis.

Ea die dominus Ademarus, vir virtutum et immortalis memoriæ, Podiensis episcopus, qui apud Antiochiam, ut prædiximus, vita decesserat, a multis in sancta visus est civitate, ita ut multi viri venerabiles et fide digni eum super civitatis murum, primum omnium ascendisse et cæteros animasse ad ingressum, oculis corporeis se vidisse constanter assererent : et postmodum plurimis, loca venerabilia circumeuntibus, eadem die manifestus apparuit. Aliique quam plures, qui in toto itinere divinis obsequiis mancipati, piam in Christo dormitionem acceperant, in eadem civitate apparuerunt multis, loca sancta cum aliis ingredientes. In quo manifeste dabatur intelligi, quia, etsi vita decessissent temporali, ad æternam vocati beatitudinem, non sunt fraudati a desiderio suo; sed quod pio expetierant studio, pleno sunt effectu consecuti,

Digitized by Google

magnum nobis futuræ resurrectionis argumentum prætendentes. Dignumque erat, ut sicut resurgente Domino multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, et in civitate sancta apparuerunt multis; ita fidelibus populis sanctæ Resurrectionis locum, a gentili superstitione mundantibus, priscum renovaretur miraculum, ut et ipsi in spiritu resurrexisse crederentur, qui resurgentis Domini tam piis se manciparant obsequiis. His igitur et hujusmodi per superabundantem cœlestem gratiam, plebi Dei in civitate sancta, miraculose magis quam mirabiliter exhibitis, tanta erat in populo mentis hilaritas, et interna cordis exsultatio, ut laborum immemores, quos pertulerant infinitos, felices se dicerent, quibus id divini muneris datum erat intueri. Clamor erat spiritualiter exsultantis civitatis ad Dominum, et quasi præcipiente Domino, solemnitas agebatur celebris: ita ut illud prophetæ impletum ad litteram videretur oraculum: *Lætamini cum Hierusalem, et exsultate in ea, omnes qui diligitis eam* (*Isa.* LXVI, 10).

CAPUT XXIII.

Viri fideles, qui in urbe habitabant, Petro Eremitæ, cui suam commiserant legationem, ingentes gratias exsolvunt et honore debito prosequuntur.

Denique fideles, qui virum venerabilem Petrum Eremitam, quarto vel quinto prius anno in eadem civitate viderant; et cui tam dominus patriarcha quam alii, tam de clero quam de populo majores, pro excitandis occidentalium regnorum principibus epistolas suas tradiderant, iterum cognoscentes, flexis genibus cum omni humilitate venerabantur, referentes ad memoriam priorem ejus adventum, et familiaritatis gratiam, quam cum ipsis contrahere dignatus fuerat; gratias exsolventes, quod tam sedule tamque fideliter solo pietatis intuitu eorum procuraverat legationem; Dominum etiam super omnia collaudantes, qui in servis suis gloriosus est; qui ita præter spem hominum, prædicti viri vias direxerat et sermonem in manu ejus dederat efficacem, ut et gentes et regna ad tantos labores pro Christi nomine tolerandos, sine difficultate converteret. Vere namque videbatur sermo hic egressus a Domino, qui ait: *Verbum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed prosperabitur in omnibus ad quæ mittam illud* (*Isa.* LV, 11). Itaque, singillatim et in communi, multiplici nitebantur eum honore prævenire, ei soli post Dominum ascribentes, quod duræ servitutis, quam per tot annos passi fuerant, soluta erat conditio et civitas sancta pristinæ restituta libertati. Dominus autem patriarcha, ut prædiximus, pro reipublicæ statu et salute civium, multo pretio comparanda in Cyprum navigaverat, eleemosynas a fidelibus illius regionis mendicaturus, unde tributa et imposita extraordinarie et supra vires vectigalia persolveret, ne pro eorum defectu aut ecclesias dejicerent tributorum exactores, aut populum gladiis manciparet, sicut anterioribus consueverant temporibus. Nam omnium eorum quæ circa urbem gerebantur, prorsus erat ignarus, et ad consueta quasi redituros pericula timebat; cui Dominus interim, præter spem, quietem procuraverat tranquillam.

CAPUT XXIV.

Civitas mundatur de interemptorum cadaveribus. Qui in arcem se contulerant, Tolosano comiti se dedunt. Dies illa in perpetuum celebris constituitur.

Completis igitur orationibus et locis venerabilibus cum omni devotione visitatis, visum est expedire principibus, ne ex interemptorum cadaveribus, aeris pestilentis generetur corruptela, urbem et maxime templi ambitum ante omnia mundari: unde civibus qui casu mortem evaserant, compedibus alligatis id muneris injungitur; sed quia ad tantum onus non videbantur posse sufficere, pauperibus etiam de exercitu, merces quotidiana proponitur, ut prædictæ rei dent operam et sine dilatione urbem expediant. Quo disposito, principes ad propria reversi, domos quales interim familia discurrens præparaverat, pro hospitiis habuerunt. Urbem autem reperientes commoditatibus plenam et bonis omnibus redundantem, omnes a majore usque ad minimum cœperunt copiosius abundare. Reperiebantur enim in effractis domibus, auri et argenti, gemmarum et pretiosarum vestium, frumenti, vini et olei, sed et aquæ, cujus obsidione passi fuerant penuriam, ingentes copiæ: unde et ipsi qui domos sibi vindicaverant, poterant habere ad omnem sufficientiam, et indigentibus fratribus charitative ministrare. Factumque est, ut secunda et tertia et deinceps die, in foro publico, rerum venalium optimis conditionibus exhiberetur commercium, ita etiam, ut plebs inferior, necessariis omnibus abundaret. Dies igitur solemnes et dies agentes lætitiæ, cibum et requiem, quibus maxime indigebant, corpóribus indulgentes, recreati sunt aliquantulum; divinæ muneris largitatem admirantes, et cœlestis gratiæ, qua erga eos dignatus est Dominus abundare perpetem præ oculis habentes memoriam. Ad majorem autem tanti facti memoriam, ex communi decreto sancitum et communi omnium voto susceptum et approbatum est, ut hic dies apud omnes solemnis et inter celebres celebrior perpetuo habeatur, in qua ad laudem et gloriam nominis Christiani, quidquid in prophetis de hoc facto quasi vaticinium prædictum fuerat, referatur; et pro eorum animabus fiat ad Dominum intercessio, quorum labore commendabili et favorabili apud omnes, prædicta Deo amabilis civitas, et fidei Christianæ et pristinæ est restituta libertati. Interea vero pars hostium ea quæ in arce David, a facie gladii fugiens se contulerat, videntes quod urbem universam sibi populus noster vindicaverat et quod ipsi diutius obsidionem tolerare non possent, petita et impetrata a domino comite Tolosano fiducia, qui circa partes illa turri vicinior hospitatus erat, quod cum uxoribus et liberis et omni substantia quam secum

Digitized by Google

intulerant, liberum haberent exitum, et securum usque Ascalonam conductum, arcem ei resignaverunt. Qui vero urbi purgandæ curam susceperant, adhibita diligentia, et ferventes in opere, partim igne consumptis cadaveribus, partim sepulturæ traditis, prout temporis patiebatur angustia, subito et infra paucos dies, urbem reddiderunt expeditam, ad solitam eam redigentes munditiam. Unde confidentius locorum venerabilium populus frequentabat limina; et per vicos et plateas civitatis convenire, et confabulari poterat liberius. Capta est autem prædicta civitas, anno ab Incarnatione Domini 1099, mense Julio, quinta decima die mensis, feria sexta, circa horam diei nonam; anno tertio, ex quo fidelis populus, tantæ peregrinationis sibi onus assumpserat: præsidente S. Romanæ Ecclesiæ domino Urbano papa secundo; Romanorum vero imperium administrante domino Henrico IV; in Francia vero regnante domino Philippo; apud Græcos autem in sceptris agente domino Alexio: prævia Domini misericordia, cui honor et gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

INCIPIT LIBER NONUS.

CAPUT PRIMUM

Octava die, post urbem captam, principes conveniunt, ut ex se unum eligendo urbi et regioni præficiant; clerus indiscrete nititur contraire.

Sancta igitur civitate per Domini superabundantem gratiam Christiano populo restituta, et rebus ad aliquem modum in tranquillo collocatis, decursis in multa lætitia, in timore tamen Domini et gaudio spirituali, diebus septem, octava die convenerunt principes, habituri tractatum, invocata sancti Spiritus gratia, ut aliquem de suo eligant collegio, qui regioni præsit, et regiam provinciæ impendat sollicitudinem. Dumque essent in eo, congregati sunt quidam de clero, spiritu superbiæ tumidi, quærentes quæ sua sunt, non quæ Christi Jesu, dicentes se habere verba secretiora, quæ perferri velint ad principes, intus in conclavi residentes; et intromissi dixerunt: *Nuntiatum est clero, quod ad hoc, ut de vobis unum eligatis in regem, convenistis. Videtur autem nobis propositum vestrum sanctum, et utile, et omni cura executioni mandandum, si tamen ad id ordine congruo veniatur. Certum est porro spiritualia temporalibus digniora esse; quæ vero digniora sunt, merito debere præcedere. Unde videtur nobis nisi ordo præposterus studiose quæratur, quod prius eligenda sit Deo placens et religiosa persona, quæ Ecclesiæ Dei præesse sciat et prodesse, quam de sæcularis potestatis electione agatur. Si hoc ordine nelitis incedere, placet nobis admodum; vobiscum sumus corpore et spiritu; si vero secus, invalidum censemus, et viribus carere decernimus, quidquid extra nostram conniventiam ordinaveritis.* Hæc autem eorum postulatio, etsi in superficie videretur aliquid honestatis habere, tamen intrinsecus habebat malitiæ plurimum, ut docebunt sequentia. Hujus autem factionis primicerius erat quidam episcopus de Calabria, Marturanensis videlicet, qui Arnulpho cuidam, de quo superius satis dictum est, nimia familiaritate conjunctus erat; et ipsum infra sacros ordines constitutum et sacerdotis filium, et nimia notatum incontinentia, ita ut in expeditione cantiB cum populis se exhiberet, et esset materia fatuis et lascivis hominibus in choro canentibus, contra sacros canones et contra omnium honestorum voluntatem, in patriarchalem nitebatur locare sedem. Erat enim perversæ mentis homo, pro nihilo ducens honestatem: unde et cum supra dicto Arnulpho facile poterat convenire, juxta illud: *Qualis quisque est, talium consortio delectatur. Pares enim paribus*, veteri proverbio, *facile junguntur*. Invaserat autem hic idem Bethleemiticam ecclesiam, pactus cum prælicto Arnulpho, quod si ejus studio in patriarcham promoveretur, jam dictam ecclesiam sine quæstione et molestia, perpetuo sibi liceret possidere; sed ejus omnia hæc molimina, mors vicina prævenit, sicut in sequentibus dicetur. Defecerat sane in C clero religionis et honestatis vigor; et dissolutus passim et sine delectu per illicita defluebat, postquam dominus Ademarus piæ in Domino recordationis Podiensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, in fata concessit. Dominus tamen Willelmus Aurasiensis episcopus, vir religiosus ac timens Deum, post prædicti beati viri transitum, eamdem curam suscepit, et quandiu vixit, administravit fideliter; sed modico elapso tempore apud Marram quievit in Domino. His autem defunctis, factum est sicut in propheta dicitur: *Sicut populus, ita et sacerdos* (*Ose.* IV, 9); excepto domino Albariensi episcopo, et paucis aliis, qui timorem Domini habebant præ oculis.

CAPUT II.

D *Principes, neglecta cleri contradictione, dominum ducem eligunt, et electum cum hymnis et canticis sepulcro Domini repræsentant.*

Principes tamen leve et frivolum reputantes prædictorum verbum, cœpto insistentes operi, nihilominus tractabant de proposito. Tradunt quidam eos, ut magis secundum Deum et secundum merita personarum in electione procederent, de familiaribus cujusque magnorum principum assumpsisse quosdam seorsum, et eos ad jurisjurandi religionem præstandam compulisse, quatenus de moribus et conversatione dominorum suorum interrogati, ve-

Digitized by Google

rum sine admistione falsitatis diceret: hoc autem ea fiebat intentione, ut sic de meritis eligendorum, plenius et fidelius instruerentur electores. Qui postmodum ab electoribus, sub debito præstiti juramenti, diligentius interrogati, multa dominorum suorum vitia coacti sunt secretius confiteri, virtutesque nihilominus enumerare, ut nudo apertoque judicio constaret, qualis quisque esset eligendorum, inter quos domini ducis familiares interrogati, responderunt, quod in omnibus domini ducis actibus, in magis absonum domesticis suis videbatur, quod ecclesiam ingressus, etiam post divinorum consummatam celebrationem, inde separari non poterat; sed de singulis imaginibus et picturis rationem exigebat a sacerdotibus et iis qui horum videbantur aliquam habere peritiam; ita quod sociis suis affectis aliter, in tædium verteretur, et nauseam: et prandia quæ certo et opportuno tempore parata erant, diutina et importuna nimis exspectatione, minus tempestive, magisque insipida sumerentur. Quod audientes qui electorum gerebant officium, beatum dixerunt virum cui hæc sunt; et cui inter defectus computatur, quod alius sibi ascriberet ad virtutem; tandemque consonantes ad invicem post multas deliberationum partes dominum ducem unanimiter eligunt, electumque sepulcro Domini, cum hymnis et canticis, devotissime obtulerunt. Dicitur tamen, quod in dominum comitem Tolosanum Raimundum, procerum pars maxima conveniret; sed hoc intelligentes, quod nisi regnum consequeretur, domum esset statim rediturus, natalis soli dulcedine ducti, etiam contra conscientiam suam, multa de domino comite confinxerunt, ut reprobus haberetur. Ille tamen nihilominus patriam spernens, Christum devotissime secutus, non abiit retrorsum; sed in anteriora se extendens, peregrinationem, quam semel ingressus est, et voluntariam paupertatem usque in finem prosecutus est; sciens quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 13). Et illud: *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* (*Luc.* IX, 62).

CAPUT III.

Dux promotus, a comite Tolosano turrim David quam ab hostibus susceperat, reposcit; dissentiunt principes, sed tandem turrim obtinet postulatam.

Domino igitur duce, de communi voto, concurrente omnium consensu, regni apicem obtinente, comes sancti Ægidii civitatis præsidium, arcem videlicet David, quam sibi ab initio, ut præmisimus, hostes tradiderant, possidebat. Erat autem in eminentiore civitatis parte, versus occidentem sita et ingentibus quadris constructa lapidibus, unde totam urbem inferius positam erat intueri. Hanc, quasi totius civitatis novissimum refugium, videns dux sibi deesse, curtatum nisi illam haberet, arbitratus se habere principatum, cœpit a domino comite in auditorio principum reposcere. Comes vero eam, tanquam sibi ab hostibus traditam, usque in Pascha, quo transire et domum redire proposuerat, eam sibi velle habere, ut interim cum suis honestius in regno moram facere posset, allegabat. Dux vero nisi turrim habeat, universa se velle deserere, dicebat; allegans omnino inhonestum esse ut, eo domino designato, alter civitatis haberet præsidium, quem quasi parem aut superiorem conspiceret. Comes autem Normanniæ et Flandrensium comes domini ducis partes fovebant; qui vero cum domino comite Sancti Ægidii, ejus etiam familiares erant, ut domino suo, saltem hac via, occasionem præberent abeundi, partem juvabant adversam. Factum est autem, ut quousque de jure decerneretur, cui cedere deberet, turrim in manu domini Albariensis episcopi, quasi apud sequestrum de communi consilio commiserit. Ille vero non exspectato judicio, ante litis contestationem domino duci dicitur eam tradidisse, cumque id sibi postmodum a nonnullis imputaretur, vim sibi illatam publice asserebat. Dominus igitur comes, exacerbatus plurimum et indignatione plenus, quod turrim ita ignominiose, ut sibi videbatur, amiserat, et quod cæteri principes, non satis beneficiorum ejus memores, quæ in via sæpius eis contulerat, secus eum minus agerent amice, descendens ad Jordanem et aquis ejus lotus, ad propria redire, suorum satisfaciens desideriis, disponebat.

CAPUT IV.

Episcopus Marturanensis, vir subdolus et nequam, quemdam Arnulphum sibi similem, in patriarchum nititur promovere; sed non proficit. Crux Dominica reperitur.

At vero prædictus Marturanensis episcopus, vir subdolus et nequam, non cessabat interea plebem indoctam contra pios concitare principes; et in vulgus serere, quod invidiæ causa, ut eam liberius possent sine pastore conculcare, principes nollent Ecclesiæ providere. Assumensque secum ejusdem factionis complices, prædictum Arnulphum, aliis contradicentibus, elegit; et auxilio fretus comitis Normannorum, cujus erat et fuerat in tota expeditione familiaris et conviva, in sedem patriarchalem, fatuo populo suffragia consulta ministrante, inthronizavit; sed neuter suis adinventionibus lætatus est diu. Nam Arnulphus temere assumptam coactus est deponere dignitatem, et ejus turpitudinis impudens patronus, viarum suarum fructus recollegit in proximo. Per idem tempus, inventa est in parte Sanctæ Resurrectionis ecclesiæ, seorsum, portio una crucis Dominicæ, quam ob metum gentilium, quorum jugum patiebantur, fideles ad ampliorem cautelam, multo ante, paucis admissis, occultaverant. Hanc studio et opera cujusdam hominis Syri, qui ejus tam pretiosi depositi fuerat conscius, reperta, theca reconditam argentea, primum ad Domini sepulcri, deinde ad templum Domini, cum hymnis et canticis spiritualibus deportantes, prosequente eam universo clero et populo, consolationem quasi de cœlo missam omnes in commune acceperunt, arbi-

Digitized by Google

trantes se laborum et molestiarum suarum mercedem condignam recepisse.

CAPUT V.

Quis et unde fuerit, et quibus majoribus progenitus dux Godefridus, aperitur.

Sæpedicto igitur domino duce per Dei gratiam in regni culmine confirmato, scandalisque omnibus, si qua emerserant, amputatis, regnum diebus ejus convalescere, et confirmari cœpit. Regnavit autem anno uno; peccatis hominum id exigentibus, ne diuturniore tanti principis solatio, regni novella plantatio recrearetur, et adversus ingruentes molestias reciperet consolationem. Raptus est de medio, ne malitia immutaret cor ejus, sicut scriptum est: *Viri misericordiæ colliguntur, et non est qui reputet* (*Isa.* LVII, 1). Oriundus vero fuit de regno Francorum, de Remensi provincia, civitate Boloniensi quæ est secus mare Anglicum sita; ab illustribus et religiosis originem ducens progenitoribus. Pater ejus fuit dominus Eustachius senior, illustris et magnificus ejusdem regionis comes; cujus multa et memorabilia fuerunt opera, quorum adhuc apud seniores finitimarum regionum, memoria est in benedictione et in pia recordatione viri religiosi et timentis Deum. Mater vero inclyta et inter Occidentis nobiles matronas, tum morum prærogativa, tum generositatis titulo præclara, Ida nomine, Lotharingiæ ducis eximii Godefridi, qui cognominatus est Struma, soror. Qui postmodum cum sine liberis esset, nepotem æquivocum, in filium suum adoptavit; eumque universi patrimonii sui hæredem constituit, unde eidem defuncto, in eodem ducatu successit. Fuerunt porro huic tres ex utroque parente fratres, quibus et morum dignitas et virtutum præstantia, tanti principis vere dabat esse germanos: dominus videlicet Balduinus comes Edessanus, qui eidem postea successit in regno; dominus quoque Eustachius comes Boloniensis, patri synonymus, qui in bonis succedens paternis, post patrem obtinuit comitatum; cujus filiam illustris et magnificus Anglorum rex Stephanus, Mahaldem nomine, uxorem duxit. Hic etiam, ut domino Balduino fratri absque liberis defuncto in regno succederet, a principibus orientalibus citatus, venire noluit: timens ne sine scandalo ejus promotio celebrari non posset. Tertius fuit dominus Willelmus, vir inclytus, a paterna et fratrum simul honestate et strenuitate non degener. Duo primi dominum et fratrem suum in expeditione secuti sunt, tertio domi remanente. Fuit autem, sicut et secundum carnem primogenitus, ita et secundum interiorem hominem, morum gerens prærogativam, et cui merito primitiva competerent, dominus Godefridus vir religiosus, clemens, pius ac timens Deum, justus, recedens ab omni malo, serius et stabilis in verbo; sæculi vanitates contemnens, quod in illa ætate et militari præsertim professione rarum est; in orationibus jugis, in operibus pietatis assiduus, liberalitate insignis, affabilitate gratiosus, mansuetus et misericors; in omni via sua commendabilis et Deo placens. Fuit autem et corpore procerus, ita ut et maximis minor et mediocribus major haberetur: robustus sine exemplo, membris solidioribus, thorace virili, facie venusta, capillo et barba flavus mediocriter; in usu armorum et exercitio militari omnium judicio quasi singularis.

CAPUT VI.

Matris præsagium de futuro statu filiorum.

Horum tantorum principum mater, sancta, religiosa et Deo placens femina, dum adhuc essent in ætate tenera, spiritu plena divino, futuras prævidit conditiones; et statum qui præparabatur adultis, quasi quodam prædixit oraculo. Nam dum semel circa matrem, sicut mos est puerulis, luderent advicem, et sese lassescentes, ad matris gremium frequenter haberent recursum, accidit quod eis sub ejus chlamide latentibus, vir venerabilis comes Eustachius, eorum pater, ingressus est. Ubi cum mutuo se provocarent, pedes et manus agitantes, matris, qua induta erat, operti chlamide, quæsivit comes, quidnam esset quod ibi tam crebro moveretur; cui illa respondisse dicitur: *Tres magni principes, quorum primus dux, secundus rex, tertius comes esset futurus.* Quod postmodum benigna dispensatione divina implevit clementia; et verum prædixisse matrem, rerum eventus subsequens declaravit. Primus enim dominus Godefridus, ut præmissum est, defuncto succedens avunculo, ejus ducatum obtinuit, regnum etiam Hierosolymorum postmodum, universorum principum electione, consecutus; in quo secundus natu, dominus ei Balduinus successit; tertius, dominus Eustachius qui, defuncto patre, succedens in universum, avitam eorum, ut præmissum est, obtinuit hæreditatem. Præterimus denique studiose, licet id verum fuisse plurimorum astruat narratio, Cygni fabulam, unde vulgo dicitur sementivam eis fuisse originem; eo quod a vero videatur deficere talis assertio. Unde his prætermissis, ad id quod cœperamus de domino duce, prosequendum redeamus. Huic autem inter cætera, quæ more suo gessit egregie, accidisse dicitur quiddam memoria dignum, quod præsenti dignum duximus inserere narrationi.

CAPUT VII.

Recenseur factum ejus memorabile in quadam monomachia.

In singulari namque quodam certamine, quod ipse multum invitus subiit, sed tamen juxta regionis consuetudinem, salva opinionis suæ integritate declinare non poterat, exstat factum ejus memorabile, et præsenti narratione dignum. Passus est vir insignis a quodam nobili et potente viro (qui de numero erat principum, ejusque dicebatur consanguineus) in curia domini imperatoris, super quibusdam ingentibus prædiis, et late diffuso patrimonio quæstionem; super qua, cum utrique parti, experiendi gratia dies esset præfixus, eo adveniente, præsentes se exhibuerunt, tam reus quam actor in curia. Ubi

Digitized by Google

lite contestata, cum prædictus vir nobilis rei proponeret vindicationem; dux autem quantum poterat reniteretur; secundum leges patriæ, adjudicata est inter eos monomachia et pugna singularis. Cumque imperii majores principes ad hoc tantis elaborarent viribus, ne tam insignes viri spectaculum de se populo præstarent indignum; seque tanto vellent subjicere discrimini, in quo alterutrius opinionis integritas posset periclitari, et non proficerent: mandata est exsecutioni imperialis sententia, et vulgi stante corona, principibus de more circumpositis, locum ingressi sunt, futuro certamini deputatum, Martem dubium experturi. Dumque in eo conflictu a viris illustribus et magnificis, strenue nimis decertaretur et viriliter, casu contigit quod, vibrato in adversarii clypeum ictu, ducis confractus est gladius, ita ut supra capulum vix ad semipedalem quantitatem in manu ejus fieret residuum. Quod videntes qui astabant principes, quod ducis conditio facta esset multo deterior, indicta pace, imperatorem adeunt, et supplicantes impetrant, ut de compositione inter tam egregios principes tractare liceat. Unde dum inter eos tractaretur diligentius, eos quæ ad pacem erant rogantes, dux omnino repulit; et irrevocabiliter perseverans, agonem reiterat, rediens in id ipsum. Dumque ejus adversarius propter integritatem gladii sui, sibi quasi superior factus videtur, instat protervius, duci negans requiem, quousque dux ad solitam recurrens virtutem, qua singulariter præminebat, et ira succensus, irruens capulo quem gestabat in manu, tanta circa tempus lævum virtute percussit adversarium, quod eum quasi seminecem, solo dejecit prostratum, ut pene vita videretur omnino destitutus, et ejecto proprii fragmento gladii, et hostis prostrati gladium manu tenens, principes ad se vocat, qui eum prius de compositione convenerant; et rogat attentius, monens ut de pace tractantes, virum insignem, qui jam defecerat tam ignominiosæ morti subtraherent. Qui admirantes ducis virtutem egregiam et misericordiam incomparabilem, pace impetrata, controversiam tam honesto fine sopierunt, ut tamen dux victor et immortali dignus gloria apud omnes haberetur.

CAPUT VIII.

Factum ejusdem egregium in victoria imperatoris Henrici, contra Radulphum pseudoregem Saxonum.

Illud quoque factum, haud inferioris gloriæ, in frequenti versatur hominum memoria, quod præsenti lectioni nihilominus dignum duximus inserere. Saxonum populus, inter Germanicas nationes ferocissimus, Romani imperii juga ferre detrectans, et liberioribus habenis, excussa disciplinæ regula, vagari cupiens, a domino imperatore Henrico defecerat: inque sua adeo erat obstinatus protervia, ut, contra prædictum Augustum, regem sibi crearet quemdam comitem, Radulphum nomine, virum nobilem de eodem populo. Hac injuria permotus imperator, universos imperii principes ad se generaliter fecit evocari. Quibus ante se constitutis, injuriam omnibus tamen, notam, pandit, ad ultionem invitat. Illi vero omnes imperii gloriam æmulantes et Saxonum enorme delictum nimis ægre ferentes, certatim se ipsos exponunt: vires compromittunt; non esse dissimulandam tantam contra Romanum imperium asserunt injuriam, sed plectendum morte tam piaculare flagitium; et læsæ crimen majestatis, ultore gladio feriendum decernunt. Ex condicto igitur et domini imperatoris mandato, ad locum destinatum, die præfixa, infinita millia secum trahentes, adsunt, de universis imperii finibus tam ecclesiastici quam cæteri principes, Saxonum regionem violenter ingressuri et exacturi de tantis injuriis vindictam. Cumque congressionis dies immineret et ordinatis legionibus uterque exercitus in procinctu se haberet præliandi, convocatis ad se principibus imperator, quærit cui tute possit imperiale committere vexillum, et tantorum exercituum constituere primicerium. Cui de communi consilio datum est responsum: *Dominum ducem Lotharingiæ Godefridum, præ omnibus ad id oneris idoneum et sufficientem esse.* Cui, tanquam viro a tot millibus electo, et singulariter omnium judicio excellenti, tradidit aquilam, multum invito et renitenti. Contigit autem illa die quod, confligentibus inter se hinc inde exercitibus, et hostiliter nimis adinvicem gladiis instantibus, dux cum aquila præcedens imperatorem, versus aciem, cui præerat pseudorex Radulphus, contendens, illuc aciem, cui præerat imperator direxit; ad quam perveniens, confracta et dissoluta acie regis, præsente imperatore et de principibus aliquot, vexillum quod gestabat, regi per vitalia pectoris immersit; et eo transverberato, ad terram dejecit exanimem: denuo signum, licet cruentatum, erigens imperiale. Videntes autem Saxones, regem suum defecisse, defecerunt et ipsi, domino imperatori se dedentes; et satisfactione injuncta pro delicti modo, receptis munitionibus et obsidibus, quorum interventu se obligaverunt, ne aliquando simile attentarent, in gratiam reversi sunt. Hæc autem idcirco interseruimus, ut quantus esset apud maximos orbis terrarum principes, hic de quo agitur, vir inclytus, insinuetur. Maximum enim esse, nemo est qui dubitet, a tantis principibus, qui pares in orbe non dicuntur habere, unum omnium judicio optimum designari; præsertim cum ipse eorum judicium opere tam insigni approbaverit; et præsenti argumento, quod vere de illo sensissent, edocuerit. Fuerunt et alia multa ejusdem inclyti viri magnifica et admiratione digna opera, quæ usque in præsens in ore omnium, pro celebri vertuntur historia. Inter cætera quoque propositum jam habens peregrinationem ineundi, castrum, unde ei cognomen erat, Bulionem videlicet, agro, situ, munitione, commoditatibus, et longe lateque diffuso territorio, celebre ac nominatissimum, ecclesiæ Leodiensi, pia liberalitate in perpetuam eleemosynam concessit ha-

Digitized by Google

bendum. Sed nos qui ea tantum quæ apud nos gessit, describere sumus aggressi, ad propositum redeamus.

CAPUT IX.

Quam pia liberalitate erga ecclesias quæ sunt Hierosolymis, abundaverit; et quod humilitatis intuitu, regio diademate noluit insigniri.

Postquam igitur regnum obtinuit, paucis diebus interpositis, sicut vir religiosus erat, in his quæ ad decorem domus Dei habebant respectum, sollicitudinis suæ Domino cœpit offerre primitias. Nam protinus in ecclesia Dominici sepulcri et templi Domini canonicos instituit, eisque ampla beneficia, quæ præbendas vocant, simulque et honesta domicilia circa prædictas Deo amabiles ecclesias, assignavit : ordinem et institutionem servans, quas magnæ et amplissimæ a piis principibus fundatæ ultra montes servant ecclesiæ; plura etiam, nisi mors eum prævenisset, collaturus. Adduxerat etiam prædictus vir Deo amabilis peregrinationem ingressurus, de claustris bene disciplinatis monachos, viros religiosos, et sancta conversatione insignes, qui toto itinere, horis diurnis et nocturnis, ecclesiastico more divina illi ministrabant officia. Quos, postquam regnum adeptus est, juxta eorum postulationem, in valle Josaphat locavit; amplissimumque loco, eorum gratia, contulit patrimonium. Quæ autem, et quanta sint, quæ ecclesiis Dei pia liberalitate concessit, longum esset enumerare; ex tenore tamen privilegiorum ecclesiis indultorum, colligere est, quot et quanta sunt, quæ vir Deo plenus, pro animæ suæ remedio locis venerabilibus erogavit. Promotus autem, humilitatis causa, corona aurea, regum more, in sancta civitate noluit insigniri : ea contentus et illi reverentiam exhibens, quam humani generis reparator, in eodem loco usque ad crucis patibulum pro nostra salute spineam deportavit. Unde quidam in Catalogo regum, non distinguentes merita, eum dubitant connumerare : magis attendentes quæ exterius geruntur in corpore, quam quæ fidelis et Deo placens anima mereatur. Nobis autem non solum rex, sed optimus, lumen et speculum videtur aliorum. Non enim consecrationis munus, et ecclesiastica sprevisse credendus est princeps fidelis sacramenta; sed pompam sæculi, et cui omnis creatura subjecta est, vanitatem; et perituram humiliter declinasse coronam, ut immarcescibilem alibi consequeretur.

CAPUT X.

Princeps Ægyptius militiam et vires suas omnimodas, contra nostros excitat et in Syriam dirigit.

Per idem tempus, urbe recens capta, dum adhuc principes, qui eam divino mancipaverant cultui, nondum essent divisi abinvicem, rumor insonuit, et vere sic erat, quod princeps Ægyptius, inter Orientales potentissimus, ex universis regionibus suæ ditioni subjectis militares convocaverat copias et exercitus collegerat infinitos, indigne ferens quod populus barbarus, de ultimis egressus terrarum finibus, in regnum suum introierat, et provinciam imperio suo subditam, occupaverat violenter. Vocatoque ad se militiæ suæ principe Elafdalio, qui alio nomine dicebatur Emireus, præcipit ut universum Ægypti robur, et omnes imperii vires colligens, in Syriam ascendat; et populum præsumptuosum deleat de superficie terræ, ita ut non memoretur nomen illius ultra. Erat autem hic idem Emireus Armenius nomine, a Christianis originem habens parentibus; sed divitiarum immensitate suffocatus, apostataverat a Creatore suo, fide neglecta, ex qua justus vivit. Hic idem, etiam eodem anno, quo a fideli populo est obsessa et fidei restituta Christianæ, eamdem a Domino protectam civitatem, a Turcorum potestate domino suo vindicaverat; vixque eam mensibus undecim obtinuerat quietam, cum Christianus exercitus eam, propitio Domino, ab indebitæ jugo servitutis eripuit. Indignatus ergo, quod tam reciso tempore sua potitus erat victoria; et quod momentanea videbatur, et erat per eum domino suo acquisita possessio, laborem sibi gratanter assumit injunctum, sperans de his qui fatum ejus denigraverant, posse facilius triumphare. Assumpto igitur sibi universo exercitu, et universis Ægypti viribus, quales Ægyptiaca diœcesis in optimo statu constituta tunc poterat ministrare, ascendit in Syriam, in spiritu vehementi et intolerabili fastu, propositum habens populum nostrum delere, ne etiam ejus exstaret memoria. Sed Domino visum est aliter, qui est *terribilis in consiliis super filios hominum* (*Psal.* LXV, 4). Veniens igitur cum equitatu magnifico et ingentibus copiis, ante Ascalonam castrametatus est. Denique associaverant se eorum expeditionibus, ex universa Arabia et finibus Damascenis, ingentes copiæ. Et licet Turci prius non satis bene cum Ægyptiis convenirent, sed suspectas mutuo suas haberent vires, et æmulum contra se alternatim dilatare satagerent imperium; tamen nostrorum metu, etsi non ob gratiam, quam haberent mutuam, convenerunt adinvicem, ut in nostrorum qui de novo advenerant supplantationem molirentur aliquid : satius arbitrati, suorum pati fastus æmulorum, et jugum etiam portare, quam barbarorum duros et feroces nimium gladios experiri. Sic igitur Ægyptiorum, Arabum et Turcorum congregatis in unum innumerabilibus copiis, in agro, ut prædiximus, Ascalonitano castra contulerant, inde Hierosolymam profecturi; nec enim arbitrabantur, quod tantæ multitudini noster occurrere præsumeret exercitus.

CAPUT XI.

Dux e diverso, completis apud Hierosolymam litaniis et orationibus, circa Ramulam congregatis principibus, expeditiones colligit.

Quo audito, congregati adinvicem nostri principes, episcopi, clerus et populus universus, arma bajulantes spiritualia, et ante sepulcrum Domini cum gemitu et lacrymis, corde contrito et humiliato prostrati orabant, postulantes a Domino ut popu-

Digitized by Google

lum suum clementer ab imminentibus liberaret periculis, quem usque in præsens misericorditer sibi conservaverat victorem; et qui locum sanctificationis suæ mundari voluerat, eum ulterius contaminari propter gloriam nominis sui non pateretur. Inde etiam nudis pedibus, cum hymnis et canticis spiritualibus, ad templum Domini eodem devotionis fervore accedentes, effusis coram Domino præcordiis, orabant, dicentes: *Parce, Domine, parce populo tuo, et ne des hæreditatem tuam gentibus in perditionem* (*Joel.* II, 17). Quibus de more completis, percepta ab episcopis benedictione, et ordinatis qui medio tempore urbi præessent ad custodiam viris prudentibus, dux cum comite Flandrensium ex urbe profectus, in campestria descendit Ramulensia, cæteris principibus in urbe relictis. Porro viri illustres, dominus Eustachius, ducis frater, et dominus Tancredus, evocati a civibus Neapolitanis, ut urbem sine molestia reciperent, illuc de mandato ducis erant profecti: ubi moram facientes, tum propter loci opulentiam, tum ut urbi sufficientem designarent custodiam, horum quæ sic dicebantur erant ignari; sed evocati a domino duce, sine dilatione redierunt, reliquis principibus associati. Dux vero et Flandrensium comes, pervenientes Ramulam, ubi de facto plenius sunt edocti, certum habentes quod prædictus Emireus cum suis copiis ante Ascalonam consedisset, misso sub omni celeritate nuntio, reliquos principes, qui rei exspectantes certitudinem in urbe remanserant, præcipit evocari.

CAPUT XII.

Committitur prælium, et nostris divinitus confertur victoria, receptis divitiis innumerabilibus.

At vero comes Tolosanus, et alii Deo devoti principes, cognito, per ducis nuntium, quod in tam gravi multitudine hostes advenerant, quodque tam in vicino castra locaverant, invocato de supernis auxilio, collectis quas pro tempore et loco habere poterant viribus, in campestria Philisthiim ad eum locum qui hodie dicitur Ibelin, ubi dominum ducem esse cognoverant, descenderunt. Erant autem eis equitum mille ducenti, peditum vero circa novem millia. Cumque ibi per diem noster quievisset exercitus, circa horam undecimam apparuit eis in campestribus, quasi de remoto, multitudo ingens; quam rati hostilem esse exercitum, præmissis ducentis levioris armaturæ equitibus, qui de eorum statu et numero reliquos instruerent, ipsi ad arma se præparant; cumque accederent propius qui præmissi fuerant, cognoverunt armenta esse boum, equorum, camelorumque phalanges. Erant tamen ibi animalibus curam præstantes equites, pastorum vice armentis custodiam intendentes. Ad quos cum pervenisset noster exercitus, non exspectato congressu, fugerunt tam pastores, quam qui pastoribus præerant equites, gregibus et armentis sine custode relictis. Capti tamen sunt quidam ex eis, quorum relatione de hostium statu et proposito penitus edocti, cognoverunt quod prædictus princeps juxta eos, quasi ad milliaria septem castra locaverat, propositum habens post biduum accedere et nostrum delere exercitum. At vero nostri certi de prælio, acies instruunt novem; quarum tres præponunt, tres locant in medio, tres præcipiunt subsequi, ut undecunque ad eos hostium fiat accessus, triplicem ibi reperiant acierum ordinem sibi objectum. De hostium vero numero nullus poterat habere certitudinem; nam et infinita erat eorum multitudo et singulis diebus incrementi aliquid eorum accedebat viribus. Sic igitur obtenta sine contradictore præda, quæ præ nimia multitudine numerum excedebat, noctem illam ibi transegerunt gaudentes; more tamen prudentum, et quibus disciplinæ militaris plenior erat experientia, curam circa se pervigilem et debitas observantes excubias. Mane autem facto, voce præconia bellum indicitur, et instructis ordinibus, Domino rei commendantes exitum, in hostes unanimiter properant, victoriæ spem in eo collocantes, cui facile est cum paucis multos superare. Porro Ægyptii, et qui eis adhæserant de partibus Syriæ, nostrorum videntes instantiam et animositatem importunam, longe aliter sapientes quam prius, cœperunt de viribus diffidere; et in sua numerositate spei minus et minus habere fiduciæ, arbitrantes omnem illam quæ occurrebat multitudinem, hominum esse cohortes. Nostrorum sane, ut dictum est, modicus erat numerus; sed præda, de qua superius fecimus mentionem, casu, nemine ducente, nostris legionibus se applicaverat, ita ut nostris iter figentibus non procederet; et eisdem proficiscentibus continuo sine duce sequeretur. Arbitrati ergo nostrorum infinitum esse numerum, viresque incomparabiles, fugerunt nemine persequente, vix etiam fuga salutem invenire posse sperantes. Amissus est ergo illa die, casu incognito, scandalorum fomes, auctor seditionum, Marturanensis episcopus, ignorantibus cunctis ejus exitum; quocunque tamen casu id acciderit, rebus humanis exemptus, desiit comparere. Dicitur tamen quod a domino duce ad vocandos principes qui in urbe remanserant missus, dum rediret, captus sit ab hostibus et occisus; aut carceri perpetuo mancipatus. Collata igitur de supernis victoria, in hostium castra noster pervenit exercitus. Ubi tantam variæ supellectilis et peregrinarum copiam invenit divitiarum, ut usque ad nauseam satiati, mella fastidirent, et placentas: et pusillus et abjectior dicere posset:

Inopem me copia fecit.

Ovid.

Sic igitur fugientibus adversariis, palma nobis sine labore concessa, cum ingentibus gratiarum actionibus reversi sunt Hierosolymam, tam principes quam universus Christianus exercitus onerati manubiis, et prædam inauditam secum trahentes, gaudentes et exsultantes in Domino, tanquam victores, capta præda quando dividunt spolia.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Discedunt principes ab invicem; Normannus et Flandrensis repatriant; Tolosanus redit Constantinopolim; Tancredus urbi præficitur Tiberiadensi.

His ita gestis Deo amabiles, Deoque devoti principes, domini Normannorum et Flandrensium comites, consummato feliciter assumptæ sibi peregrinationis itinerario, ad propria redire disponunt: inde iter arripientes, navigio Constantinopolim ad dominum imperatorem Alexium pervenerunt; a quo benigne tractati et cum honestis dimissi muneribus, auctore Domino, sani et incolumes in suam se patriam receperunt. Quorum alter, Normannorum videlicet comes, domum rediens, rerum statum, ab eo quem reliquerat, peregre proficiscens, secus a voto, longe invenit mutatum; nam dum in expeditione Domino militaret, frater ejus primogenitus Willelmus, qui cognominatur Ruffus, rex Anglorum, vita sine liberis decessit; cumque ei successionis jus et regni primitiva merito competerent, frater ejus Henricus natu se posterior, persuadens regni principibus, quod frater suus Hierosolymis rex constitutus, redeundi animum non haberet, regnum Angliæ hac fraude obtinuit. Reversus ergo frater, ab eo cœpit, sicut et de jure poterat, regnum instanter reposcere. Cumque ille id negaret penitus, classe parata et convocatis copiis in Angliam ingressus est violenter: ubi cum omni regni illius robore frater occurrens, paratus erat cum fratre congredi; sed intercedentibus pacis mediatoribus, pax inter eos reformata ea conditione, quod rex fratri suo primogenito certam pecuniæ summam singulis annis daret nomine census. Quo facto, dux in terram suam reversus est pacificus; postmodum vero, cum quædam castella, quæ rex in Normannia etiam antequam in regem promoveretur possidebat, dux ab eo reposceret, et ille reddere negaret, obsedit ea ut violenter comprehenderet. Quo audito, rex in Normanniam cum ingentibus copiis transfretavit; et cum fratre dimicans, cœpit eum, et perpetuo carceri mancipavit: ubi et defunctus est, fratre postmodum eidem in universum succedente. Dominus quoque comes Sancti Ægidii usque Laodiciam Syriæ reversus, uxore ibi dimissa, ad eam in proximo rediturus, iterum Constantinopolim, ad eumdem dominum imperatorem, cum honesto comitatu profectus est; ubi ab imperatore susceptus magnifice, benigne tractatus, et ingentibus donis et ampla remissus munificentia, in Syriam ad uxorem et familiam post biennium, ut in sequentibus dicetur, sospes reversus est. Dominus vero dux detento secum inclyto et nobili viro domino Tancredo, comite quoque Garnerio de Gres et aliis quibusdam nobilibus, commissum sibi a Domino regnum prudenter strenueque administrabat. Concessit autem et solita liberalitate donavit jure hæreditario in perpetuum possidendam, urbem Tiberiadensem super lacum Genesar sitam, cum universo principatu Galileæ, simul et Caypham, quæ alio nomine dicitur Porphiria, urbem maritimam cum suis pertinentiis prædicto domino Tancredo. In quo principatu ita Deo placide et laudabiliter se habuit, quod usque in præsentem diem memoria ejus in benedictione est apud illius homines provinciæ. Sed et ecclesias ejusdem diœceseos ingenti fundavit sollicitudine, et amplis dotavit patrimoniis, Nazarenam videlicet et Tiberiadensem, sed et montis Thabor; et insuper ecclesiastica contulit ornamenta. Quorum portionem non modicam, per fraudem et calumnias subsequentium principum prædicta amiserunt loca venerabilia. Tamen usque hodie de residuo necessaria sibi procurant, pro illius orantes anima, qui tam pia liberalitate, et tantæ charitatis visceribus erga Dei ecclesias abundavit. Et quia in modico fuit fidelis, supra multa constitutus est a Domino; et intravit in gaudium patrisfamilias, pro universis quæ dederat centuplum accipiens. Nam mox infra biennium meritis exigentibus, ad principatum vocatus Antiochenum, illam quoque, a temporibus apostolorum gloriosam et nobilem, magis et magis, plurima largiendo, nobilitavit Ecclesiam. Sed et principatum pluribus subjugatis urbibus et præsidiis mancipatis, longe lateque promotis finibus ampliavit, sicut in sequentibus dicetur.

CAPUT XIV.

Boamundus Antiochenorum princeps et Balduinus comes Edessanorum, Hierosolymam veniunt, Nativitatem Dominicam ibi celebrantes.

Dum hæc in regno sic aguntur, dominus Boamundus Antiochiæ princeps, dominus quoque Balduinus prædicti domini ducis frater, comes Edessanus, multorum relatione habentes compertum quod reliqui eorum fratres et tantæ consortes peregrinationis, prosequente eos favore divino, urbem sanctam sibi vindicaverant et viæ causam consummaverant feliciter, condicunt inter se diem certum, quo paratis ad iter necessariis, illuc auctore Domino proficiscantur, ut laborum suorum causam vota, Domino solventes, compleant; et ut domino duci, domino quoque Tancredo et aliis principibus fraternum impendant solatium. Remanserant enim hi duo illustres et magnifici viri, alter apud Antiochiam, ut principatum conservaret; alter apud Edessam, ut ab irruentibus hostibus protegeret comitatum. Ita enim ab initio statim post captam Antiochiam, de communi providentia fuerat ordinatum, ut uterque concessas sibi divinitus, Dei cultrices urbes, non desererent; sed curam ad earum tuitionem impenderent pervigilem, ne forte recurrentibus hostibus, et reparatis copiis, rediviva pararentur bella, et sic in vacuum cucurrissent. Licet ergo uterque negotiosus esset plurimum, tamen consummandæ peregrinationis gratia propositum urgent, et die præfixa iter arripiunt. Dominus itaque Boamundus, assumptis secum eis qui ejusdem peregrinationis desiderio trahebantur, et ingentibus tam equitum quam peditum copiis, jam usque Valeniam urbem maritimam, quæ est sub castrum Margat, per-

Digitized by Google

venerat, ubi fixerat invitis civibus sua tentoria. Porro dominus Balduinus, eum e vestigio sequens, apud prædictam urbem eumdem repperit, ubi conjunctis adinvicem agminibus cœpto insistunt itineri. Applicaverant autem per eosdem dies, apud Laodiciam Syriæ, homines de Italia : inter quos erat vir litteratus et prudens, religiosus quoque valde et honestatis amicus, dominus Daimbertus, Pisanorum archiepiscopus ; quidam quoque de Apulia episcopus, Arianensis; hi etiam castris prædictorum principum se adjunxerant : unde et numerus factus est major, ita ut sexus promiscui, tam equitum quam peditum, diceretur esse multitudo ad viginti quinque millia. Iter ergo agressi, et oram secuti maritimam, non nisi hostium reperiunt urbes, unde cum maxima difficultate et alimentorum inopia viam poterant incœptam conficere; cum enim non haberent commercia et venalia non reperirent, defecerat viaticulum in eorum cistarciis. Sed et algoris vehementia, et imbrium intemperies, multos ad supremum compulit defectum; hiems enim erat, mensis December. Soli enim Tripolitani et Cæsarienses, in tam prolixo itinere, transeuntibus obtulerunt venalia; et tamen cum multo alimentorum defectu et famis angustia procedebant, non habentes jumenta et apta sarcinis devehendis animalia. Tandem, protegente eos divina clementia, pervenerunt Hierosolymam, ubi a domino duce et ab universo clero et populo devote suscepti, loca sancta corde contrito et in spiritu humilitatis perlustrantes, fide discunt ocalata, quod verbo et doctrina prius comprehenderant. Celebrato sane in sancta Bethleem Dominicæ nativitatis die, præsepe vident, et speluncam admirabilem, ubi pia Dei genitrix, salutis porta, mundi Reparatorem pannis involvit et lacte pavit vagientem.

CAPUT XV.

Daimbertus Ecclesiæ Pisanæ archiepiscopus, Hierosolymitanæ præficitur Ecclesiæ patriarcha.

Cum igitur usque ad illum diem, quasi per menses quinque Hierosolymitana vacasset Ecclesia, proprium non habens antistitem, convenerunt qui præsentes erant principes, ut in ea parte, Ecclesiæ Dei providerent. Demumque post multa deliberationum libramina, prædictum venerabilem virum dominum Daimbertum, de communi omnium consilio in sedem collocant patriarchalem; nam quod de Arnulpho prius factum fuisse diximus, sicut imprudenter factum fuerat, ita et subito et facile dissolutum est. Prædicto ergo viro Dei in sede collocato, tam dominus Godefridus, quam dominus princeps Boamundus, hic regni, ille principatus humiliter ab eo susceperunt investituram, ei arbitrantes se honorem impendere, cujus tanquam minister ille in terris vicem gerere credebatur. Quo facto, assignatæ sunt domino patriarchæ possessiones, tam illæ quas tempore gentilium, a diebus Græcorum, Græcus habuerat patriarcha, quam quædam erogatæ de novo; ut haberet unde honeste sustentari posset domus patriarchalis. His ita rite completis, sumpta a domino duce licentia, dominus Boamundus, dominus quoque Balduinus, in fines suos reversuri, ad Jordanem descenderunt : inde per vallem Illustrem, ejusdem fluminis ripam sequentes, Scytopolim transeuntes, usque Tiberiadem pervenerunt. Ubi assumptis sibi necessariis ad iter alimentis, secus mare Galilææ viam carpentes, Phœnicem Lybanicam ingressi, Paneadem, quæ est Cæsarea Philippi, a dextris prætereuntes, Itureamque ingredientes, usque ad locum cui nomen Heliopolis, quæ alio nomine dicitur Malbec, accesserunt. Inde ad oram maritimam redeuntes, Antiochiam, protegente eos divina clementia, sani et incolumes attigerunt.

CAPUT XVI.

Studio malignorum inter ducem et patriarcham graves cum simultate suscitantur quæstiones, super turri David, et quarta parte civitatis

Interea Hierosolymis, studio et opera quorumdam malignorum, quibus semper cordi est scandalum serere et aliorum invidere tranquillitati, suscitata est quæstio inter dominum patriarcham et dominum ducem, domino patriarcha reposcente ab eo civitatem sanctam Deo ascriptam, et ejusdem civitatis præsidium : simulque urbem Joppensem, cum suis pertinentiis. Cumque aliquandiu agitata esset præsens quæstio, dux, sicuti vir humilis erat, et mansuetus, ac timens sermones Domini, in die purificationis beatæ Mariæ, præsente clero et populo universo, ecclesiæ Sanctæ Resurrectionis, quartam partem Joppe resignavit. Postea die sancto subsequentis Paschæ, in præsentia cleri et populi, qui ad diem festum convenerant, urbem Hierosolymam cum turri David et universis ejus pertinentiis, in manu domini patriarchæ resignavit; ea tamen conditione, ut prædictis urbibus cum territoriis suis ipse interim frueretur uteretur, quousque captis ex aliis urbibus una vel duabus, regnum Dominus permitteret ampliari. Quod si medio tempore dux absque legitimo defungeretur hærede, prædicta omnia absque difficultate, omni contradictione remota, in ditionem domini cederent patriarchæ. Hæc omnia, etsi aliorum relatione comperta, et etiam quorumdam opera scripto mandata, præsenti interseruimus narrationi; miramur tamen, quibus rationibus motus dominus patriarcha, hanc adversus ducem suscitaverit quæstionem, cum nec uspiam legerimus, aut a viris fide dignis audierimus, ea conditione domino duci, regnum a victoribus principibus fuisse traditum, ut alicui personæ, alicujus præstationis annuæ vel perpetuæ vinculo se sciret obligatum. Nec pro crassa et supina nostra ducenda est ignorantia, cum quolibet mortalium amplius harum rerum veritatem, diligenter investigaverimus, ad hoc specialiter studiose, ut ea præsenti scripto mandaremus, sicuti in nostro longe ante fuerat proposito.

CAPUT XVII.

Qua ratione quarta pars civitatis in jus et potestatem domini patriarchæ cesserit.

Verumtamen, quartam partem civitatis, ab in-

Digitized by Google

troitu Latinorum, et etiam a multis retro temporibus, Hierosolymorum patriarcham certum est tanquam propriam possedisse. Quod qualiter acciderit, et unde initium possidendi habuerit et causam, breviter aperiendum est; nam nos studiosius hæc investigantes, frequenti inquisitione tandem ad hujus rei pervenimus indaginem. Habent veterum traditiones, dum civitas illa ab infidelibus detineretur, nunquam pacem continuam, vel ad tempus modicum, habuisse; sed frequentibus bellis et crebris obsidionibus, finitimis principibus eam sibi vindicare volentibus, perpetuo fuisse fatigatam; unde ejus et turres et mœnia, tum vetustate, tum obsidentium opera, in ruinam collapsa, hostium insidiis locum late patere cogebant. Cum igitur ea tempestate Ægyptiorum regnum viribus et divitiis, sed et prudentia sæculari, cæteris quæ vel in oriente vel in austro erant regnis esset præstantius, volens Ægyptius calipha imperii sui fines porrigere et suam longe lateque propagare ditionem, missis exercitibus, universam Syriam usque Laodiciam, quæ Antiochiæ contermina, Cœles Syriæ limes est, violenter occupavit; designatisque præsidibus, qui urbibus tam maritimis quam mediterraneis præessent, vectigalia constituit, et universam regionem fecit tributariam; præcipiens singulorum civibus locorum, civitatis suæ muros reædificare, et turres validas per circuitum erigere. Hac communi lege, procurator qui Hierosolymis præerat ejusdem loci compulit habitatores legibus parere communibus et mœnia cum turribus in statum reformare priorem. Quibus cum partes futuri designarentur operis, contigit ex malitia magis quam ex opum comparatione, quod quarta pars structuræ illius, miseris Christianis, qui in urbe degebant, designaretur. Erant autem prædicti fideles, tot angariis et parangariis, tributis, vectigalibus et aliorum sordidorum munerum præstatione attenuati adeo, quod omnium opes vix sufficerent ut una vel duæ de prædictis turribus resarcirentur. Videntes, ergo quod occasiones quærerent adversus eos, non habentes aliud refugium, ad præsidem accedunt, cum lacrymis supplicant, orantes, ut juxta eorum possibilitatem onus eis imponatur: nam quod injunctum eis fuerat, omnino insufficientes erant portare. Qui cum a sua præsentia eos excludi præcepisset sub gravi interminatione, dixit : *Edicta summi principis, sacrilegium est violare; aut ergo opus injunctum consummabitis aut ultoribus gladiis, tanquam læsæ majestatis reos, vos oportet succumbere.* Tandem multiplicatis intercessoribus et munerum interventu, apud præsidem ferias obtinent, quousque missis legationibus, ad dominum Constantinopolitanum imperatorem, ejus ad peragendum opus prædictum, implorent eleemosynam.

CAPUT XVIII.

Item de eodem, et quæ loca venerabilia sæpedicta pars infra se contineat.

Destinati ergo nuntii ad prædictum principem accedentes, gemitus et lacrymas fidelis populi, non sine suspiriis audientium, quantum possunt exprimunt diligentius; pandentes ex ordine, sputa, colaphos, vincula, carceres, bonorum direptiones, cruces, supplicia, quæ miser ille populus pro Christi nomine incessanter pateretur; et nunc quas de novo adversus eamdem plebeculam ad perdendum eos quærerent occasiones. Porro tunc agebat in sceptris, vir prudens et magnificus dominus Constantinus, qui cognominatus est Monomachus, Constantinopolitanum imperium strenue et viriliter administrans. Is lacrymosis Christi fidelium petitionibus gratuitum impendens assensum, pecuniam promittit, unde opus injunctum possit absolvi, eorum molestiis et continuis afflictionibus plena charitate compatiens. Adjicit tamen conditionem, quod ea lege prædictam sit eis pecuniam largiturus, si apud regionis dominum id obtinere possint, ut infra prædictum muri ambitum, quem de imperialibus eleemosynis erigere proposuissent, nulli nisi Christiano habitare liceret. Scribit igitur ad Cyprios, ut si Hierosolymitæ fideles id possent impetrare, de vectigalibus et fisco debitis, tantam eis pecuniam ministrarent, quæ prædicto operi sufficere posset. Illi vero ad propria reversi, domino patriarchæ et plebi Dei quomodo egerint, pandunt seriatim; qui gaudentes verbum amplexi sunt et ad implendam legem pactorum, quam dominus adjecerat imperator, omni studio fideliter elaborant. Missis igitur nuntiis ad magnum et supremum eorum principem, Ægyptum videlicet calipham, prosequente eos divino favore, apud eumdem, prædictam impetrant postulationem; et munimentum, ejus subscriptione et sigillo corroboratum, insuper obtinent. Tandem feliciter consummato negotio, ad propria reversi, designatam muri partem auctore Domino, compleverunt; anno ab Incarnatione Domini 1063, regnante apud Ægyptios, et id fieri permittente Bomensor Elmostensab, anno tricesimo sexto ante urbis liberationem. Habitaverant sane usque in illum diem, promiscue cum fidelibus, Sarraceni; sed ab ea hora, audita jussione principali, ad alias civitatis partes de necessitate se contulerunt, quarta prædicta, fidelibus sine contradictione relicta. In quo servi Christi conditione suam videntur fecisse longe meliorem; nam de cohabitatione virorum Belial, multo sæpius oriebantur scandala et multiplices eis accedebant molestiæ; tandem seorsum habitantes, sine admistione zizaniorum, degebant quietius; si quas habebant quæstiones, ad cognitionem referebant Ecclesiæ, et mediante domini patriarchæ, qui pro tempore erat, arbitrio, controversias inter se decidebant. Sic ergo ab ea die et ea ratione qua prædiximus, prædicta pars civitatis quarta, alium non habuit judicem vel dominum nisi patriarcham; et eam quasi propriam, Ecclesia sibi perpetuo vindicavit. Distinguitur autem quarta prædicta hoc modo: a porta Occidentali, quæ dicitur David, per turrim angularem,

Digitized by Google

quæ cognominatur Tancredi, usque ad portam Septentrionalem, quæ dicitur protomartyris Stephani, est ambitus muri exterioris; interius vero limes est via publica, quæ ab eadem porta usque ad mensas nummulariorum directe protenditur, et inde ad portam occidentalem. Continet autem intra se venerabilem locum Dominicæ passionis et resurrectionis, domum hospitalis, utrumque monasterium, virorum videlicet et sanctimonialium, quorum utrumque cognominatur de Latina; domum etiam patriarchalem et canonicorum Dominici sepulcri claustrum, cum suis pertinentiis.

CAPUT XIX.

Quis fuerit regni status per illa tempora; et quomodo dux urbem maritimam Assur obsedit; et qua de causa eamdem solverit obsidionem.

Eodem tempore, cum jam fere omnes principes qui in expeditione venerant, essent ad propria reversi, ita quod dux solus, cui regnum erat commissum, et dominus Tancredus, qui in partem sollicitudinis a domino duce tanquam vir prudens, strenuus et felix, erat detentus; tam modicæ erant nostrorum facultates et militantium copiæ, ut omnibus convocatis et certatim concurrentibus, vix invenirentur equites trecenti et peditum duo millia. Urbes autem, quæ in nostram venerant ditionem, paucæ admodum erant; et locis hostilibus interjectis, interpolatæ, ita ut summo periculo, cum necessitas id exposcebat, de una ad alteram veniretur. Suburbana autem, etiam in nostrorum finibus universa ab infidelibus et Sarracenis incolebantur; quibus sæviores hostes nostro non erant populo; eoque pejores quo et domestici; *nulla enim pestis efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus.* Hi non solum nostros incaute gradientes viis publicis obtruncabant et hostium mancipabant servituti; verum etiam et agrorum culturæ denegabant, ut fame nostros affligerent; malentes ipsi esuriem pati quam nostris, quos hostes reputabant, aliquam ministrare commoditatem. Nec solum urbibus egressi, suspectas habebant semitas; verum et in domibus, infra urbium mœnia constitutis, propter inhabitantium raritatem, et patulas hostibus murorum ruinas, vix tutus inveniebatur ad quiescendum locus. Nocturni enim fures, urbes vacuas et raro habitatore cultas, clandestinis irruptionibus effringebant, in propriis domiciliis multos opprimentes: unde nonnulli clam, multi etiam manifeste possessiones quas acquisierant deserentes, revertebantur ad propria; arbitrantes quod una die hi qui patriam tueri nitebantur, opprimerentur ab hostibus, et non esset qui eos ab imminentibus cladibus posset eruere. Hi causam edicto dederunt, ut annua præscriptio locum haberet et eorum foveret partes, qui in tribulatione perseverantes per annum et diem tranquille et sine quæstione aliquid possederant. Quod introductum est, ut prædiximus, odio illorum qui timoris causa suas reliquerant possessiones, ne post annum redeuntes, ad earum admitterentur vindicationem. Cumque tanta regnum laboraret inopia, adjecit tamen vir Deum timens Deoque amabilis, auctore Domino, regni fines ampliare; convocatisque militaribus auxiliis et populo regionis, urbem maritimam, Joppensi conterminam, quæ olim dicta est Antipatrida, nunc vero vulgari appellatione dicitur Assur, obsedit. Sed, cum in ea essent viri fortes et strenui, armis, victualibus et cæteris ad hos usus necessariis abundantes; dux vero exterius gravem sustineret inopiam, et maxime quia naves non habebat, quibus obsessis introitum negaret et exitum; necessitate compulsus, prædictam solvit obsidionem, exspectans ut tempore procedente, magis opportuna sibi ad id complendum concessa, divinitus eidem se offerret occasio; sed morte præventus immatura, ad optatum propositum non pervenit.

CAPUT XX.

Factum memoria dignum, quod eidem in eadem obsidione accidit.

Accidit autem in eadem obsidione dignum memoria quiddam, quod præsenti curavimus lectioni inserere. De montibus Samariæ, in quibus urbs Neapolitana sita est, quorumdam suburbanorum reguli, deferentes secum exenia panis et vini, caricarum quoque et uvæ passæ, ad prædictam descenderunt obsidionem, magis, ut credimus, ut nostrorum explorarent vires et multitudinem, et de statu eorum plenius edocerentur, quam ut duci deferrent munera. Hi, postquam in exercitum perveneruntut ante ducem introducerentur, cœperunt instanter postulare: in cujus constituti præsentia, obtulerunt donaria quæ secum detulerant. Dux autem, sicut vir humilis erat et sæculi pompam omnino declinans, super saccum stramine plenum, humi positum, residebat; suos exspectans quos pabulatum emiserat. Quod intuentes illi, admiratione stupidi, quæsierunt *cur tantus princeps, et tam admirabilis dominus, qui ab Occidente veniens, totum concusserat Orientem et regnum maximum in manu valida occupaverat, ita sederet inglorius, ut neque tapetia, neque holoserica circa se more haberet regio; nec stipatus satellitibus armatis, formidabilem se præberet accedentibus.* Quibus ita percunctantibus, quæsivit dux quid loquerentur; quo cognito, respondit: *Quod homini mortali sufficere merito terra pro sede temporali poterat, cui post mortem perpetuum domicilium est præstitura.* Quod audientes qui gratia tentandi accesserant, admirantes viri responsum, humilitatem et prudentiam, abierunt dicentes: *Quia vere hic est, qui universas regiones debeat expugnare; et cui repositum est de vitæ merito, populis et nationibus principari.* Mirabantur et timebant pariter finitimarum habitatores regionum, peregrini virtutem et successum populi; eoque in majorem rapiebantur et admirationem et metum, quo hæc suorum relatione, quibus amplius credere tenebantur, cogno-

Digitized by Google

verant; et usque ad Orientis ulteriora factum hoc, tam mirabile, divulgabatur.

CAPUT XXI.

Boamundus Antiochenorum princeps apud urbem Meleteniam capitur.

Dum hæc ita in regno Hierosolymorum aguntur, accidit quod quidam Gabriel nomine, Armenius natione, qui urbi Meleteniæ, trans Euphratem in Mesopotamia sitæ præerat, Persarum timens incursum et eorum non valens sustinere molestias, legatos misit ad dominum Boamundum Antiochenorum principem, invitans ut ad se venire non differat, prædictam urbem quibusdam interpositis conditionibus, illico recepturus. Quod audiens vir magnificus dominus Boamundus, vocationem viri impigre secutus, assumpto sibi solito comitatu, transito Euphrate, Mesopotamiam ingressus, pene jam ad urbem prædictam pervenerat, cum ecce Turcorum quidam potentissimus satrapa, Danisman nomine, ejus adventu præcognito, ex improviso in ejus comitatum irruit; et incautos opprimens, quosdam in ore gladii peremit; reliquos vero multitudinem hostium ferre non valentes, adegit in fugam. Ipse vero dominus Boamundus, peccatis exigentibus, captus est ab hostibus et eorum vinculis mancipatus. Quo successu elatus, de multitudine exercitus, quem secum trahebat copiosum, præsumens, eamdem urbem obsidione vallat, in proximo sperans eam se habiturum. At vero qui de prædicto evaserant periculo, Edessam pervenientes, comiti ex ordine pandunt casum, qui domino principi et eis acciderat. Quod intelligens vir strenuus, domino principi tanquam fratri uterino compatiens et periculoso rei eventu commotus interius, militares cum omni celeritate convocat copias: et sumptis ad iter necessariis, ad partes velox accelerat. Distare autem dicitur prædicta civitas ab Edessa, itinere dierum trium; quod subito et mature conficiens, jam proximus urbi aderat; sed audiens prædictus Danisman comitis adventum, obsidione soluta, secum deducens dominum Boamundum, quem tenebat in vinculis, in partes regni sui, prælium declinans, secessit ulteriores. At vero comes audiens quod prædictus Danisman, ejus formidans adventum, ab obsidione discesserat, insectatus est per triduum fugientem: videns quod non proficeret, Meleteniam reversus est, ubi a prædicto Gabriele magnifice, cum ingenti gloria susceptus, tractatus optime, civitatem eisdem conditionibus, quibus domino Boamundo prædictus Gabriel obtulerat habendam, recepit. Hisque peractis, ad propria reversus est.

CAPUT XXII.

Factum ducis dignum memoria in regione Arabum.

Interea dum vir insignis dominus dux, et sui, qui cum eo, aliis discedentibus, ut regnum conservarent, Hierosolymis remanserant, tanta laborarent inopia, tanta affligerentur paupertate, quantam vix aliquis verbo possit exprimere, accidit quod per exploratores, quibus merito fides erat adhibenda, nuntiatum est, quod in partibus Arabiæ trans Jordanem, in regione Ammonitarum, quidam Arabes incautius se haberent: unde, si super eos repente irrueretur, ingentia possent lucra reportari. Quibus vir illustris persuasus, convocatis secretius tam equitum quam peditum copiis, quales regnum recens ministrare poterat, transito Jordane, hostium fines ingressus est: ubi feliciter consummato negotio, dum cum ingenti præda gregum et armentorum, et infinitis mancipiis reverteretur, nobilis quidam, et in populo suo præclarus princeps, de gente Arabum, industrius, et disciplinæ militaris ferventissimus amator, impetrata pace per internuntios, ad eum cum honesto nobilium ejusdem gentis accessit comitatu. Audierat enim multorum relatione, de populi hujus viribus et gloria, qui ab Occidente descendens, per tot terrarum spatia et tantam laborum multitudinem, universum sibi Orientem subjecerat; et præcipue de ducis virtute singulari et strenuitate præcipua: unde, studio ferventissimo, eum videre gestiebat. Accedens igitur, et exhibita reverentia, cum debitæ salutationis affatu, multa precum ducem rogavit instantia, ut in conspectu ejus, gladio suo, camelum maximum, quem præsentem ad eum usum exhibuerat, ferire dignaretur, ut et ipse posset virtutis ejus aliis testimonium perhibere. Cui dux, quoniam ad videndum eum de remoto venerat, acquievit; et, evaginato gladio, cameli præsentis caput amputavit ita facile, tanquam si rem fragilem jussus esset præcidere; quo viso, obstupuit Arabs virtutis immensitatem; sed in mente sua, multum id ascribebat ensis acumini. Unde impetrata licentia, ut confidentius loqueretur, quæsivit utrum cum alterius gladio simile quid posset operari? Dux vero subridens, ejusdem nobilis viri sibi dari præcepit gladium; quo arrepto, aliud sibi ejusdem generis animal jussit præsentari: quo percusso, caput ejus uno ictu sine difficultate præcidit. Hic vero primum sæpe dictus vir nobilis admirari cœpit, cum stupore vehementi; et ictus vehementiam non ex ferri acie, sed ex robore viri cognovit procedere. Quodque de viri virtute audierat, verum esse comperit: unde oblatis muneribus in auro, argento, et equis, domini ducis sibi conciliavit gratiam; et reversus ad propria, virtutis, quam in duce viderat, præco factus est, ad quoscunque loquebatur. Dux vero cum præda et manubiis Hierosolymam reversus est.

CAPUT XXIII.

Obitus ducis, et sepultura.

Eodem mense, Julio videlicet, idem dominus Godefridus, regni Hierosolymorum egregius moderator, valida et incurabili correptus ægritudine, ægrotare cœpit ad mortem. Tandem invalescente morbo nec exaudiente remedia, assumpto salutis nostræ viatico, devote pœnitens, et verus Christi confessor, viam universæ carnis ingressus est, centuplum accepturus et cum beatis spiritibus vitam

Digitized by Google

possessurus æternam. Obiit autem XV Kalend. Augusti, anno ab Incarnatione Domini 1100. Sepultus est vero in ecclesia Dominici sepulcri, sub loco A Calvariæ, ubi passus est Dominus; ubi et successoribus ejus, usque in præsentem diem, pro sepultura deputatus est locus

INCIPIT LIBER DECIMUS

CAPUT PRIMUM.

Dominus Balduinus Edessanorum comes, defuncto fratri succedit in regno.

Recedente ab hac luce, sed tamen lucem meliorem consecuto, inclytæ et piæ in Domino recordationis, domino duce Godefrido, primo ex Latinis B regni Hierosolymorum moderatore insigni, vacavit regnum mensibus tribus. Tandem vero, sive de supremo domini ducis judicio, sive de communi principum, qui pauci erant, consilio, citatus est dominus Balduinus Edessanus comes, domini prædicti ducis ex utroque parente frater, ut in regnum accederet, jure sibi debitum hæreditario et fratri succederet in eadem cura. Hic in adolescentia sua liberalibus disciplinis convenienter imbutus, clericus, ut dicitur, factus est, et in Remensi, Cameracensi, Leodiensi Ecclesiis beneficia, quæ vulgo præbendæ dicuntur, gratia generositatis, qua singulariter præeminebat, obtinuit; tandem ex causis nobis occultis, arma capessens militaria, deposito clerici habitu, miles effectus est. Demumque procedente C tempore, uxorem ex Anglia duxit illustrem et nobilem, dominam Gutueram nomine, quam secum deducens, dominum ducem Godefridum, dominumque Eustachium fratres suos, viros virtutum et immortalis memoriæ, in expeditionem illam primam, faustam et felicem per omnia secutus est. Prædicta vero ejus uxor, antequam Antiochiam fidelis perveniret exercitus, longo fatigata dolore, apud Maresiam optimo fine vita decessit, ibique sepulta est, ut prædiximus. Ipse autem postmodum ab Edessano duce vocatus et ab eo adoptatus in filium, et post ejus mortem comitatum cum suis pertinentiis consecutus, sicut diligenter præmissum est, uxorem duxit filiam cujusdam nobilis et egregii Armeniorum principis, Tafroc nomine, qui cum fratre Con- D stantino circa Taurum montem præsidia habebant inexpugnabilia, multasque virorum fortium copias; unde et propter divitiarum et virium immensitatem, gentis illius reges habebantur. De sementiva autem ejus secundum carnem origine, et de progenitorum excellentia, vel nativitatis loco non multum est necessarium repetitos edere tractatus; nam, dum superius domini ducis gesta conscriberemus, sufficienter de illa quæ communis est ambobus, edisseruimus ingenuitate.

CAPUT II

De corporis habitudine, et qualitate morum ejusdem domini Balduini.

Dicitur autem fuisse corpore valde procerus et fratre multo major, ita ut, sicut de Saul dicitur: *Altior esset universo populo, ab humeris supra* (*1 Reg.* x, 23); capillo et barba fuscus, carne tamen mediocriter niveus; naso aquilino et prominente pusillum labro superiore, cum subjecto dentium ordine aliquantulum depresso: non tamen eatenus, quod usque ad vitium ei posset imputari. Gravis in incessu, habitu et verbo serius; chlamidem semper deportans ab humeris, ita ut ignotis gravitate quam verbo prætendebat, et habitu, episcopus magis quam sæcularis persona videretur. Verumtamen, ut vitiatæ propaginis et primæ maledictionis hæredem se non dubitaret, carnis dicitur lubrico impatienter laborasse; ita tamen caute quæ ad illum defectum respiciunt, negotia procurare satagebat, ut nemini scandalum, nulli vis major, nulli enormis infligeretur injuria; quodque rarum est in hujusmodi, vix ad paucos ex cubicularibus ejus, hujus rei poterat pervenire notitia; tamen, si more peccatorum ad excusandas excusationes in peccatis, ejus fautor quærit descendere, videtur aliquam apud homines, et si non apud districtum judicem, excusationem habere de peccato, sicut in sequentibus dicetur. Fuit autem nec multa distentus pinguedine, nec immoderata macie tenuis; sed media quadam corporis habitudine; promptus ad arma, ad equum agilis; impiger et sollicitus, quoties eum regni vocabant negotia. Porro magnificentiam, animositatem et disciplinæ militaris experientiam, et cæteras animi bene dispositi dotes egregias, quas velut jure hæreditario a progenitoribus in se transfusas, tam ipse quam fratres ejus perpetuo possederunt, superfluum videtur in eo commendare, præsertim cum domini ducis ita exstiterit expressus æmulator, ut crimen sibi reputaret ab ejus vestigiis declinare: eo minus, quo cujusdam Arnulfi, hominis nequam et pessimi, qui Hierosolymis erat archidiaconus, cujus ad malum omne opus et intentio prona dicebatur, de quo superius fecimus mentionem, quod sedem invaserat patriarchalem, nimia utebatur familiaritate, et regebatur consilio, quod ei ad notam imputabatur.

CAPUT III.

Comes Garnerus, defuncto duce, turrim occupat; prædictum Balduinum occultis citat internuntiis.

Defuncto igitur domino duce et sepulturæ tradito, ut præmisimus, hi, quibus de suprema voluntate mandaverat testamenti sui executionem, arbitrium deserentes defuncti, suam illius judicio prætulerunt

Digitized by Google

voluntatem; nam neque arcem David domino patriarchæ Baimberto tradiderunt; nec civitatem ejus resignaverunt ditioni, sicut testamenti tabulis continebatur, et sicut in die sancto Paschæ, quod proxime præterierat, præsente clero et populo, in ecclesia Dominicæ resurrectionis, dux in Domino piæ recordationis, pactis inter eum et dominum patriarcham initis, interseruerat. Hujus autem contumaciæ princeps erat quidam comes Garnerus cognomento de Gres, miles acerrimus, dominorum ducis et comitis consanguineus : hic confestim, mortuo duce, prædictam turrim invadens, diligenter communierat, miseratque ad dominum comitem Balduinum occulte nuntios, ignorantibus aliis, ut velocissimus et sine dilatione veniret; dumque super eo facto a domino patriarcha sollicitaretur frequentius, ut supremæ ducis voluntati satisfaciens, ecclesiæ jus resignaret, innectebat ambages, moras contexens, et tempus quocunque modo quærens redimere ut comes citatus jure adhuc suo illibato posset accedere : sperans plurimum gratiæ apud sæpe dictum comitem, pro hujusmodi fidelitate exhibita, se inventurum; a qua spe delusus decidit, præter omnium opinionem. Accidit enim quod, infra quinque dies, idem comes casu vita decessit, omnibus ducentibus pro miraculo et domini patriarchæ meritis ascribentibus, quod hostis et persecutor Ecclesiæ ita subita morte defecerat. Sed neque in ejus defectu Ecclesiæ melior facta est conditio. Nam qui in præsidio erant, quod acciderat non magnifacientes, in eodem usque ad adventum comitis Edessani perstiterunt. Porro dominus patriarcha sciens comitem vocatum esse et ejus formidans adventum, volens ejus promotionem quocunque modo impedire, domino Boamundo Antiochenorum principi, epistolam rei seriem plenius continentem dirigit. Cujus rescriptum ad majorem rei evidentiam, præsenti inserere curavimus lectioni.

CAPUT IV.

Epistola domini Daimberti ad principem Antiochenum.

Scis, fili charissime, quoniam me ignorantem et invitum, bonæ tamen ac sanctæ intentionis affectu, in eam quæ omnium Ecclesiarum singularis est mater et gentium domina, rectorem et patriarcham elegeris, electumque communi tam cleri ac plebis quam principum assensu, in hujus summæ dignitatis sedem, licet indignum, Dei præveunte gratia, locaveris. In quo ego culmine constitutus, quanta pericula, quot labores, quot persecutiones sustineam, injuriis offensus mille, meus cognoscit animus; et ipse omnium inspector Christus. Vix enim dux Godefridus, dum adhuc viveret, non tam propriæ voluntatis arbitrio quam malorum persuasione seductus, ea reliquit ecclesiæ tenenda, quæ Turcorum temporibus, qui tunc fuerat patriarcha, tenuerat; et sancta Ecclesia, cum amplius honorari et exaltari debuit, tunc majora desolationis atque confusionis suæ opprobria sustinuit. Resipuit tamen ille, per misericordiam Dei; et ab impietatis desistens proposito, in die Purificationis beatæ Mariæ Virginis, de Joppe quartam partem ecclesiæ Sancti Sepulcri dedit; et post in die paschalis solemnitatis, jam ultra superbe sapere, aut in sæculari pompa confidere respuens, divino nutu compunctus, cuncta quæ juris erant Ecclesiæ libere reddidit; et homo sancti sepulcri ac noster effectus, fideliter se Deo et nobis amodo militaturum spopondit. Reddidit itaque nostræ potestati turrim David cum tota Hierosolymitana urbe, ejusque pertinentiis, et quod in Joppe ipse tenebat; sic tamen, ut ob rerum temporalium insufficientiam, nostra concessione, ipse hæc tam diu teneret, donec illum Deus in captione Babylonis, aut aliarum urbium amplificasset. Si autem absque hærede masculo moreretur, hæc omnia absque ulla contradictione ecclesiæ redderentur. Hæc omnia cum in præsentia totius cleri ac populi, in die solemni Paschæ, ante sacrosanctum sepulcrum confirmasset, etiam in lecto ægritudinis de qua mortuus est, coram multis et probatis testibus ipse constituit : quo defuncto, comes Garnerius, ut hostis contra Ecclesiam Dei insurgens, fidem pactumque justitiæ nihili pendens, turrim David contra nos munivit; et legatis suis ad Balduinum directis, mandat uti, Ecclesiam Dei direpturus, resque ejus violenter occupaturus, quantocius veniat : unde judicio Dei percussus, quarto post obitum ducis die obiit. Hoc ipso autem mortuo, viri ignobiles, ac de plebe, adhuc eamdem turrim cum tota urbe occupantes tenent, adventum Balduini, ad ruinam Ecclesiæ et totius Christianitatis interitum præstolantes. At ego, qui solius Dei clementiæ, tuæque dilectioni, fili charissime, sum relictus, miseriis omnibus calumniisque insidiantium mihi malignorum circumventus, tibi soli (qui in te solo post Deum confido, et spei meæ anchoram in tuæ dilectionis soliditate figo); tibi, inquam, soli, quas patior ærumnas, imo quas Ecclesia patitur, voce flebili et anxio cogitatione refero. Tu autem, si quid pietatis habes, et nisi paternæ gloriæ vis esse degener filius; qui tyrannica crudelitate, clausum ab impia manu dominum apostolicum Gregorium de urbe Roma eripuit, unde memorabile sæculis omnibus nomen emeruit : omni occasione remota, festina venire; et terræ regnique tui cura in militibus tuis prudentioribus sapienter disposita, sanctæ Ecclesiæ miserabiliter laboranti, misericorditer succurre. Et certe scis ipse quoniam auxilium tuum consiliumque promiseris, et debitorem te sanctæ Ecclesiæ ac mihi sponte tua feceris. Scribe igitur ad Balduinum litteras, interdicens ei ne sine licentia nostra et legatione (cum ille tecum in patriarcham et rectorem Ecclesiæ Hierosolymitanæ me elegerit) sanctam Ecclesiam devastaturus, et res ejus occupaturus, ullo modo veniat : monstrans ei quoniam irrationabile est tot pro eadem Ecclesia labores sustinuisse, totque pericula, ut illa libera fieret, si nunc vilis et abjecta servire cogatur illis quibus dominari et præesse materno jure debet. Quod si ille justitiæ resistens, rationabilibus acquiescere noluerit, per eam quam beato Petro obedientiam debes, te

Digitized by Google

contestor, ut quibuscunque modis vales, aut etiam si necesse sit, vi adventum ejus impedias. Quidquid autem super iis quæ mando, tu facturus sis, galea tua ad me sub festinatione missa, per hunc eumdem, quem ad te mitto nuntium, mihi, charissime, manifesta.

CAPUT V.

Accedit Balduinus Hierosolymam, et circa fluvium Canis hostium reperit insidias.

Hanc tamen epistolam ad dominum Boamundum minime credimus pervenisse. Nam eodem mense quo dominus bonæ memoriæ dux carne dissolutus migraverat ad Dominum, modico ante vel postea captus erat ab hostibus, sicut diligenter præmissum est. Dominus vero Balduinus, Edessanorum comes, reddita sibi egregia Medorum metropoli, Meletenia, fausta felicitate fruebatur; et perdomitis hostibus in circuitu admodum, aliquam sibi pacem et populo suo per Dei gratiam obtinebat : cum ecce nuntius ab Hierosolymis properans, dominum ducem vita decessisse nuntiat; cognitoque quod amici et fideles fratris defuncti eum instanter vocabant, ut ad regni maturaret successionem, congregato sibi ducentorum equitum et octingentorum peditum comitatu, resignata terra in manus cujusdam consanguinei sui, viri prudentis et egregii, domini videlicet Balduini de Burgo qui, sicuti in illo comitatu, ita postmodum et in regno successit, VI Nonas Octobris versus Hierosolymam iter arripuit, mirantibus nonnullis quod, cum tam exiguo apparatu, tantum iter per medios hostium fines aggredi proposuisset. Cum autem pervenisset Antiochiam, uxorem cum ancillis quæ ei famulabantur, cum oneroso supellectile et plurima parte sarcinarum, præcepit ad mare descendere, ubi et navigium jusserat præparari, quo illa honeste usque Joppen devehi posset; nam hæc sola ex maritimis urbibus in nostram venerat ditionem, reliquis omnibus adhuc infidelibus detentis. Hoc autem eo videtur fecisse intuitu, ut hostium regiones transiturus, expeditior esset ad ea quæ occurrerent negotio atque ad casus repentinos omnino paratior. Inde Laodiciam Syriæ perveniens, oram maritimam secutus, per Gabulum, Valeniam, Maracleam, Antaradon, Archis, usque Tripolim pervenit : ubi ab ejusdem civitatis rege, in castris extra urbem, muneribus et honore præventus, didicit eodem insinuante rege, quod Ducab, Damascenorum rex, proficiscenti ei in via præstruxerat insidias. Et procedens inde et Biblum pertransiens, ad fluvium pervenerat, qui cognominatur Canis. Est autem in eodem loco transitus periculosissimus, inter montes excelsos, rupium asperitate et ascensu arduo nimis impervios et fretosum mare; vix habens latitudinis cubitos duos, longitudinis autem stadia quatuor. Has locorum angustias et callem periculosum obsederant, ut transitum impedirent, regionis incolæ et de Turcis nonnulli, qui ut iter domini comitis præpedirent, ad hoc de remotis convenerant partibus. Ad quem locum cum pervenisset dominus comes, præmissis aliquot de suis qui rem prætentarent, cognoverunt quosdam de iis qui locum munierant, transito flumine, descendisse in planum : quod videntes nostri, timentes ne post se majores reliquissent insidias, rei statum domino comiti per unum ex ipsis indicaverunt. Qui sine mora aciebus instructis eis occurrens, ad congrediendum paratos reperit; in quos animoso irruens impetu, primo conflictu eorum solvit manipulum, pluribus ex eis interemptis, reliquis autem in fugam conversis; sarcinisque depositis, ibi castra metari præcipit : ubi cum locus esset arctus aliquantulum inter montes et mare, noctem duxerunt in multo discrimine pervigilem; molestias eis irrogantibus, tam iis qui in montibus aditus præoccupaverant quam qui in navibus ab urbe Beritensi et Biblio descenderant, sagittarum tota nocte multitudinem immittentes, et circa extrema castrorum multa nostris inferentes pericula; et tantis exacerbantes angustiis, ut equos fessos ex itinere, et præ caloris immensitate sitibundos, ea nocte quamvis prope esset fluvius, non possent adaquare.

CAPUT VI.

Vincuntur hostes, et expedito itinere Balduinus pervenit Hierosolymam.

Postea autem, illucescente die, communicato cum suis consilio, præcipit comes ut, compositis ad iter sarcinis, redire incipiant; et, præmissis debilioribus et qui ad arma non multum poterant, ipse cum robustis sequebatur, non solum a tergo, verum ex utroque latere irruentium sustinens impetus; id autem prudenter nimis et callide, more suo, ut hostes deciperet, adinvenerat, non de suo diffidens comitatu, sed ut eum fugientem insequentes, in locis patentibus hostes reperiret, cum eisque liberius congredi posset; plurimum enim angustias metuebat. Dumque sic in redeundo ejus laboraret exercitus, hostes arbitrati causa formidinis eos reditum maturare, tanto instant protervius, quanto eos amplius timore dejectos arbitrantur. Descendentes igitur de locorum angustiis certatim, per loca liberiora nostros urgentissime cœperunt insectari; ita ut qui in navibus erant, prædam affectantes, in terram desilirent, sperantes sine difficultate, tanquam devictis hostibus, tropæum reportare. Videns autem comes quod montes deseruerant et jam plana tenentes, nostris instabant urgentibus, indicto suis reditu, erectis vexillis, in hostes acrius instantes regreditur; eumque insecutæ acies, domini præeuntis exemplo irruunt animosius; et antequam in montes, more solito, se possent recipere, gladiis in eos vibratis desæviunt, usque ad supremam interniciem non parcentes. Illi vero, nostrorum non ferentes impetum et cædentium robur admirantes et stupentes instantiam, nullam defensioni dant operam; sed in sola fuga spem habentes, ea via saluti consulunt; ita ut nec qui de navibus exierant, ad mare redire præsumerent, et qui ad montes se contulerant, dum incaute fugiunt,

Digitized by Google

periculosa incurrentes præcipitia, improvisæ mortis mille vias invenirent. Hostibus igitur ita prostratis, nostri victores ad locum ubi sarcinas et impedimenta dimiserant cum exsultatione redeunt : ubi nocte quiescentes, benedixerunt Dominum, qui potentes deponit et exaltat humiles. At vero die sequenti retrocedentes usque ad locum qui dicitur Junia, curam sibi et equis debitam impendentes sollicitudinem, prædam inter se more militari diviserunt et capta mancipia. Mane vero sequente, volens dominus comes comitatui suo prudenter fideliterque providere, assumptis sibi de expeditioribus equitibus nonnullis, ad locum, ubi pridie conflictus fuerat, accessit intrepidus, perscrutari volens utrum adhuc angustias detinerent adversarii, an locus transire volentibus libere pateret. Videnscque transitum hostibus vacuum et sine difficultate permeabilem, suos facit evocari; qui, audita optabili legatione, ad locum pervenientes, sine molestia dominum comitem consecuti, locum transeunt, quem diu habuerant suspectum et merito formidabilem : et accedentes ad pagum Beritensium, ante urbem castrametati sunt, inde oram sectantes maritimam, transeuntes Sidonem, Tyrum et Ptolomaidam usque ad locum cui nomen Cayphas pervenerunt. Comes vero suspectum habens dominum Tancredum, propter illam enormem nimis et indebitam, quam in eum apud Tharsum Ciliciæ commiserat, injuriam, neminem suorum in urbem prædictam permisit introire, timens ne vir magnificus, offensæ memor, vellet ei vicem rependere. Porro dominus Tancredus aberat, cives tamen ejus, domino comiti exeuntes obviam, benigne multum et fraterno charitatis affectu, rerum venalium, et maxime eorum quæ ad victum erant necessaria, bonis conditionibus obtulerunt commercium. Inde per Cæsaream, deinde Arsur viam legentes maritimam, usque Joppen pervenerunt; ubi ab universo clero ac populo solemniter exceptus, faventibus universis, pro domino se gessit. Inde profectus Hierosolymam, occurrente sibi universo clero et populo, tam Latinorum quam aliarum nationum, cum hymnis et canticis spiritualibus, tanquam regem et dominum suum introduxerunt gaudentes.

CAPUT VII.

Patriarcha Daimbertus, Balduini timens adventum, in ecclesiam montis Sion, relicta domo patriarchali, se confert.

Per idem tempus, Arnulfus, de quo superius fecimus mentionem, primogenitus Satanæ, filius perditionis, videns quod a cathedra Jacobi, quam ausu temerario invaserat, meritis exigentibus decidisset, molestare cœpit et turbare quietem domini Daimberti, quem eadem ecclesia de communi omnium consensu sibi præfecerat. Statim enim post ducis obitum, apud dominum Balduinum comitem, eum super multis accusaverat; cleri quoque partem concitaverat adversus eum, sicuti malitiosissimus erat et scandalorum sator. Erat etiam potens et in divitiis superabundans, archidiaconatum habens ejusdem civitatis et pro stipendiis templum Domini et Calvariæ locum. Sic ergo quoniam et dives erat et prudens ut faceret malum, plurimum in clero, magis autem apud sæculares poterat personas. Videns itaque dominus patriarcha et prædicti Arnulphi malitiam, qui ei datus erat pro stimulo, et comitis credulitatem, suspectum habens ejus adventum, descendens de domo patriarchali, in ecclesiam montis Sion se contulerat; ibique scandala fugiens, privatus lectioni et orationi vacabat : unde prædictæ domini comitis receptioni et honori eidem a civibus impenso, suam non exhibuerat præsentiam.

CAPUT VIII.

Comes versus Ascalonam expeditiones dirigit; Jordanem transit; terras hostium ingreditur · tandem Hierosolymam redit.

Cum autem per dies aliquot, comes moram fecisset in urbe, ut sibi et equis aliquam indulgeret requiem, ordinatis regni negotiis, quantum ad illud præsens videbatur sufficere, sicuti homo laboriosus erat et otia fugiens, congregata expeditione, tam ex iis quos secum deduxerat quam quos in regno repererat subitus et ex improviso ante urbem astitit Ascalonam. Ubi cum egredi cives contra eum formidarent, videns quod non multum proficeret, campestria secutus, quæ inter montes et mare media interjacent, suburbana invenit : quorum habitatores relictis domibus, in specus subterraneas cum uxoribus et liberis, cum gregibus et armentis se contulerant. Erant autem latrunculi et prædones, viarum effractores publicarum, qui crebris irruptionibus inter Ramulam et Jerusalem iter reddiderant valde periculosum, in viatores incautos ferro sæpius hostiliter sævientes : quo cognito, comes instari præcipit vehementius et igni ad ostia speluncarum adhibito, fumidam docet adhibere materiam, ut fumo inclusos molestante, ad dedi tionem cogeret, vel aere suffocatorio, spiritus compelleret exhalare. Factum itaque est quod qui intus erant, incendiorum cauma, favillam fumique importunitatem non ferentes, sine conditione in manus se dederunt comitis, Quibus non parcens, juxta id quod eorum videbantur exigere merita, centum ex eis decollari præcepit : sumptisque victualibus, quæ tam ad usus hominum quam jumentorum apud eos reperta sunt necessaria, tribu Simeon decursa, ad montana inde conscendit, ubi locum sepultura patriarcharum Abrahæ, Isaac et Jacob celebrem, Hebron videlicet, qui alio nomine dicitur Cariathiarbe, prætereuntes, per vineas Engaddi ad vallem descendit illustrem, ubi est mare salsissimum. Deinde Segor, parvulam quidem, sed tamen quæ Lot de Sodomis fugientem novit salvare, transeuntes, fines Moabitarum ingressi, Syriam Sobal perlustraverunt universam, tentantes si quid eis occurreret, in quo gentem perfidam damnificare

Digitized by Google

possent, suas vero conditiones reddere meliores; nihil tamen toto illo itinere profecerunt, nisi quod de bonis hostium se, equos et jumenta exhibebant. Præcognito enim eorum adventu, regionis incolæ ad montes impervios et assueta confugerant præsidia, ita ut universam nostri deambulantes regionem, vacuam et sine cultore reperirent. Tandem videns dominus comes quod non proficeret et quod Nativitatis Dominicæ immineret solemnitas, eamdem viam qua venerat remensurs, III Kal. Jan. die festo sancti Thomæ apostoli, Jerosolymam ingressus est.

CAPUT IX.

Reconciliatis adinvicem patriarcha et comite, comes in regem inungitur.

Anno igitur ab Incarnatione Domini 1101, reconciliatis ad invicem domino Daimberto patriarcha et domino comite Balduino, per quorumdam prudentum commendabilem interventum, in die sancto Nativitatis Dominicæ, in ecclesia Bethlehemitica, astantibus clero et populo, Ecclesiarum quoque prælatis et regni principibus, consecratus est, et in regem inunctus, per manum domini Daimberti memorati patriarchæ, dominus Balduinus et regio diademate solemniter laureatus.

CAPUT X.

Tancredus veteris amor injuriæ, ab eo discedit, ab Antiochenis vocatus.

Domino itaque Baldeino, ut prædictum est, regni solium obtinente et in regno confirmato, dominus Tancredus, inclytæ recordationis et piæ in Christo memoriæ, injuriæ memor quam ab eodem domino Balduino apud Tarsum Ciliciæ præter merita passus fuerat, sicut vir religiosus erat et propriæ amator conscientiæ, timens ei aliquo fidelitatis obligari vinculo, quem non poterat pura charitate diligere, urbem Tiberiadensem simul et Caypham, quæ illustris memoriæ dominus Godefridus ob insignia ejus merita ei liberaliter concesserat, in manus domini regis resignavit: sumptaque licentia, discessum ejus moleste ferentibus universis, ad partes secessit Antiochenas. Sæpe enim et sæpius ab ejusdem regionis principibus evocatus fuerat, ut usque ad reditum domini Boamundi, si quando eum Dominus de carcere educere dignaretur, principatus curam gereret et sollicitudinem, tanquam is ad quem de jure hæreditario, si domino Boamundo redire non daretur, universa devolveretur hæreditas. Perveniente igitur Antiochiam, populus et majores generalem et liberam statim ei contulerunt administrationem. Rex vero resignatam sibi Tiberiadem cuidam Hugoni de Sancto Aldemaro, viro nobili et in armis strenuo, jure concessit hæreditario possidendam. Quievitque regnum mensibus quatuor.

CAPUT XI.

Rex, Jordane transito, de hostium finibus prædam trahit innumeram; et factum ejus commendabile describitur.

Contigit autem per eosdem dies, suggerentibus viris quibusdam, quibus idipsum officii erat, regionum finitimarum statum, et hostium explorare infirma, quod rex, convocata secretius ingenti militia, Jordanem transiens, fines Arabum ingressus est; et pertransiens usque ad interiora solitudinis, quam prædictus populus solet inhabitare, ad locum pervenit destinatum; ubi noctu et subito super incautos irruens, in ipsis eorum tabernaculis de viris nonnullos, uxores vero cum parvulis universis, et omnem eorum substantiam sibi fecerunt in prædam, trahentes secum spolia infinita, camelorum quoque et asinorum multitudinem inauditam. Viri autem ex plurima parte, de remoto sentientes nostrorum adventum, equorum velocitate rapti, ad ulteriora deserti fuga salutem quærentes se contulerunt: tentoria, uxores et liberos, simul et omnem substantiam suam hostibus exponentes. Accidit autem quod dum in redeundo armenta et mancipia ante se trahentes proficiscerentur, quædam illustris femina, cujusdam magni et potentis principis uxor, in eadem transmigratione, casibus involuta communibus, inciderat. Huic prægnanti partus imminebat dies, ita ut in ipso itinere, præ doloris deficiens angustia, qualis solet esse parturientis, partum ediderit. Quod audiens rex, præcepit eam de camelo cui insidebat deponi et de spoliis in terra lectum parari commodum pro tempore, datoque cibo et utribus aquæ duobus; data etiam ei, secundum quod optavit, ancilla, et duabus camelis, de quarum lacte nutriretur, designatis, mantello suo, quo erat indutus, eam involvens, dimisit; et cum exercitu suo profectus est. Eadem vero die vel sequenti, magnus ille Arabum satrapa, cum multo suorum comitatu, exercitus nostri de more gentis suæ sequens vestigia, dolens et tristis admodum, quod uxorem, nobilem matronam et in proximo parituram amiserat, reliqua omnia quasi pro nihilo ducens, casu in uxorem sic jacentem incidit: vidensque et stupens humanitatem qua erga eam dominus rex abundaverat, cœpit usque ad sidera Latinorum nomen et maxime domini regis clementiam extollere; et eidem de cætero, quantum poterat, esse fidelis, sicut postmodum in multo necessitatis articulo evidenti significavit argumento.

CAPUT XII.

Principes occidentales iterum ad iter se accingunt, et cum ingentibus copiis perveniunt Constantinopolim.

Dum hæc in Oriente geruntur, audientes occidentales principes mirabilia magna quæ per servos suos, qui peregrinationem ingressi fuerant, operatus est Dominus: quomodo per tot terrarum spatia, per tot varios multiplicesque casus exercitum suum in terram traduxerat promissionis, et quomodo ante faciem eorum subjecerat gentes, regna humiliaverat: læti de fratrum successu; sed hoc ægre ferentes, quod eorum felicibus actibus digni non fuerunt interesse: apponunt qui relicti

Digitized by Google

fuerant, et ex compromisso apud se firmiter concipiunt expeditionem innovare. Horum maximus erat vir illustris et magnificus Pictaviensium comes Willelmus, idemque Aquitaniæ dux : dominus quoque Hugo Magnus Philippi regis Francorum frater, comes Viromadensium, qui primam expeditionem secutus, capta Antiochia, inopia rei familiaris tractus, in patriam redierat : dominus quoque Stephanus Carnotensium et Blesensium comes, vir prudens et magni consilii, qui, capta Antiochia, futurum prælium reformidans, cum probro et ignominia consortes deseruit, et turpi fuga perpetuam infamiam emit : hic priorem quærens defectum redimere et abolere meritam prius infamiam, ad iter se præparat, honestum sibi asciscens comitatum. Dominus quoque Stephanus Burgundiæ comes, vir inclytus et multa nobilitate insignis, ad idem iter accingitur ; et multi alii nobiles, qui suis regionibus, vita, genere et armis præclari, eodem accensi desiderio, ad proficiscendum se præparant, exspectantes ut, die constituta, majores principes iter arripiant seque eorum associent legionibus. Factum est autem ut die præfixa, tempore opportuno, ordinatis ad iter necessariis, consortibus accitis, iter arripuerint, primæque expeditionis vestigia, etsi non devotionem secuti, Constantinopolim pervenerunt, ubi a domino imperatore Alexio satis honorifice suscepti, dominum comitem Tolosanum, qui in prima expeditione tantus princeps, tamque commendabilis exstiterat, repererunt. Hic, ut prædiximus, uxore et familia ex plura parte apud Laodiciam relicta, ad dominum imperatorem redierat, opem imploraturus, quatenus in Syriam redire, et unam vel plures ex urbibus ejus sibi vindicare posset. Proposuerat enim incœpta semel peregrinatione perseverare perpetuo, et nunquam ad propria redire. Hunc ergo tanquam virum industrium et prudentem gaudentes se reperisse, sumpta a domino imperatore licentia, donis ab eo cumulati uberioribus, dominum comitem quasi pro duce habentes, transito Hellesponto, cum suis legionibus apud Nicæam Bithiniæ, prioris exercitus vestigia legentes, pervenerunt.

CAPUT XIII.

Imperator Alexius nomine, more solito, eis per Turcos molitur insidias ; prosternuntur ex parte plurima peregrini ; et qui residui sunt, Hierosolymam pervenerunt, comitem Tolosanum secuti.

At vero idem imperator, vetusto Græcorum more, nostrorum successibus invidens, quamvis eos, ut prædiximus, apud se satis benigne habuisset ; occulte tamen per internuntios frequentes, in eorum perniciem hostes sollicitabat ; et de eorum adventu crebris epistolis et nuntiorum discursibus reddebat instructiores, eos prænonens ne tantum populum suo periculo libere transire patiantur. *Vicem scorpionis agens, cui cum non sit in facie quod formides, prudenter feceris, si caudæ posterioris declinare poteris maleficium.* Per eum igitur et suos nostrorum adventu præcognito, ex universo orientali tractu vires convocant et tam precibus quam pretio militaria colligunt auxilia, eorum iter præpedire volentes, quos transeundi propositum habere cognoverant. Nostri autem sive ex industria, sive casu, divisi sunt ab invicem ; et variis cœperunt partibus incedere, facti quasi ex industria arena sine calce ; nullum inter se habentes vinculum charitatis ; et illam quam prior exercitus observaverat disciplinam, omnino contemnentes. Suscitatus est eis ergo, exigentibus meritis, potens adversarius, et dati sunt in manus hostium, ita quod ex eis una die in ore gladii promiscui sexus ceciderunt plus quam quinquaginta millia. Quibus autem concessum est divinitus hostium manus effugere, hi nudi vacuique, amissis sarcinis, et omnimoda supellectile perdita, salutem quocunque modo invenerunt ; tandemque casu magis quam industria, in Ciliciam pervenientes, apud Tarsum ejusdem provinciæ metropolim, dominum Hugonem Magnum, fatali sublatum necessitate amiserunt : quo in ecclesia doctoris gentium, qui ex eadem fuit oriundus civitate, magnifice sepulto, refocillati per dies aliquot, resumpto itinere, Antiochiam pervenerunt. Quibus dominus Tancredus, prædictæ civitatis principatum administrans, omnem more suo humanitatis gratiam exhibuit ; maxime autem domino Pictaviensium comiti ; quia et cæteris nobilior, et longe potentior, et amplius cæteris in prædicta infausta expeditione damnificatus fuerat, amissis penitus universis. Tandem videndi loca sacra tracti desiderio, quibus equi defecerant, navigio, quibus autem adhuc supererant, terrestri itinere Hierosolymam festinantes, apud Antaradon urbem maritimam, quæ vulgari appellatione Tortosa dicitur, convenerunt. Ubi de consilio domini Raymundi comitis Tolosani, civitatem impugnantes, quoniam eis expugnabilis videbatur, auctore Domino, infra paucos dies violenter occupaverunt, civibus ejus aut peremptis gladio, aut perpetuæ mancipatis servitùti. Urbem igitur domino comiti resignantes spoliisque jure belli invicem divisis, cœpto insistunt operi : prædicto comite ad tuendam prædictam urbem, invitis cæteris, et eum secum trahere nitentibus, remanente.

CAPUT XIV.

Rex Antiopatridam obsidet, et obsessam occupat violenter.

Interea dum prædictus exercitus, ut prædiximus, circa partes Romaniæ infeliciter laboraret, dominus rex Hierosolymorum, nolens otio torpescere, sed regni fines ampliare sollicitus, omnem dabat operam quomodo regni augustias posset dilatare. Applicuerat porro circa veris initium, in portu Joppensi, classis Januensium, qui a domino rege et ejusdem urbis civibus cum multa suscepti sunt honorificentia. Et quoniam in proximo erat paschalis solemnitas, subductis ad terram navibus, Hierosolymam ad diem festum ascenderunt. Completa igitur, de

Digitized by Google

more, celebritate paschali, rex per viros prudentes et exhortationis habentes gratiam, classis prædictæ consules, simul et majores natu, et turmarum capita, convenire facit, interrogans : *Utrum redeundi haberent propositum ; aut servitio divino ad incrementum regni per tempus aliquod, honesto deputato salario, se velint mancipare.* Qui communicato cum suis consilio, responderunt : *Quod si honestis conditionibus in regno possent moram facere, propositum eis erat, et fuerat ab initio, in Dei servitio ad incrementum regni fideliter per tempus aliquod desudare.* Pactis ergo hinc inde ad congruam consonantiam redactis, statutum inter eos, et juramentis interpositis confirmatum, quod *quandiu cum prædicta classe in regno vellent moram facere, si quampiam de urbibus hostium, vel oppidis per eorum auxilium violenter capi contingeret, tertiam partem manubiarum et pecuniæ ab hostibus ablatæ, sine omni molestia haberent suorum consortibus dividendam, reliquis duabus domino regi conservatis. Insuper et in qualibet civitatum, quæ eodem tenore vindicarentur ab hostibus, vicum unum, qui proprius esset civium Januensium, ex compacto reciperent.* Hac igitur spe erectus dominus rex, et de cœlesti præsumens auxilio, congregatis de civitatibus, quas habebat, tam equitum quam peditum militaribus copiis, Arsur oppidum maritimum mari et terra obsidione vallat. Est autem hic locus, qui alio nomine Antipatrida appellatur, ab Herodis genitore Antipatro sic appellatus, locus uber, silvarum et pascuorum multas habens commoditates. Hunc locum anno præterito dux Godefridus bonæ memoriæ, obsidione clauserat ; sed videns quod non proficeret, non enim navigiis abundabat, ut marinum obsessis posset accessum impedire, infecto reversus est negotio. Cum igitur præsidium, locatis in gyrum agminibus, circumdedissent, castellum præcipit ex magnis trabibus fabricari : quo composito et artificum sollicitudine mœnibus applicato, præ ascendentium multitudine, cum minus quam expediret in se haberet soliditatis, ad terram confractum decidit. Quo casu de nostris quasi centum graviter læsi sunt ; quidam etiam capti ab hostibus, quos in nostrorum præsentia affixerunt patibulis : qua indignatione noster vehementer est motus exercitus ; et instantes animosius; hostes infra urbem cohibent, tanta captos formidine, ut jam de sui defensione nec etiam cogitare viderentur. Nostri vero applicatis ad murum scalis, jam turres et mœnia videbantur occupasse, cum ecce oppidani de vita desperantes, per intercessores apud dominum regem obtinent ut, resignato municipio, ipsi cum liberis et uxoribus, mobilia sua deserentes, liberum et tranquillum habeant exitum et usque Ascalonam securum ducatum. Captum ergo præsidium relictis ibi custodibus, qui locum provide tuerentur, Cæsaream confestim adiit, eam sine dilatione obsessurus.

CAPUT XV.

Idem rex Cæsaream obsidet, urbem maritimam, et obsessam impugnat.

Est autem Cæsarea urbs in maritimis constituta, cujus priscum nomen est Turris Stratonis. Hanc, ut veteres habent historiæ, Herodes senior ampliavit, et nobilibus ædificiis insignitam, in honorem Cæsaris Augusti, Cæsaream appellavit, secundæ Palæstinæ, Romani principis auctoritate, metropolim constituens. Est autem locus, aquarum fluentium et hortorum irriguorum habens plurimam commoditatem ; portu carens, quamvis de eodem Herode legatur quod, multis sumptibus et cura diligentiore, inutiliter tamen elaboraverit, ut tutam ibi aliquam navibus præberet stationem. Ad quam eum pervenisset rex cum suo exercitu, classe cum per mare æquis passibus prosequente, obsidionem locant in circuitu et machinis jaculatoriis congruis stationibus dispositis, urbem impugnant animosius, et crebris congressionibus circa portas civitatis civibus irrogant formidinem ; magnorumque molarium immissionibus turres et mœnia debilitant, et domicilia interius confringentes, obsessis requiem negant. Paratur interea miræ altitudinis machina, turribus multo sublimior, unde nostris esset facultas amplior urbem impugnandi liberius. Cum ergo quasi diebus quindecim tam cives quam noster exercitus in eo perseverassent negotio, ut hi totis viribus inferre, illi non dissimili studio propulsare conarentur molestias et in conflictibus assiduis animosius decertarent, intelligentes nostri, cives molles otio et longa quiete delicatos, armorum usum non habentes, tantis impares laboribus, singulis diebus agere remissius et bellorum ponderibus fatigari ; moram invicem arguunt, et se mutuo cohortantes, non exspectant ut erigatur quæ fiebat machina, sed facto unanimiter impetu, solito acerbius instant ; et civibus infra mœnia violenter illatis, tantum ingerunt terrorem, ut de vita diffidentes, nec muros ad tuitionem communirent, nec defensioni ullam darent operam. Quod intelligentes nostri, scalas ad muros applicant, et subito certatim ascendentes, turres occupant et mœnia ; quorumdam quoque studio reseratis aditibus, rex cum suis ingreditur, civitate violenter effracta. Hi jam passim discurrentes armati, et quæ sibi cives tuta putabant præsidia, domos effringentes, patribus familias occisis, vasa, domus et quælibet ejus desiderabilia rapientes, cæsa familia, atria possidebant. Nam de his qui per vicos et plateas civitatis casu nostris obviam se dabant, superfluum est disserere : cum hi etiam, qui diverticula studiose quærebant et latebras, stragem declinare non poterant. Multi autem ipsi sibi, quibus fortasse alias indultum esset, mortis causas asciverunt, qui aureos et lapides pretiosos deglutientes, in suum exitium talium cupidos provocabant eatenus, ut, sectis eis per medium, intus in visceribus deposita rimarentur.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

In oratorio civitatis, civium multitudo perimitur infinita, et urbi captæ assignatur archiepiscopus.

Erat autem in parte civitatis, in loco edito, ubi olim ab Herode ad honorem Augusti Cæsaris, miro opere dicitur fabricatum templum, publicum civitatis oratorium : illuc universus pene civitatis populus, quoniam orationis locus erat, spe consequendæ salutis confugerat : quo effracto, tanta eorum qui intro se contulerant, facta est strages, ut occidentium de cruore occisorum bases tingerentur, et horror esset, funerum multitudinem intueri. In hoc eodem oratorio, repertum est vas coloris viridissimi, in modum parapsidis formatum, quod prædicti Januenses smaragdinum reputantes, pro multa summa pecuniæ in sortem recipientes, ecclesiæ suæ pro excellenti obtulerunt ornatu. Unde et usque hodie transeuntibus per eos magnatibus, vas idem quasi pro miraculo solent ostendere, persuadentes quod vere sit, id quod color esse indicat, smaragdus. Occisis autem per loca varia omnibus pene civibus adultis, virgunculis vix parcitur et pueris impuberibus. Hic dabatur vere ad litteram intueri quod scriptum est in Propheta : *Tradidit Dominus in captivitatem virtutem eorum, et fortitudinem eorum in manus inimici* (*Psal.* LXXVII, 67). Igitur, cessante gladio et strage populi consummata, comportatis in unum spoliis et supellectile universa juxta tenorem pactorum tertia pars designatur Januensibus, reliquis duabus domino regi et suis in sortem cedentibus. Hic primum noster populus, qui attritis in expeditione reculis, pauper et inops ingressus fuerat, et eadem tenuitate usque ad illum laboraverat diem, onerati spoliis et ditati pecunia cœperunt fieri locupletiores, pinguiore sibi supellectile constituta. Adducti sunt autem coram domino rege, sedente pro tribunali, procurator civitatis, qui lingua eorum dicitur emir ; et juridicus, qui juridicendo præerat, qui etiam lingua eorum cadius appellatur. Illis duobus, spe futuræ redemptionis, studiose indulta est vita ; compedibus tamen mancipati, traditi sunt custodibus deputatis. Porro non habens rex moram ibi faciendi diuturniorem ferias liberas, revocantibus eum negotiis, electo ibi archiepiscopo quodam Balduino, qui cum domino duce Godefrido in expeditione venerat, relictis ad custodiam civitatis de exercitu nonnullis, ipse cum cæteris Ramulam festinat.

CAPUT XVII.

Rex, Ramulam veniens, hostium qui advenire dicebatur exspectat exercitum ; et cum eis pugnans, obtinet victoriam.

Est autem Ramula civitas in campestribus sita, juxta Liddam, quæ est Diospolis, hujus antiquum nomen non reperi ; sed neque ipsam priscis fuisse temporibus, frequens habet opinio ; quam post tempora seductoris Mahumeth, ejus successores Arabum principes, veteres tradunt historiæ, fundasse.

A Erat autem quando Christianorum exercitus in partes Syriæ primitus appulit, civitas celebris, quæ multo populorum frequentabatur accessu, turribus et muro circumdata valido. Verum, postquam nostrorum partibus illis se infuderunt legiones, quia nec antemurali cingebatur, aut vallo, urbe relicta, Ascalonam fugerunt omnes, propter ampliorem illius urbis munitionem, ejus habitatores. Nostri vero, urbe, ut prædiximus, reperta vacua, in quadam parte ejus castrum muris et vallo communierunt, difficile arbitrantes tantum murorum ambitum cum paucis habitatoribus occupare. Rumor itaque insonuerat, non multum a vero discrepans, quod Ægyptius calypha, quemdam militiæ suæ principem, cum ingenti multitudine, ad partes direxerat Ascalonitanas : more suo præcipiens ut, absque dilatione proficiscens, populum illum inopem et mendicum, qui fines ejus ingredi præsumpserat et quietem ejus turbare non verebatur, aut gladiis deleret funditus, aut vinctum ad se perduceret in Ægyptum. Dicebantur autem esse qui advenerant, prædictum principem secuti, undecim equitum millia ; peditum vero in viginti millibus dicebatur summa consistere. Hæc dominum regem fama a Cæsarea maturare compulerat, timentem ne de multitudine sua præsumentes, periculosas in regnum irruptiones molirentur : quo perveniens, quasi per mensem exspectans, videns quod non procederent, Joppen reversus est. Tandem mense tertio Ægyptiorum legiones, de quibus præmisimus, timentes domini sui præterire mandatum, et super eo quod distulerant, indignationem metuentes et offensam, de necessitate facientes virtutem, animos erigunt, reparant vires ; et, ordinatis agminibus, fines nostros ingredi et nobiscum pugnare contendunt. Quod ubi domino regi nuntiatum est, collectis regni modicis copiis, quia majores possessionum angustiæ ministrare non poterant, exercitum circa Liddam et Ramulam colligit quantum potest. Erat autem ei equitum numerus ducenti sexaginta, pedites vero nongenti. Ubi autem constitit quod hostes accederent, rex illis procedens obviam, acies sex numero præcepit ordinari : quibus ordine dispositis, prævio ligno crucis Dominicæ, quod quidam abbas religiosus cum multo Dei timore gestabat in manibus, hostium acies contuentur : quibus intuitis, invocato de supernis auxilio, erectis in cœlum luminibus, eorum multitudinem non verentes, hostibus animose se ingerunt, gladiis instantes viriliter, scientes quia res pro capite ageretur. Hostes nihilominus e diverso, uxoribus et liberis, possessionibus et prædiis, quas in Ægypto dimiserant, nisi victores redeant metuentes, resistunt totis viribus, et pro modo suo laborant injurias propulsare. Factum est autem, ut primæ hostium acies in unam ex nostris irruentes et ingenti multitudine illam dissolventes, adegerunt in fugam ; quam insectantes et perurgentes atrocius, pene usque ad supremum interitum deleverunt. At vero reliquæ

Digitized by Google

nostræ acies hostibus resistentes et instantes atrocius stragem mirabilem et inauditam exercebant, domino rege, prout decebat tantum principem, nunc hos, nunc illos verbo et exemplo animante; et cum acie, cui præerat, oppressis et deficientibus ministrante vires et animositatem suggerente. Accidit autem ut, post diu ancipitem belli eventum, nostris divinitus concessa victoria, hostes in fugam versi sunt, eorum principe destituti, qui in agone decertans viriliter, gladiis confossus interierat. Videns ergo dominus rex hostium agmina dissoluta, cohortes partim gladio cecidisse, partim irrevocabiliter inisse fugam, præcipit sub mortis periculo, ut occupandis spoliis nemo prorsus audeat inhiare; sed hostes insectando non parcant gladiis, sed omnes interimant, quousque vel unus possit inveniri. Ipse quoque primus hostes insecutus, tam equitum quam agilium peditum turmas trahens secum, usque Ascalonam, quasi per milliaria octo, hostes cædere, et stragem operari multam, non destitit, quousque nocte irruente, consortibus cornu admonitis, in campum rediit certaminis: ubi tanquam victor, nocte illa quievit, spoliis juxta militarem disciplinam inter suos divisis. Dicuntur de hostibus cæsa ibi quasi quinque millia; de nostris vero recensito numero, inventi sunt abesse equites septuaginta; de peditibus vero multo plures, quorum tamen certus non habetur numerus.

CAPUT XVIII.

Inde Joppem transit, et consternatos ejusdem cives confortat.

At vero qui nostram hesterno conflictu fugaverant aciem, usque Joppen fugientes insectati, deficientium arma, loricas, scuta simul et galeas sibi aptantes, ante urbem intrepidi astiterunt, civibus intonantes dominum regem simul et universum Christianum exercitum in prælio corruisse: et hoc eis pro evidenti esse argumento significabant, quod familiarium et domesticorum arma notissima intueri poterant et agnoscere. Quo audito, cives et regina quæ in urbe erat, verum esse quod dicebatur arbitrantes, in lamenta se tradiderunt, initoque consilio cum senioribus natu, et qui sensus habebant magis exercitatos, unicum credunt esse remedium, ut missa legatione ad dominum Tancredum Antiochenorum principem, ut regno periclitanti et rectore destituto subvenire festinet, quia universa fidelis populi, post Deum, spes in eo sit constituta. Rex autem nocte illa in campestribus transacta, luce terris restituta, victrices revocans acies, versus Joppen iter dirigit. Accidit autem quod dum essent in proficiscendo hi, nostros habuerunt obviam, qui nocte proxime præterita relatione infausta urbem deterruerant; hi nostros contuentes, arbitrati sunt suorum esse agmina, nam nostrum exercitum hesterna die cecidisse penitus, quasi certum habebant: quo fiducialius accedentes, nostris pene se infuderant agminibus, cum dominus rex suos exhortans, et primus in eos irruens, secum præcipitem equitum A traxit numerum. Qui omnes unanimiter pro animabus decertantes, hostibus instant viriliter, et arctius deprehensos, gladiis quominus rem agentes, nusquam permittunt evadere. Interfectis igitur ex eis quampluribus, reliquis etiam præ timore mortis conversis in fugam, læti et gratias Domino persolventes, onerati spoliis et de rebus hostium facti locupletiores, iter cœptum conficiunt, Joppen versus contendentes. At vero Joppitæ consternati animo, pro his quæ audierant, ubi nostra redire respiciunt agmina, quasi de gravi somno expergefacti, fusis præ gaudio lacrymis, portas aperiunt; eis exeunt obviam, significantes quam tristia de ipsis audierant, et in quantum deciderant desperationis profundum. Ingressi igitur in urbem, lætum et celebrem egerunt diem, recensentes adinvicem quantam fecerat cum illis Dominus misericordiam. Ut vero dominus rex cognovit quomodo regina et qui circa eam erant in illo mentis excessu, quem præ timoris angustia passi fuerant, domino Tancredo scripserant, misso celerrime nuntio, eumdem egregium principem pro regni casu sollicitum, et jam accinctum ad iter, de suo mirabili successu litteris certificat. Qui suscepto nuntio, et de victoria domini regis lætabundus et gaudens, gratias Creatori persolvit immensas.

CAPUT XIX

Principes qui de novo advenerant Tortosam capiunt, et captam comiti tradunt Tolosano; deinde Hierosolymam properant; rex eis usque Berithum obviam egreditur

Interim principes illi, de quibus prius feceramus mentionem, qui in partibus Romaniæ miserabili casu tantum amiserant exercitum, ut prædiximus, Antiochiam pervenerant; et inde progressi, urbem Tortosam, sicuti præmissum est, ab hostibus expeditam, domino Raymundo comiti Tolosano tradiderant. Quibus Hierosolymam properantibus, ne forte ad fluvium Canis eorum iter præpediretur, rex assumpta secum occurrens militia, transitus angustias præoccupavit: nec fuit leve quod eorum gratia tentavit; nam, juxta hostium urbes quatuor nobiles et populosas, Ptolomaidam videlicet, Tyrum, Sidonem et Berytum, eum oportuit pertransire, priusquam ad locum perveniret prædictum. Domino igitur rege cum suis transitus difficultatem obtinente, adsunt illustres viri, dominus videlicet Willelmus, comes Pictaviensium, Aquitaniæ dux idem; dominus Stephanus, comes Blesensium; dominus Stephanus, comes Burgundiæ; dominus Gaufridus, comes Vindocinensium; dominus Hugo, Lisiniacensis domini Raimundi comitis Tolosani frater, et alii nobiles multi, læti plurimum et gaudentes, tum quia transitum, quem tanquam periculosum nimis diu ante suspectum habuerant, invenerunt expeditum; tum quia dominum regem sibi obviam repererunt. Convenientes igitur adinvicem, in mutuos irruunt amplexus, et alternæ salutationis affatu depenso, pacis jungunt oscula, vicarlis confabulationibus se re-

Digitized by Google

creantes : adeo ut jam et laborum et damnorum viderentur immemores; tanquam sinistrum nihil pertulissent: quibus secum assumptis, et legibus humanitatis, et plena charitate benigne tractatis, rex Hierosolymam perduxit. Et quoniam prope erat paschalis solemnitas, transcursis ibi diebus festis, Joppen quasi in patriam redituri pervenerunt; ubi dominus comes Pictaviensium, qui multa premebatur indigentia, navem similiter ingressus, prospere satis ad suam pervenit regionem. Uterque vero Stephanus navem similiter ingressi, postquam diu et multum fatigati sunt in æquore, contrariis acti flatibus, Joppen redire coacti sunt.

CAPUT XX.

Ægyptii cum infinitis copiis fines ingrediuntur nostros. Rex illis occurrit; incautius pugnat cum eis, et vincitur.

Cumque omnes isti pariter moram ibi facerent, Ascalonitæ adjunctis sibi ex iis qui de prædicto prælio evaserant Ægyptiis, et ingenti militia congregata, quæ ad numerum viginti millium dicebatur accedere, fines nostros circa Liddam, Sauronam et Ramulam ingressi sunt : quod ut domino regi nuntiatum est, præter morem se habens nimis provide, non convocatis ex finitimis urbibus militaribus copiis, sed de sua virtute præsumens ; non exspectatis etiam iis qui secum erant in urbe, properus nimis, imo præceps, vix secum ducentos habens equites, urbe egressus est. Porro illi nobiles, sumptis equis mutuo ab amicis et cognatis, ignominiosum sibi reputantes si tanta ingruente necessitate ipsi fruerentur otio, nec fratrum laboribus communicarent, egressi sunt pariter, dominum regem sequentes. Rex vero qui alios nimis incaute præcesserat, ubi hostium contemplatus est legiones, admirans multitudinem, facti cœpit pœnitere, reputans apud se vere dictum :

..... *Male cuncta ministrat*
Impetus;

STATIUS.

optaret non venisse se; verum adeo hostium coloribus se immerserat, ut jam nec pudor, nec mortis periculum reditum suaderent. At vero qui in exercitu nostium erant prudentiores et in re militari majorem habebant experientiam, videntes nostros præter morem absque peditum manipulis, equitum quoque turmas, prætermisso ordine militari confusas accedere, cœperunt apud se majorem de victoria spem habere; unde facti animosiores, digestis in ordinem aciebus, uno impetu in nostros irruunt, tanto instantes animosius, quanto eos ordinem solitum magis neglexisse conspexerant. Oppressi itaque irruentium vehementius ingenti multitudine, et belli pondus ferre non valentes, cæsis pluribus in fugam versi sunt; qui tamen in conflictu ceciderunt, cruentam hostibus de se reliquerunt victoriam; nam usque ad supremum defectum decertantes viriliter, ex hostibus plurimos gladiis cominus obtruncantes, reliquos dissolutis agminibus penc in fugam converterant, cum, ecce resumptis animis, nostrorum paucitatem, suorum vero attendentes multitudinem, exhortantes se adinvicem, iterato se ingerunt vehementius, et nostros, ut prædiximus, adegerunt in fugam ; qui autem sani evaserunt, in oppidum Ramulam se conferentes, salutem se sperabant invenisse. Ceciderunt in ea acie uterque comes Stephanus, et alii nobiles, quorum numerum vel nomina non tenemus. Congratulandum est, ut nobis videtur, huic viro nobili, et apud suos et sanguinis generositate et operum magnificentia præclaro, comiti videlicet Carnotensium, domino Stephano. Certum est enim quod juxta magnam misericordiam suam egit cum eo Dominus, cui veterem infamiæ notam, quam ab expeditione fugiens Antiochena, miserabiliter contraxerat, optimo fine abolere concessit ; nec enim merito ei ad nævum imputabitur de cætero, quod tam fausto fine redemit. Nam qui pro Christi nomine decertantes, in acie fidelium et Christiana militia dicuntur occumbere, non solum infamiæ, verum et peccaminum et delictorum omnimodam credimus abolitionem promereri.

CAPUT XXI.

Rex, fugiens de prælio, in castrum Ramulense se recipit; cujusdam Arabis beneficio eripitur, aliis ibidem peremptis.

Rex vero, etsi de oppidi munitione non multum præsumeret, tamen ut mortis imminens declinaret dispendium, videns quod circumfusis hostium agminibus alias non dabatur ei evadendi locus, cum aliis intus in municipium se recepit; dumque de vita et salute tota nocte sollicitus, curis gravibus ureretur, ecce intempestæ noctis silentio, ab hostium se subtrahens exercitu, adfuit oppido vicinus, solus absque comitatu, prædictus ille nobilis de Arabia princeps, cujus uxori dominus rex, ut præmisimus, modico ante tempore, tantam exhibuerat humanitatem : memor sane collati beneficii et ingratitudinis declinans peccatum, suppressa voce, iis qui in muro erant, locutus est, dicens : *Verba habeo ad dominum regem secretiora, quæ perfero; facite ut ad eum introducar; expedit enim.* Quod postquam domino regi nuntiatum est, verbum admisit, et illum præcepit introduci; qui admissus, regem quis ipse sit, edocet : beneficium quod ab eo in uxore sua receperat, ad memoriam revocans; et ejus se intuitu illi obligatum perpetuo ad refundendam vicem non dissimilem asserens, regem instruit ut de præsidio egrediatur, consilium pandens hostium, quod summo mane castrum debeant obsidione vallare, et omnes intus comprehensos in mortis præcipitare sententiam : juxta quod dominum regem monet ut secum egrediatur, spondens se, auctore Domino, tanquam locorum peritum, eum in tuto sine difficultate repositurum. Tandemque rex egressus cum eo, paucissimis comitatus, ne forte si majores turbas traheret, hostium in se concitaret exercitum, illum sequens ad montana conscendit : ubi prædictus nobilis ab eo digrediens, ad hostium expeditiones

Digitized by Google

reversus est, obsequium suum et promptam tempore opportuno promittens devotionem. At vero hostes victoria potiti, eos qui intra oppidum se contulerant, obsidione vallantes et undique impugnantes hostiliter, violenter comprehenderunt, comprehensosque pro libero tractantes arbitrio, partim neci tradiderunt, partim compedibus alligantes, perpetuæ mancipaverunt servituti. Tanta quidem nobilium virorum et fortium strages usque ad illum diem in regno non legitur accidisse. Confusum est pene regnum et omnium vires enervatæ, cordibus prudentium interius liquefactis, ita ut, nisi mature visitasset eos misericorditer *Oriens ex alto* (*Luc.* I), in desperationis decidentes abyssum, regnum parati erant deserere. Erat quippe nostrorum populus exiguus; nec de partibus transmarinis tute poterant in Orientem accedere, timentes hostium urbes maritimas, quæ a dextra lævaque erant plurimæ. Nam, ut prædiximus, a Laodicia Syriæ usque ad Ægypti fines novissimos, non nisi duas de urbibus maritimis noster obtinebat populus, Joppen videlicet, et de novo captam Cæsaream. Qui autem accedebant, completis orationibus, illico revertebantur, nostrorum videntes debilitatem, et pene defectum, timentes communibus cum eis calamitatibus involvi.

CAPUT XXII.

Rex per diverticula fugiens, Arsur, inde Joppem pervenit. Conveniunt de regno universi, ut regi subveniant; pugnatur cum hostibus nostri victores evadunt.

Rex ergo ad montes, ut prædiximus, fugiens, amissis viæ consortibus, velocis equi ereptus beneficio et prædicti nobilis viri ducatu, tota nocte in locis desertis trepidus latuit : mane facto, duobus sociis, quos casus obtulerat, comitatus, viarum secutus dispendia, per medias hostium insidias Arsur usque pervenit. Ubi a suis, qui in eodem oppido erant, gaudenter exceptus, sumpto cibo, confortatus est; nam præ famis sitisque angustia, dum veniret, pene defecerat. Videtur autem et divinitus procuratum quiddam quod ei dicitur accidisse. Nam eadem die, vix unius horæ interjecto spatio, ab eodem oppido maximus hostium discesserat numerus, qui sine intermissione oppidanis tota die pro foribus bellum intulerant; quos si in eodem loco perseverantes rex accedens reperisset, vix eorum manus potuisset effugere. Rumor interim de rege varius habebatur; nam qui de prælio evaserant pauci, Hierosolymam venientes, regem inter cæteros cecidisse asserebant. Episcopus vero Liddensis qui, audita et prope conspecta eorum qui in Ramulensi præsidio capti fuerant strage, relicta Ecclesia sua Joppen confugerat, de rege interrogatus, se nihil omnino scire fatebatur; eos tamen qui in præsidium se receperant, vitam miserabiliter finiisse constanter asserebat; se quoque fuga latenter elapsum, ut vitæ consuleret, dicere non verebatur. Erat ergo per totum regnum, ad quos sermo iste pervenerat, ubique luctus, ubique gemitus et lacrymæ, diffidentibus de vita singulis et mortem optantibus celerem, ne viderent mala gentis suæ, et regni desolationem aspicerent. Cum ergo mœror et luctus et suspiria regnum occupassent universum, ecce rex, quasi stella matutina in medio refulgens nebulæ, ab Antipatrida egressus, Joppe navigio subitum se intulit. Ubi a civibus cum gaudio susceptus, ex insperato depulsis tenebris serenum intulit, sua delens præsentia quidquid sinistrum acciderat. Exiit ergo sermo iste per universos regni fines; et quos rumor primus animo dejecerat, secundus in spem bonam erexit. Interea, dominus Hugo de Sancto Aldemaro, Tyberiadensis dominus, a Hierosolymitanis commonitus ut domino regi subveniret, cum octoginta equitibus usque Arsur pervenerat, regi auxilium ministraturus. Quod rex audiens, assumptis secum quos apud Joppen invenire poterat, ei procedit obviam, timens ne hostes per regionem libere diffusi eis advenientibus insidias molirentur; aut, congregatis copiis, eorum manifeste iter impedire niterentur. Occurrens ergo illis junctis cum multa hilaritate conplexibus et agminibus sociatis, Joppen cum multa civium exsultatione ingressi sunt. Missis igitur nuntiis, eos qui in montibus erant ad subveniendum ei sollicitat; qui mature convenientes, propter hostes qui media liberius obtinebant, viarum secuti dispendia, infra paucos dies apud Arsur pervenerunt : unde cum difficultate et vitæ periculo, hostibus inter eundum occurrentibus, Joppen, auctore Domino, pervenerunt. Erant autem qui de novo accesserant equites promiscui meriti, quasi nonaginta; quibus receptis, dominus rex in bonam spem erectus, quærens, quas intulerant, hostibus recompensare injurias et mala quæ irrogaverant refundere cum usuris, instructis et juxta rei militaris disciplinam ordinatis congrue tam equitum aciebus quam peditum manipulis, hostibus obviam egreditur, eorum multitudinem de Domini fretus auxilio parvipendens. Erant autem hostes in proximo quasi ad milliaria tria, crates, scalas et varii generis machinas ex electa lignorum materia contexentes; quibus erat propositum, et id ipsum leve videbatur, urbem inimicam impugnare, regemque obsessum interius, cum civibus universis, quasi vilia captivare mancipia. Dumque in hoc essent opere solliciti, ecce rex cum suo jam præsens aderat exercitu. Quod videntes adversarii, quod ab iis quos victos reputabant ultro provocarentur ad prælia, correptis armis accingunt se ut occurrant, nihil timentes eos quos jam penitus defecisse arbitrabantur. Nostris tamen irruentibus, et pro omnibus quæ acceperant paratis recompensare duplicia, more leonum, quibus raptis catulis est ira propensior, et pro uxoribus et liberis, pro libertate et patria totis viribus decertantes, infusa de supernis virtute et divina præeunte gratia, hostium gladiis dissolvunt agmina; et interfectis ex eorum numero quampluribus, reliqui turpiter fugam inire compellunt. Insequi autem

Digitized by Google

diutius propter eorum paucitatem, nostris non est visum expediens; sed in castra hostium redeuntes, spolia colligunt plurima; asinos, camelos, papiliones et tentoria, victusque et alimentorum diversa genera secum deferentes, Joppen cum victoria, populo applaudente universo, reversus est. Quieviteque regnum quasi mensibus septem.

CAPUT XXIII.

Tancredus interim urbes nobilissimas, Apamiam et Laodiceam, in suam recipit ditionem.

Igitur dum hæc in regno varie multipliciterque sic aguntur, dominus Tancredus vir illustris, congregata de universis suis militia et tam equitum quam peditum copiis convocatis, nobilem sedem, Cœlesyriæ metropolim, obsidet Apamiam. Ubi cum aliquandiu more optimi principis, debita perseverasset instantia, singula percurrens argumenta quibus hostium solent expugnari præsidia; nihil omittens eorum quæ obsessis molestias solent inferre graviores, operoso studio et sollicitudine non pigra, præveniente eum divina clementia, civitatem obtinuit, principatus fines amplians in immensum. Inde eadem, ut dicitur die, Laodiciam perveniens, quæ a Græcis possidebatur, eam in suam recepit ditionem; veteribus conditionibus interpositis inter se et eosdem Laodicenses, quod quacunque die Apamiam sibi vindicaret, eadem die ei sine difficultate resignarent Laodiciam. Harum utramque nobilissimarum urbium, Antiochus Seleuci filius fundasse legitur, et de nominibus filiarum, quarum altera Apamia, altera vero Laodicia dicebatur, civitatibus dedisse nomina. Hic autem de Laodicia Syriæ nobis est sermo; nam est et alia Laodicia quæ inter septem urbes Asiæ minoris numeratur, juxta id quod in Apocalypsi Joannis scribitur ita : *Quod vides scribe in libro, et mitte septem Ecclesiis, Ephesum, Smyrnam, Pergamum, Tyatiram, Sardis, Philadelphiam et Laodiciam* (*Apoc.* I, 11). Harum alteram, Laodiciam videlicet, divus Severus coloniam fecit, teste Ulpiano, qui de ea in Digestis, titulo De censibus, ita ait : *Est et Laodicia in Syria, cui divus Severus jus Italicum ob belli civilis merita concessit.* Domino igitur ejus promovente negotia, opus multorum dierum uno perfecit itinere, duas simul urbes recipiens, quarum ampla lateque diffusa cum multis oppidis et suburbanis jacebant territoria. Erat quippe vir Deum amans Deoque amabilis, fide insignis, strenuitate conspicuus, exigentibus meritis populo acceptus et in cunctis prospere agens.

CAPUT XXIV.

Balduinus de Burgo comes Edessanus, Gabrielis ducis filiam uxorem ducit.

Dominus etiam Balduinus, Edessanorum comes, vir magnificus et per omnia commendabilis, qui domino regi, ut prædictum est, in comitatu Edessano successerat, strenue et feliciter terram sibi subditam administrabat, hostibus circumpositis suspectus plurimum et formidabilis. Cumque sine uxore esset et liberis, cujusdam Gabrielis Meleteniæ ducis, de quo superius fecimus mentionem, filiam Morsiam nomine, uxorem duxit, magnam et valde necessariam cum ea, dotis nomine, suscipiens pecuniam. Erat autem prædictus Gabriel natione, lingua et habitu Armenius; fide tamen Græcus. Accidit autem quod, dum in optimo esset statu et optima tranquillitate frueretur, quidam consobrinus ejus, Joscelinus videlicet de Cortenay, vir nobilis de Francia, de regione quæ dicitur Gastineis, accessit ad eum; qui cum non haberet terram vel possessiones aliquas, ne ad alium ignotum, gratia promerendi beneficii, cogeretur declinare, possessiones ei maximas contulit; omnem illam videlicet suæ regionis partem, quæ circa Euphratem fluvium magnum sita est, in qua erant urbes Coritium et Tulupa; oppida vero ampla et munitissima Turbessel, Hamtab et Ravendel, et quædam alia. Sibi vero regionem trans Euphratem, hostibus magis vicinam, detinuit, una sola urbe de interioribus, Samosato videlicet, retenta. Erat autem vir prudentia præditus sæculari, in agendis circumspectus; in cura et dispositione rei familiaris providus valde; optimus paterfamilias, utilium provisor; ubi necessitas exigebat liberalis, sed modice alias parcus, domesticorum bonorum solertissimus conservator; in sumendis alimentis sobrius, de habitu et ornatu proprii corporis non multum habens curam. Unde et prædictam regionis portionem, sibi a domino comite liberaliter concessam, multa rexit industria, bonis omnibus abundans.

CAPUT XXV

Boamundus a vinculis hostium solutus redit Antiochiam, et Daimbertum patriarcham ad se confugientem benigne suscipit.

Eodem tempore dominus Boamundus Antiochenorum princeps, vir magnificus et per omnia commendabilis, divina eum respiciente gratia, post annos quatuor, quibus vinculis hostium mancipatus fuerat, pretio interveniente redemptus, Antiochiam reversus est. Ubi a domino patriarcha, clero et populo universo gratanter susceptus, universam provinciam, et regnum nihilominus, desiderato ejus lætificavit adventu. Cognitoque quam prudenter fideliterque dominus Tancredus, ejus consanguineus, commissum sibi in ejus absentia administraverat principatum, captisque duabus eximiis urbibus ejus fines strenue dilataverat, gratias illi agens immensas, benigne habuit; plurimam partem regionis, sicut ejus videbantur exigere merita, sibi et hæredibus suis jure perpetuo tradidit possidendam. Nec multo post, universum ei, sicut in sequentibus dicetur, commisit principatum. Interea vero Arnulfo, de quo superius diximus, Hierosolymitano archidiacono more suo inter regem et dominum patriarcham Daimbertum scandala serente et ministrante odium, cœpit repullulare quæ prius sopita videbatur inter eos inimicitia; adeoque creverat inter eos indignatio ut, suscitato adversus eum per ejusdem seductoris operam et studium clero, vir religiosus

Digitized by Google

et pacis amator, juges molestias ferre non valens, A ecclesia simul et urbe relicta, inops et pauper, consilii simul et auxilii indigens, ad dominum confugit Boamundum; qui advenientem honeste suscipiens, tanto erga eum majore motus misericordia, quo ejus sollicitudine et opera ad Hierosolymitanam ecclesiam noverat esse promotum; et ne apud se aliter quam tantum virum haberi oportebat, moram faceret, ecclesiam Sancti Gregorii, quæ infra Antiochenam urbem sita est, cum ingentibus prædiis et multis redditibus, consentiente domino Bernardo, ejusdem loci patriarcha, liberaliter assignavit; ibique cum eo usque ad ejus in Apuliam transitum, sicut in sequentibus dicetur, moram habuit continuam.

CAPUT XXVI.

Expulso Daimberto, quidam Ebremarus, Hierosolymis inordinate præficitur. Rex Ptolemaidam obsidet, nec proficit; rediens inde, lethaliter saucia-tur.

At vero rex, prædicti Arnulfi seductus malitia, prætermisso Dei timore, expulso domino patriarcha Daimberto, adjecit etiam ut pejus faceret. Quemdam enim simplicem et religiosum circumveniens sacerdotem, Ebremarum nomine, in sedem intrusit patriarchalem. Hic autem simplex homo, in prima venerat expeditione, honestæ conversationis merito cunctis acceptus; sed in hoc crassam nimis et supinam inventus est ignorantiam habuisse, quod, vivente domino patriarcha, sedem ejus licere sibi C credebat usurpare. Eodem etiam anno, qui erat ab Incarnatione Domini 1103, circa veris initium, celebrata Hierosolymis Dominicæ resurrectionis solemnitate, convocatis de regno universo militaribus copiis, dominus rex obsidet Ptolomaidam. Est autem Ptolomaida civitas maritima, provinciæ Phœnicis, una de urbibus suffraganeis quæ ad Tyrensem metropolim habent respectum: portum habens infra mœnia et exterius, ubi tranquillam possit navibus præbere stationem. Est autem et satis commode sita inter montes et mare, pingue et optimum habens latifundium, Belo flumine præterfluente civitatem. Hanc frequens fama est geminos fratres fundasse Ptolomæum et Acconem et muris vallasse solidioribus; eamque quasi per medium divisam, D suis nominibus appellasse; unde et hodie binomia est, ut Ptolomaida dicatur et Accon, sicut pene omnes Syriæ civitates duo vel tria habent nomina. Ad hanc igitur cum suis legionibus dominus rex perveniens, quoniam navalem non habebat exercitum, non multum potuit quoad deditionem arctare; sed cæsis in circuitu pomeriis, interemptis ex civibus nonnullis; abducta etiam præda, gregibus et armentis, quæ extra civitatem repererunt, soluta obsidione, ad propria revertebatur. Volensque per Cæsaream redire, accidit quod in loco, qui dicitur Petra incisa, juxta antiquam Tyrum, inter Capharnaum et Doram oppida maritima, qui locus hodie Districtum appellatur, prædones et viarum publica-rum effractores invenit, in quos in insidiis latentes vehementer irruens, pluribus interemptis, aliis elapsis fuga, unus casu in regem vibrans jaculum, a parte posteriore per cratem costarum, cordi vicinum immisit telum, quo ictu eum pene morti tradidit; sed tandem medicorum adhibita sollicitudine, post incisiones et cauteria, salutem recepit aliqualem; ejusdem vulneris certis temporibus recrudescente dolore, perpetuo fatigatus.

CAPUT XXVII.

Comes Tolosanus ante urbem Tripolim castrum ædificat, cui nomen est mons peregrini.

Per idem tempus, dominus Raimundus bonæ memoriæ, Tolosanus comes, obtenta civitate quæ vulgo dicitur Tortosa, ut præmisimus, fines suos tanquam B vir egregius, magnificus et verus Dei cultor, strenue nimis et viriliter dilatabat circumquaque; anxiusque quo modo Christiani nominis adversarios a finibus illis propulsaret, in colle quodam ante urbem Tripolitanam, vix ab ea milliaribus distante duobus, fundaverat præsidium; cui, quoniam a peregrinis constituebatur, nomen ex re dedit, ut perpetuo diceretur Mons Peregrinus; et ita usque hodie a fundatore nomen servat impositum, naturali situ, et artificum industria satis munitum. Unde Tripolitanis civibus incessanter diebus pene singulis inferebat molestias; ita ut universæ regionis incolæ, et etiam ipsius civitatis habitatores annua eidem persolverent tributa; nec minus ei obedirent in omC nibus, quam si urbem ipsam sine contradictore possideret. Natus est etiam ei in eodem loco, ex propria uxore, Deo devota femina, filius de nomine majorum dictus Amphossus, qui eidem postea in comitatu Tolosano successit.

CAPUT XXVIII.

Rex iterum Ptolemaidam obsidet; et Januensium freti auxilio, obsessam urbem occupat violenter.

Anno ab Incarnatione Domini 1104, mense Maio, idem dominus rex convocatis viribus et populo universo, a minimo usque ad maximum, eamdem de qua supra diximus, Ptolomaidam obsidere contendit: inde potissimum occasione sumpta, quod per eosdem dies, Januensium in partes Syriæ classis applicuerat, navium rostratarum, quæ vulgo dicuntur galeæ, septuaginta. Quo cognito, missa statim ad consules legatione, verbis amicis invitat eos, ut antequam ad propria redeant, Christo velint militare; exemplum etiam familiare proponens de eorum civibus, quorum studio et opera urbem Cæsaream regno vindicaverat, non sine perpetua civium Januensium gloria, et emolumento non modico. Tandemque prudentibus interpositis viris, et rem effectui fideliter mancipare quærentibus, responsum dederunt: *Quod si reddituum et obventionum quæ ex marino accessu in portu colligerentur, tertia pars illis in perpetuum concederetur; et in civitate ecclesia, et in vico jurisdictio plena daretur, ad capiendam prædictam urbem fideliter elaborarent.* Placuerunt itaque domino regi et principibus ejus conditiones præ-

Digitized by Google

dictæ, et fidei nexu corroboratas, utrinque, scripti beneficio, perpetuæ memoriæ mandaverunt. Sic igitur die præfixa illi per mare, dominus rex cum suis per terram urbem prædictam, locatis in gyrum castris, obsidione vallant; civibusque introitu negato et exitu, molestias inferunt quales quantasque solent obsessis irrogari. Machinis etiam circumpositis, quales solent argutorum hominum reperire ingenia, in hostium erigunt perniciem, turres ex eis flagellantes et mœnia; et ædificia etiam interiora magnorum molarium immissione confringentes. Præterea crebris congressionibus tam a classe per oram maritimam, quam ex oppositæ parte per regium exercitum fatigatis, plurimis ex civibus casibus variis interemptis, obsidentium instantiam, et frequentes impetus, durum videbatur portare. Cumque per dies viginti continuos, tam nostri oppugnando quam illi a se repellendo injurias, desudassent, interpositis conditionibus, quod *qui egredi optarent, cum uxoribus et liberis, et eorum mobilibus, ad quas vellent partes liberum haberent eritum; qui vero in domibus suis manere, et natale solum eligerent non deserere, data singulis annis domino regi certa præstatione, bonis conditionibus uterentur;* regi civitatem tradiderunt: qua obtenta, Januensibus juxta singulorum merita, possessionis et domicilia assignavit. Illic primum per mare accedentibus patuit secura tranquillitas, et portu commodiore recepto, et littore ab hostibus aliquantulum expedito.

CAPUT XXIX.

Carra Mesopotamiæ a Tancredo, Balduino et aliis obsidetur. Cives fame compulsi, de tradenda urbe consilium ineunt.

Eodem anno, dominus Boamundus, cum universis ejusdem provinciæ magnatibus, dominus quoque Tancredus, dominus etiam nihilominus Balduinus, Edessanorum comes, una cum domino Joscelino ejusdem consanguineo, convenientes ad invicem, fide media compromiserunt, quod Euphraten transeuntes, Carran urbem, Edessæ vicinam, ab infidelibus detentam, obsiderent. Juxta quod conceptum, evocantes certatim ex suis regionibus militares copias et auxilia undecunque conrogantes, die præfixa Euphraten transeuntes, apud Edessam pervenerunt. Interfuerunt autem eidem infaustæ expeditioni viri venerabiles et Ecclesiæ præclara lumina, dominus Bernardus, Antiochenorum patriarcha; dominus Daimbertus, Hierosolymorum patriarcha, qui tunc vagus, exsul et profugus apud Antiochiam demorabatur; dominus quoque Benedictus, Edessanorum archiepiscopus. Hi omnes apud prædictam urbem congregati, propositum effectui mancipare satagentes, cum suis legionibus ad locum perveniunt destinatum. Est autem Carran, ut veteres tradunt historiæ, is locus, ad quem Thare, filium Abraham, et ex filio Haran nepotem Lot, de Ur Chaldæorum fugiens et in terram Chanaan properans, eduxit, et habitavit ibi, secundum quod in libro Geneseos (cap. xi) continetur, ubi et idem mortuus est, ubi et Abraham responsum accepit a Domino ut, egrediens de terra sua et de cognatione sua, Domini sequeretur promissiones. Idemque est locus, in quo et Romanorum dictator Crassus, aurum quod sitierat, Parthis propinantibus, bibit. Quo cum pervenissent, sicuti ab initio proposuerant, urbem claudunt obsidione; nec multum erat necessarium urbem aliter impugnare, quam ingressus exitusque civibus prohibere, modicum enim, et pene nihil intus habebant alimentorum. Causa autem hujus erat inopiæ: dominus Balduinus longe ante multam dabat operam, quomodo inopia illius loci fatigarentur cives, ut fame aliquando molestati, urbem ei traderent. Modus autem, quo propositum effectui mancipare satagebat, hic ei visus erat idoneus. Inter Edessam porro, et prædictam illam civitatem, quæ vix quatuordecim a se distant milliaribus, fluvius quidam discurrit medius, qui sua irrigatione, canalibus derivatus, circumadjacentem planitiem uberem reddebat et frugibus fecundam. A priscis autem temporibus solum prædictum banc habuerat limitationem, ut quod citra fluvium erat, Edessanis sine molestia cederet; quod vero trans fluvium, Carrenses proprium possiderent. Videns autem dominus Balduinus quod hostium civitati omnino exterius nihil alimentorum accederet, sed de locis illis communibus omnem sibi victum propagarent; maluit ipse hac commoditate defraudari, quam ut hostes, qui non satis commode aliunde poterant, de locis mediis alerentur. Frequentibus igitur irruptionibus diu ante prohibuerat in locis suis agriculturam exerceri, sperans quod de regione trans Euphratem, et de ea quæ inter Edessam et eumdem fluvium jacebat media, alimentorum posset suis civibus ministrare sufficientiam; Carrenses autem, ea subtracta commoditate, quam de prædictis locis communibus habere consueverant, ad intolerabilem compellerentur inopiam, sicut vere rei exitus manifestum dabat; idque jam annis ante pluribus inhibuerat. Obsidentes igitur prædictam urbem, ut præmisimus, multa victus inopia eam invenerunt laborantem. Cives tamen nostrorum adventu longe ante præcognito, per nuntios et litteras principes Orientis sollicitaverant, significantes quod, nisi mature subvenirent, parati erant deficere. Videntes autem quod eis inde nullum ministrabatur subsidium, et famis angustia singulis diebus eos amplius molestaret, communicato consilio, potius eligunt urbem resignare quam intus fame tabescere et præ alimentorum defectu liquefieri.

CAPUT XXX.

Nostri disceptantes de imperio urbis, ea excidunt; cives subsidia recipiunt; pugnatur ibi quominus; vincuntur nostri, fitque casus nostris valde periculosus.

Exeuntes ergo, tradunt se in manus obsidentium, sine conditione aliqua. Sed, stimulante invidia, effusa est contentio inter principes; et dum contendunt ad invicem dominus princeps Boamundus et

Digitized by Google

dominus comes Balduinus, utri illorum tradatur civitas, utrius illorum prius in urbem inducatur vexillum, differunt usque mane urbem traditam occupare, quousque de illa frivola quæstione plenius deliberarent. Didicerunt itaque per rerum experientiam quam verum sit illud :

Mora secum
Periculum trahit ;

et illud iterum : ..... *Nocuit differre paratis.*

Nam, antequam dies illucesceret crastina, tam ingens hostium adfuit multitudo, tamque numerosus et formidabilis Turcorum exercitus, ut nostri etiam de vita diffiderent. Qui autem advenerant, alimentorum infinitas secum trahebant copias; condixerantque adinvicem prudenter satis et callide, ut se in duas dividerent turmas, ut dum altera cum nostris quocunque eventu, sive prospere sive sinistre, dimicaret, altera civibus inferret victualia. Factumque est ita. Nam, statim die jam aliquantulum adulta, adversæ partis principes instruunt agmina, ordinant acies, tanquam protinus pugnaturi, seorsum illis constitutis, quibus sarcinarum cura fuerat commissa. Neque his tamen, qui se aptabant ad prælia, spes erat ulla, aut obtinendi victoriam, aut resistendi diutius ; sed id solum eis videbatur sufficere ad propositum si, nostris circa eos occupatis, obsessi cives allatum sibi possent victum recipere. Videntes igitur nostri principes hostes præparari ad prælium, ipsi quoque aciebus et agminibus congruo digestis ordine, utroque patriarcha sermonibus exhortatoriis, addere militibus nituntur animos ; sed Domini gratia destituti, nec verbis juvantur, nec admonitionibus. Nam, statim primo conflictu facti sunt hostes eorum in capite, et ipsi ignominiose cedentes terga dederunt hostibus, castra deserentes et sarcinas, fuga salutem quærebant, quam non potuerunt invenire. Nam hostes rejectis arcubus et eorum officio neglecto, gladiis instantes quominus, pene omnes interficiendo deleverunt. Capti sunt ibi comes Edessanus et dominus Joscelinus ejus consanguineus; et vinculis alligati, in terras hostium tracti sunt remotiores. Dominus autem Boamundus, cum domino Tancredo et utroque patriarcha, tumultui se subducentes bellico, viarum studiose declinantes compendia, Edessam pervenerunt incolum. s. At vero ejusdem loci archiepiscopus, sicut vir simplex erat, turbis involutus prœliaribus, vinctus et catenatus, numerum auxit captivorum. Accidit autem quod cujusdam Christiani deputatus custodiæ, super eum, ex quo episcopum novit esse, motus visceribus charitatis, animam suam pro illius ponens anima, illæsum abire permisit ; qui tandem, protegente eum Domino, infra paucos dies Edessam reversus est, cum multa civium hilaritate susceptus. At vero dominus princeps, dum adhuc Edessæ moram faceret, audiens quod, peccatis exigentibus, comes captus esset, consentientibus civibus, urbem domino Tancredo servandam credidit, et regione universam, ea conditione, ut redeunti de carcere domino comiti, ei statim sine difficultate resignaret; ipse autem domini Joscelini terram in suam recepit sollicitudinem. Porro nec prius nec postmodum in universo Oriente, tempore Latinorum, uspiam legitur tam periculosum fuisse prælium, tantaque strages virorum fortium, gentisque nostræ tam ignominiosa fuga.

INCIPIT LIBER UNDECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Boamundus, Antiochenorum princeps, commisso principatu Tancredo, transfretans in Franciam properat, Francorumque regis filiam ducit uxorem. Hierosolymorum patriarcha Romam petit. Rex uxorem legitimam absque causæ cognitione deserit.

Æstate vero transcursa, dominus Boamundus, multo æris alieni pondere fatigatus, ut ad debiti solutionem se pararet et ut de partibus ultramarinis majores militum secum traheret copias, principatus sui cura et administratione generali, cum plena jurisdictione dilecto suo consanguineo domino Tancredo commissa, in Apuliam navigavit; et cum eo dominus Daybertus, Hierolosymorum patriarcha. Qui, postquam in Apuliam pervenit, modico tempore in sua regione moram faciens, assumpto de suis fidelibus honesto comitatu, Alpes transiens, ad dominum Philippum illustrem Francorum regem pervenit. A quo inter cætera duas ejus obtinuit filias, unam de legitimo natam matrimonio, Constantiam nomine, quam sibi fœdere conjugali copulavit in uxorem ; alteram nomine Ceciliam, quam ei Andegavensium comitissa, (quæ spreto marito, ad eumdem dominum regem se contulerat) uxore adhuc vivente, pepererat, quam domino Tancredo nepoti suo, ex Apulia missam, destinavit uxorem. Completis ergo negotiis tam apud eumdem dominum regem quam in aliis ultramontanis partibus, cum ingenti equitum peditumque transfretare volentium multitudine, in Apuliam iterum reversus est. At vero dominus Daybertus ad Ecclesiam Romanam accedens, et injuriarum, quas patiebatur, modum aperiens; simul et Arnulfi nimis efficacem malitiam ordine pandens, nec non domini regis sinistram intentionem, qua Ecclesiam Dei humiliare nitebatur, omnes ad sui movit compassionem, gratiam obtinens universorum. Nec solum id enorme, quod de domino patriarcha Dayberto supra memoravimus factum esse, contra disciplinam ecclesiasticam, rex commiserat; verum etiam uxorem

Digitized by Google

legitimam, quam apud Edessam, dum ibi comes esset, duxerat, absque causæ cognitione, non convictam, non confessam, lege matrimonioru n neglecta, dimisit, eamque in monasterio Sanctæ Annæ, matris Dei Genitricis et semper virginis Mariæ, monacham fieri compulit violenter. Est autem idem locus Hierosolymis in parte orientali, juxta portam quæ dicitur Josaphat, secus lacum qui tempore antiquo Probatica dicebatur piscina; ubi ostenditur cripta, in qua Joachim et prædictæ Annæ traditiones habent veterum domicilia fuisse; ubi et Virgo perpetua nata esse perhibetur. Erant autem ibi tres vel quatuor pauperes mulierculæ vitam sanctimonialem professæ, quibus gratia uxoris introductæ ampliavit possessiones et patrimonium dilatavit. Causa autem cur ab uxore diverterit, apud diversos varia ferebatur: dicentibus aliis, dominum regem ideo dimisisse uxorem ut, ditiorem et nobiliorem ducendo, conditionem suam faceret meliorem; et paupertati, qua plurimum premebatur, sumpta dotis nomine aliunde opulentia, consuleret; aliis vero asserentibus, reginam improvidam minusque prudentem, tori maritalis minus caute observasse fœdera. Cumque prius, quasi gaudens, religionis habitum videretur assumpsisse, et primo conversionis suæ tempore, satis honeste videretur in eodem monasterio conversata, tandem occasione sumpta ex commentis fraudibus, ad dominum regem accedens, licentiam obtinet ut pro necessitate monasterii sui, ad sublevandam ejus inopiam liceret ei consanguineos suos, qui Constantinopoli erant, visitare: sub quo prætextu de regno exiens, sordibus et immunditiis omnem cœpit dare operam; depositoque religionis habitu, divaricans se ad omnem transeuntem nec propriæ parcens æstimationi, nec regiam quam habuit reverita dignitatem.

A

B

C

CAPUT II.

Dominus Raimundus Tolosanus comes moritur. Wilhelmus Jordanis, ejus nepos, ei succedit. Rodoan, Turcorum princeps magnus, fines nostros ingreditur, cui Tancredus occurrit, et confusum vertit in fugam.

Anno sequenti, qui erat ab Incarnatione Domini 1195, dominus Raimundus bonæ memoriæ, comes Tolosanus, vir religiosus et timens Deum, vir per omnia commendabilis, cujus actus admirabiles et vita virtutibus insignis speciales desiderant tractatus, in oppido suo quod ipse fundaverat ante urbem Tripolitanam, cui nomen Mons Peregrinus, viam universæ carnis, verus Christi confessor, ingressus est, pridie Kal. Martii; cui successit nepos ejus Willelmus Jordanis, in eadem obsidionis sollicitudine; in quo opere usque ad adventum comitis Bertrami, satis strenue viriliterque desudavit, quousque super eadem re quæstionem passus, aliquantulum ab opere destitit, ut in sequentibus dicetur. Admirandam sane hujus venerabilis viri et tam præsentibus quam futuris commendabilem insignis animi credimus constantiam, qui semel pro Christo initam, usque ad supremum exitum vitæ, non fastidivit patienter portare peregrinationem. Et cum in patria tanquam vir illustris et præpotens et amplissimum habens patrimonium, potuisset bonis omnibus abundare pro votis, elegit potius abjectus esse in obsequiis Domini, egressus de terra et de cognatione sua, quam in tabernaculis apud suos abundare peccatorum. Cæteri enim principes ejusdem peregrinationis professores, urbe sancta restituta libertati, quasi votorum potiti consummatione, reversi sunt ad propria; hic autem semel assumptam crucem veritus est deponere. Cumque a suis familiaribus et domesticis illi cum multo suggereretur studio, ut voti compos, desideranti se patriæ restitueret, maluit se in holocaustum dare Domino quam illecebris se reddere sæcularibus; magistrum imitatus, cui cum diceretur: *Descende de cruce* (*Matth.* xxvii, 40), maluit consummata passione, alienis deponi manibus, quam ab incepto nostræ salutis deficere proposito.

Eodem etiam anno, Rodoan, quidam vir præpotens, Halapiæ dominus, de adjacentibus regionibus tam prece quam pretio, convocatis auxiliis, in gravi multitudine Antiochenorum fines ingressus, regionem totam in incursionibus deterrebat et incendiis molestabat frequentibus. Quod audiens dominus Tancredus, convocatis viribus et tam equitum quam peditum militaribus copiis, illuc procedit ei obviam, ubi eum suas habere copias fama celebriore comperat. Egressus igitur ab Antiochia, versus Artasiam exercitus dirigit: quo perveniens, hostium ingentem multitudinem, ut ei nuntiatum fuerat, reperit; in quos, invocato de supernis auxilio et pro meritis impetrato, viriliter irruens, primo resistere tentantes, sed mox in dissolutionem datos, in fugam adegit. Cæsis autem innumeris, captivati sunt ex eis plurimi, retento vexillo prædicti Rodoan; qui, ut vitæ consuleret, fugam primus inierat; quodque nostris multo fuit solatio, in recompensationem eorum quos in similibus negotiis amiserant sæpius, equos optimos, quos ab hostibus dejectis eorum sessoribus abstulerant violenter, sibi multos vindicaverunt.

D

CAPUT III.

Ægyptii cum ingentibus copiis regno se infundunt; quibus rex occurrens, captis nonnullis, pluribus interemptis, reliquos in fugam adegit.

Eodem anno, accesserunt ad Ægyptium calipham quidam de principibus ejus, dicentes: *Populus ille peregrinorum, qui hoc novissimo tempore regnum tuum violenter ingressi sunt, et animarum prædigi suarum, hactenus principibus a te missis restiterunt, de multitudine confisi quam prior introduxerat exercitus, hanc sibi comparaverant audaciam. Nunc autem illis ex maxima parte reversis ad propria, et adventantium peregrinorum solatio destituti, facti sunt rariores, frequentibus expeditionibus facultatibus eorum omnino consumptis. Unde nobis videtur opportunum, si tuæ id ipsum visum fuerit majestati, ut electum unum de magnatibus tuis ad partes illas dirigas, qui*

Digitized by Google

regionem illam ab illo infelici populo occupatam, expediat. Placuit sermo et optimus visus est in conspectu caliphæ; et præcipiens ingentem convocari exercitum et classem parari maximam, designatis principibus utrique seorsum exercitui, eos in Syriam dirigit; qui pervenientes Ascalonam, magnam regno universo intulerunt formidinem. Quod audiens rex, Joppen cum universis regni viribus celer pervenit, lege edictali præcipiens ut omnes illuc de singulis urbibus sine mora conveniant. Adfuerunt igitur sub omni celeritate qui evocati fuerant; inter quos et dominus Ebremarus Hierosolymorum patriarcha, vivificæ crucis lignum salutare secum deferens, nihilominus adfuit. Quibus receptis, recensito nostrorum numero, inventi sunt habere equites quingentos, peditum duo millia. Hostium vero dicebatur esse numerus ad quindecim millia, exceptis illis qui in classe militabant. Qui ab Ascalona discedentes, classem præceperunt versus Joppen properare; ipsi autem Azotum transeuntes, in duas se turmas dividunt, ordinantes ut altera illarum versus Ramulam procedat, dominum regem ad pugnam provocans; altera Joppen properet, ut rege contra alteram occupato, illam urbem impugnet, convocatis iis qui in classe illuc jam advenerant. Juxta ergo prædictum consilium, bipertito agmine, pars altera Ramulenses fines ingressa, instructis aciebus, adventus sui, tubarum crepitu et strepitu tympanorum, evidens dederunt argumentum. Hoc autem de industria fiebat ut, dominum regem cum suis expeditionibus in se provocantes, pars altera oram maritimam secuta, Joppen tuta posset pervenire; sed evanuerunt in cogitationibus suis. Nam, cum regem cum suis expeditionibus appropinquantem intuerentur, contabuerunt corda eorum præ timoris angustia; et alteram partem revocantes, vix adhuc putabant se sufficientem habere multitudinem ut ejus possent manus evadere. Factum est ergo quod, convenientibus contra se mutuo legionibus, rex cum suis in hostes irruens instat animosius; verbo simul et exemplo suorum exhortans acies, vires ingeminat. Dominus quoque patriarcha, vivificæ crucis lignum præliaturis ingerens et percurrens agmina, monet et hortatur *ut ejus meminerint, qui pro nobis peccatoribus in eodem ligno salutem operari voluit;* præcipit etiam, *in remissionem peccatorum, ut contra hostes nominis et fidei Christianæ decertent viriliter, ab eodem mercedem exspectantes, qui suis solet centuplum retribuere.* Sic ergo nostri facti animosiores, hostibus vehementius instant; et implorato de cœlis auxilio, perempta ex eis infinita multitudine, reliquos in fugam convertunt. Cecidit autem in eodem conflictu præses Ascalonitanus; sed universi exercitus procurator evasit fugiens. Dicuntur cæsa illa die, de hostibus quasi quatuor millia; de nostris vero sexaginta inter mortuos reperti sunt. Obtinuerunt ergo, prævia Domini clementia, hostium castra et infinitas camelorum phalanges; sed et asinos et equos innumerabiles, cum optimis spoliis et pluribus mancipiis secum trahentes, Joppen cum lætitia et exsultatione pervenerunt. Captus est etiam illa die quidam nobilis, qui aliquando fuerat procurator in civitate Acconensi, pro quo rex postmodum viginti millia dicitur habuisse aureorum. Classis tamen hostium nihilominus adhuc in portu Joppensi morabatur; sed cognito suorum interitu, austro flatus ministrante necessarios, in portum se Tyrensem receperunt. Unde postmodum in Ægyptum redire cupientes, orta repente in mari procella, vi turbinis ab invicem divisi, viginti quinque naves ex eis fretum sustinere non valentes, in nostra littora impegerunt; ex quarum remigibus et nautis, exceptis mortuis, nostri in vincula conjecerunt plus quam duo millia.

CAPUT IV.

Daimbertus patriarcha cum prosecutione apostolicarum rediens litterarum, apud Messanam urbem Siciliæ moritur. Ebremarus sedis illius incubator, Romam contendit. Legatus Arelatensium archiepiscopus Gibelinus mittitur, qui postmodum in patriarcham substituitur.

Interea dominus Daimbertus, Hierosolymorum patriarcha, post longam exspectationem, qua eum detinuerat dominus Paschalis papa et Ecclesia Romana, volens plenius edoceri utrum rex Hierosolymorum et qui eum expulerant vellent contra eum aliquid allegare, unde hoc videri possent de jure fecisse; postquam nemo comparuit, qui contra eum aliquid objiceret, nec in ejus facto aliquid aliud notari poterat, nisi quod regia expulsus erat violentia, cum plenitudine gratiæ et apostolicarum prosecutione litterarum, jussus est ad propria redire et sedem recipere, ex qua indebite fuerat deturbatus. Qui tandem in Siciliam veniens, apud Messanam moram faciens necessariam, transitum exspectans, gravi correptus ægritudine, sexto decimo Kal. Julii, viam universæ carnis ingressus est. Sedit autem in pace annis quatuor, in exsilio vero, tribus. Ebremarus vero ejusdem sedis incubator, audiens quod prædictus dominus Daimbertus, cum plenitudine gratiæ revertebatur, sedem suam recepturus, antequam de obitu ejus instrueretur, ad eamdem Romanam transfretare decrevit Ecclesiam, allegaturus de sua innocentia quomodo invitum et renitentem in eamdem sedem eum locaverant. Quo perveniens nihil impetrare potuit, quam ut cum eo dirigeretur legatus, qui de causa ejus, Hierosolymis constitutus, plenius posset cognoscere. Designatus est autem ad id munus prosequendum dominus Gibelinus, vir senior et grandævus, Arelatensis archiepiscopus, qui de mandato domini papæ, Hierosolymam profectus, convocato episcoporum regni concilio, de causa domini Ebremari cognovit plenius. Cumque ei constitisset per testes idoneos sufficientes et majores omni exceptione, quod dominus Daybertus absque causa legitima, Arnulfi factionibus et regia violentia fuerat expulsus, et quod Ebremarus adhuc viventis pontificis et Ecclesiæ Romanæ habentis communionem sedem occupaverat, auctoritate qua

Digitized by Google

præeminebat, eum a patriarchatu deposuit. Sed considerans multam viri religionem et simplicitatem miram, Cæsariensem, quæ tunc vacabat, Ecclesiam, ei concessit habendam. Postmodum vero, dum de substituendo Ecclesiæ Hierosolymitanæ patriarcha clerus et populus disceptarent, constituta ad hoc specialiter die ut super eo negotio de more tractaretur, post multas hinc inde deliberationum partes, in dominum Gibelinum apostolicæ sedis legatum unanimiter conveniunt, et eum in sedem locant patriarchalem. Hoc etiam prædictus Arnulfus malitiose dicitur construxisse, ut homo senex et decrepitus in illa sede diu vivere non posset. Eodem anno, qui erat ab Incarnatione Domini 1107, Ascalonitæ, solita usi malitia, in via publica, qua ab Hierosolymis ad mare descenditur, in locis opportunis insidias locaverant, equitum quingentorum et peditum mille. Audierant enim quod nostrorum caterva, ab urbe Joppensi egrediens, Hierosolymam esset profectura; volentesque quod viribus non poterant, dolis procurare, in prædictis latebant insidiis; cum ecce nostri omnium horum ignari, iter cœptum conficientes, in eorum offenderunt insidias. Cumque plurimum anxiarentur, dubitantes utrum cederent aut contenderent, instantibus hostibus deliberandi spatium abstulerunt. Videntes ergo nostri quod aut ignominiose occumbere, aut cum eis viriliter pugnare oporteret, facientes de necessitate virtutem, animos induunt; et quos prius habuerant formidabiles, resumpta audacia et spiritu vehementi instantes, in mentis convertunt stuporem; et jamjam nostrorum impetus ferre non valentes, multis interemptis, captivatis etiam nonnullis, eos in fugam versos aliquandiu prosecuti sunt. Tandem divina opitulante gratia, victoria potiti, tribus tantum de suo numero perditis, Hierosolymam profecti sunt.

CAPUT V.

Vir nobilis Hugo de Sancto Aldemaro, Tiberiadensium dominus, in montibus qui urbi præeminent Tyrensi castrum locat, cui nomen est Toron; idemque non multo post cum Damascenis confligens, lethaliter confossus, sed tamen victor, occubuit. Ascalonitæ quoque nostris volentes prætendere insidias, in laqueum quem paraverant incidunt.

Eodem etiam tempore, cum Tyrensium civitas adhuc ab hostibus detineretur et nostrorum modis omnibus impediret processum, vir nobilis et potens, et inclytæ in Domino recordationis, dominus Hugo de Sancto Aldemaro, qui post dominum Tancredum urbi præfuit Tiberiadensi, quantum locorum distantia permittebat (distant enim a se prædictæ duæ civitates quasi milliaribus triginta), frequentibus et occultis irruptionibus cives molestabat Tyrenses. Cumque in eundo et redeundo sæpius ejus periclitaretur militia, eo quod in medio prædictarum urbium nec præsidium inveniretur, nec munitionis aliquod genus in quo se sui possent recipere et subsequentium hostium declinare importunitatem, adjecit vir præclarus in summis montibus urbi Tyrensi prominentibus et ab eadem quasi per decem distantibus milliaria, in loco cui nomen priscum Tibenin, castrum ædificare; cui, quoniam in monte erat excelso admodum et cacuminato, nomen indidit Toronum. Est autem locus is inter mare et Libanum, quasi in medio constitutus, a Tyro et Paneade æque distans, in tribu Aser, salubritate et aeris grata temperie commendabilis; solum habens opimum, vineis et arboribus prorsus habile; sed et frugibus et agriculturæ commodissimum. Præstitit ergo non solum fundatori, diebus illis, ad opus prædictum commoditatem optatam; verum usque hodie et ubertate quam porrigit, et multa munitione qua præeminet, et Tyrensium urbi, et regno universo utilitates incomparabiles. Nec mora, post prædicti fundationem præsidii, idem nobilis homo cum equitibus septuaginta hostium fines ingressus, cum quatuor millibus Damascenorum prælium committens semel, et secundo eodem die ab hostibus repulsus graviter; tertio melioribus irruens auspiciis et animositate divinitus collata, simul et viribus, auctore Domino, fortioribus receptis, hostes in fugam convertit. Ipse tamen ictu sagittæ lethaliter confossus, interiit, vir prudens et strenuus, et exigentibus meritis regi et regno plurimum commendabilis et acceptus. Cæsi sunt in eo conflictu de hostibus ducenti, et equi totidem a nostris recepti. Post eosdem etiam dies visa sunt in oriente signa et prodigia multa in cœlestibus. Nam, per quadraginta dies et eo amplius, cometa circa noctis initium visus est longe comam trahere; et iterum ab ortu solis usque ad horam tertiam visus est sol duos habere collaterales, paris magnitudinis, sed inferiores splendore solis. Visa est et Iris circa solem, suis distincta coloribus. Quæ omnia certum erat mortalibus nova portendere.

CAPUT VI.

Boamundus de Francia in Apuliam reversus, cum ingentibus copiis Græcorum fines eos depopulaturus ingreditur; demumque in Syriam volens redire, relicto Boamundo filio, vita decedit.

Per idem tempus, Alexius Constantinopolitanus imperator, vir malitiosus et nequam, volentibus per ejus regiones Hierosolymam proficisci multa ministrabat impedimenta. Nam et contra primam expeditionem, quæ ei multo fuerat emolumento, ut præmissum est, Solimannum potentissimum Turcorum principem, et barbaras ex universo Oriente sollicitaverat nationes; et contra secundam, cui Pictavensium præerat comes, easdem nihilominus nationes et infideles populos frequentibus concitaverat legationibus; unde, ejus efficiente malitia, posterior expeditio pene tota deperiit. Nec solum semel et secundo ita in nostros malignatus fuerat; sed quoties se offerebat opportunitas eis damna moliri, parare præcipitia, pro lucro sibi reputabat; præsentibus tamen et coram positis benigne dabat responsa

Digitized by Google

et munera largiebatur, ut eo falleret commodius, Græcorum observans morem de quibus dicitur :

Timeo Danaos et dona ferentes.

VIRG. *Æneid.* l. II, 49.

Suspectum enim habens omnium Latinorum generaliter processum, nec eorum vires multiplicari, nec dilatari potestatem, ubicunque ministrare poterat impedimentum, patiebatur. Harum igitur dominus Boamundus memor injuriarum, a transmontanis reversus partibus, universorum Latinorum causam prosequens, equitum habens quinque millia, peditum vero quadraginta millia, septimo Idus Octobris in terram prædicti imperatoris navigio pervenit; et confractis pene universis maritimis urbibus et in direptionem datis, universam Epirum, tam primam quam secundam depopulatus est; tandemque Durrachium obsidens, Epiri primæ metropolim, regionem circumquaque incendiis et depopulationibus tradens, circumjacentibus regionibus, pro libero arbitrio utebatur, parans ad delendas Latinorum injurias, auctore Domino, ad ulteriora imperii violenter procedere. Audiens igitur imperator dominum Boamundum, cum ingenti militia Latinorum, intra fines suos ingressum, ipse suos nihilominus colligit exercitus, et ei procedens obviam, copias suas in vicino constituit : ubi communibus intervenientibus amicis, imperator fœdus iniit cum eo, interpositis juramentis, *quod de cætero Christi fidelibus in Orientem transire volentibus, bona fide, sine fraude et malo ingenio, consilium ministraret et auxilium; nec eorum iter ab iis quos ipse cohibere posset, impedire pateretur.* His ita compactis et fidei nexu interposito confirmatis, dominus quoque Boamundus juramento corporaliter præstito, amicitiam et fidelitatem perpetuo conservandam promisit. Inde in Apuliam reversus, dimissa peregrinorum turba, quæ votis obligata, tenebatur iter Hierosolymitanum perficere, ipse domi, familiaribus adhuc detentus curis, remansit. Æstate vero sequente, præparatis jam ex parte ad iter necessariis et congregato navigio, dum ad iter accingeretur, copiis undecunque convocatis, valida correptus ægritudine, in fata concessit, unico filio principatus et nominis hærede relicto, ex domina Constantia domini Philippi, illustris Francorum regis, filia suscepto. Mortuus est etiam eodem anno dominus Philippus Francorum rex illustris, socer ejus.

CAPUT VII.

A finibus Orientalibus item ingentes Turcorum copiæ partes Edessanas occupare nituntur; sed Tancredus una cum rege resistunt viriliter.

Accidit etiam per eosdem dies, dum adhuc prædicti nobiles, dominus videlicet comes Balduinus et Joscelinus, ejus consanguineus, apud hostes detinerentur in vinculis, occasione sumpta ex eorum absentia, collecta est ex Orientali sinu Turcorum infinita multitudo et innumerabiles copiæ; atque in Mesopotamiam descendentes, circa partes Edessenas cœperunt hostiliter degrassari, præsidia quædam violenter occupantes, suburbana tradentes incendiis, colonos captivantes et agriculturæ dantes operam : ita ut extra ambitum urbium muratarum tutus non reperiretur locus, et deficiente agricultura, victus omnino deficeret. Dominus autem Tancredus, cui regionis commissa erat sollicitudo, circa partes Antiochenas detinebatur occupatus, cujus curam etiam, ut præmisimus, domino Boamundo discedente, susceperat. Audiens tamen quod tanta hostium in partibus illis esset importunitas, vocato domino Hierosolymorum rege et causa vocationis manifestata, ipse quoque quantas potest ex universis urbibus et præsidiis convocat copias. Cui sic acceleranti et pro regione sollicito infra paucos dies rex adfuit, junctisque simul agminibus Euphratem transierunt : quo pervenientes hostes reperiunt, ut eis fuerat nuntiatum, per universam regionem liberis discursibus evagantes; qui, cognito nostrorum adventu, cœperunt se ad invicem recolligere; et illam quam prius habuerant, discurrendo minus experiri licentiam. Compertas iterum habentes sæpius nostrorum vires, cum eis pugnare formidant; nec tamen ad propria redire disposuerant, sed scientes utrumque principem liberas ferias non habere ut moram diuturnam in ea possent facere regione, ita diu nitebantur eos protrahere, ut tædio affecti vacuarent reditum et ipsi ad consuetas recurrerent infestationes. Cognoscentes igitur nostri eorum propositum, consilium ineunt quale pro temporis angustia poterant invenire commodius; congregari enim præcipiunt, ex ea regione quæ est circa Euphratem, quæ frugibus copiosissime abundabat, universi generis alimentorum copias; et, flumine transmisso, oneratis equis, camelis, asinis et burdonibus victum copiosissimum et ad multa tempora sufficientem urbibus inferunt et præsidiis; maxime autem urbem Edessanam usque ad redundantem sufficientiam communientes. Postmodum vero de corporibus civitatum et præsidiorum non multam gerentes sollicitudinem, quoniam admodum armis, viris et victu erant munita, revocantibus eos majoribus rerum articulis, ad Euphratem reversi sunt. Ubi dum modicis et corpore et numero fluvium transeunt naviculis, quosdam de inferiore manu qui adhuc transitum exspectabant, ulterior. ripam tenentes, hostes nostrorum vestigia secuti, irruunt; et ex eis quosdam interficientes, reliquos captivos trahunt, præsentibus domino rege dominoque Tancredo, et eis subsidium ministrare non valentibus; amnis enim medius erat, quem vadis transire non poterant; neque erat facile paucis parvisque naviculis tantum exercitum reportare. Nostri vero dolentes admodum super illis pauperibus, quos se præsentibus occidi viderant et ex parte captivari, reversi sunt ad propria; regionem etiam cis Euphratem præcipientes magnatibus, qui ei præerant, diligentius communiri. Erant autem qui supra ripam Euphratis capti fuerant et interfecti, pauperes Armenii, qui Turcorum fugientes impor-

Digitized by Google

unitatem, in loca tutiora se conferre proposuerant.

CAPUT VIII.

Balduinus comes Edessanus redit de vinculis hostium, et Joscelinus cum eo; et adversus Tancredum guerram excitant.

Sequente anno, qui erat ab Incarnatione Domini 1109, dominus Balduinus comes Edessanus, cum annis quinque continuis fuisset apud hostes detentus in vinculis, una cum Joscelino cognato suo, datis obsidibus pro certa summa pecuniæ, quam pro sua redemptione pepigerant, in suam se libertatem receperunt, redeuntes ad propria: cum quibus etiam satis misericorditer fecit Dominus. Nam obsides eorum in quodam præsidio custodibus deputatis commissi, casu, sive somno sive mero gravatis, mortem intulerunt, unde postmodum ad propria clam et per diverticula de nocte errabundi pervenerunt. Accedenti ergo prædicto comiti ad Edessanam urbem, dominus Tancredus dicitur ei introitum denegasse; sed tandem memor juramentorum, quæ interposita fuerant, cum, eodem comite capto, domino Tancredo civitas tradita fuerat, ad cor rediens, tam ipsam urbem quam regionem universam eidem præcepit resignari. Qua injuria moti, postmodum bellum eidem Tancredo ambo pariter indixerunt. Joscelinus autem specialiter, qui citra Euphratem sua habebat præsidia et Antiochenis vicinior erat partibus, principem magis infestabat. Accidit autem quadam die ut, Turcorum multitudinem in suum convocans auxilium, in terram principis irruptiones moliretur, quod princeps præsentiens, ei occurrit; commissoque inter eos prælio, prima fronte de exercitu domini Tancredi cecidereunt viri quasi quingenti; sed, tandem resumptis animis et aciebus instauratis, Turcorum magnam straverunt multitudinem, Joscelinum et suos in fugam convertentes. Porro videntes majores regionis et qui sensus habebant magis exercitatos, quod tantorum virorum periculosa nimis erant odia et quod in multum poterant Christiano populo detrimentum cedere, interpositis partibus suis, eos adinvicem reconciliaverunt.

CAPUT IX.

Bertramus, comitis Tolosani filius, cum classe Januensium in Syriam descendit, patri quærens succedere; Willelmus Jordanis contradicit. Capitur Biblium.

Eodem tempore, Bertramus, domini Raimundi bonæ memoriæ comitis Tolosani filius, cum classe Januensium circa urbem applicuit Tripolitanam, ubi Willelmus Jordanis ejus consanguineus urbem obsidione vallabat eamdem, sicut et continue fecerat a die obitus prædicti venerabilis viri, qui in eodem negotio moriens defecerat. Statim autem in ejus adventu orta est contentio inter eos, Bertramo de patris successione allegante; Willelmus autem, proprii laboris et impensæ per quatuor annos continuos sollicitudinis merita prætendebat. Ille in bona paterna tanquam hæres legitimus volebat succedere; iste locum, sua expugnatum instantia, sibi nitebatur vindicare. Dumque ista diu esset agitata controversia, intervenientibus amicis communibus, ut de pace tractarent, convenit inter mediatores, quod pro bono pacis, Willelmo Jordanis civitates Archis et Tortosa cum suis pertinentiis concederentur; Bertramo vero Tripolis, et Biblium, et mons Peregrinus, item cum suis pertinentiis. Factumque est ita, et ratum habitum partis utriusque concessu. Unde Willelmus pro parte sibi designata factus est homo principis Antiocheni, fidelitate ei manualiter exhibita; Bertramus partis sibi designatæ a domino rege Hierosolymorum investituram suscepit, ei solemniter exhibens fidelitatem. Additum est etiam in compositionis forma, quod si alter sine liberis vita decederet, alter ei succederet in universum. Quæstione vero prædicta per hujusmodi sopita transactionem, accidit quod inter armigeros utriusque familiæ, ex causa levi, orta est contentio: pro qua pacificanda, cum velox in equo sæpe dictus comes Willelmus occurreret, sagitta casu percussus, interiit. Dicebatur a nonnullis, quod comitis Bertrami dolis et machinationibus comes Willelmus interierit; sed tamen usque hodie illius vulneris non comparuit certus auctor; sic igitur sublato æmulo et prædictæ urbis competitore, Bertramus solus in expeditione mansit. Erat autem classis Januensium, cum qua venerat, galearum septuaginta; cui præfecti erant duo nobiles viri Januenses, Ansaldus et Hugo Ebriacus. Videntes ergo quod circa urbem Tripolitanam, per idem tempus operam consumerent, utile judicant interim aliquid memoria dignum aggredi: commonitoque familiarius comite Bertramo, ut cum eis præsens velit esse per terras, ipsi classem versus Biblium dirigunt. Est autem Biblium urbs maritima, in Phœnice constituta, una de suffraganeis urbibus, quæ Tyrensi metropoli jure metropolitico intelliguntur esse subjectæ, cujus memoriam Ezechiel propheta facit, dicens: *Senes Biblii, et prudentes ejus, o Tyre, præbuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ* (*Ezech.* xxvii, 9). Item in secundo libro Regum de eadem scribitur ita; *Porro Biblii præparaverunt ligna et lapides ad ædificandum domum Domini* (*III Reg.* v, 18). Dicta est autem prisco vocabulo *Eve*, eamque fundasse creditur Eveus, sextus filiorum Chanaan. Ad hanc pervenientes et eam mari terraque circumvallantes, civibus admodum territis et de sui tuitione diffidentibus, classis præfectos prædictum Ansaldum et Hugonem Ebriacum missa legatione conveniunt, significantes, quod si volentibus egredi liberum cum uxoribus et liberis vellent dare exitum; nolentibus autem sua deserere domicilia, in urbe liceret bonis conditionibus immorari, parati essent reseratis aditibus, eos tanquam dominos admittere. Quibus conditionibus juxta vota eorum admissis, urbem prædictis duobus tradiderunt viris; quorum alter, Hugo videlicet Ebriacus, sub annua certi census præstatione fisco Januen-

Digitized by Google

sium inferenda, usque ad certum tempus eam recepit. Hic idem, hujus Hugonis, qui eidem hodie præest civitati, avus fuit, qui ejus nomen obtinet et agnomen. Capta ergo prædicta civitate, classis iterum Tripolim est reversa.

CAPUT X.

Rex Balduinus Tripolim properat; fervet obsidio, et capitur civitas.

Audiens igitur dominus rex prædictam Januensium classem, capta Biblio, circa Tripolitanas partes moram adhuc facere, illuc properus accedit, tenaturus si eosdem Januenses aliquibus conditionibus secum posset detinere, quatenus eorum fretus auxilio, unam de urbibus maritimis sibi vindicaret. Restabant enim adhuc in nostro littore quatuor rebelles, Berythum videlicet, Sidon, Tyrus et Ascalona, quæ nostrorum novellæ plantationi multum oberant, ad obtinendum incrementum. Illuc ergo veniens, omnes qui in obsidione erant, tam per mare quam per terras, sua exhilaravit præsentia et in opere cœpto reddidit ferventiores. Statim enim in ejus adventu visi sunt, qui exterius in obsidendo laborabant, maximum reperisse solatium ; ita ut et major eis audacia accessisse videretur, et vires non dubitarent incrementum accepisse; obsessis autem e converso, et desolatio se intulit solito amplior, et spes resistendi omnino succubuit enervata : quoque hostes vident solito fortiores, eo se debiliores reputant; quodque illis accederet, totum sibi decedere reputantes. Innovant ergo nostri quasi novi recentesque, assultus; et hostibus omnino ubicunque locus est, solito instant protervius : tanquam obsidionem, quam continuo pene septennio multo labore protraxerant, tunc primitus inchoassent. Videntes ergo cives nostrorum singulis diebus vires invalescere, eorum vero e converso minui, diuturnis laboribus fatigati, spem subsidii nullam habentes, communicato inter se consilio, tractant quomodo tantis malis possent finem imponere. Missis igitur legationibus tam ad dominum regem quam ad dominum comitem, sub conditione spondent eis urbem se resignaturos, si egredi volentibus, libere et sine difficultate liceret, et familias suas cum omni supellectile ad loca optata transferre possent; nolentibus autem exire, si sub certa pensione domino comiti annuatim persolvendâ, tute et tranquille in domibus suis manere et possessiones suas colere concedatur. Auditis igitur civium postulationibus, rex, cum comite et aliis magnatibus consilio communicato, utile judicat, eorum admissis desideriis, urbem sine dilatione recipere. Placuit igitur sermo iste omnibus, et præstita conniventia, evocatis ante se civibus, eorum admittunt petitiones. Præstitisque juramentis, quod prædictæ conventiones eis sine fraude et malo ingenio, bona fide conservarentur, urbem recipiunt, introire volentibus aditibus reseratis. Capta est prædicta civitas anno ab Incarnatione Domini 1109, mense Junio, decima die mensis. Factus est autem ibidem comes Bertramus, fidelitate manualiter exhibita, domini regis homo ligius; unde et ejus successores, usque in præsentem diem, regi Hierosolymorum id ipsum tenentur exhibere.

CAPUT XI.

Balduinus comes Edessanus, ad socerum Gabrielem Meleteniam descendit, ubi factum ejus exstat satis memorabile.

Accidit autem per eosdem dies quod a vinculis hostium absolutus dominus Balduinus Edessanorum comes, cum multos haberet equites, nec haberet unde eis exhibitæ militiæ et impensi fideliter officii persolveret stipendia, arguto habito satis et acuto consilio, destinat cum eisdem suis commilitonibus, socerum, qui valde pecuniosus erat, apud Meleteniam visitare, præstructo et præordinato solerter, ut postquam ad ejus ventum esset præsentiam, quid fieri oporteret. Compositis igitur ad iter necessariis, illuc pervenit, ubi ex more depenso mutuæ salutationis affatu, et pacis signo cum mutuis amplexibus et plena charitate alternatim præbito, magnifice nimis et supra hospitalitatis leges, tanquam domesticus et affectione filius, susceptus est a socero. Cum igitur per dies aliquot ibi dominus comes moram fecisset, et semel confabulationibus fortasse necessariis, hinc socer, inde gener diei partem aliquam protraxissent, accesserunt (sicut inter eos prius condictum fuerat), et eis colloquentibus ingesserunt se milites ejus. Tunc unus ex eis, quasi omnium autoritate factus verbi patronus, comitem alloquitur, dicens : *Nosti, comes, et nemo te melius, quam fideliter et quam strenue turba hæc militum, quæ præsens est, tibi jam multo tempore, fidem tuam et promissionem secuta, militaverit : quantos labores, quantasque in vigiliis, siti, fame, frigore, simul et æstus importunitate pertulerit molestias, ut te et regionem tibi divinitus commissam, ab hostium injuriis redderet securam; et a civibus et reliquo populo in ea commorante, infidelium et inimicorum crucis Christi averterent impetus et molestias propulsarent. Te introducit pro se testem hoc collegium, tibi aliquando necessarium. Compertum habes, quantum jam effluxerit temporis, ex quo sine stipendiis tibi militaverimus; quoties nobis solvi necessitate compulsi postulaverimus; quoties petitas inducias, tibi compatientes, indulserimus, de die in diem æquanimiter sustinentes; et nunc res eo deductæ sunt nostræ, quod diutius præstolari non possumus. Paupertas invincibilis est, quæ diuturniores ferias, et tempus auctius tibi iterum dari negat. Elige tibi unum; aut debitum solve, inopiæ nostræ subveniens; aut pignus quod obligasti, juxta pactum exhibe.* Miratus est Gabriel quidnam sibi vellet hæc concio, et sermo ita solemnis quid portenderet. Tandemque edoctus per interpretes, rem tenuit; sed quærit cujusmodi pignus, pro pactis stipendiis, dominus comes obligasset. Cui, cum quasi pudore prohibitus, dominus comes responsum non daret, respondit eorum advocatus : Quia *barbam suam hypothecaverat eis, ut nisi statuto die pacta militibus solverentur stipendia, eidem barba*

Digitized by Google

sine contradictione raderetur. Quod audiens Gabriel, stupidus præ facti novitate et complosis manibus supra modum admirans, anhelare cœpit, et præ angustia nimis æstuare. Mos enim est Orientalibus, tam Græcis quam aliis nationibus, barbas tota cura et omni sollicitudine nutrire; pro summoque probro et majori quæ unquam irrogari possit ignominia reputare, si vel unus pilus quocunque sibi de casu barba cum injuria detrahatur. Interrogansque dominum comitem, si ita esset sicut dicebatur? respondit : *Ita*. Iterum fortius admirans, pene extra se factus, quærit iterum : *Quare rem tanta diligentia conservandam, argumentum viri, vultus gloriam, hominis præcipuam auctoritatem, ita obligasset, tanquam rem mediocrem, et ab homine sine confusione separabilem?* Cui comes : *Quia non erat mihi res alia dignior cujus interpositione, militibus proterve instantibus, possem plenius satisfacere. Sed nec oportet dominum et patrem meum, multum super hoc esse sollicitum; nam spero de misericordia Domini, quod impetratis a militibus induciis, postquam Edessam rediero, militum instantiæ satisfaciens, cum mea honestate pignus tuam obligatum.* Milites e diverso statim se diversuros ab eo, minasque intentare, sicut edocti erant, nisi solvat maturius, unanimiter asserebant. Quod audiens Gabriel, vir simplex et collusionis eorum ignarus, apud se fluctuans quid faceret, elegit potius de suo solvere militibus id in quo tenebatur gener obligatus, quam ejus pati, qui reputabatur filius, tantam ignominiam. Quærit quæ sit debiti summa. Cui responsum est : *Triginta millium Michaelitarum;* quod genus aureorum tunc in publicis commerciis erat celebre, a quodam imperatore Constantinopolitano, qui eam monetam sua fecerat insignem imagine, Michaele nomine, sic nuncupatum. Solvere igitur spondet pro genero, conditione tali, pactam pecuniam, ut media dominus comes fide firmiter promittat, quod de cætero nullo casu, nullo necessitatis articulo, ita quibuslibet personis se velit obligare. Soluta igitur pecunia sumptaque a socero licentia, dominus comes cum suis, tumentibus loculis et depulsa inopia, dives ad propria reversus est.

CAPUT XII.

Bethlehemitica Ecclesia per regis studium ad cathedralem erigitur dignitatem.

Anno sequenti, qui erat ab Incarnatione Domini 1110, sollicitus rex, et curam gerens pervigilem, quomodo sibi regnum a Deo commissum posset honorare et Deo protectori suo aliquid acceptione dignum offerre, proposuit de pio mentis fervore, Ecclesiam Bethlehemiticam, quæ usque ad illum diem prioratus tantum fuerat, ad cathedralem sublimare dignitatem. Quod qualiter gestum fuerit, ex rescripto ejusdem piissimi regis super hoc edicto, amplius et perfectius erit manifestum, quod sic habet : *Divina inspirante gratia gens Francorum admonita, Hierusalem civitatem sanctam, diuque oppressione paganorum fatigatam, ubi mors, quæ primo prævaricante parente genus humanum invaserat, morte Salvatoris est destructa, a spurcitia prædicta liberavit. Obsessa est namque civitas hæc cultu divino digna septimo Idus Junii, a gente præfata; et Idibus Julii, Deo pro ea pugnante, est capta. Capta autem civitate anno Domini 1100, dispositione divina suggerente, placuit clero atque Raimundo Sancti Ægidii, Roberto Northmanniæ, et Roberto Flandrensi comitibus, Tancredo, et cæteris primatibus, cum universa Francorum multitudine, ut piissimus et misericordissimus dux Godefridus, charissimus frater meus, eidem præsideret; ipse vero, vir Deo dignus, sanctæ civitatis gubernator, primo principatus sui anno peracto, Deo propitio, tertia die sequentis, in pace quievit. Cui ego Balduinus ab exsultante clero, principibus et populo, primus rex Francorum, nutu divino, excellentiam Bethlehemiticæ Ecclesiæ, nativitatem Domini nostri Jesu Christi præfulgida mente pertractans, in qua primum venerabiliter caput meum diademate ornatum effulserat, ut episcopali dignitate donaretur mihi per omnia placuit. Igitur quod corde caste conceperam, indesinenter excogitans, tandem ad aures Arnulfi archidiaconi, viri clarissimi, et Hierosolymitani capituli usque perduxi, eumque et idem capitulum, ut super hac re mihi consulerent, obnixe rogavi. Qui tam justæ petitioni meæ obsequentes, tum pro Hierosolymitana sede quæ postea quasi orbata parente videbatur, tum pro hoc negotio Romam peti decreverant. Hanc itaque legationem Arnulfus archidiaconus, et Aichardus eodem tempore decanus suscipientes, Romam perrexerunt : et sancto Spiritu cooperante, apud domnum Paschalem secundum, universalis Ecclesiæ pontificem, de utroque negotio honestum invenientes consilium, Hierusalem remearunt. Domnus vero Paschalis papa, Gibellinum Arelatensem archiepiscopum, virum sapientiæ radiis coruscum, omnique morum honestate fulgidum, cui id legationis Arnulfo atque Aichardo præsentibus injunxerat, post eos Hierusalem direxit. Propterea a me, clero simul et populo gaudenter susceptus pro præcepto domni Paschalis papæ et mea bona voluntate, et assensu Hierosolymitani capituli, ac totius favore consilii, et propria deliberatione omnia dispensans, in Bethlehemitica Ecclesia, Ascheli-*
num, virum illustrem eamdem gubernantem, quem Hierosolymitanum capitulum ejusdem Ecclesiæ cantorem, me cum meis proceribus et populo volente Ascalonæ elegerat atque statuerat episcopum, obtinere primatum episcopalem decrevit; Bethlehemiticæque sedi, pro præcepto et consideratione nostra, Ascalonæ Ecclesiam parochiali jure subjugavit. Tandem ego Balduinus, Dei gratia rex Hierusalem, Latinorum primus, jam dicta lætus obnixe firmavi. Villam etiam Bethlehem, quam Ecclesiæ concesseram, pro salute animæ meæ, et misericordissimi ducis fratris mei Godefridi, atque omnium parentum meorum; et unum casale, quod est in territorio Accon, nomine Bedar; aliud etiam quod est in territorio Neapolitano, nomine Seylon; aliud quoque adjacens Bethle-

Digitized by Google

hem, quod dicitur Bethbezan: et duo casalia in territorio Ascalonitano, unum videlicet Zephir, et aliud nomine Caicapha, cum suis pertinentiis episcopo, ejusque successoribus firmiter ac libere tenere ac possidere præcepi, dedi atque concessi. Præfatam quoque Ecclesiam a calumnia qua Hierosolymitana Ecclesia eam vexabat, commutatione terrarum ac vinearum quæ in circuitu Jerusalem in meo dominio erant, absolutissimam reddidi. Statuimus autem quod si quis clericus, vel laicus, nefandissima cupiditate ductus, illud quod pro petitione mea de Bethlehemitica Ecclesia, nativitate Domini ac Salvatoris nostri præclara, Spiritu sancto juvante, a domino Paschale, Romanæ sedis summo ac venerando pontifice, per Gibelinum ejusdem legatum, Arelatensem archiepiscopum roboratum est, post decessum meum violare præsumpserit, invasionis crimine, nisi commonitus resipuerit, obligetur, ac totius regni nostri expers effectus, graviter judicetur. Præterea concedo quod quicunque meorum optimatum, vel aliquis militum seu burgensium, Dei afflatus Spiritu de suis redditibus, pro sua suorumque animabus, dare eidem Ecclesiæ voluerit, libera sit sibi piæ voluntatis executio, et in perpetuum valeat facultatum suarum legitime facta donatio. Facta est autem hæc concessionis, vel confirmationis nostræ inscriptio, rerumque gestarum designatio, anno ab Incarnatione Domini 1110, *indictione* III, *præsidente Romanæ Ecclesiæ papa domno Paschale secundo, Hierosolymis vero Gibelino Arelatensi archiepiscopo, sedis apostolicæ vicario in patriarcham electo. Sunt ergo istius assertionis testes:*

Arnulfus archidiaconus,
Aichardus decanus,
Eustachius Garnerius,
Anselmus turris David custos,
Radulfus de Foritaneto,
Pisellus vicecomes,
Simon ducis filius,
Anfredus vir religiosus,
Gerardus camerarius;
et alii quamplures.

CAPUT XIII.

Obsidetur terra marique civitas Berythensium; et secundo capitur mense.

Eodem anno prædictus Dei cultor, et magnificus triumphator, idem dominus rex curam gerens indefessam, quomodo regnum sibi a Deo commissum posset ampliare, sumpta occasione ex galeis quibusdam quæ in regno hiemaverant, mense Februario, congregata pro viribus Christiani populi ex universi regni finibus multitudine, urbem obsidet Berythensium. Est autem Berythum civitas maritima, inter Biblium et Sidonem in Phœnice sita, una de suffraganeis urbibus, quæ Tyrensi metropoli intelliguntur subjectæ, Romanis quondam acceptissima, ita ut, jure Quiritium civibus concesso, inter colonias reputaretur; de qua ita Ulpianus testatur in Digestis, titulo de Censibus, loquens de Phœnice provincia: Est et Berythensis colonia, in eadem provincia, Augusti beneficiis gratiosa. Et ut divus Adrianus in quadam oratione ait: Augustiana colonia, quæ jus Italicum habet. Nec solum jus Italicum, verum etiam et docendi jus, quod raris concessum fuit urbibus, ab eodem Augusto obtinuit potestatem, sicut in primo codicis, ea constitutione quæ sic incipit: *Cordi nobis est*, in qua ita legitur: Et Berytensium doctorem Dorotheum. Dicta autem creditur prisca appellatione Gerse, quam Gersens quintus filiorum Chanaan fundasse legitur. Ad hanc perveniens, accito sibi domino Bertramo Tripolitano comite, urbem cœpit studio vehementi arctare. Advenerant autem, ut eidem urbi ministrarent subsidium, ex Tyro et Sidone naves quædam, viris fortibus et bellicosis refertæ. Quod si liberum introitum et exitum habere potuissent, inutiliter operam consumerent, qui obsidioni ejus incubuerant. Sed adveniente classe, de quarum ope confisus rex, opus præsens assumpserat, timentes se mari committere, protinus intra portum se receperunt: ita ut civibus omnino per mare et introitus negaretur et exitus. Erat autem eidem civitati pinea silva vicinior, quæ multam et idoneam obsidentibus, ad componendum scalas et quaslibet machinas, abunde præstabat materiam. Ex hac igitur erigentes sibi turres ligneas, et machinas jaculatorias componentes, et quæ adversus hujusmodi solent esse necessaria fabricantes argumenta, urbem continuis impugnant assultibus, ita ut nec horæ spatio, interdiu vel de nocte, obsessis requiem indulgerent; alternatim enim et per vices mutuas, sibi succedentes adinvicem, labore intolerabili cives fatigabant. Cum autem per menses duos continuos incepto opere viriliter desudassent, arguentes moram adinvicem, quadam die dum solito vehementius urbem in pluribus locis, congressionibus molestarent, quidam de turribus ligneis, quæ mœnibus fuerant violenter applicatæ, saltu super murum se intulerunt; quos alii tum eodem modo, tum per scalas ascendentes, secuti, in urbem descendentes, portam civitatis violenter aperuerunt. Ingressus igitur sine difficultate noster exercitus, civibus ad mare confugientibus, urbem occupavit universam. Qui autem in navibus erant, audientes quod rex cum suis urbem effregerat, prosilientes et ipsi de navibus portum occupant; et cives qui gratia salutis illuc confugerant, gladiis repellentes, in hostes redire compulerunt: sicque cives miseri, inter hostium cohortes geminas infeliciter angustiati, nunc his, nunc illis instantibus, gladiis in medio depereunt: quousque rex stragem immoderatam conspiciens, eis qui residui erant, misericordiam implorantibus, voce præconia finem cædis indicit, et victis vitam indulgeri præcipit. Capta est autem prædicta civitas anno ab Incarnatione Domini 1112, mense Aprili, vicesima septima die mensis.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Danorum et Noroegiorum classis descendit in Syriam; quorum ope rex Sidonem obsidet et capit; narraturque casus circa regem mirabilis.

Eodem anno quidam populus de insulis occidentalibus egressus, maximeque de ea occidentis parte quæ Noroegia dicitur, audientes quod a Christi fidelibus capta esset civitas sancta Hierosolyma, volentes illuc devotionis gratia properare, classem sibi paraverant opportunam. Quam ascendentes, aura flante secunda, mare Britannicum navigantes, dein Calpen et Athlanta, angustias hujus Mediterraneæ influxionis ingressi, nostrum hoc mare pertranseuntes, apud Joppen applicuerunt. Erat autem prædictæ classis primicerius, et præceptor supremus, quidam juvenis, procerus corpore et forma decorus, Noroegiæ regis frater. Qui postquam portum Joppensem attigerunt, propositum iter aggredientes, Hierosolymam, cujus gratia venerant, adierunt. Rex igitur cognito eorum adventu, illuc cum omni celeritate properat; et cum illo prædicto nobili viro, benigne et familiariter locutus, tentare cœpit et diligenter inquirere, utrum navalis ille exercitus, moram vellet in regno facere et operas suas ad tempus Christo dedicare, ut una de infidelium urbibus per eorum studium, fideli populo posset accrescere. Qui communicato consilio ad invicem, responderunt quod ad id venerant et ea intentione ferebantur, ut Christi servitio se manciparent. Juxta quod propositum parati erant, ut quamcunque de urbibus maritimis rex cum suo exercitu, obsidere vellet, illuc itinere marino cum omni celeritate contendere, nihil præter victum pro stipendiis exigentes. Rex igitur devotissime verbum amplectens, congregans regni robur universum, et militiam quantam potuit, Sidonem pervenit. Classis quoque nihilominus a portu Acconensi egressa, illuc directe properaverat, ita ut pene eodem momento uterque exercitus ante urbem conveniret. Est autem Sidon civitas maritima inter Berythum et Tyrensem metropolim sita, provinciæ Phœnicis portio non modica, commodissimum habens situm, cujus tam Veteris quam Novi textus Instrumenti frequentem habet memoriam. De ea quippe in secundo Regum libro, ita Salomon ad Hiram, Tyriorum regem: *Præcipe igitur, ut præcidant mihi cedros de Libano et servi mei sint cum tuis; mercedem autem servorum tuorum dabo tibi quamcunque petieris. Scis enim quoniam non est in populo meo, qui novit ligna cædere sicut Sidonii* (*III Reg.* v, 6). In Evangelio quoque ejus facit Dominus mentionem, dicens: *Amen dico vobis, si hæc facta essent in Tyro et Sidone*, et cætera (*Matth.* xi, 1); et alibi: *Egressus Jesus, secessit in partes Tyri et Sidonis* (*Marc.* vii, 24). Hanc Sidon Chanaan fundasse legitur; unde et usque in præsentem diem nomen tenet auctoris. Est autem una de urbibus suffraganeis Tyrensis metropolis. Hanc igitur noster exercitus ex utraque parte obsidione vallans, civibus magnam intulere formidinem; videntesque quod viribus nequaquam possent resistere, et ab imminentibus se tueri periculis, dolis perficere quod virtute nequeunt, machinantur. Erat porro in domini regis comitatu, ejus familiaris et quasi cubicularius, quidam Balduinus, aliquando gentilis, quem dominus rex pietatis intuitu accedentem ad baptismatis lavacrum, de sacro fonte susceperat; et ei nomen imponens suum, in numero domesticorum receperat; hunc nobiles de civitate viri, quocunque modo se volentes expedire, clam per internuntios conveniunt, infinitam promittentes pecuniam, et in civitate possessiones amplissimas, si a tantis calamitatibus eos, regem interficiendo, absolvat. Erat autem hic idem domino regi adeo familiaris et charus, ut etiam ad loca secretiora quibus naturæ, se purgare volentis, satisfit necessitatibus, regem solus plerumque comitaretur. Verbum itaque oblatum ille gaudens suscepit, et eorum postulationes effectui manciparе promittens, totus in hoc erat, ut tempus ad complendum facinus exspectaret opportunum. Interea quidam fideles de civitate, ad quos verbi hujus pervenerat notitia, timentes, ne per domini regis incuriam verbum hoc tam detestabile posset effectum sortiri, litteras scribunt sine certi auctoris titulo, easque cum sagitta in exercitum nostrorum dirigunt, rei seriem ordine pandentes; quæ casu ad dominum regem pervenientes, animum ejus, nec immerito, plurimum affecerunt. Quiconvocans principes, et quid eum facere oporteret deliberatione habita, vocatus est ille; et crimen confessus, principibus in eum dictantibus sententiam, suspendio vitam finivit. Videntes ergo cives commenta sua felices non habere successus, alia via cœperunt ingredi; et missa legatione petunt, ut nobilibus concedatur exitus; plebi vero, sicuti et prius, agriculturæ operam dare liceat, bonis conditionibus. Quo concesso urbem resignant, cum uxoribus et liberis ad loca desiderata, sine contradictore tendentes. Quam protinus et sine dilatione, cuidam de magnatibus suis, Eustachio videlicet Grener, jure hæreditario possidendam liberaliter concessit. Classis vero receptis a domino rege donariis, et accepta licentia, prosequente eos universorum benedictione, ad propria reversi sunt. Capta est autem prædicta civitas anno ab Incarnatione Domini 1111, mense Decembri, decima nona die mensis.

CAPUT XV.

Moritur Gibelinus Hierosolymorum patriarcha; succedit ei vir impius et nequam Arnulfus.

Per idem tempus, mortuus est dominus Gibelinus, bonæ memoriæ, Hierosolymorum patriarcha, cui substitutus est invita, ut credimus, divinitate Arnulfus, de quo sæpissimam in superioribus mentionem habuimus, Hierosolymitanus archidiaconus, qui vulgo cognominatus est Malacorona. Sed *propter peccata populi patitur Deus regnare hypocritam* (*Job* xxxiv, 30). Hic, sicuti et prius, seipsum con-

Digitized by Google

tinuans, multa pessima gessit opera. Nam inter cætera neptem suam, apud dominum Eustachium Grener, unum de majoribus regni principibus, nobilium duarum urbium dominum, Sidonis videlicet et Cæsareæ, nuptui collocavit, cum ea conferens ecclesiastici patrimonii optimas portiones, Jericho videlicet, cum omnibus pertinentiis suis, cujus hodie redditus annualis quinque millium dicitur esse aureorum. Fuit autem et in suo pontificatu conversationis immundæ, ita ut ejus vulgo pateret ignominia. Cui rei colorem quærens, ordinem quem primi principes studiose et cum multa deliberatione in Ecclesia Hierosolymitana instituerant, regulares canonicos introducendo commutavit. Regem etiam ad hoc impulit, ut vivente adhuc uxore sua aliam duceret, sicut in sequentibus dicetur.

CAPUT XVI.

Ab Oriente Turcorum ingens manus, et innumerabiles copiæ finibus se infundunt Antiochenis; sed Tancredus una cum Tripolitano comite Bertramo, resistit viriliter.

Nec mora interposita diuturniore, post Sidonem captam, collecta est in Perside equitum manus infinita; qui ut proprias experirentur vires, ut super eo aliquando possent gloriari, in regiones nostras ascenderunt. A primo enim Latinorum introitu, usque ad annum regni eorum quasi quadragesimum, non defuit nostris pestis illa, sævior hydra, recens et damno capitum facta locupletior. Annis quippe pene singulis de illo sinu Persico tanta erumpebat illius populi detestabilis multitudo, ut pene universam terræ superficiem sua numerositate operirent. Sed miserante nostros labores divina clementia, suscitavit Persarum insolentiæ et regno nimis de se præsumenti æmulum imperium gentis Hiberorum: quo per gratiam Dei ineremento suscipiente, et vires acquirente, per successus continuos contrita est Persarum superbia; et qui prius prædicto populo suspecti erant et formidabiles, facti sunt, versa vice, eis et viribus et armorum experientia longe inferiores; quique regnis exteris; etiam remotioribus consueverant inferre sollicitudinem, nunc sibi sufficere reputant, si intra fines suos tranquillitatem reperiunt vel ad tempus. Est autem Hiberia regio in plaga septentrionali constituta, quæ alio nomine dicitur Avesguia, Persis contermina, homines habens corpore proceros, robustos viribus, multa strenuitate commendabiles. Hi frequentibus bellis et congressionibus assiduis Persarum adeo copias attriverunt, ut jam se nec pares reputent, et pro suo statu solliciti aliorum provincias vexare destiterint. Prædicta ergo multitudo, a finibus illis egressa, Mesopotamiam transcurrens, transmisso Euphrate fluvio magno, regionem circa fluvium pro arbitrio tractantes, optimum regionis præsidium Turbessel obsident; cumque per mensem continuum ibidem operam consumpsissent, videntes quod non proficerent, ad partes Halapienses se contulerunt, de sua multitudine confisi, machinantes ut dominum Tancredum incaute et cum impetu provocarent ad prælium. Dominus autem Tancredus, sicut vir prudens erat et in agendis circumspectus, dominum regem litteris evocat et nuntiis, ut mature subsidium conferat. Qui sine mora convocata ingenti militia, assumpto sibi Bertramo comite Tripolitano, cum suis iterum copiis ad partes illas se contulit. Qui cum pervenissent ad oppidum Rugiam, ibi dominum Tancredum cum suis expeditionibus invenerunt: unde in hostes progressi, ante urbem Cæsaream, quæ vulgo appellatur Cæsarea, ubi hostes castrametati fuerant, ordinatis agminibus pervenerunt. Ubi eum se mutuo uterque conspexisset exercitus, Turcis declinantibus prælium, a regione discesserunt, nostris, ab invicem sumpta licentia, ad propria reversis.

CAPUT XVII.

Tyrus obsidetur; sed, resistentibus potenter civibus, obsidentium deluditur intentio.

Consequenter autem eodem anno, cum Tyrus sola de urbibus maritimis, quæ sunt a Laodicia Syriæ usque ad Ascalonam, quæ est novissima regni civitas, infidelitatis jugum pateretur; adjecit dominus rex, qui alias auctore Domino expedierat, illam regno vindicare. Congregatis ergo ex universa ora maritima navibus quotquot invenire potuit, classem ordinat qualemqualem; cui præcipit, ut illuc sub omni celeritate maturarent: et ipse convocatis regni viribus et populo undique accito universo, prædictam urbem, locatis in gyrum copiis, obsidione vallat. Est autem Tyrus civitas in corde maris sita, in modum insulæ circumsepta pelago, caput et metropolis provinciæ Phœnicis; quæ a rivo Valeniensi, usque ad Petram incisam, Coræ conterminam, protenditur, infra sui ambitum, urbes suffraganeas continens quatuordecim. De situ et commoditatibus hujus civitatis, in inferioribus dicetur latius, ubi de ejus obsidione novissima et captione concessa divinitus, auctore Domino tractabitur. Obsessa itaque civitate prædicta, sicut princeps erat valde sollicitus, omnem dabat operam, omne studium impendebat, quomodo multipliciter gravatis civibus, eos ad deditionem compelleret; percurrensque argumenta singula, quibus obsessis urbibus solent irrogari molestiæ, omnia diligenter impendebat; ut civitas in suam transiret ditionem. Nam crebris assultibus continuis pene congressionibus, murorum et turrium flagellatione, et violentis ictibus, telorum quoque et sagittarum immissione perpetua, affligebat obsessos. Tandemque ad malorum cumulum duas præcepit erigi ex lignea materia turres, lapideis ædificiis multo sublimiores; unde et urbem esset quasi subjectam inspicere; et bellum civibus quasi de superioribus inevitabiliter inferre. Cives autem e converso viri prudentes et strenui, et hujusmodi versutiarum non omnino expertes, argumentis objiciunt argumenta; et modis paribus quibus eis inferebantur injuriæ, repellere satagebant. Duas siquidem turres, comportatis lapidibus et congesto ad multam

Digitized by Google

quantitatem cæmento, quæ machinis nostrorum recte videbantur oppositæ, ascendentes, superædificare cœperunt : ita ut subito et intra paucos dies ligneis machinis, quæ exterius erant oppositæ, multo altiores invenirentur. Unde in subjectas machinas ignem jaculantes, omnia sine difficultate parati erant incendere; videns ergo rex, quod ars arte deluderetur, longis laboribus et expensis non modicis, quas per quatuor menses et eo amplius ibidem consumpserat, gravatus plurimum, ab incepto destitit, spe frustratus : solutaque obsidione, ipso Ptolomaidam reverso, reliqui certatim ad propria redierunt.

CAPUT XVIII.

Moritur dominus Tancredus, relicto principatu Rogero, Ricardi filio.

Per idem tempus, dominus Tancredus, illustris memoriæ et piæ in Domino recordationis, cujus eleemosynas et pietatis opera, in perpetuum enarrabit omnis ecclesia sanctorum, lethale debitum persolvit. Hic dum in supremæ lecto ægritudinis decubaret, circa se in sui obsequio adolescentem Pontium, domini Bertrami comitis Tripolitani filium habebat; vidensque sibi mortis imminere diem, uxore sua coram se posita, Cæcilia, quæ, ut superius præmisimus, domini Philippi Francorum regis filia erat, et prædicto juvene, consuluisse dicitur ambobus, ut post ejus obitum jure convenirent maritali. Factumque est ita, ut post ejus ex hac luce decessum, mortuo etiam domino Bertrando comite Tripolitano, ejusdem patre, prædictus Pontius, eamdem dominam, prædicti domini Tancredi viduam, uxorem duxerit. Successit autem ei in eodem principatu, de ejus supremo judicio, quidam ejus consanguineus, Rogerius Richardi filius, ea conditione, ut quandocunque dominus Boamundus junior, domini Boamundi senioris filius, Antiochiam cum suis pertinentiis, quasi hæreditatem propriam reposceret, eam sibi sine molestia et contradictione restitueret. Sepultus est autem idem vir illustris, in porticu ecclesiæ Principis apostolorum, anno ab Incarnatione Domini 1112.

CAPUT XIX.

Menduc, Turcorum princeps potentissimus, iterum cum ingentibus copiis regnum ingreditur; rex ei occurrens, conficitur; supra vires universa regio fatigatur.

Anno quoque ab Incarnatione Domini 1113, æstate subsecuta, iterum de Perside, quæ mala semper consuevit effundere germina, ex qua tanquam ex fonte pernicioso, aquæ solent pestilentes derivare, multitudo infanda prorupit sub principe potentissimo et titulis generositatis præclaro, Menduc nomine : tantam secum trahens numerositatem, ut eorum neque numerus certus esset, neque finis. Hi mediis transcursis regionibus, ad Euphratem pervenerunt, novis utentes consiliis. Nam qui eos de eodem populo præcesserant, sæpius circa partes Antiochenas vires suas consueverant primum experiri; his autem sicut ex postfacto patuit, longe alia mens, et propositum erat dissimile; nam omnem Cœlesyriam pertranseuntes, relicta a sinistris Damasco, inter Libanum et oram maritimam, Tiberiadem prætereuntes, circa pontem sub quo Jordanis defluit, castrametati sunt. Quod audiens rex, cognito quod de infinita multitudine præsumerent, dominum Rogerum Antiochenorum principem, comitemque Tripolitanum in suum evocat subsidium; tamen antequam illi convenirent, ipse cum suis expeditionibus in vicino eis loco castra posuerat : quod hostibus ut innotuit, emissis de exercitu equitum duobus millibus, intelligentes magis opus esse industria quam viribus, mille quingentos ex eis præcipiunt latere in insidiis; quingentos vero reliquos procedere jubent longius, et quasi se habentes incautius, regem cum suis insequendo irritare. Quod non longe ab eorum proposito certum est accidisse. Nam prædictos quingentos, quasi incautius se habentes, et progressos longius, rex considerans et impetuose suos convocans, illis procedit obviam, et versos in fugam prosequens, imprudentius in eorum decidit insidias : quibus ex suis latebris egredientibus, facta est hostium ingens multitudo, collectisque et ad se revocatis quingentis prioribus, in nostros irruunt impetu vehementi. Quibus, cum nostri tentarent resistere et gladiis a se propulsare, protervius instantes, oppressi multitudine, fugam inire compelluntur, quam nec etiam tutam reperiunt; nam fugientium facta est strages maxima, ita ut rex ipse relicto vexillo quod gestabat in manibus, et Arnulfus patriarcha, qui cum eo erat, et alii regni principes, relictis castris et impedimentis omnibus vix evaserint. Obtinuerunt ergo hostes nostrorum castra; et facta est, peccatis nostris exigentibus, confusio multa in populo Dei, idque totum domino regi ascribebatur, quod impetuose nimis, et de sua virtute plus æquo confidens, convocata noluit auxilia præstolari. Nam dominus Rogerus princeps Antiochenus et Tripolitanus comes in proximo erant, die sequente vel tertia, procul omni dubio venturi. Ceciderunt illa die de equitibus nostris triginta; de peditibus vero, mille ducenti. Illis ita gestis, adfuerunt prædicti duo magni potentesque viri : cognitoque casu qui acciderat, regem arguunt tanquam nimis præcipitem; tandemque redeuntes in unum, in montibus vicinis castra locant, unde erat inferius in valle hostium exercitus contueri. Illi autem scientes reliquas regni partes militia vacare, missis de suo exercitu ad varias partes, terram universam cœperunt percursitare, cædes passim per vias publicas operari, incendia procurare, effringere suburbana, captivare colonos, ita libere per universam se habere regionem, tanquam sibi omnia subjecissent. Recesserant etiam a nobis per illos dies nostri domestici, et suburbanorum nostrorum, quæ casalia dicuntur, habitatores, Sarraceni : et hostium adjuncti cohortibus, alios eru-

Digitized by Google

diebant in nostram perniciem ; qui tanto id melius facere poterant, quanto status nostri pleniorem habebant scientiam : *Nulla enim pestis efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus.* His ergo ducibus hostes freti et eorum fortiores facti solatio, villas circuibant et castella, prædas, et mancipia secum trahentes. Tantusque horror regnum occupaverat universum, ut extra mœnia nemo prorsus auderet comparere.

CAPUT XX.

Ascalonitæ impugnant Hierosolymam ; sed tandem hostium dissolvuntur acies, et redeunt ad propria.

Accesserat præterea ad timoris et ærumnæ cumulum, quod Ascalonitæ, tanquam vermes inquieti, scientes quod rex cum omnibus regni viribus, circa partes Tiberiadenses detineretur occupatus, hostes quoque regionem pene totam obtinerent, egressi cum ingenti multitudine, ad montana conscendunt, et Hierosolymam, militaribus destitutam copiis, obsident ; nonnullos, quos extra urbem reperiunt, aut captivant, aut interficiunt : messes aridas, quas agricolæ in areas congesserant, tradunt incendiis. Tandem cum per aliquot dies ibi consedissent, videntes quod nullus ad eos egrederetur, sed omnes intra mœnia cautius se haberent, timentes regis adventum, reversi sunt ad propria. At vero æstate jam in autumnum declinante, juxta consuetudinem, peregrinorum cœperunt applicare naves. Qui vero in eis advecti erant, audientes quod rex et populus Christianus tantis laborarent angustiis, illuc cum omni celeritate tam equites quam pedites certatim properant ; ita ut evidentibus incrementis noster per singulos dies multiplicaretur exercitus. Quod intelligentes hostium principes, timentes ne multiplicatis viribus, ad ulciscendum suas se parerent injurias, in fines Damascenorum se receperunt ; nostri vero ab invicem discedentes, reversi sunt ad propria. At vero hostilium exercituum princeps, qui regnum ita potenter afflixerat, Damascum perveniens, consentiente, ut dicitur, Damascenorum rege Doldequino, a quibusdam sicariis interfectus est ; suspectam enim ejus dicebatur habere potentiam, ne eum regno privaret.

CAPUT XXI.

Comitissa Siciliæ, regis uxor futura, in portu applicat Acconensium.

Diviso igitur ab invicem exercitu et singulis ad propria remeantibus, adfuit nuntius, domino regi significans quod comitissa Siciliæ apud urbem Acconensem applicuerat. Fuerat prædicta comitissa, domini Rogeri comitis, qui cognominatus est Bursa, qui frater fuit domini Roberti Guiscardi, uxor ; nobilis, et potens, et dives matrona. Ad hanc anno proxime præterito, quosdam nobiles de regno suo rex direxerat, invitans eam et cum instantia postulans, ut cum eo lege conjugali vellet convenire. Quæ verbum filio communicans, domino videlicet Rogero, qui postea fuit rex Siciliæ, cœpit cum eodem de verbo illo deliberare ; et tandem visum est ambobus quod si dominus rex sub certis conditionibus prædictum verbum vellet confirmare, ipsi petitioni ejus parati erant acquiescere. Forma autem conditionum hæc erat : *Quod si rex et prædicta comitissa prolem susciperet, ei post regis obitum sine contradictione et molestia regnum concederetur ; quod si absque hærede ex eadem comitissa suscepto defungeretur, comes Rogerus, filius ejus, hæres existeret ; et in regno, sine contradictione et molestia rex futurus, succederet.* Rex autem abeuntibus legatis in mandatis dederat ut, quibuscunque petitionibus parentes, eam secum modis omnibus deducere laborarent. Audierat enim, et vere sciebat, quod mulier locuples erat ; et filio accepta, bonis omnibus abundabat. Ipse vero e converso pauper erat et tenuis, vix ad necessitates quotidianas et equitum stipendia sibi poterat sufficere : unde et de illius redundantia suæ sitiebat inopiæ subveniri. Missi igitur legati conditiones prædictas gratanter suscipiunt ; et interpositis juramentis, prout exigebantur, quod his pactis a domino rege et suis principibus, bona fide, sine fraude et dolo malo staretur, comitissa, filio universa necessaria suggerente, se accingit ad iter, et oneratis navibus frumento, vino et oleo, et salsis carnibus, armis præterea et equitaturis egregiis, assumens secum infinitam pecuniam, omnibus eam prosequentibus copiis, in nostram, ut prædictum est, appulit regionem. Hæc autem, ut prædictum est, Arnulfi patriarchæ machinabatur malitia, ut illa nobilis et honesta deciperetur femina : deceptam quippe negare non possumus eam, quæ in simplicitate viarum suarum, regem putabat idoneam gerere personam, ad hoc ut ei nuberet legitime. Erat autem longe secus ; nam uxor quam ipse apud Edessam legitime duxerat, adhuc in rebus agebat humanis. Postquam ergo applicuit dicta comitissa, præsente domino rege, patriarcha, et regni principibus, innovata sunt juramenta, juxta eamdem formam, qua prius in Sicilia fuerant exhibita. Et quia intentione sinistra et oculo non simplici hæc fuerant inchoata, respiciens Dominus ad eorum intentionem, nec solitam mulieri, licet innocenti, in regno concessit fecunditatem, et *extrema hujus gaudii luctus occuparit* (*Prov.* XIV), ut in sequentibus dicetur : *Difficile est enim, ut bono claudantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Interim tamen tot tantasque adveniens regno intulit commoditates, ut merito minimus dicere posset : *Et nos de plenitudine ejus accepimus* (*Joan.* XVI).

CAPUT XXII.

In regione Edessana fames oritur valida. Balduinus Joscelinum consanguineum suum capit, et ab universa regione violenter exire compellit.

Accidit autem illis diebus quod in finibus Edessanis suborta est fames validissima, tum propter terræ et aeris intemperiem ; tum quia in medio ho-

Digitized by Google

stium regio illa sita erat et inimicis undique vallata; nec locorum incolæ hostilitatis metu liberam agriculturæ poterant operam dare, ita, quod cives illius urbis simul et suburbani nihilominus bordeaceum panem, et etiam glande mistum, edere præ inopia cogerentur. Terra autem domini Joscelini in tuto cis Euphratem collocata, frugibus et alimentorum copia plenius abundabat. Verum, licet ita bonis omnibus afflueret ejus provincia, prædictus Joscelinus, in hac parte minus sapiens, et ingrato similis, domino et consanguineo suo, qui ei hæc eadem universa contulerat, de sua plenitudine et ubertate stupenda nihil omnino porrigebat, licet dominum comitem suosque extremam pati non dubitaret inopiam. Factum est autem ut pro quibusdam negotiis dominus comes Balduinus ad dominum Rogerum, filium Richardi Antiochenorum principem, cui etiam quamdam sororem suam in uxorem contulerat, nuntios destinaret. Hi abeuntes, Euphrate transito, per terram domini Joscelini iter habentes, euntes redeuntesque ab eo sunt satis hospitaliter et humane tractati. Tandem, sicut mos est imprudentibus, quidam de familia domini Joscelini, nuntios domini comitis verbis lacessentes, exprobrare cœperunt domini comitis paupertatem; domini vero sui immensas e converso extollere copias; frumenti, vini et olei, et alimentorum redundantiam, auri argentique immensa pondera; militum peditumque numerositatem, adjicientes etiam, sicut *lingua pruriens, incaute plerumque loquitur*, quod non erat comes illi regioni, cui præerat, commodus : consultius faceret, si comitatum suum domino Joscelino venderet; et, recepta innumera pecunia, remearet in Franciam. Quæ verba in pectus nuntiorum (etsi dissimulare viderentur) altius descenderunt; et, licet a levibus personis essent dicta, tamen domini mentem redolere videbantur; sumptaque licentia, ad dominum comitem redierunt. Quo pervenientes, omnia quæ in via acciderant, simul et verba, quæ in domo domini Joscelini audierant, ordine pandunt. Quibus auditis, iratus dominus comes et multo libramine ponderans apud se verba quæ audierat, intellexit quod a domino Joscelino hæc omnia ortum habuerant; et indignatus plurimum quod ille, cui tantas contulerat copias cum de sua opulentia merito teneretur suam relevare inopiam, *contra bonos mores paupertatem, tanquam vitium*, exprobraret : in quam tamen non levibus actibus, sed necessitate descenderat inevitabili; sibique id ipsum unde ille gloriabatur, liberaliter detraxerat, ut in eum conferret; cœpit æstuare indignatione plenus. Simulat ergo ægritudinem, et lecto decubans, mandat domino Joscelino, ut absque mora ad se venire properet : quo comperto, festinat dominus Joscelinus, nihil veritus, in nullo viam habens suspectam; tandem Edessam perveniens, invenit comitem in præsidio civitatis, et in ea ejus parte, quæ Rangulath dicitur, in interiore conclavi decubantem : ad quem ingrediens, depenso debitæ salutationis affatu, quæsivit a domino comite, quomodo ei esset? Cui ille respondit : *Multo melius, per gratiam Dei, quam tu velis.* Et iterum verbum continuans, intulit : *Josceline, habesne aliquid, quod ego tibi non dederim?* Cui ille : *Domine, nihil. — Unde est ergo quod ingratus et meorum beneficiorum immemor, de meo superabundans et dilatatus, et mihi benefactori tuo indigenti, non ex temeritate, sed ex causa, quam nullus sapiens, nullus peritus declinare posset* (quia non est consilium contra Dominum) *non compateris? portionem ejus quod totum dedi, non retribuis? insuper et tenuitatem divinitus collatam, quasi pro vitio exprobras et pro crimine objicis? Sumne ego tam inutilis, ut vendam tibi quod mihi contulit Dominus, et fugiam, ut dicis? Resigna quod dedi, et redde universa quæ tibi contuli, quia indignum te fecisti.* His verbis dictis, præcepit eum captum vinculis mancipari, afflixitque eum mirabiliter et miserabiliter, non minus et multimodis quæstionibus et tormentis : quousque adjurata universa regione, cuncta quæ ab eodem comite dono susceperat, resignaret. Exiens ergo de finibus illis, bonis omnibus spoliatus, ad dominum Balduinum Hierosolymorum regem primum accessit, cunctisque quæ ei acciderant ordine manifestatis, propositum aperit, quod in patriam redire proposuerat. Quo audito, dominus rex videns eum regno maxime necessarium, dedit ei urbem Tiberiadensem cum finibus suis jure perpetuo possidendam, ut tanti viri solatio se muniret. Quam urbem strenue et prudenter cum omnibus suis pertinentiis, quandiu in ea mansit, rexisse et fini ampliasse dicitur præstantissime; cumque adhuc Tyrus ab infidelibus detineretur, exemplo prædecessoris sui, multas ejus civibus dicitur intulisse molestias. Et, licet aliquantulum montibus interpositis ab eis videretur esse remotior; sæpe tamen eorum fines ingrediebatur, eis damna collaturus.

CAPUT XXIII.

Terræ motus ingens partes concutit Antiochenas. Borsequinus quoque, Turcorum satrapa potentissimus, in eadem desævit regione.

Anno ab Incarnatione Domini 1114, tantus universam Syriam terræ motus concussit, ut multas urbes et oppida infinita diruerit funditus; maxime autem circa Ciliciam, Isauriam et Cœlesyriam. Nam in Cilicia Mamistram cum multis oppidis solotenus prostravit; Maresiam quoque dejecit cum suburbanis suis, ita ut quorumdam vix etiam exstarent vestigia : quatiebantur turres et mœnia, majoribusque ædificiis periculosius ruentibus, fiebat populorum strages infinita; et civitates amplissimæ quasi agger lapidum constitutæ, tumulus erant oppressorum, et contritis habitatoribus vicem præstabant sepulcri. Fugiebat plebs mente consternata habitationem urbium, domiciliorum ruinam formidantes; et dum sub dio requiem invenire sperant, timore concussi, somnos interrumpunt, oppressiones quas vigilantes timuerant, in somnis perpessi

Digitized by Google

Nec erat hoc, tam ingens, in una tantum regione, A periculum; sed usque ad extremos Orientis fines, hæc pestis late se diffuderat.

Anno quoque sequenti, juxta morem solitum, Bursequinus, Turcorum potentissimus, congregata gentis ejusdem multitudine infinita, regioni Antiochenæ hostiliter se infudit, pertransiensque totam illam provinciam, inter Halapiam et Damascum castrametatus est, exspectans ut, opportunitate concessa, inde in partes nostras has vel illas irruptiones moliretur. Porro Doldequinus Damascenorum rex, illorum expeditiones habens nimis suspectas: timensque ne magis ea intentione illuc convenissent, ut sibi et regno suo detrimenta molirentur, quam ut contra Christianos quorum vires sæpius erant experti, dimicaturi advenissent; factus B est sollicitus. Imputabatur enim ei mors prædicti nobilis viri, qui apud Damascum fuerat interemptus, quasi de ejus conscientia talis illius interitus processisset. Audito ergo Turcorum adventu et eorum intentione plenius cognita, missis legationibus cum ingenti munerum magnificentia tam ad dominum regem quam ad dominum principem Antiochenum, pacem petit ad certum tempus et implorat; juramenta præstans et obsides, quod toto concessi temporis fœdere, Christianis tam ex regno quam ex principatu fidelem debeat societatem observare. Interea princeps Antiochenus videns eos suis partibus viciniores; et quorumdam edoctus relatione, quod in terram suam impetus molirentur, dominum C regem in sui subsidium evocat; Doldequinum quoque nihilominus jure fœderis obligatum, ut cum suis adesse procuret copiis, invitat. Rex autem pro salute regionis sollicitus plurimum, congregata militia et honesto stipatus comitatu, illuc impiger contendit: assumptoque secum Tripolitano comite Pontio, intra paucos dies ad eum locum, ubi dominus princeps suas collegerat copias, pervenit. Porro Doldequinus, sicut et vicinior erat, ita et domini regis prævenerat exercitum, nostrorum castris tanquam socius se adjungens. Collectis ergo omnibus in unum copiis, ante urbem Cæsaream, ubi hostes adesse prius audierant, unanimiter constituerunt: quo hostibus cognito, videntes quod nisi cum gravi periculo non possent nostros sustinere, D simulant recessum, tanquam de cætero non redituri. Unde nostri ab invicem separati, reversi sunt ad propria.

CAPUT XXIV.

Ascalonitæ urbem Joppensem obsident; sed regis adventum formidantes, infecto negotio recedunt ad propria.

Interea, dum rex ita circa partes Antiochenas detineretur occupatus, Ascalonitæ ea freti fiducia quod rex absens erat secumque majores regni vires contraxerat, sumpta opportunitate ex tempore, urbem Joppensem obsident. Modico siquidem ante tempore, septuaginta navium classis in eorum subsidium ex Ægypto ascenderat, quam ante se præire, et Joppensium littus occupare præcipiunt; ipsi vero subsecuti in multis millibus, erectis vexillis, subito ante urbem constiterunt. Qui vero in classe erant, cognito suorum per terras adventu, e navibus certatim prosiliunt, civitatem quominus impugnaturi. Sic ergo dispositis in gyrum ordinibus, urbem ex omni parte ambiunt et signo dato impugnant, undique instantes animosius. Cives autem, etsi pauci essent numero et viribus longe impares, pro uxoribus et liberis, pro libertate et *patria, pro qua quivis egregius honestum mori reputat*, resistunt viriliter; turresque ac mœnia pro viribus communientes, arcubus et balistis, jactu quoque pugillarium lapidum hostes a se propellunt longius, nec ad murum patiuntur accedere. Contigit autem Ascalonitis longe secus a spe quam conceperant; nam, urbem arbitrantes vacuam reperire, scalas fabricaverant et altitudine et numero sufficientes, per quas statim sine contradictore intra mœnia irrumpere posse non diffidebant. Resistentibus igitur viriliter obsessis, non dabatur eis scalas mœnibus applicare; quibus vix licitum erat ad eos, qui in turribus erant, aliquid jaculari. Tantam enim civibus Dominus contulerat gratiam, ut circumstantem multitudinem, divino freti auxilio, non formidarent. Erant autem portæ civitatis lignæ, nullum ex ære vel ferro habentes operimentum. Has ignem artificiose contorquendo ex parte combusserunt; non tamen eatenus ut per eas major vis civibus, aut major inferri posset molestia. Videntes ergo post dies aliquot Ascalonitæ quod non proficerent, timentesque ne regionis populus ad obsessorum conveniret subsidium, soluta obsidione, domum reversi sunt. Classis vero secundis usa flatibus, in portum Tyrensium se recepit. Evoluto autem decem dierum spatio, tentare volentes utrum Joppitas incautos aliquando reperire possent, Ascalona secretius egressi, congregata suorum ingenti multitudine, sub to et sine strepitu, iterato ante Joppen astiterunt. Cives autem, in talibus assueti, semper erant in excubiis, continuas noctibus per successiones agentes vigilias, ut semper ad resistendum invenirentur parati. Videntes ergo hostium reversas legiones et bella sibi recidiva parari, certatim turres conscendunt et mœnia; tantoque acrius contendunt resistere, quanto vires hostium minores conspiciunt et numerum vident imminutum. Nam, classem quæ alia vice multa civibus intulerat discrimina, abesse conspiciunt, non facile redituram. Augebat et nihilominus obsessorum fiduciam, quod rex in proximo dicebatur venturus. Unde facti animosiores et resistentes confidentius, variis casibus, multos de hostium exercitu protervius instantes peremerunt. Cum ergo quasi per septem horas continuas urbem impugnassent, videntes quod inutiliter consumerent operam, revocatis agminibus hostes Ascalonam reversi sunt.

Digitized by Google

CAPUT XXV.

Borsequinus iterum Antiochenorum vexat fines; sed occurrente sibi principe Rogero cum suis auxiliis, confusus in fugam vertitur, legionibus dissolutis.

Dum igitur hæc in regno geruntur, Bursequinus, de quo superius diximus, qui ad adventum domini regis et aliorum nobilium qui contra eum convenerant, fugam et discessum a partibus Antiochenis simulaverat, videns quod rex et princeps Antiochenus, Doldequinus quoque discesserant abinvicem, et curis tracti domesticis redierant ad propria, arbitratus quod non facile denuo possent convenire, rursum partes infestat Antiochenas; et percurrens regionem universam, villas incendit, concremat suburbana; et quidquid extra munita præsidia reperire poterant, sibi dabant in direptionem et prædam: divisis etiam catervatim agminibus ad varias dirigebant partes, ut stragem passim operarentur, et incautis occurrentes, sive per agros, sive iter agentes, aut captivos secum traherent, aut gladiis obtruncarent. Nec solum villas absque muro suis effringebant irruptionibus, verum etiam et murata municipia violenter occupabant. Marram siquidem et Cafardam, comprehensis intus habitatoribus, partim peremptis gladio, partim compedibus mancipatis, ad solum usque dejecerant; et obtinentes regionem totam, undique prædam, undique Christiana mancipia singulis dietus contrahebant. Quod ut principi nuntiatum est, accito sibi domino comite Edessano, duodecima mensis Septembris, Antiochia egressus, ante oppidum Rugiam cum suis expeditionibus impiger astitit. Missisque statim exploratoribus qui de hostium statu eum certificarent et proposito, ipse acies instruit, componit agmina, ad pugnam viriliter se accingens: circa quæ, dum juxta rei militaris disciplinam a domino comite fideliter adjutus desudaret, ecce nuntius cum omni celeritate properans, hostes in valle Sarmati castrametatos asserit. Quo audito, exhilaratus est admodum universus exercitus, quasi spe victoriæ jam concepta. Ipse etiam Bursequinus, audito nostrorum adventu, suos armari præcipit, et instructis agminibus ad agendum strenue commilitones invitat. Volens tamen suæ providere saluti, cum fratre et quibusdam familiaribus, montem vicinum nomine Danim, antequam nostri accedant, occupat; unde suos possit prœliantes intueri et de belli ordine necessario suos plenius instruere. Factum est ergo ut, dum circa hæc esset occupatus, ecce nostrorum acies, erectis vexillis cœperunt comparere; visisque hostibus, spreta eorum multitudine, dominus Balduinus Edessanus comes, qui cum sua cohorte cæteros præcedebat, in eos animosius irruens, impetu vehementi totum eorum concussit exercitum. Quem pari exemplo reliquæ acies consecutæ, in medios hostium cuneos se immergunt, ensibus et gladiis instantes cominus; injurias parati refundere, quas villanis et pauperibus nimis lice.ter intulerant. Hostes itaque primis congressionibus resistendi spem habentes, proterve nimis a se nostros tentabant propulsare; sed tandem nostrorum vires, impetus et admirabilem stupentes constantiam, dissolutis penitus eorum agminibus, in fugam versi sunt. Bursequinus vero de montis culmine suorum videns defectum, nostros vero invalescere, cum fratre et familiaribus quos in monte collegerat, relicto vexillo, castris et sarcinis omnibus, fuga elapsus, vitæ consuluit. Dissolutas itaque acies et in fugam versas nostri persequuntur instantius; et gladiis obtruncantes fugitivos, quasi per duo milliaria stragem infinitam operati sunt. Princeps autem cum parte suorum, tanquam victor, in campo certaminis biduo moram faciens, suos operiebatur, qui ad partes diversas hostes fuerant insecuti. Quibus receptis, et comportatis ante se spoliis omnibus, portiones congruas victoriæ præstat consortibus. Castra enim deserentes omnibus referta commoditatibus, et ingentibus divitis redundantia usque ad supremum, omnium eorum immemores fugam inierant. Sed et prædam et manubias, quas de locis diversis contraxerant; simul et captivos nostros, quos in vincula conjecerant, receperunt nostri; et gaudentes cum suis animalibus, uxoribus et liberis remiserunt ad propria. Dicuntur autem in eo conflictu cecidisse de hostibus plus quam tria millia. Illis peractis, princeps equis, mulis et captivorum ante se præmissa multitudine, divitiarum quoque omnimoda varietate antecedente, Antiochiam cum ingenti plausu et populorum lætitia victor ingressus est.

CAPUT XXVI.

Arnulfus Hierosolymorum patriarcha super multis accusatus Romam proficiscitur. Rex in Syria Sobal trans Jordanem castrum, cui nomen mons Regalis est, ædificat.

Eodem tempore, dominus papa, auditis enormitatibus Arnulfi patriarchæ et de ejus immunda conversatione plenius edoctus, legatum dirigit ad partes Syriæ, quemdam virum venerabilem et multa religione conspicuum, Aurasicensem episcopum; qui ad partes nostras perveniens, convocato universi regni episcoporum concilio, prædictum Arnulfum coram se astare præcepit: tandemque meritis exigentibus, auctoritate sedis apostolicæ ab officio pontificali deposuit. Ille vero adhuc fiduciam habens in suis præstigiis, quibus pene universorum subvertebat animos, transfretare coactus, ad Romanam perrexit Ecclesiam: ubi domini papæ et totius Ecclesiæ, blandis verbis et larga munerum profusione, religionem circumveniens, cum gratia sedis apostolicæ remeavit ad propria, sedem obtinens Hierosolymitanam eadem vivendi licentia, qua prius meruerat depositionem.

Per idem tempus, cum adhuc Christianus populus ultra Jordanem non haberet ullum præsidium, cupiens rex in partibus illis regni fines dilatare, proposuit, auctore Domino, in tertia Arabia, quæ alio nomine dicitur Syria Sobal, castrum ædificare,

Digitized by Google

cujus habitatores terram subjectam et regno tributariam ab hostium irruptionibus possent protegere. Volens igitur proposito satisfacere, convocatis regni viribus, mare transit Mortuum; et transcursa Arabia secunda, cujus metropolis est Petra, ad tertiam pervenit. Ubi in colle, ad ejus propositum loco satis idoneo, præsidium fundat, situ naturali et artificio valde munitum, in quo post operis consummationem tam equites quam pedites, ampla illis conferens prædia, habitatores locat; oppidoque muro, turribus, antemurali et vallo, armis, victu et machinis diligenter communito, nomen ex regia dignitate deductum ei imposuit, montemque Regalem, eo quod regem haberet fundatorem, appellari præcepit. Est autem prædictus locus commoditates habens fecundi soli, frumenti, vini et olei copias uberes ministrantis; salubritate simul et amœnitate præcipua singulariter commendabilis, totam adjacentem regionem suæ vindicans ditioni.

CAPUT XXVII

Rex videns urbem sanctam habitatoribus vacuam, Syros fideles ex Arabia deducit; quibus conferens domicilia, urbis eos constituit habitatores.

Eo temporum articulo, videns rex et super eo valde sollicitus, urbem sanctam et Deo amabilem habitatoribus vacuam, ita ut eo ad cætera regni negotia de necessitate populus, qui saltem ad protegendos civitatis introitus, et turres et mœnia, contra repentinas hostium irruptiones munienda sufficeret; anxius cogitabat, apud se deliberans, et ab aliis percunctabatur frequentius, quomodo fidelibus populis, et Dei cultoribus incolis eam posset replere. Gentiles enim qui fuerant ejus habitatores, urbe violenter effracta, pene omnes in gladio ceciderant; si qui autem casu evaserant, iis non est datus locus intra urbem ad manendum. Instar enim sacrilegii videbatur Deo devotis principibus, si aliquos, qui in Christiana non censerentur professione, in tam venerabili loco esse permitterent habitatores. Nostrates vero adeo pauci erant et inopes, ut vix unum de vicis possent incolere. Suriani autem, qui ab initio urbis cives exstiterant, tempore hostilitatis per multas tribulationes, et infinitas molestias adeo rari erant, ut quasi nullus eorum esset numerus. Ab introitu siquidem Latinorum in Syriam, maxime autem postquam, Antiochia capta, versus Hierosolymam tendere cœpit exercitus, adeo prædictos Dei famulos concives eorum cœperunt affligere, ut pro quolibet levi verbo multos ex eis occiderent, ætati non parcentes, aut conditioni: suspectos eos habentes, quod Occidentales principes, qui dicebantur advenire, in eorum perniciem ipsi litteris et nuntiis evocassent. Sic ergo pro ejus desolatione curam gerens debitam, sciscitabatur diligentius unde illic cives posset evocare, tandemque didicit quod trans Jordanem in Arabia multi fideles in villis habitarent, qui sub gravibus conditionibus hostibus serviebant in tributo. Hos evocans dominus rex, et meliores promittens conditiones, tractos tum locorum reverentia, tum nostrorum dilectione et amore libertatis, intra modicum tempus multos cum uxoribus et liberis, cum gregibus et armentis et universa familia recepit. Multi etiam sine vocatione, duræ servitutis jugum declinantes, ut urbem Deo dignam incolerent, convenerunt. Quibus rex eas civitatis partes, quæ magis hoc solatio videbantur indigere, conferens, eis domicilia replevit.

CAPUT XXVIII.

Rex cleri suggestione a domino papa postulat, ut quascunque urbes subegerit, Hierosolymitanæ subdantur Ecclesiæ. Subjiciunturque variarum epistolarum rescripta.

Interea decidit in mentem domino regi (et fortasse cleri suggestione ad hoc devenit), ut, missis nuntiis ad Ecclesiam Romanam, domino papæ petitiones porrigeret; quarum tenor erat, ut *quascunque urbes, quamcunque provinciam sudoribus bellicis et regia sollicitudine, auctore Domino, sibi posset vindicare et de potestate hostium violenter eripere, omnes ditioni et regimini Hierosolymitanæ Ecclesiæ subjacerent.* Super quo rescriptum a sede apostolica impetravit, cujus tenorem præsenti interserere narrationi dignum duximus:

PASCHALIS, *servus servorum Dei, glorioso Hierosolymitano regi* BALDUINO, *salutem et apostolicam benedictionem.*

Ecclesiarum quæ in vestris partibus fuerunt, vel sunt, terminos atque possessiones, diutina infidelium possessio tyrannisque confudit: cum itaque certos ejus fines assignare deliberationc nequeamus, tuis precibus non immerito duximus annuendum, ut, quia pro Hierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatione personam tuam extremis periculis exponere devovisti, quascunque infidelium urbes ceperis, vel cepisti, ejusdem Ecclesiæ regimini dignitatique subjaceant. Porro earumdem civitatum episcopi, patriarchæ, tanquam proprio metropolitano, obedientiam exhibere procurent; quatenus ei ipse illorum fultus suffragiis, et ipsi adinvicem ipsius unanimitatis auxilio vegetati, sic in Hierosolymitanæ Ecclesiæ exaltatione proficiant, ut de illorum profectibus omnipotens Deus glorietur.

Data Laterani v *Idus Julii.*

Ad petitionem quoque ejusdem domini regis, idem dominus Paschalis, domino patriarchæ Gibelino, et successoribus ejus in perpetuum super eodem articulo privilegium indulserat, cujus rescriptum huic præsenti narrationi interserere curavimus; cujus verba sunt hæc:

PASCHALIS *episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo fratri Hierosolymitano patriarchæ* GIBELINO, *et successoribus ejus in perpetuum canonice promovendis.*

Secundum mutationes temporum transferuntur etiam regna terrarum: unde etiam ecclesiasticarum parochiarum fines, in plerisque provinciis mutari expedit, et transferri. Asianarum siquidem ecclesiarum fines antiquis fuerunt definitionibus distributi; quas distributiones, diversarum diversæ fidei gentium con-

Digitized by Google

fudit irruptio. Gratias autem Deo, quod nostris temporibus, et Antiochiæ et Hierosolymæ civitates cum suburbanis suis et adjacentibus provinciis, in Christianorum principum redactæ sunt potestate. Unde oportet nos divinæ mutationi et translationi manum apponere, et secundum tempus, quæ sunt disponenda, disponere, ut Hierosolymitanæ Ecclesiæ urbes illas et provincias concedamus, quæ gloriosi regis Balduini, ac exercituum eum sequentium sanguine, per Dei gratiam acquisitæ sunt. Præsentis itaque decreti pagina tibi, frater charissime et coepiscope Gibeline, tuisque successoribus, et per vos sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ, patriarchali sive metropolitano jure regendas disponendasque sancimus civitates omnes atque provincias, quas supradicti regis ditioni aut jam restituit, aut in futurum restituere gratia divina dignabitur. Dignum est enim ut Sepulcri Dominici ecclesia, secundum fidelium militum desideria, competentem honorem obtineat; et Turcorum seu Sarracenorum jugo libera in Christianorum manu abundantius exaltetur.

Super qua exauditione dominus Bernardus, vir vitæ venerabilis, Antiochenorum patriarcha, quoniam in læsionem Ecclesiæ suæ redundare videbatur, indignatus est plurimum, ita ut, missis nuntiis ad Romanam Ecclesiam, super eo facto plurimum conquereretur; et de illata sibi et Ecclesiæ suæ manifesta injuria, dominum papam et Ecclesiam totam litteris suis argueret. Cujus dominus papa indignationem mitigare cupiens, in hæc verba rescripsit :

Paschalis *episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri* Bernardo, *Antiocheno patriarchæ salutem et apostolicam benedictionem.*

Quamvis inter cæteras apostolicas sedes illa emineat, quam Petri apostoli morte in corpore dignatio superna clarificavit, inter Romanum tamen et Antiochenum episcopos tanta quondam legitur charitas exstitisse, ut nulla inter eos diversitas videretur. Eadem enim Petri persona utrasque illustravit Ecclesias; multa post hæc tempora transierunt, quibus infidelium dominatio unitatem hanc in personis præsidentium impedivit. Gratias autem Deo, quod temporibus nostris Christianorum principatum in Antiochena civitate restituit. Dignum est igitur, charissime frater, ut ejusdem charitatis in nobis unitas firma permaneat; nec de nobis menti tuæ opinio ulla subrepat, quod Antiochenam Ecclesiam deprimere aut inhonorare velimus. Si quid ergo vel Antiochenæ, vel Hierosolymitanæ Ecclesiæ aliter fortasse quam oportuit de parochiarum finibus scripsimus, nec levitati est nec malitiæ ascribendum, nec propter hoc apud nos est scandalum concitandum; quoniam et locorum prolixa longinquitas et antiquorum nominum commutatio, quæ civitatibus vel provinciis accidit, magnam nobis ambiguitatem vel ignorantiam intulerunt. Cæterum et optavimus et optamus non scandali, sed pacis fomitem fratribus ministrare; suum jus et honorem quibusque ecclesiis conservare.

Data Laterani VII *Idus Augusti.*

Volens autem dominus papa mentem suam interpretari, et qua intentione domino regi et Ecclesiæ Hierosolymorum id concesserat, quod in ejus rescriptis continebatur, eidem patriarchæ Bernardo in hunc modum rescripsit :

Paschalis *episcopus, servus servorum Dei, coepiscopo* Bernardo, *Antiocheno patriarchæ, salutem et apostolicam benedictionem.*

Sicut aliis litteris fraternitati tuæ scripsimus, nos et personam tuam, et Ecclesiam tibi commissam plena charitate diligimus; nec ullo modo volumus honorem vestræ dignitatis imminui, quin Antiocheni patriarchatus prælatio, sicut præteritis temporibus conservata est, ita etiam in futurum integra, præstante Domino, conservetur. Illud autem quod filio nostro Balduino, Hierosolymitanorum regi, per nuntios suos intercedenti, concessimus, charitatem vestram omnino conturbare non debet, si litterarum nostrarum sensum interius perscruteris. Sic enim in eis scriptum est : « Ecclesiarum quæ illis in partibus fuerunt, vel sunt, terminos atque possessiones diutina infidelium possessio tyrannisque confudit. Cum itaque certos eis fines assignare præsenti deliberatione nequeamus, tuis non immerito precibus duximus annuendum, ut quia pro Hierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatione personam tuam extremis periculis exponere devovisti, quascunque infidelium urbes ceperis, vel cepisti, ejusdem Ecclesiæ regimini dignitatique subjaceant. » Eodem sensu illa etiam verba discutienda sunt, quæ felicis memoriæ Gibelino Hierosolymitano patriarchæ, de civitatibus atque provinciis scripsimus, quæ supradicti Balduini regis prudentia, et exercituum eum sequentium sanguine, per Dei gratiam, acquisitæ sunt. Siquidem Ecclesias illas, quibus certi fines assignari possunt, quarum termini ac possessiones diutina posse sione ac tyrannide confusi non sunt, et ipsarum Ecclesiarum urbes, illi volumus Ecclesiæ subjacere, ad quam ex antiqua sciuntur justitia pertinere. Non enim volumus aut pro principum potentia, ecclesiasticam minui dignitatem; aut pro ecclesiastica dignitate principum potentiam mutilari.

Data Beneventi, XV *Kalend. Aprilis.*

Sed et domino regi eodem modo scripsit, exponens qua intentione prædictis illius petitionibus assensum præbuerat; et significans quod Ecclesiam Antiochenam in nullo velit indebite gravari, in hæc verba :

Paschalis *episcopus, servus servorum Dei, charissimo* Balduino, *illustri Hierosolymitanorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.*

Concessio illa quam nos petitioni tuæ accommodavimus, ut quascunque infidelium urbes ceperis, vel cepisti, Hierosolymitanæ Ecclesiæ regimini dignitatique subjaceant, non parum cum fratrem nostrum Bernardum patriarcham, tum universam Antiochenam turbavit Ecclesiam. Cum enim nos concessionem illam super illis Ecclesiis indulserimus, quarum terminos atque possessiones diutina infidelium possessio tyrannisque confudit, illi eas Ecclesias a Hieroso

Digitized by Google

lymitano patriarcha, te connivente invasas, conquerantur, de quibus ambiguitas nulla sit, quin eas etiam Turcorum vel Sarracenorum temporibus sedes Antiochena possederit; quia earum episcopi, etiam infidelium oppressi tyrannide, Antiocheno patriarchæ obedientiam exhibebant. Porro nos litteris ad supradictum patriarcham missis, Antiocheni patriarchatus prælationem, sicut ab antiquis Patribus distributa, et præteritis temporibus conservata est, ita etiam in futurum integram conservari sanxeramus. Tuam igitur strenuitatem monemus, et monentes præcipimus, ne a te invasiones hujusmodi fieri (ubi manifesta est veritas) permittantur; sed unaquæque Ecclesia justitiæ suæ limitibus perfruatur. Nec enim possumus manifeste sanctis patrum nostrorum constitutionibus obviare; nec omnino volumus, aut pro principum potentia ecclesiasticam minui dignitatem, aut pro ecclesiastica dignitate principum potentiam mutilari; ne apud vos occasione alterutra pax, quod absit! turbetur Ecclesiæ. Clericis quoque Hierosolymitanis per præsentia scripta præcipimus, quandoquidem paternas possessiones et patriam pro Ecclesiæ, ut creditur, exaltatione, pro religionis observantia reliquerunt, ut Hierosolymitanæ Ecclesiæ sint jure contenti; nec injuste aut procaciter usurpare ea contendant, quæ certo sciuntur ad jus Antiochenæ Ecclesiæ pertinere. Omnipotens Dominus, sua te in omnibus dextera protegat et de hostibus Ecclesiæ triumphare concedat.

Data Laterani, XV Kal. Aprilis.

CAPUT XXIX.

Rex ad mare Rubrum descendit; regione perlustrat: comitissam Siciliæ, quam uxorem deduxerat, remittit ad propria, ægritudine fatigatus.

Anno sequente, ut adjacentium regionum rex pleniorem haberet experientiam, et de situ provinciarum magis edoceretur, assumptis secum locorum peritis, et comitatu, qui sibi ad propositum sufficere videbatur, transiens Jordanem, et transcursa Syria Sobal, per vastitatem solitudinis ad mare Rubrum descendit, ingressus Helim civitatem antiquissimam, populo Israelitico aliquando familiarem, ubi leguntur fontes duodecim fuisse, et palmæ septuaginta. Ad quam cum pervenisset, loci illius incolæ domini regis adventu prænognito, naviculas ingredientes, in mare vicinum, mortem effugere cupientes, se contulerunt. Ubi dominus rex, locis notatis et consideratis diligentius, eamdem qua venerat remensus viam, ad montem Regalem, castrum videlicet, quod de novo fundaverat, reversus est. Inde Hierosolymam rediens, gravi ex insperato correptus est ægritudine, qua cum supra vires fatigaretur et timeret deficere, læsam habens conscientiam, super eo quod legitima uxore injuste abjecta, aliam superduxerat; corde compunctus et facti pœnitens, viris religiosis et Deum timentibus aperiens conscientiam, reatum confessus est, satisfactionem promittens; cui cum pro consilio daretur, ut reginam quam superduxerat, a se demitteret; abjectam A vero, ad regiam unde deciderat revocaret dignitatem, acquievit: et quod ita facturus esset, si vita ei concederetur productior, voto se obligavit. Unde factum est ut, evocata ad se regina, ordine rem aperuerit; quæ, licet super eodem facto aliquantulum esset instructa, nam id ipsum aliquando a pluribus audierat; tamen visa est ægre ferre quod ita temere fuerit evocata, et fraude principum regionis, qui ad eam citandam missi fuerant, circumventa. Dolens igitur et tristis tam de illata contumelia, quam de opibus inutiliter consumptis, ad reditum se præparat; post tertium annum, quo ad dominum regem veneret, in patriam reversura. Qua redeunte ad propria, turbatus est supra modum filius; et apud se odium concepit adversus regnum et ejus B habitatores, immortale. Nam cum reliqui fideles diversi orbis principes, aut in propriis personis, aut immensis liberalitatibus regnum nostrum, quasi plantam recentem promovere et ampliare sategerint, hic et ejus hæredes usque in præsentem diem, nec etiam verbo amico nos sibi conciliaverunt; cum tamen quovis alio principe longe commodius faciliusque nostris necessitatibus consilia possent et auxilia ministrare. Videntur ergo injuriæ perpetuo memores; et delictum personæ, injuste in populum refundunt universum.

CAPUT XXX.

Ante urbem Tyrensem castrum Alexandrium, quod vulgari appellatione Scandalium dicitur, ædificatur.

C Eodem anno postquam rex de prædicta convaluit ægritudine, anxius quomodo urbem Tyrensium, quæ sola de urbibus maritimis ab hostibus detinebatur, suo mancipare posset imperio, inter Ptolomaidam et prædictam Tyrum, castrum ædificat; in eodem loco ubi Alexander Macedo, ad expugnandam eamdem urbem, olim dicitur fundasse idem præsidium, et de suo nomine Alexandrium vocasse. Est autem locus fontibus irriguus, vix quinque milliaribus a Tyro distans, in littore maris constitutus. Hoc autem ea reædificavit intentione, ut Tyrensibus esset pro stimulo, et unde eis frequentes irrogarentur injuriæ. Hunc locum hodie appellatione corrupta populares appellant Scandalium. Arabice enim Alexan- D der Scandar dicitur, et Alexandrium, Scandarium; vulgares vero *r* in *l* conversa, dicunt Scandalium.

CAPUT XXXI.

Rex in Ægyptum descendit; Pharamiam occupat, in ægritudinem incidit, qua fatigatus in eodem itinere vita decedit; Hierosolymis juxta fratrem sepelitur.

Anno sequente, ut Ægyptiis vicem refunderet pro iis quæ in regno sæpius commiserant, cum ingentibus copiis descendit rex in Ægyptum, et urbem antiquissimam, Pharamiam nomine, confregit violenter; et confractæ copias suis commilitonibus dedit in prædam. Est autem Pharamia urbs antiqua, ut diximus, in littore maris sita, non longe ab ostio

Digitized by Google

Nili, quod Carabeix dicitur; supra quod iterum Tampnis, urbs antiquissima: et signorum, quæ Dominus per Moysen servum suum coram Pharaone operatus est, familiaris. Capta igitur urbe, egressus rex ad prædictum ostium Nili, admiratus est aquarum quas prius non viderat fluenta; eoque maxime, quod Nilus, cujus portionem alveus ille usque in mare deducit, unum de quatuor paradisi fluminibus dicitur esse, et creditur. Captis igitur de piscibus, quorum illic maxima est copia, in urbem quam occupaverant redeunt, et parato prandio refecti sunt ex eis; cumque rex surrexisset a cœna, sensit se dolore plurimo interius prægravari; et recrudescente antiqui vulneris molestia, cœpit laborare vehementius, ita ut de vita periclitans desperaret. Indicto igitur legionibus per vocem præconiam reditu, domino rege, ægritudine invalescente, eatenus debilitato, ut equitare non posset, lecticam instruunt, eumque in ea, anxie laborantem collocant. Sicque continuatis itineribus, transcursa ex parte solitudine, quæ inter Ægyptum et Syriam media diffunditur, Laris antiquam ejusdem solitudinis urbem perveniunt maritimam. Ubi morbo superatus rex, ad extremum veniens, in fata concessit; unde lugentibus et præ doloris angustia deficientibus legionibus, Hierosolymam deportatus est. Et ea Dominica quæ dicitur in Ramis palmarum, per vallem Josaphat, ubi de more populus ad diem festum convenerat, in urbem introductus, et juxta fratrem sub Calvaria, in loco qui Golgotha dicitur, regia magnificentia sepultus est. Mortuus est autem anno ab Incarnatione Domini 1118 regni ejus octavo decimo.

INCIPIT LIBER DUODECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Balduinus comes Edessanus, sublimatur ad regnum; describitur quis et unde fuerit.

Secundus Hierosolymorum rex, ex Latinis fuit dominus Balduinus de Burgo, qui cognominatus est Aculeus; vir religiosus ac timens Deum, fide conspicuus, in re militari exercitatus plurimum. Hic fuit natione Francus, de episcopatu Remensi, filius domini Hugonis comitis de Retest, et Milisendis præclaræ comitissæ, quæ tot dicitur sorores habuisse, unde tanta multitudo filiorum et filiarum dicitur procreata, quantam ii noverunt qui principum genealogias sollicita investigant diligentia. Hic vivente adhuc patre cum aliis nobilibus, qui iter Hierosolymitanum arripuerant, in comitatu domini ducis Godefridi, cujus erat consanguineus, eamdem viam, ea devotione qua alii ingressus est, relinquens domi apud patrem jam grandævum, fratres duos et sorores totidem, quorum ipse omnium primogenitus erat. Nomen alterius fratrum Gervasius, qui postea fuit electus ad ecclesiam Remensem; alterius Manasses. Sororum autem alteram habuit castellanus de Vitriaco, nomine Mahaldam; alteram dominus Herbrandus de Herges, vir nobilis et potens, nomine Hodiernam: ex qua natus est Manasses de Herges, quem nos postmodum tempore dominæ Milisendis reginæ, regium vidimus constabularium. Porro patre hujus domini Balduini regis defuncto, Manasses filius ejus, quia dominum Balduinum, qui primogenitus erat, regni occupatio detinebat, successit: quo etiam sine liberis decedente, Gervasius frater eorum, dimisso Remensi archiepiscopatu, uxorem contra instituta ecclesiastica ducens, eumdem comitatum jure possedit hæreditario. Susceptam autem ex uxore unicam filiam cuidam nobili viro in Northumannia, matrimonio copulavit. Quo defuncto sororis illorum filius, Mahaldis videlicet, quæ castellano Vitriacensi nupserat, iterius nomine, in eodem comitatu successit. Sed de his hactenus.

CAPUT II.

Qua de causa profectus est Hierosolymam, quando electus est in regem.

Domino igitur Balduino, domini ducis piæ et illustris memoriæ Godefridi fratre, post fratris obitum ad regnum Hierosolymorum vocato et in regni solio solemniter collocato, hic (de quo nobis est in præsentia sermo) tradente domino rege qui consanguineus ejus erat, in comitatu Edessano successit, quem annis decem et octo, et aliquid amplius, strenue et feliciter administravit. Anno igitur sui comitatus octavo decimo, regione sua in optata tranquillitate locata, proposuit Hierosolymorum regem, dominum, consanguineum et benefactorem suum, et loca sancta, devotionis gratia visitare. Ordinatis igitur ad iter necessariis, commissaque fidelibus suis, de quorum fide et industria plenius confidebat, regione, municipiis in tuto dispositis, tanquam vir providus et plene circumspectus, viam destinatam, adjuncto sibi honesto comitatu, aggreditur. Dumque iter prosequeretur inceptum, ecce nuntius occurrit, denuntians quod dominus rex in Ægypto, sicut et verum erat, ultimum fato clauserat diem. Quo audito, plurimum de morte domini et consanguinei sui, sicut nec mirum erat, consternatus, nihil tamen ab incepto destitit itinere, sed Hierosolymam maturatis gressibus contendit. Ad quam cum pervenisset, accidit casu, quod in die festo, qui dicitur Ramis palmarum, cum de more populus universus in vallem Josaphat convenisset,

Digitized by Google

ad solemnem et celebrem tantæ diei processionem, subito ex una parte comes cum suis ingrederetur: et e regione, domini regis funus, cum exsequiis importaretur, universa militia, quæ cum eo in Ægyptum descenderat, domini sui funus de more prosequente.

CAPUT III.

Modus electionis aperitur; et memorabile factum comitis Boloniensium Eustachii describitur.

Introducto igitur funere regio in sanctam civitatem et in ecclesia Dominici Sepulcri juxta fratrem, ante locum qui dicitur Golgotha, sub monte Calvariæ, honorifice sepulto, convenerunt qui aderant de majoribus regni, episcopi, archiepiscopi et alii ecclesiarum prælati cum domino Arnulfo patriarcha; et de laicis principibus nonnulli, inter quos erat vir industrius, unde sæpius supra fecimus mentionem, Joscelinus, potens in opere et sermone, Tyberiadensis dominus. Habitaque deliberatione de instanti negotio, varias promunt sententias, dicentibus aliis : *Exspectandam esse dominum Eustachium comitem, nec interrumpendam hæreditariæ successionis antiquissimam legem ; specialiter, cum bonæ memoriæ fratres ejus congruo, et cunctis placato moderamine regnum feliciter administrassent.* Aliis dicentibus : *Negotia regni, et continuam necessitatem non posse pati has dilationes, nec indulgere tantas ferias; sed maturandum esse, ut regioni citius consulatur, ne forte si incubuerit necessitas, non sit qui exercitus educat et reducat, et regni procuret negotia; et pro ducis inopia regni status periclitetur.* Hanc partium fluctuationem et votorum repugnantiam, prætentata domini patriarchæ, et ad se inclinata mente, prædictus Joscelinus, qui maximæ erat in regno auctoritatis, illorum juvans partem qui dicebant regem statim esse ordinandum, diremit, dicens : *Præsentem esse dominum comitem Edessanum, virum justum et timoratum, domini regis consanguineum, armis strenuum, per omnia commendabilem, quo meliorem nulla nobis regio, nulla provincia posset ministrare. Commodius esse ipsum in regem assumere quam casus periculosiores exspectare.* Erant itaque multi, qui de sinceritate fidei arbitrabantur domini Joscelini verba procedere, scientes quomodo non multo ante dominus comes, ut prædiximus, tractasset eum; et illud reputantes, quod proverbialiter dici solet : *Omnis laus vera est ab hoste;* nescientes quod alias ejus properaret intentio, fidem verbis ejus habentes, præstabant conniventiam. Ipse autem, ut dicebatur, aliter affectus erat; nam spe futuræ in comitatum successionis, dominum comitem in regnum introducere nitebatur. Domino igitur Arnulfo patriarcha, et domino Joscelino hanc opinionem amplectentibus, reliqui facile in eamdem inducti sunt; et pari voto, et unanimi consensu, eum in regem eligentes, in die Sanctæ Resurrectionis, qui proxime secutus est, solemniter, et ex more inunctus et consecratus est; et diadematis insigne regium suscepit. Quæcunque autem domini patriarchæ, aut domini Joscelini in eo facto fuerit intentio, Dominus rei eventum misericorditer convertit in bonum. Nam virum justum, pium ac timentem Deum, divina eum præveniente gratia, se exhibuit; eratque vir in cunctis prospere agens. Videtur tamen minus regularem habuisse introitum; legitimumque regni hæredem certum est a debita successione fraudulenter exclusisse, illos qui eum promoverunt. Mortuo namque domino rege, sive de ejus supremo judicio, sive de communi principum regni consilio (quia neutrum pro certo compertum habemus) missi erant quidam nobiles et magni viri, qui ad regni successionem communi edicto citarent comitem Boloniensium dominum Eustachium, dominorum Godefridi ducis eximii, domini Balduini regis fratrem. Qui ad eum pervenientes, invitum et renitentem, causas honestissimas prætendentes, quare eum venire oporteret, usque in Apuliam traxerunt. Ubi audiens prædictus vir venerabilis, religiosus ac timens Deum, vere tantorum virorum imitator et frater, et in virtutibus et honestis meritis successor, quod Hierosolymis medio tempore dominus Balduinus, Edessanus comes ejus consanguineus, rex fuerat ordinatus, instantibus nuntiis qui pro eo missi fuerant et allegantibus ut nihilominus procederet, quia quod factum erat, contra jus et fas, et contra hæreditariæ successionis legem antiquissimam, nullo modo stare posset, respondisse dicitur vir Deo plenus: *Absit hoc a me, ut per me in regnum Domini ingrediatur scandalum, per cujus sanguinem pacem Christi recepit; et pro cujus tranquillitate viri virtutum et immortalis memoriæ, fratres mei, egregias animas cœlis intulerunt!* Compositisque iterum sarcinis et comitatu recollecto, invitis iis qui eum ad regnum trahere nitebantur, ad propria remeavit.

CAPUT IV.

De habitudine corporis, moribus et conversatione ejusdem regis.

Dicitur autem forma fuisse conspicuus, corpore procerus, facie venusta, capillo raro, flavo, canis misto; barbam habens raram, sed tamen usque in pectus demissam; colore vivido, et quantum ætas illa patiebatur, roseo. Habilis ad usum armorum et equis regendis aptissimus, rei militaris multam habens experientiam, in agendis suis providus, in expeditionibus felix, in operibus pius, clemens et misericors; religiosus et timens Deum; in orationibus jugis, ita ut callos in manibus haberet et genibus, pro afflictionis et genuflexionis frequentia: impiger, licet senior, quoties eum vocabant regni negotia. Adeptus ergo regni solium, sollicitus de comitatu Edessano, quem sine duce dimiserat, Joscelinum consanguineum suum vocat, ut quod in eum prius deliquerat, gratuita plenaque satisfactione corrigeret; eique tanquam qui regionem illam plenius noverat, comitatum donat; sumptaque fidelitate, per vexillum investit, et inducit in pos-

Digitized by Google

sessionem; et convocans inde uxorem, et filias, et familiam, per operam et studium ejusdem domini Joscelini, in proximo cum sospitate recepit universa. Erat autem ei uxor Morfia nomine, cujusdam nobilis Græci, Gabrielis nomine; de quo supradiximus, filia; quam dum comes esset cum pecunia infinita, quæ dotis nomine donabatur, duxit in uxorem; ex qua susceperat tres filias, Milissendem videlicet, Haalim et Hodiernam; nam quartam, cui Iveta nomen fuit, postquam regnum adeptus est, uxor ei peperit. Coronatus autem et consecratus est, anno ab Incarnatione Domini 1118, mense Aprili, secunda die mensis; præsidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ domino Gelasio papa secundo; Antiochenæ vero Bernardo, Latinorum in eadem civitate patriarcha primo; sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ domino Arnulfo, ex Latinis in eadem civitate patriarcha quarto.

CAPUT V.

Alexius Constantinopolitanus imperator, dominus quoque Paschalis papa, sed et comitissa Siciliæ, quæ Hierosolymorum regina fuerat, moriuntur.

Per idem tempus Constantinopolitanus imperator Alexius, Latinorum maximus persecutor, rebus humanis exemptus est; cui successit Joannes filius ejus, patre multo humanior, et meritis exigentibus, populo nostro patre longe acceptior; qui etiam non omnino sincerus erga Latinos orientales exstitit, sicut docebunt sequentia. Dominus quoque Paschalis Romanus pontifex viam universæ carnis ingressus est, pontificatus ejus anno sexto decimo, cui successit Dominus Gelasius, qui et Joannes Gajetanus dictus est, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellarius. Mortua est nihilominus et domina Adelasia, Siciliæ comitissa, quæ prædicti domini regis Balduini, de facto, etsi non de jure, uxor fuerat.

CAPUT VI.

Ægyptiorum exercitus tam navalis quam terrestris, in regnum ingrediuntur; rex cum suis occurrit, sed non conveniunt. Arnulfus Hierosolymorum patriarcha moritur; substituitur ei Gormundus.

Eodem anno æstate proxime subsecuta, princeps Ægyptius, qui tunc erat pro tempore, congregata ex universis Ægypti finibus tam equitum quam peditum multitudine infinita, tam per terras quam navali exercitu, in regnum nostrum proponit violenter introire, facile putans, tam modicum populum aut consumere gladio, aut a cunctis Syriæ finibus fugientes eliminare. Transcursa igitur solitudinis vastitate, quæ inter nos et Ægyptum media interjacet, cum equitatu numeroso, et peditum jaculis instructorum infinita multitudine, ante Ascalonam castrametatus est. At vero Doldequinus, Damascenorum rex, cognito Ægyptiorum adventu, sive sponte ab eis invitatus, congregata iterum ingenti militia, devia secutus, ne forte noster ei obviaret exercitus, transito Jordane, castris se eorum associat, et vires augere nititur, in nostram læsionem. Navium autem quædam apud Ascalonam applicuerunt: quædam vero usque Tyrum, quoniam civitas erat munitissima, et portum habens commodum, profectæ sunt: exspectantes ut de domini arbitrio et de voluntate ejus qui classi præerat, eis aliquid præcipiatur. Rex autem multo ante tempore eorum adventu præcognito, tam ex Antiochenis quam ex Tripolitanis partibus, convocatis militaribus auxiliis, suisque in unum congregatis, in campestria Philisthiim, illis descendit in occursum; transitoque eo loco, qui olim Azotus dictus est, ubi una de quinque civitatibus Philisthinorum fuisse dignoscitur, de vicino Ægyptiorum castrametatus est, ita ut utrisque partibus daretur mutuo hostium castra singulis diebus intueri. Cumque jam per menses quasi tres, se invicem lacessere formidarent; nostris, tantam multitudinem in se temere irritare timentibus; illis vero, nostrorum vires, audaciam, et in præliis experientiam formidantibus; placuit Ægyptio principi tutius esse, cum incolumitate domum redire, quam in se et in suos imprudenter bellorum insidias experiri; sicque redeuntibus in Ægyptum expeditionibus, post quam de eorum subito regressu nulla nostros movebat suspicio, nostri quoque, sumpta a domino rege licentia, ad propria cum gaudio reversi sunt. Per eosdem dies, mortuo Arnulfo Hierosolymorum patriarcha, viro inquietissimo et officii sui sanctimoniam negligente, substitutus est ei vir simplex ac timens Deum, dominus Gormundus, natione Francus, de episcopatu Ambianensi, de oppido Pinqueniaco. Hujus diebus et meritis etiam, ut creditur, multa magnifice ad regni consolationem et incrementum operari dignatus est Dominus, sicut in sequentibus præsens enarrabit historia.

CAPUT VII.

Ordo militiæ Templi Hierosolymis instituitur.

Eodem anno, quidam nobiles viri de equestri ordine, Deo devoti, religiosi et timentes Deum, in manu domini patriarchæ, Christi servitio se mancipantes, more canonicorum Regularium, in castitate, et obedientia, et sine proprio velle perpetuo vivere professi sunt. Inter quos primi et præcipui fuerunt, viri venerabiles, Hugo de Paganis et Gaufredus de Sancto Aldemaro. Quibus, quoniam neque ecclesia erat, neque certum habebant domicilium, rex in palatio quod secus templum Domini, ad australem habet partem, eis ad tempus concessit habitaculum. Canonici vero templi Domini, plateam quam circa prædictum habebant palatium, ad opus officinarum, certis quibusdam conditionibus concesserunt. Dominus autem rex cum suis proceribus, dominus quoque patriarcha cum prælatis ecclesiarum, de propriis dominicalibus certa eis pro victu et amictu beneficia quædam ad tempus, quædam in perpetuum contulerunt. Prima autem eorum professio, quodque eis a domino patriarcha et reliquis episcopis, in remissionem peccatorum injunctum est, ut vias et itinera, maxime ad salutem peregri-

Digitized by Google

norum, contra latronum et incursantium insidias pro viribus conservarent. Novem autem annis post eorum institutionem in habitu fuerunt sæculari, talibus utentes vestimentis, quales pro remediis animarum suarum populus largiebatur. Tandem nono anno, concilio in Francia apud Trecas habito, cui interfuerunt dominus Remensis, et dominus Senonensis archiepiscopi, cum suffraganeis suis ; Albanensis quoque episcopus, apostolicæ sedis legatus; abbates quoque Cisterciensis, et Clarevallensis, et Pontiniacensis, cum aliis pluribus, instituta est eis regula, et habitus assignatus, albus videlicet, de mandato domini Honorii papæ et domini Stephani Hierosolymitani patriarchæ. Cumque jam annis novem in eodem fuissent proposito, non nisi novem erant; extunc cœpit eorum numerus augeri, et possessiones multiplicabantur. Postmodum vero, tempore domini Eugenii papæ, ut dicitur, cruces de panno rubeo, ut inter cæteros essent notabiliores, mantellis suis cœperunt assuere, tam equites quam eorum fratres inferiores, qui dicuntur servientes. Quorum res adeo crevit in immensum, ut hodie trecentos plus minusve in conventu habeant equites, albis chlamidibus indutos : exceptis fratribus, quorum pene infinitus est numerus. Possessiones autem tam ultra quam citra mare adeo dicuntur immensas habere, ut jam non sit in orbe Christiano provincia, quæ prædictis fratribus bonorum suorum portionem non contulerit; et regiis opulentiis pares hodie dicantur habere copias. Qui, quoniam juxta templum Domini, ut prædiximus, in palatio regio mansionem habent, fratres militiæ Templi dicuntur. Qui cum diu in honesto se conservassent proposito, professioni suæ satis prudenter satisfacientes, neglecta humilitate (quæ omnium virtutum custos esse dignoscitur; et in imo sponte sedens, non habet unde casum patiatur) domino patriarchæ Hierosolymitano, a quo et ordinis institutionem, et prima beneficia susceperant, se subtraxerunt, obedientiam ei, quam eorum prædecessores eidem exhibuerant, denegantes; sed et Ecclesiis Dei, eis decimas et primitias subtrahentes, et eorum indebite turbando possessiones, facti sunt valde molesti.

CAPUT VIII.

Papa Gelasius defungitur ; cui Calixtus succedit.

Anno sequenti mortuus est dominus Gelasius papa secundus, domini Paschalis successor, qui et Joannes Gaetanus dictus, vir litteratus ; qui fugiens domini Henrici imperatoris persecutionem, et æmuli sui antipapæ, qui cognominatus est Burdinus, declinans violentiam, in regnum Francorum se conferens, apud Cluniacum diem clausit extremum, ibidem etiam sepultus. Cui successit dominus Guido, secundum carnem nobilis, Viennensis archiepiscopus, qui postea in papatum assumptus, Calixtus appellatus est. Hic postmodum domini imperatoris Henrici, cujus consanguineus erat, consecutus gratiam et ejus fretus auxilio, in Italiam cum cardinalibus et universa curia descendens, apud Sutrium, urbem Romæ conterminam, æmulum et hæresiarcham Burdinum violenter cepit : insuper et camelo impositum, cute indutum ursina, ad Canense cœnobium, quod juxta Salernum situm esse dignoscitur, cum multa misit ignominia, ubi usque in supremum senium, vitam compulsus est, lege loci, ducere cœnobiticam. Et ita sopitum est schisma, quod a tempore domini Gregorii septimi, per tempora domini Urbani, domini Paschalis, domini quoque Gelasii, prædecessorum ejus, quasi per triginta annos Ecclesiam incessanter fatigaverat, domino imperatore Henrico ad ovile Ecclesiæ post multa tempora, quibus per excommunicationis sententiam a cœtu fidelium præcisus fuerat, revocato.

CAPUT IX.

Gazzi quidam Turcorum satrapa potentissimus, partibus Antiochenis, cum ingentibus se infundit copiis, universa depopulans

Eodem anno, quidam infidelium potentissimus princeps et apud suos valde formidabilis, infelicis populi et perfidæ plebis, videlicet Turcomannorum dominus, Gazzi nomine, cui se adjunxerant Doldequinus Damascenorum rex et Debeis Arabum satrapa potentissimus, cum ingentibus copiis partes Antiochenas, in gravi suorum multitudine ingressus erat, citra Halapiam castrametatus. Cujus adventu præcognito dominus Rogerus Antiochenus princeps, domini regis sororius, circumpositis mandat principibus, domino videlicet Joscelino Edessanorum comiti, domino quoque Pontio comiti Tripolitano, domino nihilominus etiam regi, et significat instantem necessitatem; monens et obnixius postulans, ut cum omni celeritate, contra instantia pericula, opem laturi venire non morentur. Rex ergo, assumptis sibi, quas tam subito de regno colligere potuit, militaribus copiis, Tripolim usque maturatis itineribus pervenit, ubi dominum comitem, ad iter peræque succinctum, secum associans, cœpto instat itineri. At vero dominus princeps, interim moræ impatiens de communi lege mortalium, futurorum nescius, egressus ab Antiochia, circa Artasium oppidum castrametatus fuerat. Erat autem is locus alendis exercitibus satis commodus; nam ex nostris finibus erat, volentibus ad exercitum accedere, liber et facilis accessus; unde in expeditione necessariorum erat ubertas maxima, et quanta in urbibus solet, optata commoditas. Ubi cum per dies, aliquot domini regis et comitis exspectasset adventum, prohibente domino patriarcha, qui illuc usque eum fuerat prosecutus, retinentibus etiam de proceribus nonnullis, exercitum jubet iter arripere, fortiter contestans, se nullius deinceps præstolaturum adventum. Erant autem quidam de nobilibus regionis, qui ad hoc eum impellebant; non ut conditiones exercitus facerent meliores, sed ut terras suas, quas hostium castris vicinas habebant, præsente exercitu, in tuto col-

Digitized by Google

cerunt. Horum ergo consilium secutus, in suam A suorumque cladem præceps, ab eo loco ubi prius fuerat discedens, in eum qui dicebatur Campus sanguinis castra jubet locari; recensitoque ejus exercitu, inventi sunt equites septingenti et peditum instructorum tria millia, exceptis negotiatoribus, qui emendi vendendique gratia castra solent sequi. Hostes vero cognoscentes castra principis in proximo locata, ut dissimulantes propositum, conceptum commodius possent effectui mancipare, solutis castris fingunt se versus Cerepum oppidum acies dirigere : quo pervenientes, cum ea nocte nihil proficerent, circa partes castrametati sunt. Mane facto, princeps exploratores dirigit, nosse volens utrum ad obsidendum oppidum hostes se dirigant; aut ad committendum cum nostris ad ca- B stra contendant; dumque ipse cum suis, armis se instruerent, quasi jam bellum præsens exspectantes, ecce nuntii recurrentes, uno verbo asserunt, hostes tribus turmis ordinatis, habentibus singulis equitum vicena millia, citatis gressibus, ad nostrum exercitum accedere. Quo cognito, princeps quatuor instaurat acies; et equo circumvolans, circuit diligenter, et verbis competentibus animat instauratas; dumque in his daret operam, ecce hostium acies, erectis vexillis nostro exercitui pene jungebantur. Commissum est itaque prælium, utrisque animose instantibus; sed peccatis nostris exigentibus, facta est pars adversa superior. Nam acies quibus præerant viri nobiles et in armis strenui, Gaufridus C monachus et Guido Fremellus, quæ primæ fuerant ad irruendum in hostes deputatæ, optime et secundum rei militaris disciplinam progressæ, majores hostium cuneos et densiores cohortes, violenter dissolutas, pene in fugam adegerant; sed acies cui præerat Robertus de Sancto Laudo, cum exemplo aliarum quæ præcesserant, animosius debuisset in hostes irruere, hostibus vires resumentibus, substitit improbe; demumque in fugam lapsa, principis aciem, quæ aliis erat ministratura, solvit per medium et partem secum in fugam vertit, ita ut de cætero revocari non posset. Accidit etiam in eodem prælio quiddam relatione dignum. Nam dum in ipso præliandi agone, hinc inde ferventius desudarent, ecce turbo ab aquilone prodiens immanis- D simus, in medio belli campo, cunctis cernentibus hæsit humi; serpendoque longius tantum congesti pulveris secum detulit, quod utriusque partis oculos pulveris immensitate, ne pugnare possent, perstrinxit; seque per gyrum extollendo, in modum dolii sulphureis ignibus combusti in sublime se contulit. Facti sunt itaque hostes eo casu superiores; et pars nostra corruit, nostris pene omnibus gladio interemptis.

CAPUT X.

Princeps Rogerus occumbit in acie; et noster prosternitur exercitus.

Princeps autem, tanquam vir in armis strenuus, cum paucis in medio hostium viriliter dimicans, dum suos incassum revocare contendit, contra hostium majores se dirigens impetus, gladiis confossus interiit. Qui autem sarcinas et impedimenta secuti erant, in montem vicinum se contulerant; qui vero hostium arma videbantur effugisse, bellicis se tumultibus eximentes, videntes nostros in montis culmine conglobatos, opinantes eos vires ad resistendum habere, et cum eis posse salvari, ad illos certatim accedebant : quo cum pervenissent universi, hostes eis qui in campis erant, penitus gladio interemptis, ad illos se convertunt; et directis illuc cohortibus, omnes in momento horæ trahunt ad exterminium. Rainaudus autem Mansuerus, quidam de majoribus illius regionis principibus, cum quibusdam aliis nobilibus, in turrim cujusdam vicini oppidi, cui Sarmatan nomen, gratia salutis se contulerat. Quod postquam prædicto Turcorum principi compertum est, illuc sub omni celeritate convolans, prædictos nobiles viros, qui intus se collegerant, ad deditionem violenter compellit; sicque factum est illa die, quod de tot millibus qui dominum principem secuti fuerant, culpis nostris id merentibus, vix vel unus qui nuntiaret, evasit; de hostibus vero, vel paucis, vel nemine interfectis. Dicitur autem hic idem princeps Rogerus, homo fuisse perditissimus, incontinens, parcus et publicus adulter. Insuper etiam dominum suum juniorem Boamundum, senioris Boamundi filium, in Apulia cum matre morantem, ab Antiochia, quæ paterna ei hæreditas erat, omni eo tempore quo principatum tenuit, fecerat alienum. Nam ea conditione dominus Tancredus, bonæ memoriæ, moriens ei principatum commiserat, ut reposcenti domino Boamundo, vel ejus hæredibus, non negaret. Dicitur tamen quod in ea expeditione qua confossus interiit, apud dominum Petrum, venerabilem virum, Apamiensem archiepiscopum, qui eidem necessitatis articulo præsens interfuerat, corde contrito et humiliato delicta sua coram Deo confessus fuerat, promittens, auctore Domino, pœnitentiæ fructus condignos; et sic vere pœnitens, prælii discrimen ingressus est.

CAPUT XI.

Rex et comes Tripolitanus Antiochiam properant, ut prædicto Gazzi resistant.

Interea rex et comes Tripolitanus accedentes, ad eum locum qui dicitur mons Nigronis pervenerant; quod prædictus Gazzi comperiens, decem millia equitum electorum eis obviam dirigit, qui eorum, si possent, impediant accessum. Hi vero abeuntes, in tres turmas se dividunt, unam ad mare versus Sancti Simeonis portum dirigentes, alias duas diversis itineribus regi obviam destinantes. Contigit autem quod unam ex duabus turmis obviam habuit, quam prævia Domini misericordia, pluribus interfectis et captivatis nonnullis, violenter dissolutam, in fugam convertit. Inde per Latorum et Casambellam Antiochiam perveniens, a domino patriarcha, clero quoque et populo universo cum summis desideriis

Digitized by Google

est susceptus; ubi tam cum suis quam cum iis qui de prædicto prælio fuerant residui, deliberationem ingressus, quærit quid in eo tantæ necessitatis imminenti articulo magis expediat. Interea Gazzi, dimissis oppidis Ema et Artasio, Cerepum obsidet, ea magis fiducia, quod Alanum ejusdem loci dominum cum comitatu suo a domino rege audierat Antiochiam evocatum; quod et verum erat. Accedens ergo ad præsidium, et locum imparatum reperiens, ex diversis partibus fossores immittit, qui collem cui prædictum insidebat municipium suffoderent, trabibusque subnexum, igni postea supposito consumendis, turres superpositas et mœnia, cedente aggere, ad terram dejiceret. Timentes ergo oppidani, ne suffosso aggere totum præsidium in præceps rueret, interpositis conditionibus de vita et incolumitate, et libero ad suos reditu, locum tradunt. Gazzi verò inde ad castrum Sardonas acies dirigens, obsidione locum vallat, quem etiam intra paucos dies, tradentibus eum loci ejusdem habitatoribus, eodem modo recepit; moræque impatiens, eoque maxime, quod neminem sibi resistere posse arbitrabatur, cunctam pro arbitrio tractabat regionem, ita quod nulla spes esset finitimorum locorum incolis jugum tanti principis evadendi.

CAPUT XII.

Rex cum eodem comite, cum prædicto Gazzi congrediuntur; et eo in fugam verso, acies ejus prosternunt, pluribus interemptis; regique principatus cura committitur.

Rex autem cum comite, et militia quantam habere poterat, egressus Antiochia, putans se apud Cerepum hostes invenire, versus Rugiam dirigit expeditiones: inde Hab pertransiens, in monte qui dicitur Danim castrametatus est. Quod audiens Gazzi, convocatis principibus suis, sub interminatione mortis præcipit, ut noctem illam ducentes insomnem, armis et equis cum summa diligentia procurandis totam impendant; summo diluculo ante lucis exortum attentius præparati, in castra regis irruant, et eos somnolentos adhuc invenientes, gladiis confodiant; ita ut nec vel uni mortem liceat effugere. At vero divina longe aliter ordinaverat clementia. Rex autem cum suis non remissiore cura sollicitus, noctem eamdem, ut de futuro bello tractaret necessaria, ducit pervigilem; monente et exhortante populum viro venerabili signo crucis Dominicæ, dominum regem usque ad partes illas fuerat prosecutus. Armati igitur, et ad bellum suscipiendum accincti viriliter, summo mane hostium exspectabant futuros impetus. Dispositis igitur de mandato regis, juxta rei militaris disciplinam, aciebus novem (nam septingentos in eo conflictu dicitur habuisse milites) et ordine congruo collocatis, Domini præstolantur misericordiam. Præmissis igitur tribus aciebus quæ agmina universa præcederent, domino quoque comite Tripolitano, cum suis dextrum cornu tenente, principibus vero Antiochenis in sinistro collocatis, pedestres manipulos in medio locat. Rex autem, aliis subsidium ministraturus, cum quatuor sequitur aciebus. Dumque sic instructi hostium adventum exspectant, ecce adsunt cum ingenti clamore, et cum stridore tubarum et tympanorum strepitu, atrocissime in nostros irruentes. Erat autem eorum major in infinita multitudine fiducia; nostris autem in præsentia victoriosissimæ crucis, et in confessione veræ fidei spes amplior et indeficiens. Consertis igitur aciebus et immistis hostiliter legionibus, gladiis cominus agitur; et spretis humanitatis legibus, tanquam in feras immanissimas ardentibus studiis, et odio insatiabili utrinque decertatur. Cumque manipulorum nostrorum pedestrium protervam et periculosam nimis cognoscerent instantiam, totis viribus ad exterminandas pedestrium turmas elaborabant. Factumque est, Domino permittente, ut ex plurima parte ea die, hostium gladiis deperirent. Rex autem videns pedestres manipulos supra vires aggravari, aciesque præmissas subsidio indigere, cum suis qui ei adhærebant, pronus inter media ruit agmina, et gladio instans animosius, densissimos hostium dissipat cuneos; adhærentibusque ei fideliter earumdem aciorum consortibus, et aliis jam destitutis, vires et animos verbis et exemplo conferentibus, unanimiter in hostes irruunt; et invocato de cœlis auxilio, adfuit divina clementia, et facta hostium strage infinita, reliquos resistere non valentes in fugam vertunt. Dicuntur ibi de nostris peditibus quasi septingenti cecidisse, de equitibus vero centum. At vero de hostium numero usque ad quatuor millia, exceptis sauciis lethaliter et compedibus mancipatis. Gazzi vero fugiens cum Doldequino rege Damascenorum et Debeis Arabum principe, suos morti expositos dereliquit. Nostris autem insectantibus et ad loca varia progressis, rex cum paucis campum obtinens, usque ad primas noctis partes in eo perseveravit. Tandem victualium urgente defectu, in vicinum oppidum, Hab nomine, gratia refectionis sumendæ se contulit. Unde mane facto, ad prædictum rediens campum nuntios, cum annulo proprio, in certum signum victoriæ, ad sororem suam et ad dominum patriarcham dirigit, significans, divina opitulante gratia, victoriæ munus sibi divinitus collatum. Ea tamen die usque ad supremam vesperam campum non deseruit, quoadusque rumore certo de hostibus habito, quod in dispersionem dati, redituri non erant. Tandem vero, coadunatis sibi quotquot de suis in præsenti habere potuit, Antiochiam palma insignis, occurrente ei universæ civitatis clero et populo, cum domino patriarcha, victor ingressus est. Concessa est autem nostris divinitus hæc victoria, anno ab Incarnatione Domini 1120, regni quoque domini Balduini regis secundi, anno secundo mense Augusto, in vigilia Assumptionis sanctæ Dei genitricis Mariæ. Rex vero cum domino Cæsariensi archiepiscopo et honesto comitatu, lignum vivificæ crucis remisit Hierosolymam, ita ut in die Exalta-

Digitized by Google

tionis ejusdem, a clero et populo cum hymnis et canticis spiritualibus sit honorifice recepta. Ipse autem propter ingruentes regionis necessitates, in eadem provincia moram facere compulsus est : ubi tam dominus patriarcha quam universi proceres una cum clero et populo, consonis desideriis et gratuito assensu principatus Antiocheni curam et omnimodam potestatem regi tradunt, ita ut liberam, sicut in regno habebat, in principatu habeat instituendi, destituendi, et omnia pro arbitrio tractandi facultatem. Collatis igitur liberis, vel aliorum graduum consanguineis, eorum qui in acie ceciderant possessionibus, prout ratio vel regionis consuetudo deposcebat; viduis quoque apud compares et competentis meriti viros, nuptui collocatis : præsidiis quoque, quibus videbatur necessarium, viris, victu, armis diligentius communitis sumpta ad tempus ab eis licentia, in regnum reversus est. Ubi in ecclesia Bethlehemitica solemni navitatis Dominicæ cum uxore coronatus est.

CAPUT XIII.

Apud Neapolim, urbem Samariæ concilium celebratur.

Eodem anno, qui erat ab Incarnatione Domini 1120, cum peccatis nostris exigentibus regnum Hierosolymorum multis vexationibus fatigaretur, et præter eas quæ ab hostibus inferebantur molestias, locustarum intemperie et edacibus muribus, jam quasi quadriennio continuo fruges ita penitus deperissent, ut omne firmamentum panis defecisse videretur; dominus Gormundus Hierosolymorum patriarcha, vir religiosus ac timens Deum, una cum domino rege Balduino, prælatis quoque ecclesiarum et regni principibus, apud Neapolim urbem Samariæ convenientes, conventum publicum et curiam generalem ordinaverunt. Ubi sermone ad populum habito, exhortationis gratia; cum apud omnes constare videretur, quod populi peccata Dominum ad iracundiam provocassent, de communi statuunt consilio errata corrigere, et excessus redigere in modum, ut tandem ad frugem melioris vitæ redeuntes, et pro commissis digne satisfacientes, eum sibi redderent placabilem, qui peccatoris non vult mortem, sed magis ut convertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII). Deterriti ergo signis de cœlo minacibus, et terræmotu frequenti, clade quoque, simul et famis angustia, et hostium proterva nimis et pene quotidiana instantia, per opera pietatis Dominum sibi reconciliare quærentes, ad morum erigendam conservandamque disciplinam, viginti quinque capitula, quasi vim legis obtinentia, de communi sanxerunt arbitrio. Quæ si quis legendi studio, videre quærit, in multarum archivis ecclesiarum, ea facile reperire potest. Interfuerunt autem huic concilio : dominus Gormundus, Hierosolymorum patriarcha; dominus Balduinus, Hierosolymorum ex Latinis rex secundus; Ebremarus, Cæsariensis archiepiscopus; Bernardus, Nazarenus episcopus; Asquitillus, Bethlehemita episcopus; Rogerus, Lindensis episcopus; Gildonus, electus abbas Sanctæ Mariæ de valle Josaphat; Petrus, abbas de monte Thabor; Achardus, prior Templi; Arnaldus, prior montis Sion; Gerardus, prior Sepulcri Domini; Paganus, regis cancellarius; Eustachius Graniers, Willelmus de Buris, Barisanus, Joppe constabularius, Balduinus de Rames, et alii multi utriusque ordinis, quorum numerum vel nomina non tenemus.

CAPUT XIV.

Rursum Gazzi prædictus, renovatis expeditionibus; fines ingreditur Antiochenos, cui rex occurrit. Gazzi vero apoplexia tactus moritur.

Anno sequenti, prædictus fidei et nominis Christiani pertinax et indefessus persecutor Gazzi, tanquam vermis inquietus, semper quærens quem lædere possit, sumpta occasione ex regis absentia, convocatis militaribus copiis, apponit etiam quædam nostrorum præsidia obsidere; quo præcognito dominum regem urgentissime vocant. Ille vero impiger, assumpto sibi salutiferæ crucis ligno, equitumque honesto comitatu, ad partes illas properat : vocato etiam domino Joscelino Edessano comite, sociatisque sibi Antiochenis proceribus, contra prædictum potentem castra dirigit, quo cum pervenisset, sperantes in proximo bellum se habiturum, contigit quod morbo, qui apoplexia appellatur, tetigit eum manus Domini. Unde magnates qui in ejus erant exercitu, principis sui destituti solatio, bellum prudenter sanoque consilio declinaverunt : dominumque suum in lectica semivivum deferentes, Halapiam properabant. Ad quam priusquam pervenirent, ille æternis tradendus incendiis, infelicem dicitur animam exhalasse. Rex quoque facta apud Antiochiam mora, quæ videbatur pro tempore necessaria, in regnum, auctore Domino, sospes reversus est; apud utrosque tam in regno quam in principatu, meritis suis id exigentibus, charus admodum et acceptus : utramque nimirum administrationem fideliter devoteque implebat, regni videlicet et principatus, licet multum distarent ab invicem. Nec erat facile discernere, utrius sollicitudine magis angebatur : licet regnum ejus esset proprietas, quam etiam ad successores suos jure posset transmittere; principatus vero, commissus. Majoremque etiam videbatur pro statu Antiochenorum exhibere diligentiam : in eoque se continuavit bona fide, usque ad adventum domini Boamundi junioris, sicut in subsequentibus dicetur.

CAPUT XV.

Rex civibus Hierosolymitanis omnimodam donat libertatem, et suo communit privilegio.

Per idem tempus, rege Hierosolymis existente, pia liberalitate et largitione principali, civibus contulit Hierosolymitanis, et sigillo regio communitam eis præcipit paginam fieri, in perpetuum valituram, libertatem consuetudinum, quæ a civibus merces inferentibus vel efferentibus solebat exigi : ita ut de cætero, omnis Latinus ingrediens vel egrediens, sive mercimonia inferens sive educens, omnino

Digitized by Google

nihil sub prætextu alicujus consuetudinis aliquid cogatur præstare, sed liberam prorsus vendendi et emendi habeat potestatem. Dedit etiam Surianis, Græcis, Armenis, et harum cujuslibet nationum hominibus, Saracenis etiam nihilominus liberam potestatem, sine exactione aliqua inferendi in sanctam civitatem, triticum, hordeum et quodlibet genus leguminis. Modii etiam et ponderis remisit mercedem consuetudinariam; in quo prædicti populi sibi conciliavit animos, et gratiam publicam sibi promeruit. In utroque enim, regio more et affectu plurimum commendabili, civibus videtur providisse, ut et civitas, sine exactione illatis alimentis, abundaret amplius; et quod tam ipse quam ejus prædecessor tota diligentia procurabat, ut urbs Deo amabilis multiplicatis et frequentioribus habitatoribus incoleretur.

CAPUT XVI.

Doldequinus Damascenorum rex, Tiberiadensium fines depopulatur; rex occurrit, urbem diruit Gerazam.

Anno sequente, Doldequinus, perfidus et impius Damascenorum rex, fœderato sibi Arabum principe, et ejus sibi sociata militia, vidensque dominum regem pro utraque regione, viribus suis imparem portare sollicitudinem, de ejus præsumens occupationibus, regionem nostram Tiberiadi proximam, immissis legionibus, hostiliter nimis vastare cœpit. Quo audito, dominus rex congregata de universi regni finibus militia illuc more suo impiger contendit. Doldequinus vero regis præcognito adventu, videns, eo præsente, se non posse proficere, nec cum eo conserere tutum reputans, in ulteriora regni se contulit. Rex autem cum suis agminibus in austrum declinans, Gerasam pervenit. Fuit autem Gerasa una de nobilibus provinciæ Decapoleos civitatibus, a Jordane paucis distans milliaribus, monte Galaad contermina, in tribu Manasse sita. In hujus parte munitiore, quoniam reliqua civitas hostilitatis metu diu jacuerat desolata, castrum ex quadris et magnis lapidibus, cum multis sumptibus erigi sibi fecerat anno præterito Doldequinus; victuque et armis communitum, quibusdam fidelibus suis conservandum tradiderat: quo perveniens rex, impugnato vehementius præsidio, quadraginta milites, qui in eo ad custodiam relicti fuerant, interpositis conditionibus, quod cum salute ad suos haberent reditum, castro recepto, permisit abire incolumes; habitaque cum suis deliberatione, utrum magis expediret dirui funditus præsidium, aut Christianitati reservari, placuit de universorum assensu municipium everti funditus; nam sine multis sumptibus, et labore continuo, et multo periculo transeuntium, non videbatur a nostris posse conservari.

CAPUT XVII.

Balac, Turcorum potentissimus princeps, fines Antiochenos violenter ingreditur; comes Joscelinus ab eodem capitur; rex quoque in ejus vincula decidit, captus ab eodem.

Cum ita ergo, per gratiam Dei, se regni prospere satis haberent negotia, invidens pacis inimicus tranquillitati, quam sperabat, scandalum moliius est injicere. Pontius enim Tripolitanorum comes secundus, nescimus cujus instinctu, regi Hierosolymorum suum denegabat hominium; et servitium, quod de jure fidelitatis tenebatur impendere, impudenter negabat. Rex autem tantam non ferens injuriam, collectis ex universo regno tam equitum quam peditum copiis, ad partes illas pervenit, super tanta injuria ultionem petiturus: ubi antequam aliquid damni passa esset pars alterutra, intervenientibus viris honestis et Deo amabilibus, pax inter eos conveniens reformata est. Inde procedens, propter illorum necessitates ab Antiochenis vocatus, ad partes illas descendit. Balac enim Turcorum princeps, magnificus et potens, regionem totam frequentibus irruptionibus molestabat, idque confidentius, quia paulo ante dominum Joscelinum, Edessanum comitem et dominum Galerannum ejus consanguineum, ex improviso in eos irruens, ceperat et captos vinculis mancipaverat. Sciens ergo dominum regem advenisse, cœpit a suis incursionibus aliquantulum retardari et ejus declinare conflictus; audierat enim quod in præliis esset fortunatior, et de eo cuilibet difficile esset triumphare. Circuibat tamen cum expeditione militia, quasi de remoto, si ei daretur locus, ut nostris inferre damna posset, et circa id erat sollicitus. Rex igitur cum sua, quam secum deduxerat militia, in terram comitis Edessani descendit, ut populo rectore carenti, aliquod impertiret solatium: circumiensque regionem, diligenter quærebat, utrum munita essent præsidia, et sufficientes equitum peditumque, armorum quoque et alimentorum haberent copias; et ut defectus suppleret, debitam gerebat sollicitudinem. Contigit autem, dum eadem cura sollicitus Edessam properaret, ab oppido Turbessel egressus, ut eadem diligentia de statu regionis trans Euphratem esset instructior, et cuncta pro posse in melius reformaret; nocte quadam iter conficiens inceptum, cum suo domestico proficiscebatur comitatu, ubi dum aliquantulum incautius, dissoluto agmine et dormitantibus pene universis, iter agerent securi: Balac prædictus, qui regis iter præsenserat, in insidiis positus, subito irruit, regisque comitatum imparatum reperiens et somno gravatum, casu in ipsum regem incidit, manus injecit, secumque deduxit captum, tam iis qui præibant quam qui sequebantur, ad partes varias fuga dilapsis, et quid regi accidisset ignorantibus. Captum ergo sæpedictus Balac regem, trans Euphratem in præsidio, cui Quartapiert nomen, vinculis fecit mancipari, ubi erant etiam Joscelinus comes et Galerannus, de quibus supra dictum est. Nostri autem principes qui in regno erant, audito casu miserabili, qui domino regi acciderat, una cum domino patriarcha de statu regni valde solliciti, apud urbem Acconensem, cum ecclesiarum prælatis, quasi vir unus conveniunt; et ducem atque præceptorem sibi de

Digitized by Google

communi voto constituunt dominum Eustachium Grener, virum providum et discretum, et rei militaris plenam habentem experientiam; qui duas in regno, jure hæreditario, suffragantibus meritis, possidebat civitates, Sidonem videlicet et Cæsaream, utramque cum suis pertinentiis. Tradunt ergo ei regni curam, et administrationem generalem, quoadusque dominum regem visitet Oriens ex alto, et suæ libertati restituens, negotiis regiis possit supercsse. Sed interim ad ea, quæ de domino rege cœperamus, retorqueamus historiam.

CAPUT XVIII.

Quidam Armenii, ut regem expediant, gravi se exponunt periculo; castrum in quo detinebantur captivi, occupant; liberatur comes Joscelinus.

Domino ergo rege apud castrum prænominatum, cum domino comite in vinculis constituto, notum habentes quidam Armenii de terra comitis, quod tanti principes Christiani nominis in eo municipio captivi tenerentur, pro nihilo ducentes periculum, si etiam eorum artes prosperum non haberent exitum, novas ineunt inauditi moliminis vias. Quidàm tamen asserunt hos eosdem domini Joscelini diligentia vocatos, et spe remunerationis amplissimæ, huic se exposuisse discrimini. Quinquaginta enim ex eis, qui robustiores videbantur, fide interposita, et mutuis obligati juramentis, apud se constituunt, ut illuc euntes, prædictos viros magnificos, quocunque periculo, liberare contendant. Habitu ergo se simulant monachos; sicas sub laxis vestibus portantes, ad prædictum tendunt oppidum, tanquam de negotiis monasteriorum acturi aliquid; simulant verbo et gemitu, et faciei modificatione se a quibusdam vim injuriamque passos : præfecto loci ad cujus sollicitudinem spectabat, ne quid in locis adjacentibus enormiter et contra disciplinam temporum fieret, id se velle cum lacrymis protestari, asserunt. Alii dicunt eos quasi mercatores, viliurn mercium portatores, oppidum ingressos. Admittuntur tandem, et municipium ingressi, exerunt gladios et occurrentes sibi perimunt universos. Quid plura? Obtento castro, regem solvunt et comitem; et castrum muniunt quantum possunt. Rex interim comitem Joscelinum emittere disponit, ut sibi et sociis, quorum opera expediti videbantur, auxilium congreget, et velocius mittere non moretur. Cognoscentes autem, qui in suburbanis habitabant Turci, quod hac fraude rex, et qui cum eo intus erant, castrum obtinuerant, arma corripiunt, et ad locum accedentes, procurant diligentius, ut saltem usque ad adventum Balac domini sui, his qui in oppido erant, introitus negent et exitus. Comes tamen Joscelinus, assumptis sibi tribus sociis, quorum duos itineris haberet comites, tertium ad dominum regem de statu suo significans, statim remitteret, hostium se exponens insidiis, egressus est; et Domini protectus misericordia, ignorantibus his qui castrum obsederant, cum duobus consortibus, ut præordinatum fuerat, viam arripit, tertium remittens in oppidum, cui et annulum suum tradidit in signum, quod cum salute, hostium cuneos evaserat. Rex autem cum his quorum ope solutus erat, præsidium munire totis viribus satagebat, tentans, si quo pacto usque ad adventum subsidii, quod in proximo sperabat, illud sibi conservare posset.

CAPUT XIX.

Balac iterum idem castrum violenter recipit, prædictis Armeniis gladio interemptis.

At vero Balac terribili visione eadem nocte turbatus, in somnis videbatur sibi videre, quod comes Joscelinus eum propriis manibus, luminibus orbaret. Quo visu territus, summo mane ad prædictum oppidum nuntios dirigit, qui dominum Joscelinum absque mora decollarent. Qui accedentes ad castrum propius, cognoscentes quod eo casu in manus hostium devenisset, remenso itinere cum omni velocitate ad dominum redeunt, omnia quæ illic gesta fuerant, ordine pandentes. Ipse vero convocatis undique militaribus copiis, ad partes illas impiger contendit, et locatis in gyrum expeditionibus, obsidione vallat eos, qui in oppidum se contulerant. Ubi per internuntios habito sermone cum domino rege, spondet et promittit firmius, quod si absque difficultate præsidium ei restituat, ipse sibi et suis omnibus liberum exitum et securum usque ad urbem Edessanam præstaret conductum. Rex autem de oppidi munitione confisus, sperans cum adminiculo eorum, qui ad eum ingressi fuerant, castrum posse ad adventum subsidii violenter detinere, conditiones respuit oblatas, et in defensione municipii instantius perseverat. Balac vero, spretis conditionibus iratus admodum, artifices convocat et machinas ordinat multiplices, quibus solent hostium præsidia impugnari : et instans protervius, in omne argumentum, quo nocere possit obsessis, subtiliter se attollit. Erat autem collis, supra quem situm erat oppidum, cretaceus et ad suffodiendum facilis. Videns ergo ea parte facilius posse locum aggravari, immissis fossoribus, scrobes præcipit ingentes intus colle suffodi, trabibusque et lignea materia sustentari : deinde receptis artificibus, igne immisso, succensa quæ intus erat materia, collis subsedit; et turri quæ superposita erat, cum ingenti fragore collapsa, timuit rex ne casu simili universum præsidium in præceps rueret, castrum Balac nullis interpositis conditionibus resignavit. Qui obtento castro, domino regi, et cuidam nepoti suo, domino quoque Galeranno vitam indulsit; eosque in Carram, civitatem Edessæ vicinam vinctos compedibus præcipit deportari, et eos ibidem sub arcta conservari custodia. Prædictos autem Armenios, viros strenuos et fideles, qui ut regem et dominum suum a vinculis solverent, tantis se exposuerant periculis, variis affecit cruciatibus. Alios enim vivos decoriari fecit, alios serra dividi per medium, alios viventes sepeliri, alios pueris suis quasi signum ad sagittandum tradi;

Digitized by Google

qui, etsi coram illis tormenta passi sunt, spes tamen illorum immortalitate plena est; et in paucis tentati, in multis bene disponentur.

CAPUT XX

Comes Joscelinus congregata ingenti militia, ut dominum regem expediat, Antiochiam pervenit; sed facti quod acciderat novitate motus, acies dissolutas remittit ad propria.

At vero comes Joscelinus, cum iis quos assumpserat viæ consortes, cum multa sollicitudine et timore continuo iter incœptum peragens, cum victu modico et duobus utribus, quos secum casu detulerat, usque ad fluvium magnum Euphratem pervenit. Ubi habita cum periculorum consortibus, quomodo fluvium transire posset, deliberatione, impletis vento utribus, eisque fune sibi circumpositis, regentibus eum a dextra lævaque sociis, quibus multum erat in natando exercitium, auctore Domino, ulteriorem ripam sanus et incolumis attigit. Inde non minore periculo, nudis pedibus, labore pressus insolito, fame et siti, et lassitudine fatigatus, tandem prævia Domini misericordia, apud insigne oppidum ejus Turbessel pervenit: inde injuncti verbi plenam gerens sollicitudinem, aptato sibi necessario pro tempore comitatu, Antiochiam, deinde cum consilio domini patriarchæ Bernardi, Hierosolymam profectus, rem domino patriarchæ et regni principibus ordine pandit, casum qui acciderat, seriatim aperit, ad subsidium sine dilatione invitat: asserens regis negotium dilationes non posse capere, sed opus esse maturo consilio et indilato. Factumque est ita, ut ad ejus exhortationem congregatus sit regni universi populus, quasi vir unus; et assumpta sibi cruce Dominica de singulis urbibus, quæ erant mediæ, auxilia sibi conjungentes, Antiochiam pervenerunt, ubi adjunctis sibi ejusdem civitatis tam plebe quam patribus, prævio comite, Turbessel pervenerunt. Ubi quid circa dominum regem medio tempore accidisset, plenius cognito, comperto quod ulterius procedere non esset fructuosum, de communi consilio ordinatum est, ut singuli redirent ad propria; tamen ne omnino nihil fecisse viderentur, ordinant apud se, ut apud Halapiam transeuntes experiantur, utrum aliquid damni aut injuriæ hostibus inferre possint; quod secundum propositum factum est. Nam ante urbem prædictam habentes transitum, cives ejusdem loci, contra eos quasi ad pugnandum egressos, in urbem regredi violenter compulerunt: diebus quatuor continuis, invitis civibus moram ibi facientes. Qui autem de regno erant, ab aliis divisi, in regnum redeuntes, circa partes Scythopolitanas, transito Jordane, terras hostium subito ingrediuntur, et imparatos reperientes, irruunt super eos, pluribusque ex eis gladio interemptis; captivatis etiam infinitis tam viris quam mulieribus, cum ingenti præda et opimis spoliis læti ovantesque ad propria reversi sunt.

CAPUT XXI.

Iterum Ægyptii cum ingentibus copiis regnum ingressi sunt; sed occurrentibus nostris manu valida, mirabiliter prosternuntur.

Interea princeps Ægyptius de regis captivitate arbitrans sibi multam opportunitatem emersisse, ut regnum Hierosolymorum sibi merito suspectissimum, aliqua ex parte posset opprimere, ex omnibus Ægypti finibus militaria præcipit auxilia convocari; urbibusque maritimis mandat, præfectis operum specialiter ad hoc deputatis, galeas præparari, armari classem; et cætera quæ ad usum navalis exercitus possunt esse necessaria, sine dilatione præcipit ordinari. Paratis igitur septuaginta galeis, cum infinita pedestris exercitus multitudine, transcursa solitudine, apud Ascalonam castrametatus, cum suis resedit legionibus, classis autem usque Joppen progressa, ibi ante urbem se locavit; egressique de navibus in gravi multitudine, urbem cœperunt ex omni parte per gyrum, continuatis congressionibus, hostiliter molestare, ita ut præ inopia defendentium, securi ad murum suffodiendum accederent, et in locis pluribus debilitarent. Quod si liberas ferias urbem impugnandi per diem sequentem habuissent, effractis mœnibus, procul omni dubio, violenter occupassent civitatem; pauci enim erant intus, qui eorum congressionibus repugnarent. Interea dominus patriarcha, dominus quoque Eustachius Grener, regni constabularius, cum aliis regni principibus, congregata omni ea quam tunc habere potuerunt militia, in campestribus Cæsareæ, in loco cui Caco nomen, convenerunt; inde versus Joppen, ordinatis agminibus descendentes, dirigunt legiones. Quo audito, qui urbem impugnabant, in classem se certatim recipiunt, nostrorum adventum formidantes. Classe autem instructa, remis incumbunt, exspectantes quid suis, quos hostibus vicinos esse cognoverant, accideret. Nostri vero interea, prævia cruce Dominica, fide armati, et cooperante Dei gratia, in victoriæ spem erecti compositis aciebus et in congruum redactis ordinem juxta eum locum qui dicitur Ibelim, hostes reperiunt. Qui etiam, juxta morem eorum, cohortibus dispositis, affecti ut cum nostris procul dubio pugnarent, advenerant; sed viso nostrorum apparatu et animositate certis argumentis intellecta, qui quasi leones accesserant, lepores et leporibus timidiores, bellum detrectare cupiunt, magis tamen cupientes non incœpisse. Nostri porro populi promiscui, et plebis omnimodæ, dicebantur esse quasi septem millia: hostium vero, expeditorum ad prælium, sexdecim millium dicebatur esse numerus, exceptis his qui classi deservientes, dicebantur esse in navibus. Irruentes igitur nostri super eos in spiritu vehementi, corde contrito, et in timore Domini, auxilio de supernis invocato, instant gladiis atrocius, et cominus irrogato mortis periculo, respirandi etiam negant facultatem. Mirantur tandem Ægyptii nostrorum vires et audaciam; et quod sermone

Digitized by Google

audierant, plagis sentiunt impositis, et oculata fide contuentur. Parant tamen, et contendunt illatis resistere injuriis et nostris æqua lance respondere; sed longe impares et animis et viribus, in proposito deficiunt, fugam ineuntes. Relictis igitur castris, omni divitiarum genere et commoditate refertis, fuga vitæ consulunt. Nostri tamen insectantes instantius, quotquot ex eis consequi possunt, gladiis obtruncant, ita ut de tanta multitudine pauci vel vincula vel mortem evaserint. Dicuntur ea die septem ex eis millia cecidisse. Nostri autem victores in castra reversi, gazas Ægyptias, immensa auri argentique pondera, supellectilem varii generis pretiosissimam, papiliones et tentoria, equos, loricas, gladios copiose reperientes, jure bellorum dividentes spolia, supra modum locupletati, reversi sunt ad propria. Classis vero intellecto quid suis accidérat, ut securam sibi stationem eligerent, apud Ascalonam, quæ adhuc in eorum potestate erat, declinantes, de suorum ruina plenius edocti sunt. Per idem tempus, dominus Eustachius Grener, regni procurator, vir providus et discretus, vita decessit: in cujus loco substitutus est dominus Willelmus de Buris, vir magnificus, et per omnia commendabilis, Tiberiadensis dominus.

CAPUT XXII.

Dux Venetiæ cum classe numerosa descendit in Syriam.

Eodem tempore, audita regni Orientalis necessitate, dux Venetiæ, Dominicus Michaelis, una cum majoribus ejusdem provinciæ, composita classe, cum quadraginta galeis, gatis vigenti octo, quatuor majoribus ad devehenda onera aptatis navibus, iter in Syriam arripiunt; cumque in Cyprum insulam pervenissent, denuntiatum est eis, eorum jam præcognito adventu, quod Ægyptiorum classis circa partes Syriæ in maritima Joppensi applicuisset, et circa partes illas moram faceret, urbibus maritimis valde suspectam. Quo audito, dux præfatus suis egressum indicit, et ordinato exercitu, versus littora Joppensia cursum accelerat. Nuntiatur eis interea, quod prædicta classis Ægyptia, Joppe relicta, in partes se contulerat Ascalonitanas; audierant enim de suis, qui cum nostris in terra pugnaverant, rumores sinistros; eaque occasione ad suam se contulerant civitatem. Quo etiam Veneti per internuntios cognito, illuc classem dirigunt, optantes intime hostium classem invenire et cum eis tentare congressum. Porro sicut viri providi, et in eo negotio exercitati, classem ordinant, secundum quod eis utilius visum est. Erant sane in eadem classe quædam naves rostratæ, quas gatos vocant, galeis majores, habentes singulæ remos centenos, quibus singulis duo erant remiges necessarii. Erant autem et quatuor naves majores, ut prædiximus, ad deportanda onera, machinas, arma et victui necessaria deputatæ. Has cum gatis priores ordinant, ea intentione, ut si ab hostibus forte de remoto conspicerentur, non putaretur hostium exercitus, sed mercatorum naves. Galeæ vero subsequebantur. Sic ergo ordinato exercitu, versus littora proficiscuntur. Erat autem eis et auræ favor optabilis, et maris grata tranquillitas, et hostium classis in vicino. Cumque jam esset circa crepusculum matutinum et aurora lucis orientis nuntiaret adventum, hostes classem sentiunt advenire; die quoque luminis amplius ministrante, eam conspiciunt viciniorem. Stupefacti ergo, et plurimum timentes, remos corripiunt, et clamore et nutibus suos hortantur, ut funes rescindant, anchoras erigant, remiges ordinent et de pugna securi arma corripiant.

CAPUT XXIII.

Classem hostium circa Joppen repertam idem dux violenter effringit, et convertit in fugam, galeis pluribus retentis.

Interea dum hæc apud hostes turbato ordine et confuso tumultu, metu confusionem inducente, aguntur, ecce ex Veneticis galeis una, cui dux inerat, alias velocitate præcurrens, eam casu fortuito, cui partis dux adversæ insidebat, tanto concussit impetu, ut pene totam cum suis remigibus fluctibus involveret; aliæ tandem multa velocitate sequentes, singulæ singulas pene fretis involvunt. Fit igitur pugna gravis, et congressus utrinque valde hostilis, tantaque strages hominum, ut etiam (etsi fide videatur carere) qui interfuerunt, constanter asserant, victorum pedes, occisorum sanguine usque ad summum eorum, cruentatos sorduisse: mare vero adjacens de præcipitatis corporibus, et effluente de navibus interemptorum sanguine, usque ad passuum in circuitu duo millia, colorem sanguineum contraxisse; littora vero cadaveribus a salo projectis ita repleta fuisse, ut de fetore putrescentium funerum, circumposita regio et luem contraheret, et aeris corruptelam. Continuatur cominus pugna, et ardentibus studiis impugnant hi, illi tentant resistere; sed tandem auctore Domino, facti superiores Veneti, hostes vertunt in fugam; retentis galeis quatuor, cum totidem gatis et nave una maxima, duce eorum interempto, victoriam obtinuerunt sæculis memorabilem. Collata igitur nostris divinitus prædicta victoria, nolentes tempus inutiliter consumere, præcipiente duce, versus Ægyptias partes usque Laris antiquissimam solitudinis urbem maritimam, pervenerunt, explorantes utrum hostium naves aliquas sibi casu haberent obvias: quod ita factum est, et ita eis successit ad votum, tanquam si aliquo certo nuntio universa quæ postea acciderunt, ex ordine didicissent; nam illis in eo pelago laborantibus, decem naves hostium haud longe ab eis visæ sunt, ad quas cum omni celeritate contendentes, primis congressionibus eas violenter occupant, viris quos in eis reperiunt partim occisis, partim compedibus mancipatis. Erant autem naves eædem Orientalibus oneratæ mercimoniis, speciebus videlicet, et pannis sericis; quæ omnia secundum consuetudinem suam dividentes, facti locupletiores, deductis secum prædictis navibus, apud urbem Acconensem applicuerunt,

Digitized by Google

CAPUT XXIV.

Regni principes cum eodem duce conveniunt, et Tyrus obsidetur.

Dominus vero patriarcha Hierosolymorum Gormundus; dominus quoque Willelmus de Buris, regni constabularius et procurator, Paganus quoque regius cancellarius, una cum archiepiscopis, episcopis, et cæteris regni proceribus audientes, quod dux Venetiæ, cum navali exercitu, nostris applicuisset littoribus, et de hostibus ita gloriose triumphasset, miserunt nuntios ad eum, viros prudentes et honestos, qui eum et populi Venetorum primores, exercitusque capitaneos, ex parte domini patriarchæ, principum et populi salutarent, et conceptam de eorum adventu lætitiam significarent: invitantes eos, ut regni commoditatibus indifferenter, tanquam cives et domestici, uti frui non dubitarent; paratos se esse asserentes, humanitatis legibus et plena hospitalitatis gratia se eos velle tractare, prout decebat, habere propositum. Dux ergo, ut et loca sancta, diu ante concepta devotione videret, et principibus qui se tam benigne invitaverant loqueretur, relictis qui classi præessent viris prudentibus, ipse cum majoribus ejusdem populi Hierosolymam venit. Ubi honeste susceptus, et cum multa tractatus honorificentia, Natale Domini celebravit. Ubi etiam a regni principibus diligenter commonitus, ut Christi servitio et incremento regni, se ad tempus aliquod manciparet, respondit: *Quod ad hoc specialiter venerat, et ad hoc tota ejus dirigebatur intentio.* Factum est ergo de communi consilio, quod præsente domino patriarcha, et reliquis ejusdem regni principibus, convenit inter eos quibusdam pactis intervenientibus, ut alteram de maritimis urbibus, Tyrum videlicet, vel Ascalonam obsiderent; nam aliæ, per Dei gratiam, a torrente Ægypti, usque Antiochiam omnes in nostram pervenerant ditionem. Verum hic dum nostrorum voluntates ad varia rapiuntur desideria, res in periculosam pene descendit altercationem. Nam Hierosolymitæ, Ramatenses, Joppenses, Neapolitani, et qui in finibus horum erant, magnopere nitebantur, ut ad obsidendam Ascalonam proficiscerentur; erat enim vicinior, et minus laboris et sumptuum videbatur exigere. At vero Acconenses, Nazareni, Sidonii, Berytenses, Tiberiadenses, Biblii, et cæterarum maritimarum urbium habitatores, versus Tyrum dirigendos esse contendebant exercitus; allegantes quod, cum civitas esset nobilis et munitissima, totis viribus elaborandum erat, ut in nostram cederet potestatem, ne aliquando hostibus posset esse occasio, ut ad nos, gratia recuperandæ regionis et totius provinciæ, per eam haberent ingressum. Sic ergo per hanc votorum dissonantiam res in periculosas, ut diximus, pene pervenit inducias. Placuit tandem, quibusdam mediantibus, sorte definiri hujusmodi controversiam; sortis autem forma non multum ab honestate abhorrebat. Conscripserunt enim in membranis codicillos duos, alterum Tyri mentionem, alterum Ascalonæ continentes, et super altare chartulas illas locaverunt, assumentes unum de pueris innocentibus, et parentes non habentem, cui data est optio, ut quam velit illorum assumat; et utrius illarum urbium nomen secum attulerit, ad illum uterque exercitus sine quæstione dirigatur. Cecidit ergo sors super Tyrum. Hæc a senioribus quibusdam audivimus, qui constanter asserebant, se prædictis omnibus interfuisse. Confirmato ergo hoc consilio, dominus patriarcha, et inclyti regionis illius, simul cum populo universo in civitatem conveniunt Acconensem; nam Veneticorum classis in ejusdem portu civitatis, tuta statione locata erat. Præbitis ergo corporaliter juramentis, quod in finibus pactorum fideliter ab utraque parte staretur, præordinatis quæ ad hujusmodi opus solent esse necessaria, decimo quinto Kal. Martii urbem prædictam gemina vallant obsidione.

CAPUT XXV.

Rescriptum privilegii, continentis consonantiam pactorum inter Venetos et principes regni Hierosolymorum pro Tyrensi obsidione.

Sed ut nihil antiquitatis eorum quæ interim occurrunt prætereamus, libet rescriptum privilegii, consonantiam pactorum inter Venetos et principes regni Hierosolymorum continentis, ad majorum rerum gestarum evidentiam ponere, quod sic habet:

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti.

Tempore quo Calixtus papa secundus et quartus Henricus Romanorum imperator Augustus, pace eodem anno inter regnum et sacerdotium super annuli et baculi controversia, celebrato Romæ concilio, Deo auxiliante, peracta, alter Romanam Ecclesiam, alterque regnum regebat, Dominicus Michaelis Venetiæ dux, Dalmatiæ atque Croatiæ regni princeps, innumera classium militiæque multitudine, prius tamen ante importuosas Ascalonis ripas, paganorum classium regis Babyloniæ gravissima strage facta, demum in Hierusalem partes, ad necessarium Christianorum patrocinium victoriosus advenit. Rex quippe Balduinus Hierusalem secundus, tunc temporis, peccatis nostris exigentibus, sub Balac principe Parthorum, paganorum laqueo cum pluribus aliis captivus tenebatur. Propterea nos quidem Gormundus, Dei gratia sanctæ civitatis Hierusalem patriarcha, cum nostræ ecclesiæ fratribus suffraganeis, domino Willelmo de Buris constabulario et Pagano cancellario, nobis cum totius regni Hierosolymitani socia Baronum militia conjuncta, Achone in ecclesia Sanctæ Crucis convenientes; ejusdem regis Balduini promissiones, secundum litterarum suarum et nuntiorum prolocutiones, quas eidem Veneticorum duci suos per nuntios, usque Veneliam, rex ipse mandaverat, propria manu, et episcoporum sive cancellarii manu pacisque osculo, prout ordo noster exigit, datis: omnes vero barones, quorum nomina subscripta sunt, super sancta Evangelia subscriptas depactionum con-

Digitized by Google

ventiones, sanctissimo evangelistæ Marco, prædicto duci suisque successoribus, atque genti Veneticorum simul statuentes affirmavimus, quatenus sine aliqua contradictione, quæ dicta et quemadmodum inferius subscripta sunt, ita et rata, et in futurum illibata, sibi suæque genti in perpetuum permaneant. Amen.

In omnibus scilicet supradicti regis, ejusque successorum sub dominio, atque omnium suorum baronum civitatibus, ipsi Venetici ecclesiam et integram rugam, unamque plateam sive balneum, nec non et furnum habeant, jure hæreditario in perpetuum possidenda, ab omni exactione libera, sicut sunt regis propria. Verum in platea Hierusalem tantum ad proprium habeant, quantum rex habere solitus est. Quod si apud Accon, furnum, molendinum, balneum, stateram, modios et buzas ad vinum, oleum, vel mel mensurandum in vico suo Veneti facere voluerint, omnibus inibi habitantibus absque contradictione quicunque voluerit coquere, molere, balneare, sicut ad propria regis libere liceat. Sed modiorum, stateræ atque buzæ mensuris, hoc modo uti liceat. Nam quando Venetici inter se negotiantur, cum propriis, id est Veneticorum mensuris mensurare debent; cum vero Venetici res suas aliis gentibus vendunt, cum suis, id est Veneticorum mensuris propriis vendere debent. Quando autem Venetici ab aliquibus gentibus extraneis quam Veneticis, commercio aliquid accipientes comparant, cum regiis mensuris datoque pretio accipere licet. Ad hæc Venetici nullam dationem, vel secundum usum, vel secundum ullam rationem, nullo modo, intrando, stando, vendendo, comparando vel morando, aut exeundo de nulla penitus causa aliquam dationem persolvere debent, nisi solum quando veniunt, aut exeunt cum suis navibus peregrinos portantes: tunc quippe secundum regis consuetudinem, tertiam partem ipsi regi dare debent. Unde ipse rex Hierusalem, et nos omnes, duci Veneticorum de funda Tyri, ex parte regis, festo apostolorum Petri et Pauli, trecentos in unoquoque anno bizantios Saracenatos, ex debiti conditione persolvere debemus. Vobis quoque, duci Venetiæ, et vestræ genti promittimus, quod nihil plus accipiemus ab illis gentibus, quæ vobiscum negotiantur, nisi quantum soliti sunt dare, et quanta accipimus ab illis qui cum aliis negotiantur gentibus. Præterea illam ejusdem plateæ, rugæque Achon partem unum caput in mansione Petri Zanni, aliud vero in Sancti Dimitri monasterio firmantem; et ejusdem rugæ aliam partem, unam materiariam et duas lapideas mansiones habentes, quæ quondam casulæ de cannis esse solebant, quam rex Balduinus Hierusalem primitus beato Marco, dominoque duci Ordolaso, suisque successoribus in Sidonis acquisitione dedit; ipsas, inquam, partes, beato Marco, vobisque Dominico Michaeli, Venetiæ duci, vestris quoque successoribus per præsentem paginam confirmamus; vobisque potestatem concedimus, tenendi, possidendi et quidquid vobis inde placuerit, in perpetuum faciendi. Super ejusdem autem rugæ alia parte, a domo Bernardi de novo Castello, quæ quondam Joannis fuerat Juliani, usque domum Guiberti de Joppen generis Laudæ, recto tramite procedente, vobis eamdem quam rex habuerit potestatem penitus damus. Quin etiam nullus Veneticorum in totius terræ regis, suorumque baronum dominio, aliquam dationem in ingrediendo, vel ibi morando, aut exeundo per ullum ingenium dare debeat; sed sic liber sicut in ipsa Venetia sit. Si vero aliquod placitum, vel alicujus negotii litigationem, Veneticus erga Veneticum habuerit, in curia Veneticorum diffiniatur. Vel si aliquis adversus Veneticum querelam aut litigationem se habere crediderit, in eadem curia Veneticorum determinetur. Verum si Veneticus super quemlibet alium hominem, quam Veneticum, clamorem fecerit, in curia regis emendetur. Insuper ubi Veneticus ordinatus vel inordinatus, quod nos sine lingua dicimus, obierit, res suæ in potestatem Veneticorum reducantur. Si vero aliquis Veneticorum naufragium passus fuerit, nullum de suis rebus patiatur damnum. Si naufragio mortuus fuerit, suis hæredibus aut aliis Veneticis res suæ remanentes reddantur. Præterea super cujus gentis burgenses in vico et domibus Veneticorum habitantes, eamdem justitiam et consuetudines quas rex super suos, Venetici habeant. Denique duarum civitatum Tyri et Ascalonis tertiam partem, cum suis pertinentiis, et tertiam partem terrarum omnium sibi pertinentium, a die Sancti Petri, Saracenis tantum servientium, quæ non sunt in Francorum manibus, alteram quarum, vel si, Deo auxiliante, utramque per eorum auxilium, aut aliquod ingenium in Christianorum potestatem Spiritus sanctus tradere voluerit; illam, inquam, tertiam partem, sicut dictum est, libere et regaliter, sicut rex duas, Venetici habituri in perpetuum, sine alicujus contradictionis impeditione, jure hæreditario possideant.

Universaliter igitur supradictas conventiones ipsum regem, Deo auxiliante, si aliquando egressurus de captivitate est, nos Gormundus Hierusalem patriarcha confirmare per Evangelium faciemus. Si vero alter ad Hierosolymitanum regnum, in regem promovendus advenerit, aut superius ordinatas promissiones antequam promoveatur, sicut ante dictum est, ipsum confirmare faciemus; alioquin ipsum nullo modo ad regnum provehi assentiemus. Similiter easdem et eodem modo confirmationes, baronum successores et novi futuri barones facient. De causa vero Antiochena, quam vobis regem Balduinum secundum, sub eadem constitutionis depactione promisisse bene scimus, in Antiocheno principatu se vobis Veneticis daturum: videlicet sic in Antiochia, sicut in cæteris regis civitatibus, si quidem Antiocheni regalia promissionum fœdera vobis attendere voluerint; nos idem Gormundus Hierusalem patriarcha, cum nostris episcopis, clero, baronibus populoque Hierusalem, consilium et auxilium vobis dantes, quod nobis dominus papa inde scripserit, bona fide totum adimplere, et hæc omnia superiora, ad honorem Veneticorum promittimus.

Digitized by Google

Ego Gormundus Dei gratia Hierosolymorum patriarcha, propria nostra manu supradicta confirmo.

Ego Ebremarus Cæsariensis archiepiscopus, hæc eadem similiter confirmo.

Ego Bernardus Nazarenus episcopus similiter confirmo.

Ego Asquitinus Bethlehemita episcopus similiter confirmo.

Ego Rogerius Liddensis Sancti Georgii episcopus similiter confirmo.

Ego Gildoinus abbas Sanctæ Mariæ vallis Josaphat similiter confirmo.

Ego Gerardus prior Sancti Sepulcri similiter confirmo.

Ego Aicardus prior templi Domini similiter affirmo.

Ego Arnaldus prior montis Sion similiter affirmo.

Ego Willelmus de Buris, regis constabularius similiter affirmo.

Data apud Achon, per manus Pagani, regis Hierusalem cancellarii, anno 1123, indictione II

INCIPIT LIBER TERTIUS DECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Describitur Tyri antiquitas et nobilitas simul.

Est autem Tyrus civitas antiquissima, secundum quod Ulpianus vir prudentissimus jurisconsultus, ex eadem urbe trahens originem, in Digestis, titulo De censibus, asserit, dicens : *Sciendum est esse quasdam colonias juris Italici, ut est in Syria Phœnice splendidissima Tyriorum colonia, unde mihi origo est, nobilis regionibus, serie sæculorum antiquissima, armipotens, fœderis quod cum Romanis percussit tenacissima. Huic enim divus Severus et imperator noster, ob egregiam in rempublicam imperiumque Romanum insignem fidem, jus Italicum concessit.*

Ex hac urbe, si ad veteres recurramus historias, Agenor rex fuit, et filii ejus, Europa, Cadmus et Phœnix, a quorum altero tota regio, ut Phœnicis diceretur, nomen accepit. Alter vero Thebanæ conditor urbis, et Græcarum inventor litterarum, celebrem posteris de se reliquit memoriam. Tertia vero ejusdem regis filia, orbis terrarum parti tertiæ nomen dedit, ut Europa diceretur.

Hujus quoque cives excellenti mentis acumine et ingenii vivacitate præclari, individua vocum elementa, convenientibus designare apicibus, primi tentaverunt, et memoriæ thesauros ædificantes, mortalium primi scribendi prudentiam et mentis interpretem sermonem, characteribus designandi formam posteris tradiderunt : id et veterum habent historiæ, et belli civilis egregius prosecutor Lucanus designat, dicens :

Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signasse figuris.

Hæc et triti conchylii, et pretiosi muricis, egregio purpuram colore prima insignivit : unde et præcipua inter eos, etiam hodie, urbis trahens nuncupationem, Tyria dicitur. Ex hac etiam Sychæus, et uxor ejus Elisa Dido fuisse leguntur, qui in Africana diœcesi, civitatem illam admirabilem et Romani æmulam imperii, Carthaginem videlicet, condiderunt ; regnumque illud Punicum quasi Phœnicum, a regione unde exierant denominantes, appellaverunt ; sed etiam et originis memores, perpetuo se Tyrios, Carthaginenses voluerunt appellari. Unde illud Maronis in primo :

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni.

Et illud :

Tros Tyriusque mihi nullo discrimine habetur.

Fuit autem ab initio binomia ; nam et Sor Hebraice dicitur, quod nomen tenet usitatius et Tyrus ; quod posterius, licet et Græcam videatur redolere eloquentia (interpretatur enim *angustia*), tamen a conditore certum est, eam hujusmodi contraxisse vocabulum. Certum est enim juxta veterum traditiones, quod Tyras septimus filiorum Japhet, filii Noe, hanc urbem condiderit, et a suo sumptum vocabulo nomen eidem indiderit. Quanta hujus civitatis priscis temporibus gloria fuerit, ex verbis Ezechielis prophetæ manifeste est colligere, cui a Domino dicitur : *Et tu, fil. hominis, assume super Tyrum planctum ; et dices Tyro quæ habitat in circuitu maris, negotiatio populorum ad insulas multas : Tu dixisti : Perfecti decoris ego sum, et in corde maris sita : Finitimi tui, qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum, abietibus de Sanir, et exstruxerunt te cum omnibus tabulatis maris. Cedrum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum ; quercus de Basan dolaverunt in remos tuos, transtra tua fecerunt ex ebore Indico, et prætoriola de insulis Italiæ. Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum ut poneretur in malo Hyacinthus et purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum* (Ezech. XXVII, 2). Et Isaias : *Transite maria, ululate qui habitatis in Insula. Nunquid non hæc vestra est, quæ gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua? Ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum. Quis cogitavit hoc super Tyrum, quondam coronatam, cujus negotiatores, principes, institores ejus inclyti*

Digitized by Google

terræ. (*Isa.* XXIII, 6). Ex hac etiam et Hiram, Salomonis cooperator ad ædificium templi Domini, rex fuit; et Apollonius, gesta cujus celebrem et late vulgatam habent historiam. Ex hac nihilominus urbe fuit Abdimus adolescens, Abdæmonis filius, qui Salomonis omnia sophismata et verba parabolarum ænigmatica, quæ Hiram regi Tyriorum solvenda mittebat, mira solvebat subtilitate; de quo ita legitur in Josepho Antiquitatum libro octavo: *Meminit horum duorum regum Menander, qui ex Phœnica lingua antiquitates Tyriorum in vocem convertit Helladicam, ita dicens: Moriente Abibalo, successit in ejus regnum filius ejus Hiram, qui cum vixisset annis quinquaginta tribus, regnavit triginta quatuor. Hujus temporibus erat Abdimus, Abdæmonis filius in vinculis, qui semper propositiones quas imperasset Hierosolymorum rex, evincebat.* Et iterum infra: *Adjecit ad hoc, regem Hierosolymorum Salomonem misisse ad Hiram Tyri regem figuras quasdam, et petiisse ab ea solutionem, ita ut si non posset discernere, solventi pecunias daret; cumque fateretur Hiram, se non posse illas solvere, multaque foret pecuniarum detrimenta passurus, per Abdimum quemdam Tyrium, quæ proposita fuerant, sunt absoluta; et alia ab eo proposita, quæ si Salomon non solveret regi Hiram, multas pecunias daret.* Et hic fortasse est quem fabulose popularium narrationes Marcolfum vocant, de quo dicitur quod Salomonis solvebat ænigmata, et ei respondebat, æquipollenter iterum solvenda proponens.

Hæc eadem et Origenis corpus occultat, sicut oculata fide etiam hodie licet inspicere. Et Hieronymus Pammachio et Oceanano scribens in ea epistola quæ sic incipit: *Schedulæ quas misistis*, hoc ipsum asserit dicens: *Centum et quinquaginta prope anni sunt hodie, ex quo Origenes Tyri mortuus est.* Sed, etsi ad evangelicam recurramus historiam, hæc eadem nihilominus et illam admirabilem genuit Chananæam, cujus pro filia, quæ male a dæmonio vexabatur, supplicantis magnitudinem fidei commendat Salvator dicens: *Mulier, magna est fides tua* (*Matth.* XV, 28); quæ concivium filiabus admirandæ fidei, et commendabilis patientiæ monumenta relinquens, prima docuit, ut in muneribus fidei, charitatis et spei, Christum Salvatorem deprecarentur, juxta verbum Prophetæ dicentis: *Filiæ Tyrii in muneribus vultum tuum deprecabuntur* (*Psal.* XLIV, 14).

Est autem et Phœnicis universæ metropolis, quæ inter Syriæ provincias et bonorum pene omnium commoditate, et incolarum frequentia primum semper obtinuit locum.

CAPUT II.

Quantum protenditur, et quas partes habeat Syria.

Porro advertendum est quod hoc nomen Syria, aliquando largius, ut sit nomen totius; aliquando strictius, ut parti tantum conveniat, accipitur; sed aliquando cum adjectione dicitur, et notat partes, sicuti manifestius dicetur. Syria ergo major multas provincias infra suum continet ambitum; a Tigride enim habens initium, usque in Ægyptum protenditur, et a Cilicia usque in mare Rubrum; cujus ab inferiori parte, quæ est inter Tigridem et Euphratem, prima ejus partium Mesopotamia est, quæ quia inter duo flumina sita est, Mesopotamia dicitur: quasi quæ inter duo flumina jaceat; *potamos* enim Græce, Latine *fluvius* dicitur; quæ, quia Syriæ pars est, ideirco frequenter in Scripturis Mesopotamia Syriæ dicitur. Post hanc vero ejusdem Syriæ, Cœlesyria regio, maxima portio est, in qua Antiochia, civitas illa nobilis, cum suis suffraganeis urbibus sita est: cui, quasi a septentrione, utraque Cilicia contermina est, quæ ejusdem Syriæ sunt partes. Ab austro vero Phœnicis statim conjungitur, inter partes ejus præcipua, quæ olim, per multa tempora, simplex fuit et uniformis; nunc autem in duas divisa est; quarum prima maritima dicitur, cujus metropolis est Tyrus, unde nobis est sermo; urbes habens quatuordecim suffraganeas; a rivo Valaniæ, qui est sub castro Margath, habens initium, finem autem ad Lapidem incisum, qui hodie dicitur Districtum, juxta vetustissimam urbem quæ dicitur Tyrus antiqua. Urbes autem quæ infra hanc provinciam continentur, sunt hæ: ab austro novissima Porphyria, quæ alio nomine dicitur Heffa, vulgari vero appellatione Caifas; secunda Ptolomaida, quæ alio etiam nomine dicitur Accon; tertia ab oriente Paneas, quæ est Cæsarea Philippi; quarta a septentrione Sarepta; quinta Sidon, sexta Berythum, septima Biblium, octava Botrium, nona Tripolis, decima Artusiæ, undecimæ Archis, duodecima Arados, tertia decima Antarados, quarta decima Maraclea. Altera vero Phœnicis dicitur Libanica, cujus metropolis est Damascus, quæ etiam aliquando dicitur Syria; ut ibi: *Caput Syriæ Damascus* (*Isa.* VII, 8): hæc iterum Phœnicis postea divisa est in duas portiones; quarum altera dicitur Damascena; altera vero, Emisena. Sunt etiam et Syriæ partes utraque Arabia; prima cujus metropolis est Bostrum; secunda, cujus metropolis est Petra deserti. Sed et Syria Sobal, ejusdem Syriæ majoris pars est, cujus est metropolis Sobal. Nihilominus et tres Palæstinæ, ejusdem Syriæ partes sunt; prima, cujus est metropolis Hierosolyma, quæ proprie appellatur Judæa; secunda, cujus metropolis est Cæsarea maritima; tertia, cujus metropolis est Scythopolis, quæ alio nomine dicitur Bethsam, cujus hodie locum tenet Nazareth. Idumæa quoque hujus ejusdem Syriæ majoris, pars est novissima, ad Ægyptum respiciens.

CAPUT III.

Descriptio regionis ejusdem urbi adjacentis, et commoditatum quas præstat.

Erat autem prædicta civitas non solum munitissima, ut prædiximus, sed etiam fertilitate præcipua, et amœnitate quasi singularis, nam

Digitized by Google

licet in ipso mari sita sit et in modum insulæ tota fluctibus ambiatur; habet tamen pro foribus latifundium per omnia commendabile, et planitiem sibi continuam divitis glebæ et opimi soli, multas civibus ministrans commoditates; quæ, licet modica videatur, respectu aliarum regionum, exiguitatem suam multa redimit ubertate; et infinita jugera multiplici fecunditate compensat. Nec tamen tantis arctatur angustiis; protenditur enim in austrum versus Ptolemaidam, usque ad eum locum qui hodie vulgo dicitur Districtum Scandarionis, milliaribus quatuor aut quinque; e regione in septentrionem, versus Sareptam et Sidonem iterum porrigitur totidem milliaribus; in latitudinem vero, ubi minimum, ad duo; ubi plurimum, ad tria habens milliaria. In hac eadem fontes sunt plurimi, qui perspicuas et salubres emanant aquas; et grata temperie contra immoderatos æstus præstant refrigerium. Inter quos præstantissimus, et famæ titulis celeberrimus, de quo etiam et Salomon in Canticis cecinisse dicitur: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano* (*Cant.* IV, 15). Hic licet in humiliore totius regionis parte fluentorum suorum habeat originem, et non ex montibus, sicut alii plerumque fontes, sed ex ipsis abyssi cataractis scaturire videatur; tamen cura et manu artifice in superas elatus auras, totam circumquaque regionem affluenter irrigat, et suæ visitationis beneficio ad usus multiplices reddit fecundam. Erectus est ergo, et in sublime deductus miro operé lapideo, ferri duritiem imitante, ad altitudinem cubitorum decem; et qui in imo situ naturali, non multum poterat esse utilis, artificio contra naturam obtinente factus sublimior, universæ regioni se gratum præstat, et ad proventus fructuarios aquas porrigit affluenter. Accedentibus et facti miraculum volentibus intueri, turris exterius videtur eminentior, nec fontis aliquam prætendit effigiem: ubi vero ad ejus perventum est fastigium, collectarum est videre quasi cumulum aquarum, quæ inde per aquæductus ejusdem altitudinis, sed et miræ soliditatis, ad circumjacentem se transferunt regionem. Præparata sunt nihilominus ad ejus summum ascendere cupientibus, ascensoria per gradus eadem soliditate lapidea, quibus etiam equites sine difficultate possint ad ejus provehi superiora. Procuratur autem adjacenti regioni ex ejus beneficio miranda commoditas; ita ut non solum hortos, et lignis fructiferis insita, et amœnitate præcipua nutriat pomaria; verum et canamellas, unde pretiosissima usibus et saluti mortalium necessaria maxime, conficitur zachara; unde per institores ad ultimas orbis partes deportatur. Sed et vitri genus elegantissimum, et in eodem rerum genere facile obtinens principatum, de arena quæ in eadem planitie colligitur, mirabiliter conficitur, quod inde ad remotas etiam delatum provincias, aptam vasis mirabilibus, et perspicua sinceritate præcipuis materiam præbet; unde et nomen urbis longe ad exteras nationes porrigitur celebre et multiplici fenore lucrum accrescit institoribus. Nec solum his commoditatibus, verum et munitione incomparabili prædita erat civitas, sicut in sequentibus dicetur: unde ob id quod munitissima erat, tantisque commoditatibus abundans, Ægyptiorum principi, omnium fere potentissimo, qui omnem regionem a Laodicia Syriæ usque in arentem Libyam libero possidebat imperio, grata erat et accepta, et eam quasi regnorum suorum robur et domicilium suum reputans, victu, armis et viris armipotentibus diligenter communierat, arbitrans reliqui corporis in tuto partes consistere, si capitis salutem inviolatam posset conservare.

CAPUT IV.

Quod sæpius priscis temporibus obsessa fuerit.

Igitur XV Kal. Martii, ut prædiximus, uterque noster exercitus ad prædictam applicuit civitatem, et eam quantum potuit, obsidione vallavit. Sita autem est hæc eadem civitas, juxta verbum prophetæ, *in corde maris* (*Ezech.* XXVII, 3), ita ut pelago undique ambiatur, nisi in modico spatio, quantum arcus sagittam jaculari possit. Tradunt seniores, eam aliquando insulam, et a solida terra omnino separatam fuisse; sed obsidens eam aliquando Assyriorum potentissimus princeps Nabuchodonosor, voluit eam solo continuare, sed opus non consummavit: hujus quoque obsidionis Ezechiel propheta memoriam facit, dicens: *Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor, regem Babylonis ab Aquilone, regem regum, cum equis et curribus et equitibus, et cœtu populoque magno: filias tuas quæ sunt in agro, gladio interficiet, et circumdabit te munitionibus, et comportabit in gyro, et levabit contra te clypeum et lanceam* (*Ezech.* XXVI, 7), et cætera. Hujus obsidionis in decimo libro Antiquitatum Josephus memoriam facit, dicens: *Sed etiam Diocles in secundo Coloniarum libro meminit hujus regis. Et Philostratus in Indicis et Phœnicibus historiis dicit: Quia rex iste obsedit Tyrum annis tribus, et mensibus decem, cum illo tempore in Tyro regnabat Joatabalus.* Post eum vero Alexander Macedo, continuavit eam solo, et continuatam violenter occupavit. Cujus obsidionis idem Josephus in undecimo libro Antiquitatum memoriam facit, dicens: *Alexander autem ad Syriam veniens, Damascum cepit, et subjugata Sidone, Tyrum obsidebat.* Et infra: *Quapropter in obsidione intentius perseverans, expugnavit: cumque eam cepisset, ad civitatem Gazam pervenit.* Et infra: *Septem autem mensibus in obsidione transactis, et duobus in Gaza, Sanabala mortuus est.* Obsederat autem et eam prius Salmanasar, et invaserat Phœnicen universam. De hoc autem memoriam facit Josephus in nono libro Antiquitatum dicens: *Pugnavit enim adversus Tyrum, cum in ea regnaret Elisæus; de quibus testatur et Menander, qui temporum facta conscripsit, et Tyriorum antiquitatem in Græcam linguam convertens, sic ait: Elisæus nomine, regnavit annis triginta sex: hic recedentibus Cuthæis navigans reduxit eos, contra quos denuo Salmanasar Assyriorum rex insurgens, cum-*

Digitized by Google

etam Phœnicem bellis invasit; qui facta pace cum omnibus, post terga sua reversus est. Recessit autem a Tyro civitas Sidon, et Arche, et antiqua Tyrus, et multæ aliæ urbes, quæ semetipsas Assyriorum regi tradiderunt : quapropter Tyriis non subjectis, denuo rex adversus eos egressus est, Phœnicibus exhibentibus ei naves sexaginta, et remiges octoginta : contra quos Tyrii navigantes in duodecim navibus, dispersis hostium navibus, cepere captivos viros quingentos, unde honor Tyriorum propter hoc crevit eximie. Revertens autem Assyriorum rex, disposuit custodias super fluvium et aquæductus civium, ut Tyrios haurire pocula prohiberet; et dum hoc quinque annis fuisset factum, tulerunt de effossis puteis bibentes aquam. Hæc in archivis Tyriorum de Salmanasar Assyriorum rege scripta sunt.

CAPUT V.

Describitur civitas; et status civium et conditio aperitur.

Sic ergo, ut diximus, quasi insula est præfata civitas, procellosum circa se habens mare, latentibus scopulis et nimia inæqualitate periculosum; ita ut peregrinis et ignaris locorum, ad urbem navigantibus periculosum sit accedere; et nisi ducem habeant, qui adjacentis maris habeat notitiam, non nisi cum naufragio urbi possunt appropinquare. Erat autem ex parte maritima per circuitum muro clausa gemino, turres habens altitudinis congruæ proportionaliter distantes. Ab oriente vero, unde est per terras accessus, muro clausa triplici, cum turribus miræ altitudinis, densis admodum, et prope se contingentibus. Præterea et vallum late patens, per quod facile ejus cives possent mare introducere in alterutrum. A parte vero septentrionali portus civitatis interior, inter turres geminas habet ostium, infra mœnia tamen receptus; nam exterius insula fluctibus objecta, æstuantis pelagi primos frangens impetus, inter se et solum tutam navibus præbet stationem, ventis inaccessam, soli tamen obnoxiam aquiloni. Classe ergo in eam partem inducta, et in tranquillo locata, exercituque pomeria urbi vicina tenente, castris quoque per circuitum collocatis, exitus introitusque civibus negant, et solis mœnibus cogunt esse contentos. Erat autem prædicta civitas duos habens dominos; nam ægyptius Calipha tanquam major dominus, duas habebat ejus portiones; Damascenorum vero regi, quia vicinior erat, ne eam molestaret, imo etiam ut in necessitatibus civium, eis auxilii sui ministraret suffragia, tertiam concessit. Erant autem in ea cives nobiles et pecuniosi valde, quippe qui continuis navigationibus universas pene mediterraneo mari adjacentes provincias, gratia commerciorum, peregrinis mercibus et multiplicibus divitiis urbem repleverant. Confugerant ad eam præterea, intuitu munitionis ejus, de Cæsarea, Ptolemaida, Sidone, Biblio, Tripoli et aliis maritimis urbibus, quæ in nostram jam devenerant potestatem, cives inclyti et locupletes, ibique domicilia multa sibi pretio comparaverant : impossibile penitus arbitrantes, quod urbs tam munita in nostrorum ditionem, aliquo casu posset descendere. Unicum enim et singulare totius regionis, sicuti etiam est hodie, videbatur esse præsidium, et robur incomparabile.

CAPUT VI.

Locatur obsessio, et principibus in ea parte designantur; et civitas hostiliter impugnatur.

Compositis ergo sarcinis et rebus ad quandam commoditatem locatis, juxta portum naves universas educunt ad siccum, excepta una galea, quæ semper ad suspectos casus, qui emergere poterant, erat parata : quo facto, ducto vallo profundo convenienter a mari superiori ad inferius, universum claudunt exercitum. Tunc sumpta de navibus conveniente materia, unde secum Veneti multam detulerant copiam, convocatis artificibus, varii generis erigunt machinas. Dominus sane patriarcha cum regni principibus, vicem domini regis obtinens, lignorum cæsores et architecturæ peritos convocans, subjecta pro votis materia, castellum ædificari præcipit multæ altitudinis : unde cum his qui in turribus erant, pugnari posset quasi cominus, et urbem totam liceret intueri. Machinas nihilominus jaculatorias fabricari præcepit, quibus magnis molaribus turres et mœnia concutiantur, et civibus terror inferatur. Dux etiam cum suis partem regiam æmulantes, ejusdem generis erigunt machinas, locisque competentibus componunt erectas. Instant ergo cœpto, cum omni sollicitudine, operi, et propositum urgent non deficientes ab incepto; sed magis ac magis accensi, cives arctant, et de machinis urbi molestias inferunt incessanter. Assultibus quoque et congressionibus assiduis, obsessis requiem negant. Cives nihilominus ut se tueantur solliciti, cuncta discutiunt, ut a se nostrorum propulsent injurias et hostibus damna inferant. Erigunt ergo ipsi de intus e regione machinas, et saxis ingentibus earum jactu libratis, castella nostra sine intermissione cedunt; et circa ea regionem, timore molarium emissorum, ita sibi vindicant propriam, ut nemo de nostris ibi auderet immorari; sed et eos quibus conservandi machinas sors dederat necessitatem, ut non nisi cum cursu celerrimo ad eas auderent accedere, nec in eis nisi cum maximo discrimine commorari. Qui autem in excelsis turribus erant constituti, arcubus et balistis tantam inferebant his, qui in castellis et circa machinas eos impugnabant, jaculorum et sagittarum multitudinem, tantoque instabant saxorum pugillarium jactu, ut vix etiam manus auderent exerere. Nostri etiam qui in castellis erant, æquipollenter nimis ictus ictibus recompensantes, vim vi repellentes, tantam his qui in turribus et supra muros erant positi, ingerebant laboris necessitatem, ut sæpius in die permutati, belli pondus sustinere non possent. Qui autem in machinis erant, docentibus his qui jaculandi peritiam erant assecuti, tantis viribus, tantoque conamine ingentia torquebant saxa, ut muris illisa, vel turribus, universa conculerent

Digitized by Google

et pene traherent in ruinam. Excitabatur de collisis lapidibus et cæmento dissoluto pulvis tam immensus, ut his qui in mœnibus et supra turres erant, quasi nubes interposita, nostrorum negaret aspectum. Si qui autem de missis lapidibus turres aut mœnia præteribant, in urbem cum impetu lapsi, ædificia magna cum habitatoribus in minuta redigebant fragmenta. Qui autem in campo, tam pedites quam equites præliabantur, animose viriliterque singulis pene diebus cum his, qui de urbe ad pugnam egrediebantur, conserebant; nostris plerumque, interiores ad committendum irritantibus; civibus nonnunquam, sponte etiam, in obsidentes facientibus irruptiones.

CAPUT VII.

Damasceni qui in civitate erant, resistunt animosius; civibus aliquantulum remissis.

Cum igitur ita diebus singulis, ancipiti Marte, nostri nunc de machinis, nunc circa portam cum civibus experirentur, et quanta poterant instantia sese mutuo provocarent: vocatus a regni principibus cum honesto comitatu adfuit dominus Pontius Tripolitanus comes; in cujus adventu nostrorum visæ sunt vires quasi geminatæ, multiplicata audacia; hostibus vero e converso illata formido, et quasi desperatio resistendi. Erant autem in eadem civitate de Damascenis equites septingenti, qui civibus nobilibus, mollibus et delicatis, et in re militari non multum exercitatis, sui exemplo animos ad resistendum ministrabant, et in seipsis prompto animo suffragia debita largiebantur. Tamen hi etiam videntes nostrorum vires et conatus singulis diebus in melius proficere, opes vero civium sensim comminui, vires quotidie periclitari, fieri cœperunt tepidiores, et onus quod portare non poterant, sapienter declinare; ita tamen, ut nec civibus deditionem persuaderent, nec multum de viribus præsumendum esse hortarentur. Porro in civitatem, sicut hodie etiam est, unicus erat introitus, et porta singularis; nam, ut prædiximus, civitas tota quasi insula, fretis undique ambitur, excepto loco quodam angusto, per quem est accessus ad portam, in quo sine intermissione tam equitum quam peditum erant conflictus varii, sicut in hujusmodi solet contingere plerumque eventu.

CAPUT VIII.

Ascalonitæ Hierosolymam accedunt, ut urbem impugnent; sed in reditu a civibus male tractantur.

Interea dum hæc apud Tyrum aguntur, Ascalonitæ videntes regnum militiæ viribus desolatum, omneque robur regionis apud Tyrum in obsidione detineri, sumpta occasione ex tempore cum universa militia, transcursa planitie, quæ media jacet, ad montes, in quibus Hierosolyma sita est, festinanter properant; arbitrantes prædictam urbem felicissimam, vacuam reperire; et de ejus habitatoribus aliquos incautius egredientes, secum posse trahere captivos. Accedentes ergo ex improviso nimis, quosdam de civibus per agros et vineas improvide se habentes, occiderunt, circiter octo. Cives autem, etsi pauci numero, tamen fide ferventes, zelo justissimo pro patria, pro liberis et uxoribus succensi, armis correptis, urbem egrediuntur, unanimiter hostibus occurrentes. Et cum trium horarum spatio se mutuo conspexissent, nostris non audentibus in eos irruere, cum non nisi pedites haberent: videntes Ascalonitæ, quod ibi non possent absque periculo moram facere: nec erat tutum cum gente obstinata, atque ad resistendum animosius præparata, juxta urbem congredi, parant reditum cum velocitate. Nostri autem eos cautius aliquantulum insecuti, retentis ex hostium equis decem et septem, de militibus quatuor, quadraginta duos ex eis interficiunt: consummatoque feliciter negotio, cum plena sospitate domum reversi sunt.

CAPUT IX.

Rex Damascenorum Doldequinus, ut solvat obsidionem accedit; nostri occurrunt; ille territus, a proposito discedit.

At Tyrenses interea crebris vigiliis, assiduis conflictibus, et labore continuo fatigati, rarius accedunt ad prælia, remissius occurrunt officiis sibi deputatis: stupentes supra modum, quod civitas, quæ singulis pene diebus cum terrestri tum marino populorum frequentabatur accessu; omnibusque commodis utroque accessu consueverat cumulari, in tam arcto sederet posita, ut neque civibus, neque exteris introitus pateret aut exitus; quodque victus deficeret, et alimoniarum jam pene nullum esset residuum. Habito consilio ad ægyptium Calipham et Damascenorum regem scribunt epistolas, monentes et deprecantes anxie, quatenus rebus eorum jam pene desperatis, mature subveniant: instantiam significant hostium, et vires et animos singulis diebus ampliores; suorum defectum, alimentorum inopiam, angustias importabiles. Quo facto, in spem erecti aliquantulam, prædictorum principum præstolantes subsidia, ad resistendum pro more solito se invitant. Et, licet ex eis plures lethaliter saucii, pugnare ipsi non possent, alios tamen verbis quibus possunt ad resistendum hortantur. Nuntiatur interea, quod Damascenorum rex Doldequinus obsessorum epistolis et legatione motus, cum innumera Turcorum manu, et copiosissimo equitatu a finibus Damascenis egressus, in diœcesi Tyria, secus fluvium castrametatus fuerat. Erat autem idem fluvius a civitate Tyrensi, vix quatuor distans milliaribus. Dicebatur etiam, quod classis Ægyptia, major solito et armatis instructior, civibus deferens et subsidia militum, et victui necessaria, intra triduum esset adfutura. Asserebatur nihilominus, Damascenorum regem, et militum majora præstolari suffragia; et ad hoc fluminis transitum, et cum nostris congressum prudenter differre, donec classis veniat, ut eo nobiscum dimicante, classis liberum et sine difficultate ad urbem habeat accessum. Quo audito, nostri communicato consilio et partibus provida deliberatione libratis, optimum ducunt, universum exercitum in tres partes dividere, ita ut equites omnes

Digitized by Google

et stipendiarii pedites, una cum domino comite Tripolitano, et domino Willelmo de Buris, regio constabulario et regni negotiorum procuratore, de castris egrediantur; et cum opus fuerit Damasceno occurrant, cum eo auctore Domino pugnaturi; dux autem cum suis galeas conscendant, et classi advenienti occurrentes, cum eis belli tentent fortunam, et tanquam viri strenui, gladiis viriliter experiantur; cives autem, qui de universis regni urbibus ad eamdem obsidionem convenerant, cum parte Venetorum maxima, machinas et castella vigilanter servent; et ita efficiant, ut et de castellis non remittatur manus pugnantium, nec machinæ desinant solitos impulsus importunius inferre, et ante portam indeficiens habeatur conflictus. Placuit verbum universis, et statim sicuti videbatur expedire, effectui mancipatur. Egressi sunt enim comes Tripolitanus, et regius constabularius, cum universa militia hostibus obviam; et cum processissent quasi ad duo milliaria, hostes nullatenus ausi sunt comparere. Certum tamen erat, quod secus fluvium prædictum castra locaverat Doldequinus, ab initio cor gerens et animum transeundi; sed audiens nostros, quorumdam relatione, tam prudenti usos consilio, periculosum ducit cum viris tam prudentibus, tamque strenuis temere dimicare; sed tubis clangentibus suos convocat, imperat ad propria regressum. Dux autem classe instructa et parata, usque Alexandrium descendit; qui locus a prædicta civitate quasi sex distat milliaribus, qui hodie vulgari appellatione dicitur Scandarium. Cognoscentes autem, quod rex Damascenorum ad propria remeasset et quod classis exspectatæ nullum comparebat signum, iterum repositis in lictore galeis, omnes in castra se recipiunt, et civium impugnationi vehementius instant.

CAPUT X.

Cives in nostras machinas ignem adhibent, nostri resistunt viriliter. Ab Antiochia quidam jaculandi habens peritiam, a nostris evocatur.

Factum est autem una die, quod quidam juvenes de civitate, ut se in populo suo commendabiliores redderent et perennem sibi acquirerent apud posteros gloriam, mutuo se obligantes compromiserunt, quod clam ad nostra castra egredientes, machinas et nostra castella succenderent. Quod verbum effectui mancipantes, clam ab urbe egredientes, incendium machinæ, quæ nobis utilior erat, supposuerunt. Quod videntes nostri, ad arma convolant, et aquis copiose ministratis, ignibus tentant resistere. Factumque est ibi quiddam admiratione et relatione dignum. Quidam enim juvenis probitatis eximiæ et admirandæ virtutis, videns machinam succensam, constanter ascendit super eam, et aquas porrectas desuper infundebat. Quod videntes qui in turribus erant, arcus habentes et balistas, omnes in eum manus dirigunt; jacientesque certatim in eum, qui positus erat quasi signum ad sagittam, operam consumpserunt; nam tota illa die in propria carne nullam sensit penitus læsionem. Qui autem ignem subjecerant, a nostris comprehensi, omnes ultore gladio confossi, suis cernentibus interierunt. Porro videntes nostri, quod machina interior lapides magnæ quantitatis, in castella nostra ita directe jacularetur; et quod utrumque ex magna parte læserat; quodque non esset in castris qui dirigendi machinas et torquendi lapides, plenam haberet peritiam, vocantes quemdam de Antiochia, Armenium natione, Havedic nomine, qui in ea facultate dicebatur instructissimus, subito receperunt eum; qui tanta arte in dirigendo machinas et ex eis missos molares contorquendo utebatur, ut quidquid ei pro signo deputaretur, id statim sine difficultate contereret. Qui postquam ad exercitum pervenit, designatum est ei honestum de publico salarium, unde se pro modo suo magnifice poterat exhibere; tantaque deinceps operi ad quod vocatus est institit diligentia, tantaque arte usus est in facto, ut non solum civibus continuatum, sed de novo videretur bellum illatum, et molestiæ duplicatæ in ejus adventu.

CAPUT XI.

Balac apud Hierapolim occiditur : quo rumore audito, noster exercitus fit hilarior, et ad impugnandam urbem insistunt animosius.

Dum hæc Tyri aguntur, Balac, potentissimus Turcorum satrapa, in cujus vinculis dominus rex tenebatur, civitatem Hierapolim obsidet; dumque in obsidione perseveraret, vocavit ad se ejusdem civitatis dominum, verbis pacificis in dolo; qui simplex et nimium credulus, verbis illius fidem habens, suam statim exhibuit præsentiam; quem ante se constitutum, Balac statim præcepit decollari. Audiens ergo Joscelinus senior, comes Edessanus, quod Balac civitatem sibi vicinam obsideret, timensque ne priore domino expulso, durior ei pararetur adversarius, convocata tum ex partibus Antiochenis, tum ex suis ingenti militia, ei obviam ire festinat; inventoque ejus exercitu, agminibus suis in acies ordinatis, repente irruit super eum; conversoque in fugam ejus exercitu, ipsum casu obvium habuit; quem gladio transverberans, ad terram dejecit, dejectoque caput amputavit, nesciens tamen quod hic esset princeps exercitus. Hic plane manifestam habuit ejusdem Balac somnii interpretationem; nam vere oculos dici potest quis illi eruisse, cujus caput amputans, videndi vivendique finem indicit. Statimque sicut vir circumspectissimus erat, et cui nihil ad plenam deerat experientiam, ejusdem principis caput, ut nostros de sua prosperitate exhilaresceret et victoria, per quemdam adolescentem dirigit, et per Antiochiam, ut nec hos nec illos tanti successus sineret esse expertes, ad nostrum præcipit exercitum festinare; qui adveniens corda satiavit universorum, et in supremam erexit lætitiam. Dominus vero comes Tripolitanus Pontius, qui in ea expeditione cum suis domino patriarchæ, et aliis principibus, tanquam

Digitized by Google

unus de vernaculis, obediens semper exstitit, et ad publica negotia humiliter expeditus ob reverentiam domini comitis, qui eum miserat, et tantæ legationis dignitatem, ad equestrem promovit ordinem, arma ei conferens militaria. Hæc postquam nostris qui in expeditione erant, comperta sunt, erectis in cœlum manibus, cœperunt laudare, benedicere et glorificare *Deum*, *qui terribilis est in consiliis super filios hominum* (*Psal.* LXV, 4). Tunc demum zelo majore accensus noster exercitus, quasi reparatis viribus, receptoque denuo spiritu, ad opus inceptum ferventius accingitur, crebrisque congressionibus omnem obsessis negant requiem. Cives autem, alimentis jam penitus consumptis, fame periculosissime laborantes, cum jam nulla spe subsidii foverentur, remissius se habebant. Accidit autem semel, quod quidam juvenes de civitate, natandi habilitatem habentes multam, de portu egressi interiore, in exteriorem nando pervenientes ad galeam illam, quam superius diximus in mari semper esse paratam, fune quem secum deportaverant, eidem firmiter alligato, eisque incisis, quibus galea tenebatur defixa, redeuntes in urbem secum cœperunt trahere quam firmiter alligaverant: quod videntes qui in castellis erant ad speculam deputati, clamare cœperunt, quo excitati nostri, ad littus convolant; sed antequam de remedio plenius deliberarent, præfati juvenes eam infra urbem jam receperant; cum autem in ea quinque viri essent, qui ad ejus erant custodiam deputati, uno occiso, reliqui quatuor se in mare præcipites dederunt, unde enatando, ad littus pervenerunt incolumes.

CAPUT XII.

Ascalonitæ iterum, dum noster in obsidione adhuc detinetur exercitus, partes vastant Hierosolymitanas.

Porro Ascalonitæ velut culices inquieti, in nocendi proposito perseverantes, videntes regni robur circa Tyrum in obsidione detineri; regionem autem universam militia vacuam, irruptionibus expositam; collectis viribus iterum ad montana Judææ unanimiter conscendunt; ibique juxta Hierosolymam locum a septentrione positum ab eadem Hierosolyma quinque aut sex milliaribus distantem, Bilin dictum, qui hodie celebriori vocabulo Mahomeria appellatur, subito invadunt et occupant violenter; ejusque incolis ex maxima parte interemptis gladio, senes cum mulieribus et parvulis in turrim se recipientes, mortis evaserunt discrimen. Illi vero totam adjacentem regionem liberis discursibus peragrantes, nemine contradicente, quoscunque obviam reperiunt, aut vinculis mancipant, aut obtruncant gladiis, in provinciales pro libero arbitrio debacchantes.

CAPUT XIII.

Cives famis importunitate laborant; ad deditionem se præparant. Doldequinus in eorum subsidium properat, sed incassum; nostris civitas resignatur.

Interea Tyrii famis importunitate solito vehementius laborantes, alias ingrediuntur vias; et jam per conventicula coeuntes, tractare incipiunt, quomodo his molestiis quas patiuntur, finem imponant; commodius esse dicentes, urbe hostibus tradita, ad alias, liberos, suæ gentis civitates posse transire, quam fame tabescere; quam uxores cum liberis, ipsis cernentibus, nec opem ferre valentibus, inopia liquefieri. Tandem post hujusmodi per turbas tractatus, verbum de communi consensu ad majores natu, et urbis moderatores et ad publicum defertur. Congregataque civitate universa, verbum in publico auditorio proponitur et tractatur diligentius. Stat omnibus sententia, tantis malis finem imponere; et quocunque casu, quibuscunque conditionibus ad obtinendam pacem perveniendum. Porro Damascenorum rex, civium calamitate permotus, et quod supremo defectu laborarent audiens, eorum compassus molestiis, convocatis undique militaribus copiis, ad mare descendit, ubi et prius fuerat; circa fluvium urbi prædictæ vicinum castrametatur. Quod audientes nostri, suspectum habentes ejus adventum, iterum se instruunt, quasi prælium pro foribus exspectantes; urbi tamen, propositum nihilominus non deserentes, instant incessanter. Rex interim Damascenorum legatos, cum verbis pacificis, ad nostri capitaneos exercitus, ad dominum videlicet patriarcham, ad dominum ducem Venetiæ, ad dominum comitem Tripolitanum, ad dominum Willelmum de Buris et ad reliquos regni proceres, dirigit viros prudentes et discretos, qui viam pacis prætentarent. Tandem post multas altercationes, parti placuit utrique, ut concesso civibus cum uxoribus et liberis, et omni substantia egressu libero, civitas Christianis tradatur. Si qui autem de civibus in eadem civitate magis optarent commorari, iis, salvis possessionibus et domiciliis, libera commorandi licentia concedatur. Populus sane et secundæ classis homines, intelligentes quod his civitas conditionibus traderetur, quod de hoc verbo inter principes tractaretur ægre ferentes, quodque violenter effracta eis ad manubias et prædam non pateret, operas unanimiter bellicis necessitatibus subtrahere decreverunt, parati a principibus omnino dissentire; prævaluit tamen majorum mens sanior; et urbe recepta, data est civibus libera egrediendi, sicut pactis convenerat, facultas. In signum ergo victoriæ super eam turrim, quæ portæ civitatis imminet, positum est Domini regis vexillum; super eam autem quæ dicitur viridis, domini ducis Venetiæ; super eam autem quæ dicitur turris Tancriæ, domini comitis Tripolitani, cum multa gloria sunt collocata vexilla. Porro priusquam civitas aut caperetur aut obsideretur, maxima pars ejus diœceseos in nostrorum devenerat potestatem: ita quod omnia montana quæ urbi adjacent, tam in castris quam in suburbiis, pene usque ad Libanum quidam nobilis et potens homo, qui in montibus habitabat, Henfredus videlicet de Torono, junioris Henfredi, qui postea factus est regius constabula-

Digitized by Google

rius, pater, usque pene ad quartum vel quintum ab urbe lapidem, quiete possidebat, castrum habens in eisdem montibus naturali situ et artificio munitissimum, unde prædictis civibus frequentes et subitas inferebat molestias; sed et dominus Tiberiadensis, dominus Willelmus de Buris, regius constabularius, et ante eum dominus Joscelinus comes Edessanus, qui prædictæ civitatis dominus fuerat, in eisdem montibus possessiones habebant amplissimas, unde etiam frequentius, et ex improviso urbi prædictæ periculosas moliebantur insidias; nihilominus et ab austro dominus rex Balduinus, bonæ memoriæ, prædecessor istius, in littore maris juxta fontem salubrem et perspicuum, castrum fundaverat, Alexandrium nomine, ab urbe Tyrensi sex aut septem distans milliaribus. Quibus molestiis urbs prædicta, multo ante tempore crebrius fatigata, majorem in se oppugnandi, eam obsidentibus præstitit facultatem. Dicitur autem in eadem expeditione vita decessisse, vir venerabilis Odo nomine, qui ad titulum ejusdem ecclesiæ, urbe adhuc ab hostibus detenta, ordinatus fuerat metropolitanus, et a patriarcha Hierosolymitano consecratus dicebatur.

CAPUT XIV.

Urbe capta, in castra cives egrediuntur; nostri quoque urbem occupant.

Egressi ergo cives longa obsidione fatigati, sublevandi gratia tædii ad castra nostra deproperant, considerantes diligentius, quisnam esset populus iste tam ferreus, tam laboris patiens, tam in usu armorum edoctus, qui tam egregiam civitatem, et tam munitam urbem intra menses paucos, ad supremam redegisset inopiam, et extremas subire conditiones compulisset; intueri libet machinarum formam, castellorum proceritatem, armorum genus, castrorum positionem, principum etiam nomina diligentius investigare, cunctaque cum sollicitudine percunctari, ut inde posteris fide plenas, certa relatione texere possint historias. Nostri quoque civitatem ingressi, urbis munitionem, ædificiorum robur, turrium eminentiam, murorum soliditatem, portus elegantiam, introitus difficultatem admirantes, civium etiam commendant constantiam, qui in tanta famis necessitate positi, et tanta laborantes inedia, deditionem eo usque protraxerant; nam civitate a nostris recepta, nonnisi quinque modii frumenti in civitate reperti sunt. Et, licet prima facie durum plebeis visum foret, quod prædictis conventionibus civitas in nostram deveniret potestatem, consequenter tamen placere incipit; commendatur labor impensus; et perpete dignum memoria opus credunt, quod eorum laboribus et sumptibus est consummatum. Tripartita ergo civitate, duabus domino regi, tertia Venetis secundum quod pactis prius fuerat insertum, assignata, cum multa lætitia et plena jucunditate, singuli ad propria remearunt. Capta est autem eadem civitas, et nomini restituta Christiano, III Kal. Julii, anno ab Incarnatione Domini 1124, regni vero domini Balduini, regis Hierosolymorum, secundi, anno sexto.

CAPUT XV.

Rex a vinculis solvitur; Halapiam obsidet, sed occurrentibus hospitibus solvitur obsidio; rex Hierosolymam revertitur; Calixtus papa moritur; substituitur ei Honorius.

Eodem anno, IV Kal. Septembris, dominus rex Hierosolymorum Balduinus, cum quasi mensibus decem et octo, vel amplius aliquid, apud hostes detentus fuisset in vinculis, pacta pro se pecunia, obsidibus datis, libertatem pretio interveniente consecutus, Domino auctore, Antiochiam reversus est. Dicitur autem summa pro se pactæ pecuniæ fuisse centum millia Michaelitarum, quæ moneta, in regionibus illis, in publicis commerciis et rerum venalium foro, principatum tenebat. Reversus igitur Antiochiam, anxius quomodo pactam solvere posset pecuniam, et suos ad se revocare obsides, cum prudentioribus deliberat, quid ad suum expedimentum facere possit. Igitur persuasum est ei, ut Halapiam, alimentorum inopia laborantem et quasi pene vacuam, obsideat; eaque via facile obtinere posse, ut civibus obsidione angustiatis, aut obsides sibi restituant, aut pecuniam conferentes tantam summam tribuant, quantam pro sui liberatione ab initio pepigerat. Convenit ergo apud eum, publice convocata universa de toto principatu militia; urbem prædictam obsidet, et legionibus ut mos est per gyrum collocatis, civibus introitus negat et exitus, modicosque cibos secum ponere cives violenter compellit. Illi vero Orientalibus, et maxime qui trans Euphraten erant, crebris de sua necessitate epistolis significant, nisi mature subveniant, urbem in proximo ruituram. Habentes ergo principes illi pro urbe amica sollicitudinem, certatim vires convocant, et de communi ministrato auxilio militares congregant copias; tandemque Euphrate transmisso accelerant, omnem dantes operam, ut prædictam urbem obsidionis liberent molestia. Erant autem qui in subsidium venerant obsessorum, equitum septem millia, exceptis iis qui et sarcinarum et impedimentorum curam gerebant, et vernaculis, qui majoribus dominis debitum impendebant obsequium. Rex vero, et qui in expeditione secum erant, intelligentes, quod tanta esset hostium multitudo advenientium, arbitrati, commodius esse retrocedendo, in tuto se et suas expeditiones locare, quam temere cum hostium turbis validioribus congredi: antequam venirent ad urbem eorum expeditiones, nostri in quoddam castrum suum munitum, Ceperum nomine, se receperant, unde Antiochiam pariter convenientes, divisi sunt ab invicem, domino rege cum familiari comitatu Hierosolymam reverso; ubi ab universo clero et populo, tanquam diu desideratus, cum multa susceptus honorificentia, plebi et patribus, quasi post actum biennium, acceptabilem suam intulit præsentiam. Eodem anno dominus Calixtus, bonæ memoriæ papa secundus, vita decessit, cui

Digitized by Google

substitutus est quidam Lambertus, patria Bononiensis, Ostiensis episcopus, qui dictus est Honorius. Hic electus est sub contentione, cum quodam Theobaldo presbytero cardinali, tituli Sanctæ Anastasiæ; et quia electio ipsius Honorii minus canonice processerat, post duodecim dies in conspectu fratrum, mitram et mantum sponte refutavit atque deposuit. Fratres vero tam episcopi quam presbyteri et diaconi cardinales, videntes ipsius humilitatem et prospicientes inposterum, ne in Romanam Ecclesiam aliquam inducerent novitatem, quod perperam factum fuerat, in melius reformarunt, et eumdem Honorium denuo auctorisantes, ad ejus vestigia prociderunt et tanquam pastori suo et universali papæ, consuetam obedientiam sibi exhibuere.

CAPUT XVI.

Bursequinus Turcorum princeps fines Antiochenos depopulatur; rex occurrit, et cum eo congreditur; hostium prosternitur exercitus.

Interea domino rege Hierosolymis existente, crebris nuntiatur legationibus, quemdam inter orientales principes potentissimum, Bursequinum nomine, congregata ex finibus Orientalibus ingenti militia, transito Euphrate, in partes pervenisse Antiochenas. Hic regionem pro arbitrio, nemine prohibente, discurrens, quidquid extra urbes et munita poterat repetire præsidia, tradebat incendiis, et suis ad prædam exposuerat universa. Huic cum proceres Antiocheni resistere, sæpius frustra vires experti, attentassent, videntes quod non proficerent, domino regi, cui multo ante principatus curam commiserant, id ipsum significant, orantes instantius, ut dilatione postposita, ad se venire procuret. Rex autem gemina fatigatus cura, regni videlicet et principatus, in regno, cui multo amplius obligatus fuerat, minus impendebat sollicitudinis. Principatus enim molestiis sæpius evocatus, omnem pene jam per decennium ibi et operam et opes consumpserat, ita quod in negotiis eorum versatus, in propria persona captus fuerat, per biennium fere continuum indigne satis hostium vincula passus, et carceres; nam in regno, protegente eum manu divina, nihil ei prorsus sinistri acciderat; sed omnia prospere et feliciter in manu ejus dirigebat electorum regum consolator Dominus; tamen propositum cum omni reverentia volens observare, collecta quantam habere potuit militia, ad partes illas festinus accessit. Prædictus vero Bursequinus, sicuti vir potens erat et in armis multam habens experientiam, adjuncto sibi Damascenorum rege Doldequino, ante regis adventum, quem ab Antiochenis citatum noverat, castrum obsidet nomine Caphardan, et obsessos interius, multis compulsos molestiis, ad deditionem, conditionibus de salute conservanda interpositis, compulit. Inde minorem Syriam pertransiens, sperans similibus abundare successibus, Sardanum oppidum obsidione vallat. Sed cum per dies aliquot operam ibi consumpsisset, videns se non posse proficere, insigne oppidum Hasard nomine, minus tamen munitum, apposit obsidere; dumque ibi machinas erigit et bellicos instruit apparatus, vires in damnum obsessorum experiens, ecce rex et comes cum eo Tripolitanus, nec non et Edessanus, cum ingentibus copiis adsunt, obsessis opem, auctore Domino, in proximo collaturi. Qui postquam ad hostes inceperunt accedere, tres ex se ordinaverunt acies; quarum in prima, quæ in dextro erat cornu, Antiochenos locant proceres; in secunda vero quæ in sinistro erat ordinata latere, utrumque cum suis constituunt comitem; in medio vero, dominum regem. Erant autem eis, equites mille et centum; peditum autem duo millia. Bursequinus vero nostrorum videns adventum et pro certo sciens quod ad congrediendum statim more prudentum erant parati, videns quod honeste bellum declinare non posset, instituit et ipse acies viginti; dicebantur enim equitum esse quindecim millia. Ordinatis ergo hinc inde cohortibus, et in ordinem dispositis, et contra se mutuo accedentibus, irruunt in se, hostium more, vehementius; et armis protervo studio vicissim illatis stragem inferunt, mortem modis pluribus irrogantes; solet enim in hujusmodi conflictibus odiorum incentivum et inimicitiarum fomitem dare majorem, sacrilegii et legis contemptæ dolor; aliter enim et demissius solet inter consortes ejusdem legis et fidei pugna committi; aliter inter discolos et contradictorias habentes traditiones; hic enim sufficit ad materiam jugis scandali et perpetuorum jurgiorum, quod in ejusdem fidei articulis non communicant, etsi nulla alia sit odiorum materia. Congredientes ergo prædictæ acies instant protervius in alterutrum; sed divina præsente clementia (cui non est difficile cum paucis multos superare; cujus sermo est de suis: *Unus mille, et duo fugabunt decem millia* [*Deut.* XXXII, 30]); prævaluit pars nostra; et hostibus in fugam conversis victoria de cœlis concessa, gloriosissime potiti sunt. Dicuntur autem in eo conflictu hostium cecidisse duo millia, de nostris vero viginti quatuor. Bursequinus autem videns quod longe aliter quam ratus fuerat, ei accidisset, confusione indutus et reverentia transito Euphrate, non jam ambulans in mirabilibus super se, ad propria reversus est. Rex autem tum ex hostium spoliis, tum ex fidelium et amicorum suorum liberalitate, ingenti collecta pecunia, filiam suam quinquennem, quam pro se obsidem dederat, soluta pecunia recepit; sumptaque ab Antiochenis ad tempus licentia, sospes victorque Hierosolymam reversus est. Eodem anno rex super urbem Berytensem in montanis castrum unum, cui mons Glavianus nomen, fundavit.

CAPUT XVII.

Rex Ascalonitas prosternit, et simul Ægyptios, qui ad eorum subsidium convenerant.

Per idem tempus, elapso pacis temporalis et initi fœderis spatio, quod inter dominum regem et Doldequinum, interventu pecuniæ prius convenerat, sociata sibi de universo regno militia, in terram Da-

Digitized by Google

mascenorum rex ingreditur; ubi regionem liberis peragrans discursibus, suburbana quædam diruit; eorumque habitatores secum deducens, prædam maximam et spolia de hostibus referens uberrima, sospes et incolumis in sua se recepit. Necdumque dissolutis cohortibus vix elapso triduo, nuntiatur, Ægyptiorum exercitum cum ingenti apparatu ad urbem Ascalonam accessisse; erat enim Ægyptiis consuetudo per annos singulos quater ad eamdem civitatem novas expeditiones dirigere ut viribus continue reparatis, sustinere possent assiduos nostrorum conflictus, et pene continuas quæ sæpius irrogabantur injurias. His autem qui novi recentesque venerant, mos erat et consuetudo, ut nostrorum plurimum affectarent congressus, experiri cupientes nostrorum vires, et de sua probitate certa civibus dare argumenta: unde et frequentius in bellicis congressionibus ex eis plures, et capi consueverant, et gladiis interire sæpius, tanquam regionis ignari, et armorum plenam non assecuti experientiam; veteranis civibus, nostrorum prudentius declinantibus occursum, et remissius insectantibus aliquando fugientes. Quod postquam domino regi nuntiatum est, magis continuata quam renovata expeditione, illuc celerrime contendit: quo cum pervenisset, ipse cum fortioribus et magis strenuis loco ad id congruo se locat in insidiis, levis armaturæ præmissis militibus, qui discursionibus vagis urbanorum irritent animos, et provocent ad insectandum. At vero cives videntes liberis discursionibus per loca urbi contermina nostros evagari, indigne ferentes nimium eorum tantam audaciam, certatim arma corripiunt; et egressi imprudenter seorsum per manipulos, nostros sponte terga dantes, in fugam vertunt. Fugientes quoque sequentes imprudentius, usque ad locum, ubi rex cum electa militia latebat in insidiis, pervenerunt. Rex autem opportunitatem non respuens oblatam, et qui cum eo erant, ei fideliter adhærentes, hostes ad urbem redire volentes præveniunt, cum eisque cominus conserentes, gladiis instant animosius; et antequam in urbem se recipiant, quadraginta ex eis passim obtruncant, cæteris in urbem confugientibus, et vix intra mœnia salvari se credentibus. Qui autem ceciderunt, strenuos fuisse, et de nobilioribus, civium lamenta et ejulatus in civitate solito amplior, docuerunt. Rex autem tubis clangentibus, et tympanorum strepitu suis ad se revocatis, cum ingenti lætitia prope urbem castrametatus, tota nocte ibidem victor quievit; inde sospes Hierosolymam reversus est.

CAPUT XVIII.

Rex fines Damascenorum ingreditur; occurrit ei Doldequinus; pugna committitur; victor redit noster exercitus.

Sequenti vero anno, qui erat ab Incarnatione Domini 1126, regni vero ejusdem domini Balduini octavus, mense Januario, congregatus est de mandato domini regis et principum, universi regni populus, a maximo usque ad minimum, voce præconia, per urbes singulas; et infra paucos dies, collectum est universi regni robur, quasi vir unus, juxta urbem Tiberiadensem, quasi in fines Damascenorum ex condicto ingressuri. Quo pervenientes, signis commoniti militaribus, compositis sarcinis et agminibus ordine incedentibus, peragrata Decapoli regione, terras hostium ingrediuntur: inde vallem angustam, quæ dicitur Cavea Roob, usque ad campestria Medan transierunt. Est autem planities longe lateque patens, prospectibus libera, per quam fluvius, Dan nomine, transiens, inter Tiberiadem et Scythopolim, quæ olim dicta est Bethsan, Jordanem influit. Arbitrantur autem quidam, qui et nominis juvantur argumento, quod iste sit fluvius, qui Jordani præstat ultimam nominis partem; nam quidquid in mare descendit Galilææ, et inde egreditur, usque ad istius fluminis influentiam, Jor dicunt; reliquum vero quod exinde defluit, Jordanem esse dicunt, quasi Jor et Dan commistis. Beda tamen, et quidam alii nostri doctores, auctoritatis præcipuæ, utrumque fontem juxta Cæsaream Philippi, ad radices Libani sitam, originem dicunt habere; quorum alter Jor, alter dicitur Dan; ex quibus Jordanis fluenta contrahens, totus inde in stagnum Genesar, quod est mare Galilææ, descendit; et inde totus egrediens, per milliaria pene centum, in lacum Asphaltites, qui alio nomine dicitur mare salsissimum, vallem fulcans illustrem, se infundit. Prædicta ergo campestria noster pertransiens exercitus, usque ad vicum, cui nomen Salome, pervenit. Erat autem locus is, sicut et hodie, Christianis deputatus habitatoribus; unde nostri loco parcentes, habitatoribus ejus quasi fratribus usi, ad locum cui nomen Mergisafar, ordinatis cohortibus, et militia locis congruis deputata, contendunt. Dicitur autem idem esse locus, in quo Saulus, lupus rapax, Ecclesiæ Dei persecutor, vocem audivit dicentis: *Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act.* IX, 4) et cætera. Videtur autem divinitus procuratum, ut in eo loco, in quo hæc acciderant, eadem die qua hæc eadem accidisse dicebantur, ut ex persecutore fieret vas electionis, fidelium exercitus illuc perveniret. Illic ergo congregati, per biduum sustinentes, castra Damascenorum contra se posita non longius intuentur. Tertia demum die convenientes adinvicem, ordinato hinc inde et diligentius instructo præliandi apparatu, arma conferunt ex utraque parte nimis hostiliter; et paribus quasi congressibus incedentes, ancipitem diu de victoria protraxerunt sententiam. Rex tamen more solito hostibus instans atrocius, strenuorum quemque vocat ex nomine; et verbis simul et exemplo commonens, ad stragem invitat et victoriam pollicetur. Illi vero stricto gladio hostibus incumbentes, regem quoad possunt, strenue nimis imitari nituntur; et fidei zelum habentes, divinam simul et suas ulcisci nituntur injurias. At vero Doldequinus suos nihilominus dictis animat, et ad pugnam promissis incendit, asserens eos *justum bellum gerere pro uxoribus et liberis; et pro libertate, quod*

Digitized by Google

majus est, proque solo patrio cum prædonibus decertare. His et similibus insistunt non inferiore spiritu, viribus non imparibus. Porro pedestres manipuli, domini regis et equitum exemplis edocti, in ipsas hostium acies acrius se ingerunt et insistunt animosius; si quos de hostibus lapsos vel saucios reperiunt, gladiis obtruncant, evadendi vias intercludunt; nostros vero dejectos erigunt et restituunt ad conflictum; saucios vero remittunt ad sarcinas, ut sui curam possint habere; quodque amplius hostilibus turbis illa die damnosum fuisse creditur, quidam equis hostium sauciandis omnem dabant operam, eorumque sessores subsequentibus sociis parabant ad victimam. Rex vero in condensis hostium cuneis, strenuis quibusdam, et illustribus comitatus, quasi leo fulminat, et a dextris et a læva stragem operans ipsis victoribus miserabilem. Non legitur apud nos usque ad illum diem, tam periculoso et ancipiti certamine desudatum esse; nam cum ab hora diei tertia, usque in decimam protractum esset prælium, vix hora undena discerni potèrat, utra pars meliorem esset reportatura calculum. Tandem, opitulante divina clementia, et intercedente pro eis doctore gentium egregio, hostes in fugam versi sunt, suorum stragem perpessi sæculis memorabilem. Dicuntur ex eis cecidisse illa die plusquam duo millia, de nostris vero recensito tam equitum quam peditum numero, inventum est, de equitibus viginti quatuor cecidisse; de pedestribus vero, octoginta. Sic ergo nostris divinitus collata victoria, rex victor agonis campum obtinuit. Unde cum lætitia et gratiarum actionibus educens exercitum, ad propria cœpit habere regressum. Dumque in itinere esset, turrim habens obviam, in qua nonaginta sex de hostibus, gratia salutis, se receperant, eam violenter, impugnant, et hostes comprehensos gladiis vitam finire compellunt. Inde etiam procedentes, aliam nihilominus turrim occupant violenter, viginti de hostibus, qui ad eam conservandam erant deputati, indulgentes vitam, eo quod nostris turrim prædictam sine difficultate tradiderant; quam celerius suffodientes, cum ingenti strepitu ad terram dejiciunt penitus dissolutam. Unde multiplici et sæculis memoranda potiti victoria, ad propria cum gaudio remearunt.

CAPUT XIX.

Comes Tripolitanus urbem Rapfaneam occupat. Henricus Romanorum imperator moritur; Lotharius ei substituitur.

Per idem tempus, dominus Pontius Tripolitanus comes, urbem Rapfaneam finibus suis conterminam, videns propositum effectui mancipabile, obsidere proponit; sed, ut facilius conceptum assequatur, dominum regem Hierosolymorum, ut et præsentiam suam exhibeat, et opem conferat, et litteris sollicitat, et frequentibus nuntiis hortatur. Rex autem ut impiger erat, et populi Christiani communibus fideliter obtemperans negotiis, assumpto sibi honesto comitatu, illuc sine dilatione properat: quo perveniens, comitem ad prædictum opus reperit succinctum; unde machinas et quæ ad impugnandam urbem poterant esse necessaria, viaticumque ad dies aliquot sufficientem assumentes, præmissis pedestribus alis, ad partes destinatas expeditiones suas dirigunt. Quo pervenientes, urbem juxta propositum obsidione vallant, primo statim eorum adventu civibus introitum negantes et exitum. Erat autem civitas, tum situ naturali, tum etiam inhabitantium paupertate munita modicum; multisque fatigata molestiis, diu resistere non poterat. Nam idem comes in monte quodam illi contermino præsidium ædificaverat; cujus incolæ urbem prædictam, continuis opprimentes angustiis, usque ad supremum pene defectum eos compulerant. Cum ergo diebus decem et octo eam vehementius impugnassent, cives ad deditionem compulerunt, indulto prius sibi et uxoribus et liberis libero exitu, et indemnitate promissa. Est autem prædicta Rapfanea in provincia Apamiensi, una de suffraganeis ejus; capta est autem ultimo Martii die. Rex vero Hierosolymam reversus, ibi Paschales cum multa devotione celebravit dies. Per idem tempus, dominus Henricus Romanorum imperator ultimum fato clausit diem; cui substitutus est vir per omnia commendabilis Saxoniæ dux dominus Lotharius, qui postmodum in Apuliam cum infinito descendens exercitu, universam usque ad Farum regionem violenter occupavit, ducem in Apulia constituens, providum virum et discretum, Reinonem nomine; Rogerum autem comitem, qui terram illam violenter occupaverat, in Siciliam fugere compulit, quam postmodum discedente imperatore recuperans, pugnavit cum prædicto Reinone, eoque defuncto ducatum obtinuit; postmodum etiam Siciliæ et universæ provinciæ rex effectus est.

CAPUT XX.

Iterum Bursequinus fines Antiochenos ingreditur; tandem a suis confossus interiit. Classis Ægyptia in Syriam ascendit; sed infecto negotio, damnum perpessa, revertitur.

Porro domino rege apud Tyrum moram faciente, ecce nuntius ab Antiochia properans, litteris et viva voce astruit, immanissimum nostræ fidei persecutorem Bursequinum cum ingenti apparatu in partes Cœlesyriæ descendisse; oppida obsidere, suburbana nemine prohibente, passim et sine delectu incendere, eorum habitatores trahere captivos, uxores vero et liberos mancipare servituti. Quod rex audiens, quamvis Ægyptios suspectos haberet, et cum ingenti classe quam paraverant, in proximo venturos non dubitaret; tamen more prudentis medici, qui ubi violentiorem morbi sentit instantiam, illic properat aptare remedia; neglectis aliis, majori occurrens necessitati, ad partes illas celerius contendit. Quod audiens Bursequinus, obsidionem quam circa Cerepum nobile oppidum cum ingenti cura locaverat, continuo solvit, in ulteriores fines hostium retrocedens. Priusquam tamen rex adveni-

Digitized by Google

ret, municipium quoddam non magni nominis violenter ceperat, in quo mulierculas quasdam cum liberis suis captivaverat; nam viri qui in eodem obsessi fuerant, cum multa difficultate et periculis, eorum manus evaserant, malentes sibi salutem fuga reperire, quam cum uxoribus et liberis eodem captivitatis jugo miserabiliter involvi. Postmodum autem prædictus impius et maledictionis hæres Bursequinus a domesticis et familiaribus suis gladiis confossus, interiit, nequitiarum suarum semina simul et fructus impietatis, opere suo recolligens.

At vero dum hæc geruntur in partibus Antiochenis, classis Ægyptia, sicut et prænuntiatum fuerat, galeis viginti quatuor universam oram maritimam perlustrantes, usque ad urbem Berytensem descenderunt, explorantes sollicite, si quid in aliqua nostrarum urbium damni possent irrogare; aut si quos forte incaute prætereuntes, vel accedentes in Syriam, ex improviso, quasi de insidiis egressi, possent occupare; tandem vero potus inopia laborantes, sitis necessitate compulsi, ut aquas hauriant, ad terram secus fluenta descenderunt: quibus occurrens populus civitatis cum quibusdam aliis, qui de finitimis urbibus ad eorum convenerant subsidium, ab aquis eos violenter repulerunt, aquæ usum omnino contradicentes; sed et armis instantes animosius, in naves eos violenter compulerunt redire, centum et triginta ex eis gladio peremptis.

CAPUT XXI.

Boamundus junior Antiochiam pervenit; rex et terram suam restituit; filia sua Halis nomine, in uxorem data.

Autumno sequente, dominus Boamundus junior, domini Boamundi senioris filius, princeps Tarentinus, inito pacto et composito fœdere cum domino Guillelmo duce Apuliæ patruo suo, de futura successione, videlicet tali, ut uter eorum prior vita decederet, alter ei succederet in universum: paratis navibus, galeis videlicet decem, et duodecim aliis ad sarcinas et impedimenta devehenda, et arma simul et victualia transferenda opportunis, iter in Syriam dirigit, de domini regis fide præsumens, ut ei advenienti, et paternam reposcenti hæreditatem non negaret. Advenienti igitur, et infra fauces Orontis fluminis classe jam in tuto recepta, postquam domino regi compertum est, cum magnatibus regionis ei processit obviam; et Antiochiam ingresso, urbem et regionem benigne ei restituit universam, cujus cura pervigil et anxia nimis sollicitudo eum per annos macerraverat octo. Restituto igitur principatu, universi proceres et magnates regionis præsente domino rege, et monente, fidelitatem ligiam in palatio suo illi exhibuerunt. Postmodum interventu quorumdam utrique parti familiarium factum est, quod dominus rex unam de filiabus suis Halim nomine, natu secundam, placitis utrinque conditionibus, ei concederet uxorem, ut amplior inter eos gratia et amica magis proportio intercederet. Erat autem dominus Boamundus adolescens, quasi annorum decem et octo, formæ venustate conspicuus, procerus admodum, crine flavo, vultu favorabili, et qui vere principem, etiam ignorantibus, indicaret; sermone gratus, et qui verbo audientium animos facile sibi conciliaret; liberalis plurimum, et more patris vere magnificus; secundum carnem nulli mortalium nobilitate secundus; quippe cui Boamundus senior, domini Roberti Guischardi illustris et per sæcula viri memorabilis filius pater erat; mater vero, spectabilis et nobilissima inter illustres Constantia, excellentis regis Francorum Philippi filia. Celebratis igitur de more nuptiis, et filia apud dominum principem lege conjugali solemniter collocata, rex Hierosolymam, oneris majore parte deposita, sospes et incolumis reversus est. Dominus vero Boamundus vere sequenti oppidum Cafardan, quod aliquot ante annis, hostes in manu forti sibi violenter subjugaverant, convocatis ex universo principatu militaribus copiis et machinis ad impugnationem præsidiorum necessariis per operam artificum fabrefactis, castrum obsidet; et modico temporis intervallo violenter expugnatum recepit, nulli parcens eorum quos intus comprehendit, quamvis multo pretio vitam tentarent emere, et pecuniæ interventu obtinere salutem. Has dedit primitias, inclytus et nobilis, suæ adolescentiæ, princeps et bonæ indolis argumenta prima.

CAPUT XXII.

Inter eumdem Boamundum et Joscelinum comitem Edessanum, graves oriuntur inimicitiæ; sed rex celer advolat, et componit. Africani urbem Siciliæ Syracusam violenter effringunt.

Nec mora, causis intervenientibus occultis, quantum ad nos, Deo tamen odibilibus, ortæ sunt graves injmicitiæ inter eumdem dominum principem et comitem Edessanum Joscelinum seniorem: ita quod contra bonos mores et nostrorum disciplinam temporum, perniciosum posteris relinquens exemplum, Turcos et infidelium turmas in suum convocaret subsidium; et eorum fretus auxilio, regionem Antiochenam incendiis traderet, et ejus habitatoribus, Christi servis, indebitæ jugum induceret servitutis; quodque notabilius et divina animadversione dignius creditur, absente principe, et hoc penitus ignorante, dum in servitio Christi hostes impugnando desudat, hæc omnia commissa dicuntur. Unde prædictus Joscelinus eorum omnium, ad quos sermo iste pervenit odium incurrens et indignationem, omnium maledictiones merebatur. Rex vero, fama deferente hæc audiens, sollicitus primum, ne illius occasione scissuræ, major in nostram confusionem hostibus pateret introitus, quia *Regnum in seipsum divisum*, juxta verbum Domini, *desolabitur* (*Luc.* xi, 17); consequenter autem, quia secundum carnem uterque illi erat proximus; alter enim consobrinus materteræ filius; alter vero gener, et cui recenter desponsaverat filiam: velox ad partes illas pacem compositurus, advolat, dominoque Antioche-

Digitized by Google

norum patriarcha Bernardo, fidelem et devotum cooperatorem se exhibente, pacem optimam inter eos reformavit : eo maxime opportunitatem præstante, quod medio tempore comes gravem incurrit ægritudinem, qua periculosissime laborans, et facti pœnitens, Domino se votis obligavit, quod si vitam indulgeret et salutem, domino principi satisfaceret, et ei debitam fidelitatem impendens reconciliaretur : quod et factum est. Nam postquam plenam adeptus est convalescentiam, præsentibus domino rege, domino quoque patriarcha, reconciliatis eis adinvicem, et plena intercedente gratia, fidelitatem ei manualiter exhibuit, eam deinceps debito tenore, conservans. Rex autem, pace composita, Hierosolymam reversus est. Per idem tempus, comes Siciliæ Rogerus classem galearum quadraginta multo studio paratam, ad partes Africæ dicitur direxisse; ubi earum adventu prænoscito, provinciales prænoniti, provide se habentes, nullam hostibus nocendi sibi præbuerunt opportunitatem : imo e converso galeas quas pene se habebant, studio non inferiore armantes, prædictos malefactores suos, infecto negotio redeuntes, cursu celerrimo persequentes, usque in Siciliam devecti sunt; quo pervenientes cum galeis octoginta, urbem Syracusanam nobilem et antiquam, longa pace desidem, securam et nihil tale verentem, aggrediuntur subito, et protinus occupant violenter. Impugnata etiam urbe, cives obtruncant gladiis, nemini parcentes sexus intuitu vel ætatis; quibus autem parcebatur, omni morte durior servitus parabatur. Porro episcopus loci cum paucis ecclesiæ clericis ad suburbana fugiens, vix evasit.

CAPUT XXIII.

Tyri, primus Latinorum constituitur archiepiscopus.

Vere demum proxime subsecuto, quarto anno postquam civitas fidei restituta est Christianæ, rex cum domino patriarcha, et majoribus regni principibus apud *Tyrum* convenientes, de pontifice eidem ecclesiæ ordinando cœperunt habere tractatum; tandemque dominum Willelmum, virum venerabilem, ecclesiæ Dominici Sepulcri priorem, natione Anglicum, vita et moribus commendabilem, eidem urbi præficiunt. Hic jam novit Dominus, non possumus satis gemitus cohibere; nam sicut proverbialiter dici solet : *Ubi amor, ibi oculus; ubi dolor, ibi manus;* hæc nos premunt altius, et inflicto dolore, præcordia non sinunt quiescere. Admirantes enim illius temporis prudentiam, hæremus in nobis ipsis quasi temeritatem reputantes. Nam qui biennio antequam prædicta civitas Christianæ restitueretur libertati, episcopum ibi consecraverant sibi, postmodum supina et crassa prudentia usque in quartum annum distulerunt eidem antistitem providere, ut interim distractis ecclesiis, et cathedrali ecclesia membris mutilata propriis, qui primus accederet curam habens regiminis, cum maledicto homine partem deteriorem acciperet; scriptum est enim : *Maledictus homo, qui partem suam deteriorem facit.* Prædecessor tamen ille noster, et qui postea usque ad nos subsecuti sunt, illius maledicti merito declinamus effectum, qui non ipsi nobis partes fecimus deteriores; sed deteriores factas ab aliis, de necessitate suscepimus conditiones. Parcat eis Dominus et ad gehennam non imputet, qui Ecclesiam ita tractaverunt. Porro prædictus bonæ memoriæ prædecessor noster dominus Willelmus, suscepto consecrationis suæ munere a domino Hierosolymitano patriarcha, ut pallium reciperet, invito et renitente eodem suo consecratore, Roma profectus est : ubi a domino papa Honorio secundo benigne susceptus, quod petebat obtinuit, cum multa honorificentia, et de apostolicarum prosecutione litterarum, remissus ad propria; quarum hic erat tenor :

HONORIUS *episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus suffraganeis Episcopis, clero et populo Tyri, salutem et apostolicam benedictionem.*

Venientem ad nos charissimum fratrem nostrum Willelmum, archiepiscopum vestrum, debita charitate recepimus, et quem canonice electum, et a venerabili fratre nostro Cormundo, Hierosolymitano patriarcha consecratum accepimus, pallii dignitate, plenitudine videlicet pontificalis officii, decoravimus. Quia vero de persona sua maximum fructum matri ecclesiæ vestræ Tyri, divina suffragante misericordia, credimus proventurum, ipsum cum gratia sedis apostolicæ, et nostrarum litterarum prosecutione, ad vos duximus remittendum. Universitati ergo vestræ mandando præcipimus, quatenus eum benigne recipiatis, et tanquam proprio metropolitano et animarum vestrarum episcopo, subjectionem, obedientiam et reverentiam humiliter deferatis.

HONORIUS *episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri* GORMUNDO *Hierosolymitano patriarchæ, salutem et apostolicam benedictionem.*

Susceptis fraternitatis tuæ litteris, fratrem nostrum Guillelmum, quem in ecclesia Tyri consecrasti archiepiscopum, benigne suscepimus, et eum dignitate pallii, plenitudine videlicet pontificalis officii, decoravimus. Suffraganeis etiam ecclesiæ suæ mandando præcipimus, quatenus ei tanquam proprio metropolitano, subjectionem, obedientiam et reverentiam deferant.

Data in territorio Barensi, viii *Idus Julii.*

Misit etiam et cum eodem archiepiscopo, dominum Egidium Tusculanum episcopum, apostolicæ sedis legatum, virum eloquentem et litteratum admodum, cujus usque hodie exstant ad Antiochenos epistolæ valde celebres : per quem Antiocheno patriarchæ Bernardo epistolam scripsit, monens ut domino Tyrensi suos, quos detinebat, restitueret suffraganeos, ait enim inter cætera : *Unde per apostolica scripta et venerabilem fratrem nostrum Egidium, Tusculanum episcopum, apostolicæ sedis legatum tibi mandamus, quatenus suffraganeos Tyrensis Ecclesiæ sibi restituas : quod nisi infra quadraginta dies, post earum inspectionem litterarum, quas ad eos direximus, debitam ei subjectionem exhibuerint, nos ex tunc eos ab officio episcopi suspendimus.* Quid au-

Digitized by Google

tem in causa exstiterit quod a Hierosolymitano patriarcha consecratus et ei obediens fuerit, cum a tempore apostolorum usque ad eum diem Tyrensis Ecclesia Antiochenæ sedi subdita fuisse dignoscatur, sequens competenti loco subjunctus edocebit tractatus.

CAPUT XXIV.

Fulco Andegavensium comes vocatus accedit; eique Milisendis primogenita regis filia in uxorem datur.

Anno sequenti circa veris medium, vir illustris et magnificus, dominus Fulco Andegavensium comes, pro quo rex de communi omnium tam ecclesiasticorum quam sæcularium principum consilio miserat, ad hoc ut ei dominam Milisendam primogenitam suam, uxorem daret, apud Acconensem urbem applicuit cum honesto nobilium comitatu et apparatu opes regias excedente. Venit etiam et cum eo dominus Willelmus de Buris, regius constabularius, qui statim a domino rege, de hostium vinculis educto, ad citandum prædictum comitem, cum quibusdam aliis nobilibus directus fuerat. Fuerat autem abeunti datum in mandatis, ut in anima regis et regni principum confidenter juraret, quod ex quo regnum sospes attingeret, infra quinquaginta dies, ei primogenita regis filia cum spe regni post regis obitum, traderetur; cui postquam applicuit, statim sine dilatione, juxta legem pactorum, antequam adveniret sanctæ Pentecostes in proximo futuræ celebritas, prædictam filiam suam lege tradidit maritali, eisque urbes geminas, Tyrum videlicet et Ptolemaidam, in vita sua tradidit possidendas, quas usque ad ejusdem regis obitum possederunt. Astitit autem prædictus comes tanquam vir providus et discretus, domino regi tota vita sua, fideliter in negotiis regni ingrediens et egrediens, filii devote implens officium : et ea quibus solent amici comparari merita, in obsequiis domini regis, in eo non fuerunt otiosa.

CAPUT XXV.

Gormundus Hierosolymorum patriarcha moritur; Stephanus ei substituitur. Inter regem et patriarcham quæstiones oriuntur difficiles.

Eodem anno dominus Gormundus, bonæ memoriæ Hierosolymitanus patriarcha, dum in pago Sidoniensi præsidium quoddam, cui Belhasem nomen, obsideret, quod a quibusdam detinebatur prædonibus, mortis causa collecta, ægritudine correptus valida, Sidonem deportatus est : ubi invalescente ægritudine, conditioni mortalium satisfaciens, viam universæ carnis ingressus est, cum Hierosolymitanæ quasi per annos decem præfuisset ecclesiæ. Cui substitutus est vir quidam secundum carnem nobilis, sed vita et moribus multo nobilior, Stephanus nomine, abbas Sancti Joannis de Vallea, qui locus in urbe Carnotensi habetur. Erat autem ipse Carnotensis genere, domini regis Balduini consanguineus. Hic ejusdem civitatis, ante conversionem suam, in equestri ordine et habitu fuerat vice dominus; postmodum sæculo renuntians, habitum religionis in prædicto claustro suscepit, demum suffragantibus meritis, ad regimen ejusdem ecclesiæ promotus est; in adolescentia sua liberalibus disciplinis convenienter instructus. Qui cum orationis gratia et devotionis intuitu Hierosolymam venisset, ibique transitum exspectans, moram faceret, contigit quod post exsequias domini Gormundi patriarchæ, dum clerus et populus de substituendo pastore tractarent, communi omnium voto electus est. Postquam ergo consecratus est, cœpit adversus dominum regem quæstiones movere difficiles, allegans, Joppensem civitatem ad jus suum et ecclesiæ Dominicæ Resurrectionis pertinere; ipsamque sanctam civitatem post captam Ascalonam eodem modo ecclesiæ cessuram, de jure confirmans. Erat autem homo magnificus, in proposito constans, honestæ conversationis, juris sui sollicitus prosecutor. Unde inter eum et dominum regem graves exortæ sunt inimicitiæ; quarum tamen, mors immatura finem dicitur fecisse. Nam non completo biennio, in fata concessit. Opinantur nonnulli, eum veneno dato interiisse; sed nos pro certo id compertum non habemus. Traditur tamen, quod dum in lecto supremæ decubaret ægritudinis, et rex ad eum visitandum esset ingressus, et ab eodem de ejus statu quæreret, ita responderit : *Sic est nobis in præsenti, domine rex, sicuti vultis.*

CAPUT XXVI

Rex, princeps Antiochenus, comes Tripolitanus, comes Edessanus, fines Damascenorum ingrediuntur; sed confusi, exercitus parte amissa, redeunt. Moritur Stephanus patriarcha; Willelmus ei substituitur.

Anno sequenti Hugo de Paganis, magister militiæ templi primus, et quidam alii viri religiosi, qui a domino rege, et aliis regni principibus ad Occidentales missi fuerant principes, ut nostrorum subsidium populos excitarent, et ad obsidionem Damascenæ urbis, potentes specialiter invitarent, reversi sunt : plurimaque nobilium virorum turba, verborum illorum fidem secuti, in regnum venerant. Unde de eorum confisi viribus et opera, ex condicto convenerunt omnes Orientis Christiani principes; dominus videlicet rex Balduinus, dominus Fulco comes Andegavensium, dominus Pontius comes Tripolitanus, dominus Boamundus junior princeps Antiochenus, dominus Joscelinus senior, comes Edessanus : hi omnes communicato consilio, collectis undique copiis militaribus et subsidiis convocatis, instructis agminibus certatim properant, ut egregiam et nobilem Damascenorum civitatem obsideant, obsessamque aut violenter ad deditionem compellant, aut armis cominus expugnent. Sed tantis conatibus, ex occulto, justo tamen, judicio divina occurrit providentia; nam cum fines Damascenorum prosperis, Deo duce, adhuc successibus attigissent, pervenientes ad locum, qui dicitur Mergesaphar, separaverunt se ab exercitu inferioris manus homines, quibus in castris id solet esse

Digitized by Google

officii, ut pro victualibus necessariis que tam ad usum hominum quam jumentorum alimentis per suburbana longe lateque vagantes se porrigerent. Quibus ad custodiam datus est dominus Willelmus de Buris, cum equitibus mille. Porro illi, sicut talibus solet esse consuetudo, separati ab invicem, omnem cœperunt regionem temere perlustrare, studiose seorsum et sine consortibus incedentes, ut quod quisque reperiret cæteris non communicans, sibi proprium vindicaret; dumque circa hæc detinerentur occupati, et suburbana effringentes, spolia ad suos comportare nituntur, imprudenter nimis cœperunt se habere, et militarem transgredi disciplinam. Quod audiens Damascenorum princeps Doldequinus, sperans sicuti accidit, incautos eos et locorum ignaros, si subito cum suis irrueret, posse conficere, assumptis sibi ex omni numero suorum expeditissimis et re militari prudentioribus, subita congressione nostros qui pabulatum, ut prædiximus, incaute processerant, adoritur; et imparatos, aliisque studiis dantes operam, facile vertit in fugam; dispersos passim per agros, obtruncat; nec insequi desistit, donec tam vulgus quam robur egregiorum, qui eis ad custodiam deputati fuerant, in fugam convertit, pluribus ex eis interemptis. Quo comperto, nostri qui in exercitu erant, ad tantam propulsandam injuriam, et ad ultionem prosequendam parati, arma corripiunt, hostibus obviam, viriliter obstinatis animis et indignatione nimia accensis, ire parant: cum subito virtus divina, qua invita, hominum non satis promoventur negotia, tantam imbrium immisit intemperiem, tantam aeris caliginem, tantam viarum, propter aquarum abundantiam difficultatem, ut vix de vita nemine, nisi sola aeris inclementia perurgente, sperare liceret. Caliginosus enim aer, et nubium densitas, ventorum etiam irregularis concursus, tonitrua et coruscationes sæpissimæ, id ipsum multo ante significaverant. Sed ignara futuri mens hominum cæca, revocantem non exaudivit divinam longanimitatem; sed ea invita, quod impossibile est, procedere nititur. Videntesque pro peccatis eorum immissam aeris intemperiem, revocant de necessitate propositum; et mutatis conditionibus qui hostibus primum terribiles, nimiumque suspecti advenerant, nunc hoste quieto et etiam superiore facto, sibi ipsis oneri erant; et ad propria redire victoriam reputabant immensam. Igitur VIII Idus Decembris, anno ab Incarnatione Domini 1130, regni domini Balduini duodecimo, accidit hoc, in eodem fere loco, ubi quadriennio prius insignem et cunctis memorabilem de eisdem hostibus idem rex obtinuerat palmam. Mirabile est, et vere mirabile, et supra opiniones hominum, quod de sua virtute præsumentes humilias, æterne Salvator; et qui in homine confidunt, et carnem ponunt brachium suum, jaculo tuæ maledictionis, meritis exigentibus, confodis; adjutorem non quærens, nec gloriæ conparticipem. Tu enim dixisti, benedicte Domine: *Gloriam meam alteri non dabo* (*Isa.* XLVIII, 11). *Mihi vindictam, et ego retribuam* (*Rom.* XII, 19). *Percutiam, et sanabo; et ego vivere faciam; et non est qui de manu mea possit eruere* (*Deut.* XXXII, 39). Et vere, Domine. Nam dum rex solis regni sui viribus et propria usus militia, superabundanti divinæ gratiæ se commisit totum, de hostibus sæpius insperatos reportavit triumphos; ubi vero de multitudine confidens, hominis opera se sublimari posse præsumpsit, et multiplicatis auxiliis de mortalium cœpit virtute confidere, gratiam subtrahens, eum suis conditionibus reliquisti. Abiit enim in multitudine confusus, qui in paucitate, Domini fretus auxilio, de hostibus facile consueverat triumphare. Sic ergo temporis divinitus immissa abacti intemperie et cœlis contra eos impugnantibus, nec de suis qui hostium gladiis ceciderant sumpta est ultio, nec propositum effectui mancipare potuerunt. His ita gestis, nostri principes ab alterutro divisi, impossibile credentes quod incœptum prius opus, facile posset de cætero continuari, ad propria sunt reversi. Mortuus est interim piæ memoriæ dominus Stephanus patriarcha Hierosolymorum; cui successit dominus Willelmus, prior ecclesiæ Dominici Sepulcri: vir simplex, modice litteratus, forma decorus, moralitate commendabilis; Flamingus natione, de eo loco qui dicitur Mecine; regi, regnique principibus et populo universo plurimum acceptus.

CAPUT XXVII.

Boamundus Antiochenorum princeps, in Cilicia circa Mamistram occiditur. Rex Antiochiam properat. Boamundi uxor patrem advenientem tentat repellere; sed civium opera regi traditur civitas, exclusa principissa.

Postquam igitur dominus Boamundus regis gener, princeps Antiochenus, ab ea expeditione rediens in suam se recepit provinciam, Rodoan maledictionis filius, Halapiæ princeps, Turcorum dominator potentissimus, fines Antiochenorum ingressus est. Cui cum dominus princeps volens eum a suis arcere finibus, obviam properasset, in Ciliciam descendit, aliis etiam tractus causis, quæ domesticam et familiarem habebant rationem. Ubi cum in eo loco qui dicitur Pratum palliorum, in campestribus late patentibus castrametatus est, hostium irruente subito multitudine, suis eum destituentibus, gladiis confossus interiit. Magnus princeps, et Deo si vixisset amabilis, nisi mors immatura et sors invida humanis cum rebus subtraxisset: quo casu populus Antiochenus mente plurimum consternatus, qui sub illius regimine tutum per longa tempora se arbitrabatur posse conservari, et de ejus adolescentia supra id quam expediret præsumebat, in recidivas iterum incidentes querimonias, ut sine principis officio iterum hostibus præda fierent, communicato consilio dominum Hierosolymorum regem evocant. Quod postquam domino regi nuntiatum est, facti novitate permotus, timens ne pro ducis defectu prædictæ regioni deterius aliquid contingeret, omissis propriis, cœpit aliena curare, nil reputans alie-

Digitized by Google

num, quod Christianis principibus accidisset; dignum etiam sua existimans sollicitudine, quidquid populo Christiano per labores suos posse videbat accedere, citatis gressibus Antiochiam properat. Interea ejus filia, morte mariti cognita, nequam agitata spiritu, rem concipit nefariam, antequam de adventu patris quidquam persentisceret. Ut statum sibi præpararet tranquilliorem et effectui manciparet propositum, ad quemdam Turcorum potentissimum ducem, nomine Sanguinum, nuntios dirigit, ejus ope sperans, invitis patribus et universa plebe, Antiochiam sibi in perpetuum vindicare posse. Erat autem eidem ex domino Boamundo bonæ memoriæ, unica filia, cujus non multa apud matrem videbatur esse gratia; illuc enim tota matris videbatur properare intentio, ut vel in viduitate consistens, vel ad secunda vota demigrans, principatum sibi exhæredata filia, perpetuo possideret. Miserat autem et prædicto nobili viro, per quemdam familiarem suum, palefredum albissimum, argento ferratum, freno et cæteris argenteis phaleris redimitum, examito coopertum albissimo, ut in omnibus candor niveus consonaret. Qui nuntius in itinere casu interceptus, et in domini regis constitutus præsentia, facti seriem confessus, viarum suarum fructus colligens, supremo supplicio vitam finivit. Rex itaque Antiochiam ob prædicta quæ acciderant infortunia properans, illucque perveniens in civitatem, filia prohibente non est admissus, cauteriatam quæ timens conscientiam, etiam patris arbitrium verebatur; suis ergo complicibus et quos pecunia corruperat civitatem tradens, omnino resistere meliebatur, et tyrannidem suam liberius exercere. Sed accidit ei longe secus a proposito. Nam in eadem civitate erant viri timentes Deum, insanientis feminæ contemnentes proterviam; quorum unus erat Petrus Latinator, monachus Sancti Pauli, et Willelmus de Adversa. Hi consentientibus aliis, dominum regem occultis vocant internuntiis, et ex condicto dominum Fulconem, Andegavensium comitem, in porta Ducis locant; dominum vero comitem Joscelinum, in porta Sancti Pauli; deinde aditus reserant, regem introducunt. Quo cognito principissa in arcem contendit: unde postmodum a prudentioribus, et quibus plenam fidem habebat, evocata, ante patris præsentiam se constituit, ejus arbitrio paritura. Pater vero, licet pro commisso graviorem adversus eam indignationis motum conceperat, tamen intervenientium prece devictus, et paterno non destitutus affectu, recepta Antiochia, ne filia simile aliquando attentaret, Laodiciam et Gabulum urbes maritimas ei concessit, quas tamen maritus supremo judicio ei ob donationem propter nuptias destinaverat. Ordinatis igitur illius civitatis negotiis, et cura principibus concessa, revocante eum domestica sollicitudine, Hierosolymam reversus est; sumptis tamen prius, tam majorum quam minorum fidelitatibus, et corporaliter juramentis: quod vel eo vivente, vel post ejus obitum Antiochiam cum suis pertinentiis, Constantiæ pupillæ, domini Boamundi junioris filiæ, fideliter conservarent. Verebatur enim propriæ filiæ suæ malitiam, ne prædictam pupillam tentaret, sicut et prius fecerat, exhæredem facere.

CAPUT XXVIII.

Rex Hierosolymam revertitur; valida correptus ægritudine moritur; cum aliis regibus in ecclesia Dominici Sepulcri tumulatur.

Reversus ergo Hierosolymam, decidit in gravem nimis ægritudinem; vidensque sibi mortis imminere diem, egressus de proprio palatio, supplex et humilis in conspectu Domini, regio statu deposito, in domum domini patriarchæ, quia loco Dominicæ resurrectionis erat vicinior, se transferri præcepit; spem habens in eo, qui mortem ibi devicerat, quod suæ resurrectionis faceret eum participem. Ibique accitis filia et genero, pueroque Balduino jam bimulo, coram positis domino patriarcha, et ecclesiarum prælatis, et de principibus nonnullis, qui forte aderant, regni curam et plenam eis tradidit potestatem, more pii principis paterna eis benedictione indulta. Ipse vero Christi verus confessor, habitum religionis assumens, et vitam regularem professus, si viveret, ei qui spirituum pater est, tradidit spiritum, cum piis principibus, auctore Domino, præmia percepturus. Mortuus est autem anno ab Incarnatione Domini 1131, regni vero ejus tertio decimo, mense Augusto, vicesima prima die mensis; sepultus est autem inter prædecessores suos piæ recordationis reges, sub monte Calvariæ, ante locum qui dicitur Golgotha, multa suorum cura et solemnibus obsequiis, regia dignis magnificentia. Cujus usque in præsentem diem ob egregiam fidem et opera insignia, memoria est in benedictione apud omnes.

LIBER QUARTUSDECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Quis moribus, et quibus majoribus editus fuerit dominus Fulco, tertius Hierosolymorum rex.

Vocato igitur ex hac luce domino Balduino, Hierosolymorum ex Latinis rege secundo, qui cognominatus est de Burgo, successit in regno dominus Fulco gener ejus, comes Turonensium, Cænomanensium et Andegavensium, cui prædictus dominus rex filiam suam primogenitam Milisendem nomine dederat uxorem, ut præmisimus. Erat autem idem Fulco vir rufus, sed instar David, quem invenit Dominus juxta cor suum; fidelis, mansuetus, et

Digitized by Google

contra leges illius coloris affabilis, benignus et misericors; in operibus pietatis et eleemosynarum largitione liberalis admodum; secundum carnem princeps potens, et apud suos felicissimus, priusquam etiam ad regni vocaretur gubernacula; rei militaris experientissimus, et in bellicis sudoribus patiens et providus plurimum; statura mediocri, sed jam grandævus, et plus quam sexagesimum agens annum. Inter alios vero, quos lege mortalitatis patiebatur defectus, fluidam et labilem eatenus habebat memoriam, ut suorum domesticorum etiam non teneret nomina, nec vultus nisi paucorum agnosceret : ita ut de eo cui paulo ante supremum impenderat honorem et familiaritatis gratiam, diligenter postmodum quæreret, quisnam esset si ex improviso se præsentem daret. Unde multos de ejus familiaritate præsumentes, ad confusionem compulit, cum ipsi aliis se defensores dare proposuerant, et ipsi patrono apud eum indigerent. Pater hujus, Turonensium et Andegavensium comes, Fulco etiam dictus est et cognominatus Rechin, qui uxorem duxit sororem domini Amalrici de Montfort, nomine Bertheleam : unde duos suscepit filios : Fulconem istum, unde nobis est sermo; et Gaufridum Martel; et filiam unam, Hermingerdam nomine, quæ prius uxor fuit Pictaviensium comitis Willelmi; a quo spreta et contra matrimonii leges abjecta, ad comitem Britanniæ se contulit, eique affectione adhæsit maritali : ex quibus natus est Conanus, ejusdem Brjtanniæ comes, qui cognominatus est Grossus. Iis ergo tribus liberis apud prædictum Fulconem seniorem editis, mater spreto marito, ad regem Francorum Philippum se contulit; qui etiam, abjecta uxore sua legitima, eam suscepit tori participem, curarum sociam, et affectione postea tractans maritali, contra leges ecclesiasticas, invitis et multum renitentibus regni ejus episcopis simul et principibus, apud se detinuit : ex eaque suscepit filios, Florum, Philippum et Ceciliam, de qua superius fecimus mentionem, quæ prius Tancredi Antiochenorum principis uxor fuit, postmodum eo defuncto, domino Pontio, Tripolitano comiti, votis usa secundis, adhæsit. Præfatus vero Fulco, senioris Fulconis filius, patre jam defuncto, uxorem duxit filiam comitis Cenomanensium Heliæ, Guiburgem nomine, ex qua duos suscepit filios et filias totidem. Hujus autem matrimonii causa fuit mater; nam, dum idem adolescens in curia comitis Pictaviensium domini sui, pincernæ fungeretur officio, audita fratris primogeniti morte, ab eodem comite captus est et vinculis mancipatus, occasione quorumdam castellorum, quæ ab eo contendebat violenter eripere, quæ pater ejus et frater in finibus prædicti comitis jure hæreditario, sed de feodo prædicti comitis diu possederant. Quod audiens mater, quæ jam ab ejus patre multo ante diverterat et ad dominum regem Francorum se contulerat, maternis mota visceribus, apud dominum regem supplex imploravit et obtinuit, quod filius ejus a vinculis absolutus, paternæ restitueretur hæreditati; insuper etiam effecit, ut supra nominati comitis Heliæ unicam filiam, cum eis omni hæreditate, dominus rex ejus filio uxorem concederet; ex qua, ut prædiximus, duos filios genuit et filias in eodem numero. Primogeniti nomen fuit Gaufridus, qui patri successit in eodem comitatu, cui senior Henricus, rex Anglorum potentissimus, filiam unicam Mahaldam nomine, domini Henrici Romanorum imperatoris viduam, uxorem dedit; ex qua idem Gaufridus tres suscepit filios : Henricum videlicet, qui nunc Angliæ regnum strenue et prudenter administrat; et Gaufridum, qui cognominatus est Plantagenest; et Willelmum, qui dictus est cognomento Longaspata. Nomen vero secundi, ejusdem domini Fulconis filii, materni avi nomen referentis, Helias; cui Rotoldus comes Perchensis filiam suam unicam uxorem dedit, spondens, quod de cætero uxorem non duceret, sed omnem hæreditatem suam cum omni integritate in eum moriens transferret. Pactorum tamen immemor et promissorum prodigus, uxorem duxit, sororem comitis Patritii, nobilis de Anglia viri; ex qua plures suscepit liberos : unde prædictus Helias ab ejus hæreditate contra spem factus est alienus. Nomina autem filiarum, alterius Sibylla, quæ inclyto et nobili viro domino Theoderico Flandrensium comiti nupsit, ex quibus ortus est Philippus, qui hodie Flandrensium procurat comitatum; nomen secundæ Mahaldis, quæ prædicti Anglorum regis Henrici filio desponsata fuerat; sed, antequam convenirent, sponsus in Angliam navigans, naufragium passus, pelago submersus est; ejus vero sponsa, perpetuum vovens cælibatum, in claustro puellarum religioso admodum, apud Fontem Ebraudi, sanctimonialem perpetuo vitam duxit.

CAPUT II.

Quod antequam vocaretur a domino Balduino rege, causa peregrinationis Hierosolymam venerat; et de ejus in regem promotione.

Prædictus igitur Fulco uxore defuncta, Hierosolymam orationis gratia, priusquam a domino rege vocaretur, petierat : ubi magnifice plurimum in Dei servitio se habens, populi universi gratiam et domini regis, et universorum principum familiaritatem plurimam, meritis exigentibus acquisivit; quippe qui centum equites per annum integrum in regno suis habuit impensis; tandemque sospes ad propria regressus, filias nuptui, filios autem matrimonio collocans, comitatum suum optimo statu composuit; dumque strenue et prudenter annos aliquot post suum reditum suis incumbit negotiis, ecce dominus rex Hierosolymorum de successione sollicitus, videlicet apud quem primogenitam suam nuptui collocaret, post multam deliberationem, de communi universorum principum consilio, sed et de populi favore, quosdam de principibus suis, dominum videlicet Villelmum de Buris, dominum Guidonem Brisebarre, ad prædictum dirigit comitem, invitans eum ad filiæ nuptias et regni succes-

Digitized by Google

sionem ; qui compositis rebus et ordinato comitatu, data benedictione liberis suis, assumens sibi de honestis proceribus suis, iter veniendi ad domini regis vocationem arripuit ; cui postquam in regnum ingressus est, statim infra paucos dies, sicut ex pacto tenebatur, primogenitam suam, ei matrimonio copulavit, conferens eidem dotis nomine, duas civitates maritimas, Tyrum et Ptolemaidam ; quam quasi triennio possidens, continuo comes sicut ante quasi vocabatur. Defuncto igitur domino rege XI Kal. Septemb. anno ab Incarnatione Domini, 1131, idem comes cum prædicta uxore, XVIII Kal. Octob. in die exaltationis Sanctæ Crucis, in ecclesia Dominici Sepulcri, a domino Willelmo, bonæ memoriæ Hierosolymorum patriarcha, solemniter et ex more coronatus et consecratus est.

CAPUT III.

Senior Joscelinus Edessanus comes, æger in lectica hostibus occurrit ; et obtenta victoria carne solvitur ; et de filio ejus Joscelino.

Per idem tempus, dominus Joscelinus comes Edessanus, longa ægritudine fatigatus, lecto decubans, mortis imminentem exspectabat diem. Ceciderat enim anno proxime præterito circa partes Halapiæ, super eum turris ex crudis lateribus compacta ; quam cum hostibus in ea inclusis ut facilius caperet, suffodi fecerat ; subfossa subito corruens, incautum oppresserat ; unde eum sui cum multo labore, quasi sepultum et contritis artubus, vix eruerunt : quo languore multo tempore maceratus, adhuc egredi nitentem detinebat animam ; cum ecce nuntius advolans, Soldanum Iconiensem obsedisse quoddam ejus castrum, cui nomen Cressum, nuntiat. Quo audito, vir magnanimus, sicut erat corpore debilis et prorsus impotens, sed mente validus, filium præcepit ad se evocari, injungens ut, assumpta secum universa regionis illius militia, hosti supra nominato viriliter occurreret et locum patris suppleret impotentis. Ille vero objiciens, quod prædictus Soldanus in gravi multitudine diceretur advenire, respectu tantarum virium paucos se habere, cœpit se excusare ; unde pater, pensata pusillanimitate filii, et ex eo verbo qualis futurus esset, colligens, militares præcipit convocari copias, et populum regionis universum. Quibus paratis, sibi aptari lecticam mandat ; et in eam ascendens, hostibus occurrit, doloris oblitus et impotentiæ ; in quo cum aliquantulum cum exercitu processisset, nuntiat ei unus de magnatibus regionis Gaufridus, cognomento Monachus, Soldanum audito ejus adventu, obsidionem a castro dimovisse prædicto et iter ad reditum maturasse. Quo cognito, comes lecticam qua gestabatur, ad terram deponi jussit ; et erectis in cœlum manibus et devoto spiritu, Domino cum suspiriis et fletu gratias agens, quod in novissimis suis eum benignus et misericors Dominus tanta gratia visitasset : quod seminecis, et in ipsis mortis vestibulis constitutus adhuc hostibus Christianæ fidei esset formidabilis, in gratiarum actionibus ultimum cœlo tradidit spiritum, relicto filio æquivoco suo, sed a paterna gloria degenere plurimum, et eodem universorum bonorum ex asse hærede instituto. Fuit autem idem Joscelinus junior, ex sorore Leonis Armeni, viri inter suos potentissimi, natus ; pusillus statura, sed membris plenioribus, robustus valde, carne et capillo niger, faciem habens latam, sed morbi, qui vulgo variola dicitur, cicatricibus respersam ; oculis tumentibus, naso prominente ; vir liberalis et militaribus actionibus conspicuus ; sed commessationibus supra modum deditus, Veneris operibus et carnis deserviens immunditiis, usque ad infamiæ notam. Hic nobilem corpore, sed moribus nobiliorem, Willelmi de Saona viduam, nomine Beatricem, uxorem duxit ; ex qua filium, tertium Joscelinum suscepit ; et filiam, quæ prius uxor fuit Rainaldi de Mares, postea domini Almarici comitis Joppensis, qui postea fuit Hierosolymorum rex : unde natus est Balduinus Hierosolymorum rex sextus, et Sibilla soror ejus. Hic autem, ut in inferioribus dicetur, ignavia, et peccatis suis exigentibus, universam regionem, quam pater suus congruo rexerat moderamine, perdidit.

CAPUT IV.

Rex vocatur ab Antiochenis ; et malitia principissæ aperitur.

Anno igitur primo regni domini Fulconis, cum esset tam civitas, quam tota regio Antiochena principis destituta solatio ; mortuus enim fuerat ante dominum regem dominus Boamundus junior, unica filia hærede relicta, timentes magnates illius regionis, ne protectoris defectu provincia illa hostium pateret insidiis, dominum regem ad se vocant, ut partium illarum curam gereret, et omnia ad suam revocaret sollicitudinem. Uxor enim principis prædefuncti, domini regis Balduini filia, dominæ Milisendis soror, mulier callida supra modum, et malitiosa nimis, quosdam habebat suorum commentorum fautores, quibus cooperantibus, circa principatum malignari studebat ; volens sibi universam regionem, filia quam ex marito susceperat, exhærede facta, vindicare ; et sic demum obtento principatu, pro arbitrio suo ad secunda vota migrare. Pater autem ejus, dum viveret, statim defuncto marito, hæc eadem machinantem industrie satis prævenerat ; et eam vi ejectam ab Antiochia, jusserat esse contentam eo quod maritus nomine donationis propter nuptias in eam contulerat, duabus videlicet urbibus maritimis, Gabulo et Laodicia. Illa porro, patre defuncto, putans congruam invenisse opportunitatem, ad prius conceptum iterum aspirabat propositum. Horum autem studiorum complices munerum largitione et promissis superamplioribus, quosdam potentiores effecerat, Willelmum videlicet de Sehunna, Guarentonis fratrem et Pontium comitem Tripolitanum, necnon et Joscelinum juniorem Edessanum comitem. Quod timentes regionis illius magnates, quanto poterant

Digitized by Google

studio, ejus impiis moliminibus obviam se dare nitebantur. Unde et dominum regem, ut præmisimus, eo citaverant intuitu, ut in his eum haberent adjutorem et regioni rectoris solatium non deesset.

CAPUT V.

Properanti Antiochiam; comes Tripolitanus se opponit; sed a rege devincitur. Res Antiochena in tuto collocatur.

Audita igitur Antiochenorum legatione; et super regionis illius turba quam periculosam nimis metuebat, motus dominus rex vehementer, ad illorum vocationem properans, usque Berythum pervenit. Sed comite Tripolitano per terras suas illi transitum prohibente, assumpto sibi Anselmo de Bria, nobili viro et fideli suo, usque ad portum Sancti Simeonis navigio pervenit: ubi ei occurrentes nobiles et potentes Antiochenorum proceres, in urbem eum introduxerunt, ejus imperio subjicientes universam regionem. Comes autem Tripolitanus, licet domini regis sororem haberet uxorem, ut sæpe dictum est, tamen festinus post regem, ad partes se contulit Antiochenas, ut gratia principissæ, cujus muneribus corruptus dicebatur, ejus actibus se opponeret. Habebat autem idem comes in partibus illis duo castra, Arcicanum videlicet, et Rugiam, quæ pro uxore possidebat. Dederat enim ea dominus Tancredus, piæ in Christo recordationis, moriens uxori, causa donationis propter nuptias. Hæc comes armis communiens et militia, dominum regem et suos inde cœpit molestare. Quod Antiocheni ægre nimis ferentes, regem persuasionibus impellunt, ut illi occurrens, ejus præsumptuosos refrenaret impetus. Qui eorum verbis acquiescens, memor injuriarum quas veniens, eo transitum prohibente, pertulerat, illuc cum omnibus quas habere potuit copiis, contendit. Factum est autem, quod circa prænominatam Rugiam convenientes, instructis utrinque aciebus, hostiliter committerent, et diu ancipiti eventu congrederentur adinvicem. Tandem rex factus superior, comitem cum suis in fugam vertit; et confectis agminibus multos de ejus cepit militia quos in vincula conjectos, Antiochiam perduxit: tandem per viros industrios, et fideles pacis interpretes, reconciliatis adinvicem rege et comite, resignatis comiti quos rex ceperat de suis militibus, regionis status in meliorem videtur devenisse conditionem. Timentes tamen illius provinciæ prudentiores, ne domino rege ad propria reverso, intestinis regio concuteretur seditionibus et sic hostibus amplior ad nocendum pateret occasio, regem profusis exorant precibus, quatenus moram apud eos faciat longiorem. Rex autem considerans per Domini misericordiam regnum suum in tuto collocatum, plena tranquillitate gaudere; et eam in qua erat, rectoris plurimum indigere patrocinio regionem, benigne annuit; et tam urbem quam adjacentia communi procerum consilio congruo moderamine disponens, quantam rebus propriis et exactam magis, ut ad optimum statum cuncta proveheret, impendebat sollicitudinem. Unde omnium gratiam civium, et etiam principum, qui in fidelitatis perseverabant debito, sibi comparaverat cumulationem. Collocatis itaque eorum in tuto rebus, et negotiis ordine congruo dispositis, cum jam per tempus aliquod, prout necessitas eorum videbatur exigere, moram fecisset necessariam, revocante eum domesticorum cura, reversus est in regnum; cura principatus nobili et industrio viro Rainaldo, cognomento Mansuer, commissa.

CAPUT VI.

Iterum ab Antiochenis revocatur. Sanguinus in finibus Tripolitanis castrum quoddam obsidet; rex sororis interventu, obsidionem solvit.

Procedente autem tempore, dum idem rex in regni a Deo sibi commissi viriliter desudaret necessitatibus, et Marthæ more, circa frequens ministerium ejus negotia sedula provisione procuraret, adest nuntius ex parte Antiochenorum, referens infinitam Turcorum manum e sinu Persico, et universo Orientali tractu, flumine magno Euphrate transito, circa partes Antiochenas in multitudine gravi consedisse. Quo audito, de statu sibi commissi principatus, et salute in eo degentium, plurimum anxius; eoque maxime, quia omnem spem suam in eum projecerant: nihilominus etiam et inde sollicitus, quod proverbialiter dici solet:

Tua res agitur paries dum proximus ardet;

intelligens finitimorum defectum in suum redundare periculum; decernens, fratribus auxilio indigentibus subsidia ministrare, opus esse honestum; accitis sibi de regno universo equitum peditumque auxiliis, ad iter accingitur, illuc cum omni celeritate contendens. Dumque in proficiscendo cum suis agminibus Sidonem usque pervenisset, ecce soror ejus, domina Cecilia, comitissa, Pontii Tripolitani comitis uxor, flebilia nuntiat, dicens: Sanguinum Halapiæ principem, Turcorum potentissimum satrapam, in multitudine virtutis suæ in præsidio quodam suo, cui Mons Ferrandus nomen, maritum suum obsedisse. Orat ergo et urgentissima, femineo more, rogat instantia, quatenus cæteris ad tempus dilatis, quæ non tantam exigerent diligentiam, negotiis, marito in angustiis posito matu.e subveniat. Cujus nimia rex motus instantia, dilato ad modicum priore cœpto, illic dirigit acies, assumptis de comitatu nonnullis, qui relicti fuerant de comitis expeditione, militibus. Audiens igitur Sanguinus, dominum regem ad solvendam obsidionem properare, habito cum suis consilio, quid utilius videretur, obsidionem gratis solvit, cum suis legionibus, ad propria reversus.

CAPUT VII.

Rex Antiochiam properat; hostes qui convenerant in fugam vertit; hostium spoliis ditantur Antiocheni.

Hinc itaque, domino comite interim expedito, rex ista sollicitudine liber, ad cœptum redit opus, et Antiochiam, sicut prius proposuerat, maturatis festinat itineribus. Audito ejus adventu, Antioche-

Digitized by Google

ni ei obviam exeuntes, cum omni gaudio tantum hospitem suscipiunt, spem habentes quod per ejus industriam, nostium, qui advenire dicebantur, violentiam tolerare possent sine periculo. Non multum enim proficere consuevit, licet ingens fuerit sine duce multitudo; et cohortes numerosæ sine rectore, quasi arena sine calce, vix solent sibi cohærere. Nuntiatur interea consonantibus rumoribus et fama celeberrima, quod hi qui Euphratem transtisse in manu robusta, et apparatu copioso nimis dicebantur, adjunctis sibi quos circa fluvium, locorum peritis, invenerant, in finibus Halapiæ castra locaverant, regionem totam improvisis incursionibus depopulaturi. Convenerant porro ex omnibus conterminis finibus, in locum unum, cui nomen est Canestrivum; inde collecta omni multitudine, consilio eorum qui locorum habebant peritiam, ex improviso per omnem provinciam irruptiones facturi; quo comperto, dominus rex, convocatis ex omni principatu militaribus copiis, cum suis quos secum habebat familiaribus, egressus Antiochia circa castrum Harenc castrametatus, substitit prudentis more, quia

. . . . . *male cuncta ministra*
Impetus, STAT.

per dies aliquot, ut hostes, qui majores dicebantur habere copias, suos pugna lacesserent, aut alio quovis modo conceptum aperirent propositum. Videns autem quod nihil tale molirentur, sed securi in castris moram quietam agerent, adhuc fortasse majora præstolantes suffragia, irruit super eos repente; et incautos reperiens, antequam arma possent corripere, gladiis instat, perforat lanceis; vix paucis conceditur equorum beneficio, cæteris interemptis, fuga mortem evadere. Relictis igitur castris omni commoditate et varia supellectile repletis, cæsisque ex eis innumeris, et quasi ad tria millia, victores nostri, hostium spoliis usque ad fastidium onusti, et jam plura nolentes, equos, mancipia, armenta, greges, tentoria, omne genus prædæ et manubiarum omnimodam varietatem secum trahentes, Antiochiam cum summa lætitia et tropæorum insignibus reversi sunt. Extunc cœpit dominus rex omnium Antiochenorum indifferenter, tam procerum quam popularium, corda plenius reconciliata, et omnium habere favorem. Nam prius occasione principissæ cui domini regis ingrata et suspecta erat præsentia, quidam de majoribus ei fuerant adversi, faventes principissæ intuitu munerum, quæ illa profusa largiebatur munificentia.

CAPUT VIII.

Hierosolymitanus patriarcha et regni principes præsidium fundant valde necessarium, cui nomen Castrum Arnaldi.

Interea, dum dominus rex in partibus Antiochenis ita detineretur occupatus, et illius regionis negotia ad suam revocaret sollicitudinem, tanquam propria, quousque ibi de communi consilio princeps ordinaretur, nostri qui in regno remanserant, dominus videlicet patriarcha, et cives Hierosolymitæ, in domino habentes fiduciam, collectis in unum viribus, juxta locum antiquissimum, Nobe, qui hodie vulgari appellatione dicitur Bettenuble, in descensu montium, in primis auspiciis campestrium, via qua itur Liddam, et qua pervenitur ad mare, præsidium solido fundant opere, ad tutelam transeuntium peregrinorum; ibi enim in faucibus montium inter angustias inevitabiles, maximum iter agentibus solebat imminere periculum, Ascalonitis subitas irruptiones illic facere consuetis. Consummato itaque feliciter opere, nomen indicunt, castellum Arnaldi locum dicentes: factumque est per gratiam Domini, etiam prædicti castelli beneficium, quod adire volentibus Hierosolymam, aut ab ea redire, minus periculosus factus est transitus, et via multo securior.

CAPUT IX.

De regis consilio mittitur ad Raimundum Pictaviensium comitis filium, qui Constantiam Boamundi ducat uxorem.

Adepta itaque dominus rex tam insigni victoria, Antiocheni principatus pro libero arbitrio disponens negotia, clarus habebatur admodum, duorum regnorum moderamina divina provisione sortitus, in utroque prosperis affluens, populum cum plena tranquillitate tuebatur. Accedentes porro ad eum illius regionis primores, specialiter autem quibus domino Boamundo, principi jam defuncto, et filiæ ejus adhuc pupillæ fidelitatem observare cordi erat, dominum regem familiariter adeunt, orantes intime, ut qui plenius nobilium virorum et illustrium adolescentium, in partibus ultramontanis habebat notitiam, eos edoceret, quem de tot principibus evocarent, apud quem domini sui filiam, bonorum paternorum hæredem, nuptui commodius collocarent. Qui gratanter suscipiens verbum, et fidem simul et sollicitudinem commendans, in partes cum eis hujus deliberationis ingressus, transcursis plurimis, de communi omnium consilio placuit, ut nobilis quidam et præcipuæ indolis adolescens, Raimundus nomine, domini Willelmi Pictaviensium comitis filius, ad hoc vocaretur. Is in curia domini Henrici senioris, Anglorum regis, apud quem arma sumpserat militaria, moram facere dicebatur, domino Willelmo, fratre ejus primogenito, Aquitaniam jure hæreditario gubernante. Libratis ergo deliberationis partibus, id expedientius esse arbitrati, legatos occulte dirigunt, Geraldum quemdam cognomento Jeberrum, fratrem Hospitalis, cum litteris domini patriarchæ et procerum universorum: timentes ne si solemniter et per majores citaretur personas, principissa, sicut erat mulier malitiosa nimis, impedimenta moliretur. Erat enim cuivis impedire adventum facile; nam Rogerus tunc Apuliæ dux, postmodum autem rex, Antiochiam cum omnibus pertinentiis suis, quasi jure sibi debitam hæreditario, tanquam domino Boamundo consanguineo suo volens succedere,

Digitized by Google

vindicabat. Robertus enim Guiscardus, Boamundi senioris pater, et Rogerus Siciliæ comes, qui cognominatus est Bursa, hujus Rogeri regis pater, fratres fuerunt ex utroque parente. Junior autem Boamundus, senioris filius, fuit pater istius adolescentulæ ad cujus nuptias prædictus adolescens Raimundus invitabatur. Oportebat igitur caute illum evocari, ne comperto ejus adventu, aut vi, aut insidiis, ejus æmuli præpedirent accessum. His igitur ita dispositis, dominus rex, prosequente eum universorum gratia, ad partes Hierosolymitanas se contulit.

CAPUT X.

Bernardus Antiochenus patriarcha moritur; Radulphus Mamistanus archiepiscopus ei succedit cum tumultu.

Per idem tempus, Bernardus vir grandævus, plurimum bonæ memoriæ, simplex ac timens Deum, primus Latinorum apud Antiochiam patriarcha, tricesimo sexto sui pontificatus anno, viam universæ carnis ingressus est. Post cujus obitum, cum universi illius amplissimæ sedis suffraganei, tam archiepiscopi quam episcopi, de more convenissent, ut ecclesiæ pastoris destitutæ solatio utiliter providerent; et super eo ipso tam salubri negotio in palatio patriarchali, diligentiores mutuo (sicut in talibus fieri solet) haberentur tractatus, Radulphus quidam Mamistanus archiepiscopus, de castro Danfrunt oriundus, quod in confinio Normanniæ et Cenomanensis diœceseos situm est, vir militaris, magnificus et liberalis plurimum, plebi et equestri admodum acceptus ordini, absque fratrum et coepiscoporum conscientia, solo populi, ut dicitur, suffragio electus est, et in cathedram Principis apostolorum inthronizatus. Quod audientes qui ad hoc, ut sibi patriarcham, auctore Domino, præficerent, convenerant, timentes furentis et vociferantis populi indiscretos impetus, divisi sunt ab invicem, ei quem non elegerant obedientiam exhibere recusantes. Ille tamen nihilominus ecclesiam et palatium occupans, statim sine mora pallium de altari beati Petri, nulla ad Ecclesiam Romanam habita reverentia, sibi assumpsit. Processu quoque temporis nonnullos de suffraganeis ecclesiæ in suam attraxit communionem. Et ut multorum relatione cognovimus, si canonicorum ecclesiæ pacem amplexus fuisset, nec eorum turbare possessiones spiritu superbiæ ductus præsumpsisset, potuisset tranquillo statu vitam ibi transegisse. Sed quia verum est, quod proverbialiter dici solet : *Difficile est ut bono claudantur fine, quæ malo sunt inchoata principio;* peccatis suis exigentibus, præ multitudine divitiarum ita factus est insolens, et neminem præ se ducens hominem, ut potius Antiochi quam Petri vel Ignatii successorem se exhiberet. Majores enim ecclesiæ, alios violenter ejecit, alios vinculis et carceri, quasi capitalium reos, mancipavit. Inter quos quemdam Arnulfum nomine, Calabrum natione, virum utique nobilem et litteratum, item Lambertum miræ simplicitatis hominem et honestæ conversationis, litteratum etiam, ejusdem ecclesiæ archidiaconum, in quodam præsidio tanquam viros sanguinum, in diversorium calce plenum detrusit in carcerem, et per multos afflixit dies, dicens eos in mortem suam conspirasse. Hæc et iis similia, in subditos effera mente pertractans, universorum in se provocabat odium. Vixque inter familiares et domesticos, pravæ stimulis conscientiæ agitatus, tutus ei videbatur locus. Sed de his hactenus, nam in sequentibus, tempore opportuno, de ejus exitu suo loco dicemus.

CAPUT XI.

Papa Honorius vita decedit; substituitur ei Innocentius; oritur schisma periculosum. Willelmus Tyrensis archiepiscopus carne migrat; Fulcherius ei substituitur; Romam proficiscitur; pallium petit et obtinet.

Dum hæc in Oriente geruntur, dominus Honorius papa extremum diem claudens, fatale debitum solvit; dumque de substituendo ei successore inter cardinales tractaretur, divisa sunt eorum desideria: ita quod, non valentes in idem consonare, sub contentione duos elegerunt, Gregorium videlicet, diaconum cardinalem Sancti Angeli, quem consecrantes vocaverunt Innocentium; et Petrum, qui cognominatus est Leonis, presbyterum cardinalem, tituli Sanctæ Mariæ Transtiberim, quæ dicitur Fundens oleum, quem etiam consecrantes, qui eum elegerant, Anacletum vocaverunt. Ortum est igitur schisma periculosum nimis, ita ut non solum quæ infra Urbem erant periclitarentur ecclesiæ, et populus mutua cæde periret; verum etiam pene orbis concuteretur universus, regnaque diversis accensa studiis inter se colliderentur. Obtinuit tandem, post multos labores et immensa pericula, dominus Innocentius, prædicto Petro, papatus æmulo, prius vita defungente. Per eosdem dies migravit ad Dominum carnis onere deposito, prædictus noster prædecessor Willelmus, primus Latinorum, Tyrensium archiepiscopus, post urbis liberationem. Nam dum adhuc ab hostibus detineretur, ordinatus fuerat ad titulum ejusdem ecclesiæ quidam Odo, qui ante ejusdem urbis liberationem vita decesserat, ut præmissum est; cui substitutus est dominus Fulcherus bonæ memoriæ, Aquitanicus natione, patria Engolismensis, vir religiosus ac timens Deum, modice litteratus, sed constans et amator disciplinæ. Hic apud suos abbas exstiterat canonicorum regularium in monasterio cui Cella nomen; sed postmodum tempore prædicti schismatis, quod inter dominum Innocentium papam et Petrum Petri Leonis filium exortum est, favens prædicto Petro Gerardus Engolismensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, alii parti præstantes assensum molestiis quampluribus fatigabat. Quod vir vitæ venerabilis non ferens, sumpta licentia a fratribus, orationis gratia Hierosolymam venit, tandemque in claustro ecclesiæ Dominici Sepulcri regularem vitam et assiduitatem professus, ad ecclesiam Tyrensem vocatus est. Rexit autem eamdem ecclesiam strenue et feliciter

Digitized by Google

annis duodecim, quartus ante nos, qui nunc eidem ecclesiæ, non electione meriti, sed sola Domini dignatione et patientia præsidemus. Qui, postquam a domino Hierosolymitano patriarcha Willelmo, suæ munus consecrationis accepit, exemplo prædecessoris sui volens ad Ecclesiam Romanam pro obtinendo pallio properare, ab eodem patriarcha et ejus complicibus passus est insidias et violentiam, ita ut vix et cum multa difficultate manus eorum posset effugere et ad Ecclesiam Romanam pro causa prædicta pervenire, sicut ex tenore litterarum domini papæ Innocentii manifeste deprehenditur. Ait enim :

INNOCENTIUS *episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri* GUILLELMO *Hierosolymitano patriarchæ, salutem et apostolicam benedictionem.*

Magisterium totius Ecclesiæ et ecclesiasticæ institutionis beato Petro apostolorum principi, cœlesti privilegio esse collatum, evangelica declarat auctoritas. Et infra :

Miramur autem, quoniam cum Romana Ecclesia pro liberatione orientalis Ecclesiæ tantopere laboraverit, et filiorum multorum sanguinem effundendo, corda tam ecclesiasticorum quam sæcularium ad ejus servitium excitaverit, nequaquam, prout convenit, eidem matri suæ hac vice respondere curasti; parum enim tibi visum fuerat, quod venerabilem fratrem nostrum Fulcherum Tyrensem archiepiscopum, more prædecessorum suorum pro susceptione pallii ad Romanam Ecclesiam venientem, disturbare præsumpseras, nisi et erga eum a nobis redeuntem te inhumanum difficilemque, et nimis asperum exhiberes : adeo quod nec antiquam dignitatem Tyrensis Ecclesiæ sibi restituere; nec de damnis ibi illatis, aut etiam de Caypha, sive Porphyria, juxta mandatum nostrum infra tres menses, post acceptionem nostrarum litterarum ei justitiam facere volueris; cum utique satis indignum sit ut honor qui sibi, si ei obediret, ab Antiochena exhiberetur Ecclesia, a te vel tuis successoribus subtrahatur. Præterea in subjectos illius nimis potestative diceris te habere. Quocirca auctoritate apostolica mandando tibi præcipimus, sicut ejusdem matris tuæ piis optas studiis atque solatiis confoveri, sicut in tuis necessitatibus ejus patrocinium desideras adjuvari, jam dictum archiepiscopum diligas et honores, et in nullo perturbare præsumas : quin potius de omnibus, de quibus apud te querimoniam deposuerit, sibi plenam justitiam infra quadraginta dies, postquam præsentia scripta susceperis, exhibere non differas, nec aliquid in subditos suos contra statuta canonum præsumas. Alioquin timendum tibi est, ne tam ipsum quam suffraganeos suos a tua obedientia subtrahamus, eosque in manu nostra retineamus,

Data Later. XVI *Kal. Jan.*

CAPUT XII.

Præcipit Romana Ecclesia ut idem obediat Hierosolymitano pontifici; et eum locum obtineat apud eum, quem prius obtinuerat apud Antiochenos.

Reversus ab Ecclesia Romana mandatum accepit, ut quousque deliberaretur, utri duorum patriarcharum perpetuo cederet, interim sicuti et prædecessori ejus dictum fuerat, Hierosolymitano obediret; eamque dignitatem in Hierosolymitana obtineret Ecclesia, quam ejus prædecessores in Antiochena, quandiu ei obedierunt, obtinuerant. Certum est autem, quod inter tredecim archiepiscopos qui a diebus apostolorum sedi Antiochenæ subditi fuerunt, Tyrensis quidem primum locum obtinuit, ita ut in Oriente Protothronos appelletur, sicuti *in Catalogo pontificum suffraganeorum*, qui ad Ecclesiam Antiochenam respiciunt continetur. In quo sic legitur : *Sedes prima, Tyrus, sub qua sunt episcopatus* XIII. *Sedes secunda, Tarsus, sub qua sunt episcopatus* V. *Sedes tertia, Edessa, sub qua sunt episcopatus* X. *Sedes quarta, Apamia, sub qua sunt episcopatus* VII. *Sedes quinta, Hierapolis, sub qua sunt episcopatus* VIII. *Sedes sexta, Bostrum, sub qua sunt episcopatus* XIX. *Sedes septima, Anavarza, sub qua sunt episcopatus* IX. *Sedes octava, Seleucia, sub qua sunt episcopatus* XXIV. *Sedes nona, Damascus, sub qua sunt episcopatus* X. *Sedes decima, Amida, sub qua sunt episcopatus* VII. *Sedes undecima, Sergiopolis, sub qua sunt episcopatus* IV. *Sedes duodecima, Theodosiopolis, sub qua sunt episcopatus* VII. *Sedes tertia decima, Emissa, sub qua sunt episcopatus* IV. *Metropolitani per se sustinentes* XIII. *Archiepiscopi duodecim.*

Quod ergo primum locum inter suffraganeos Hierosolymitanæ Ecclesiæ [obtineret] quodque de solo domini papæ mandato eidem obediat Ecclesia Tyrensis, ex rescripto litterarum domini Innocentii, ad eumdem Willelmum Hierosolymitanum directarum, manifeste colligitur; quod sic habet :

INNOCENTIUS *episcopus, servus servorum Dei,* WILLELMO *Hierosolymitano patriarchæ, salutem et apostolicam benedictionem.*

Quanto munificentiæ supernæ benignitas Hierosolymitanam Ecclesiam tuis temporibus altius sublimavit, tanto magis expedit personam tuam erga fratres suos humaniorem existere, et eos qui tibi obedientiam exhibent, charitate mutua honorare. Proinde fraternitati tuæ mandamus, quatenus venerabilem fratrem nostrum Fulcherium Tyrensem archiepiscopum, qui ex mandato sanctæ Romanæ Ecclesiæ tibi obedit, fraterni amoris intuitu diligas et honores : sollicite providens, ne sibi graramen aliquod inferas; vel sub obtentu hujuscemodi subjectionis, quæ utique ex beneficentia apostolicæ sedis, tibi et Ecclesiæ Hierosolymitanæ impenditur, Tyrensis Ecclesia, nobilis et famosa, suæ justitiæ aut dignitatis patiatur aliquod detrimentum. Indignum est enim ut honor qui sibi, si ei obediret, ab Antiochia exhiberetur, a te vel tuis successoribus subtrahatur.

Data Albani, XVI *Kal. Augusti.*

CAPUT XIII.

Mandatur ejus suffraganeis ut ei obediant; et ad hoc plures diriguntur epistolæ.

Redeunti igitur, licet cum molestia, restituti sunt ei de suffraganeis ejus, qui in manu Hierosolymita ni

Digitized by Google

patriarchæ usque ad illam diem fuerant, Acconensis, Sidoniensis et Berythensis; reliquos autem, id est Biblitanum, Tripolitanum, Antaradensem, qui alios episcopatus ejusdem Ecclesiæ, in manu sua velut proprios possidebant, Antiochenus patriarcha violenter detinebat, eam solam prætendens occasionem, quod ei non obediret, non quod ad ejus jurisdictionem eos respicere denegaret; quod ne fieret, sed ad matrem suam Tyrensem Ecclesiam redirent, idem dominus Innocentius papa præceperat, scribens tam prædictis episcopis, quam Antiocheno patriarchæ, in hunc modum:

INNOCENTIUS *episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus* GERARDO *Tripolitano*, R. *Tortosano et* H. *Biblitano episcopis salutem, et apostolicam benedictionem.*

Scire debet vestra fraternitas quoniam status Ecclesiæ tunc clarius elucescit, cum gradus in ea constituti illæsi servantur; et quæ debetur prælatis singulis, absque contentione seu contradictione, reverentia exhibetur. Unumquemque etenim ex his qui sibi subjecti sunt, considerare convenit, quanta suos prælatos si quos habeat, reverentia et honorificentia debeat honorare; quæ si injuste et immerito subtrahuntur, unitatis status profecto nutabit, ad quem ecclesiastica doctrina, ob majorem firmitatem, diligenti consideratione omnia in se ordinando reduxit. Ne igitur ecclesiarum vestrarum honor vel dignitas ob contentionem seu rebellionem indebitam minuatur vel annulletur, per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus, quatenus venerabili fratri nostro Fulcherio, Tyrensi archiepiscopo, tanquam metropolitano vestro debitam obedientiam et reverentiam deferatis. Nos enim vos et Ecclesias vestras, Tyrensi Ecclesiæ, quæ vestra metropolis est, auctoritate apostolica restituimus, et a juramento vel fidelitate, qua patriarchæ Antiocheno estis astricti, eodem modo absolvimus. Si vero nostris mandatis obedire, et intra tres menses post harum acceptionem litterarum, ad obedientiam prædicti fratris nostri redire neglexeritis, sententiam quam ipse in vos canonice promulgabit, nos auctore Deo, ratam habebimus.

Datum Laterani, XVI *Kal. Februarii.*

Ne autem ab Antiocheno patriarcha, qui eos diu detinuerat, et vir erat potentior, præpedirentur domini papæ jussionem exsequi, scripsit eidem patriarchæ, in hæc verba:

INNOCENTIUS *episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri* RADULPHO *Antiocheno patriarchæ, salutem et apostolicam benedictionem.*

Sanctorum canonum institutionibus continetur, ut unusquisque suis terminis contentus existat, nec in aliena jura irrepat. Ea etiam quæ nobis fieri nolumus, tam divinis quam humanis legibus, proximis nostris facere prohibemur. Quæ cum ita sint, fraternitati tuæ mandamus, quatenus suffraganeos Tyrensis Ecclesiæ non impedias quin venerabili fratri nostro Fulcherio archiepiscopo, metropolitano suo, debitam obedientiam et reverentiam deferant: alioquin canonicis sanctionibus contraitur, si metropolitanis a suis suffraganeis obedientia subtrahatur. Optamus enim ut circa prælatos et subditos suum jus, et proprius ordo absque contradictione servetur.

Datum Laterani, XVI *Kal. Februarii.*

Nec solum his ita scripsit dominus papa, verum etiam et illis qui a patriarcha Hierosolymitano detenti fuerant; qui ejus timore, mandatis apostolicis obedire detrectabant, eodem modo præcipiens injunxit, ut omni occasione postposita, domino Tyrensi obedientiam exhiberent, in hunc modum:

INNOCENTIUS *episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus* BALDUINO *Berycensi*, BERNARDO *Sidoniensi*, JOANNI *Ptolomaidensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem.*

Ad hoc sancti Patres diversos esse in Ecclesia gradus et ordines voluerunt, ut dum subjectionem et reverentiam minores majoribus exhibent, una fieret ex diversitate connexio, et recte officiorum gereretur administratio singulorum. Gravat autem nos, et valde miramur, quod cum vobis jampridem litteris apostolicis præceperimus ut venerabili fratri nostro Fulcherio Tyrensi archiepiscopo, metropolitano vestro, obedientiam et reverentiam exhiberetis, quasdam occasiones et interpretationes minus idoneas prætendendo, id facere contempsistis; cum utique quasi peccatum ariolandi, sit repugnare; et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere (1 Reg. XV). Mandamus itaque vobis, et auctoritate apostolica iterato præcipimus, quatenus omni occasione submota eidem fratri nostro de cætero pareatis, nec sub obtentu obedientiæ, quam alicui primati dependitis, sibi subjectionem et reverentiam metropolitano vestro debitam aliquatenus subtrahatis. Quod si contemptores ulterius exstiteritis, sententiam quam idem archiepiscopus in vos canonice protulit, aut protulerit, nos auctore Domino, ratam habebimus. Si vero pro eo quod eidem fratri nostro obedieritis, a patriarcha Hierosolymitano aliquid contra vos fuerit constitutum, nos eamdem sententiam viribus carere decernimus, et nullius momenti esse censemus.

Datæ Laterani, XVI *Kal. Februarii*

CAPUT XIV.

Averitur unde et ex qua causa hæc inter duos patriarchas orta sit controversia; et qua ratione se quisque tueatur.

Ne autem in admirationem cuiquam veniat, quod cum prius Tyrensem archiepiscopum quatuordecim de jure suffraganeos habere diximus, dominus autem papa non nisi sex scribit; sciendum est, quod Paneadensis civitas, quæ est Cæsarea Philippi, nondum habebat episcopum, et isti sex reliquos detinebant episcopatus. Sidoniensis enim detinebat, sicut et nunc etiam detinet, Sareptanum; Tripolitanus vero Botriensem, Archensem, Artuscensem; Antaradensis vero, qui et Tortosanus dicitur, Aradiensem et Maracleensem. Ex his autem sex, Antiochenus patriarcha tres sibi habebat obedientes,

Digitized by Google

Antaradensem videlicet, Tripolitanum et Biblien-
sem. Captis enim prædictis urbibus, in eis conse-
cravit episcopos, ea intentione, ut Tyrensi metro-
poli expedita, et archiepiscopo juxta prisca consti-
tuta sibi debitam exhibente obedientiam, ipse eos
sine difficultate ei, sicut et de jure tenebatur, resti-
tueret. Erant autem eæ prædictæ civitates in co-
mitatu Tripolitano, unde, domino rege non impe-
diente, liberius hoc poterat facere Antiochenus pa-
triarcha; in reliquis autem tribus, Berytho, Sidone
et Ptolomaïda, quæ est Accon, dominus Hieroso-
lymitanus patriarcha consecravit episcopos tali in-
tentione ut, capta urbe Tyrensium, et ibi per eum-
dem archiepiscopo consecrato, eos sibi restitueret;
præsumebat enim, ut contra priscam consuetudi-
nem Tyrensis aliquando ei deberet obedire, fidu-
ciam habens in litteris domini papæ Paschalis,
quibus domino Balduino, primo Hierosolymorum
regi et domino Gibelino, tertio Hierosolymorum
patriarchæ, concessisse videbatur, quod quascun-
que civitates dominus rex aut ejus exercitus acqui-
sierant jam, vel acquisituri erant, omnium earum
episcopi Hierosolymitano patriarchæ subjacerent;
sicut præmissum est, cum de regno domini Balduini,
Hierosolymorum regis primi, tractaremus. Sic igi-
tur universa Tyrensi provincia, antequam ipsa me-
tropolis expediretur, expedita, prædicti duo patriar-
chæ diœcesim inter se diviserunt; et quod extra
regnum erat, ab eo loco qui dicitur Passus pagani,
inferius, Antiochena habuit et habet Ecclesia; quod
vero citra est et intra regni fines continetur, Hie-
rosolymitanus possedit patriarcha. Tandem vero
urbe Tyrensi per Domini misericordiam liberata,
post annum ab ejus liberatione quartum, Hieroso-
lymitanus ibi, ut prædiximus, consecravit archi-
episcopum, et eos quos detinebat sibi restituit suf-
fraganeos. Cum medio tempore, dum eam in pro-
pria cura Hierosolymitanus haberet patriarcha, ita
attenuata est et ad nihilum redacta, ut etiam de
Ecclesiis quæ infra ambitum ejusdem civitatis
erant, non nisi unam futuro reservarent archi-
episcopo. Factumque est, sicuti vulgari proverbio
dici solet, ut petentibus et immeritis, *de alieno co-
rio fierent larga corrigia;* contendunt etiam usque
hodie, de nostris visceribus prædicti duo domini,
in nostram injuriam fortes, de nostra paupertate
facti locupletiores; et distractis membris, quorum
integritate a diebus antiquis, a temporibus apostolo-
lorum, consentientibus sanctis et universalibus se-
ptem synodis, longe lateque floruerat, lacera jacet,
et suis potioribus mutilata membris exspectat con-
solationem, et non est qui consoletur eam; porrigit
manum, et non est qui adjuvet; facti sumus si-
miles illis de quibus dicitur:

Quidquid delirant reges; plectuntur Achivi.
(Horat., *Ep.* I, II, 14).

Satiantur de nostris carnibus, quibus utinam ali-
quando id contingat ad vomitum! Hujus tamen tanti
causam mali Romanæ non immerito imputamus
Ecclesiæ; quæ, dum Hierosolymitano nos præcipit
obedire, ab Antiocheno indebite nos patitur decur-
tari; nos enim, si nostra nobis restitueretur inte-
gritas, prono animo, sicuti sumus filii obedientiæ,
alterutri illorum parati essemus sine contradictione,
sine molestia, subesse. Nemini autem alienum vi-
deatur a nostro proposito, qui professi sumus histo-
riam conscribere, quod de nostræ statu ecclesiæ
hæc interseruimus; nec enim decet nos aliena tra-
ctare, et nostrorum immemores fieri negotiorum.
Sicut enim proverbialiter dici solet, *Male orat, qui
sui obliviscitur.* Sed nunc ad historiam redeamus.

CAPUT XV.

*Comes Joppensis apud regem accusatur, et grandis
in regno excitatur tumultus.*

Reverso itaque domino rege a partibus, ut præ-
misimus, Antiochenis, ecce iterum turba periculosa
nimis suboritur. Nam ex causis quibusdam, quidam
in dominum regem, de majoribus regni principibus
conjurasse dicuntur, Hugo videlicet comes Joppen-
sis, et Romanus de Podio, dominus regionis illius
quæ est trans Jordanem. Quod ut evidentius pateat,
altius aliquantulum repetenda est historia. Tem-
pore domini Balduini de Burgo, qui hunc Fulconem
in regno præcesserat, nobilis quidam vir, et apud
suos potens, Hugo de Pusato, de episcopatu Aure-
lianensi, cum uxore Mamilia, filia domini Hugonis
Cholet, comitis de Ruci, orationis gratia Hierosoly-
mam petens, filium habuit in Apulia. Uxor enim
ejus gravida iter arripuerat; quem, quoniam tenel-
lus erat nimium et cum salute non poterat depor-
tari, ibi dimisit apud dominum Boamundum con-
sanguineum suum; et transfretans, ad dominum
regem Balduinum, item secundum carnem propin-
quum, venit. Cui rex statim post introitum suum,
civitatem Joppen, cum pertinentiis suis, sibi et hæ-
redibus suis, jure hæreditario dedit habendam; ubi
non multo post, prædictus nobilis homo vitam
morte finivit. Cujus uxorem cum prædicta urbe
dominus rex cuidam iterum nobili viro, comiti
videlicet Alberto, fratri comitis de Namura, viri
potentissimi de imperio, de episcopatu Leodiensi,
concessit. Cum autem uterque intra modicum tem-
pus decessisset vita, tam comes prædictus quam
uxor ejus; Hugo prædictus qui puer in Apulia re-
manserat, jam pubes factus, patris hæreditatem,
more parentum, ad se jure hæreditario devolutam,
a domino rege petiit et impetravit; qua obtenta,
dominam Emelotam, Arnulfi patriarchæ neptem, et
magnifici viri domini Eustachii Grener viduam,
duxit uxorem; ex qua prædictus dominus Eusta-
chius filios susceperat geminos, Eustachium junio-
rem, urbis Sidoniensis dominum, et Galterum, qui
Cæsareæ præfuit. Defuncto autem domino Balduino
dominoque Fulcone in regni solio sublimato, conti
git inter eumdem dominum regem comitemque præ
nominatum, ex causis occultis graves oriri simulta-
tes. Dicebatur a nonnullis quod dominus rex su
spectum nimis haberet comitem, ne cum domina

Digitized by Google

regina familiaria nimis misceret colloquia; cujus rei multa videbantur exstare argumenta. Unde et maritali zelo succensus, inexorabile odium adversus eum dicebatur concepisse. Erat autem idem comes adolescens, corpore procerus, decorus forma, actibus insignis militaribus, gratiosus in oculis omnium, in quem videbantur naturæ dona plena liberalitate convenisse; ita ut in regno vel corporis elegantia, vel generositatis titulo, vel rei militaris experientia, nullum procul dubio haberet parem; dominæ quoque reginæ ex parte patris valde proximus; eorum enim patres consobrini fuerant, id est duarum sororum filii. Quidam vero verbum hujusmodi palliare volentes, dicebant id solum odiorum fuisse fomitem, quod comes quasi arrogans et de se plus æquo præsumens, domino regi nolebat, more aliorum regni principum, subjici; et ejus detrectabat cervicose nimis imperiis obedire.

CAPUT XVI.

Galterus Cæsariensis comitem ad duellum provocat; ille se ad hostes confert; a suis destituitur.

Exsurgens interea Galterus Cæsariensis, ejusdem comitis privignus, vir toto corpore elegantissimus, viribus insignis, ætate integer, a domino rege, ut dicitur, subornatus, in cœtu procerum, præsente domino rege, ubi curia erat frequentissima, publice, et more accusatoris objicit comiti quod majestatis crimine reus erat, et quod contra domini regis salutem, cum quibusdam factionis ejusdem complicibus, contra bonos mores et contra nostrorum disciplinam temporum conspirasset. Comes vero infitiatus crimen, se ipsum obtulit, quod judicium curiæ super objectis, tanquam in hac parte innocens, paratus erat subire. His ita se habentibus verbis, de consuetudine Francorum, decernitur inter eos pugna singularis, et ad exsequendam pugnam dies competens designatur. Comes vero soluta curia, Joppen reversus, dubium est an veritus conscientiam, et objecti criminis reum se cognoscens, an curiam habens suspectam; ad præfixam diem præsentem se non exhibuit; unde majorem objecti criminis merito incurrit, etiam apud fautores suos, suspicionem. Curia vero, et procerum conventus, ejus attendentes contumaciam, eum licet absentem, tanquam objecti criminis reum condemnaverunt. Quod comes intelligens, rem est aggressus usque ad illam diem inauditam, odio populi et omni indignatione dignam : Ascalonam enim urbem, nomini Christiano invisam, et hostibus familiarem nostris, navigio properans, contra dominum regem ab hostibus opem postulaturus, ingressus est. Illi vero videntes nostrorum intestina prælla et domesticas seditiones suis incrementis accedere, et nostrorum esse causam periculorum, gratuitum impendunt assensum : sumptisque ab eo obsidibus et pactis hinc inde redactis ad consonantiam, Joppen reversus est. Porro Ascalonitæ pertinaci in nos et obstinato odio ducti, et de comitis fœdere et gratia facti securiores, solito protervius, et magis confidenter fines nostros invadentes, uberis discursibus, nemine prohibente, prædam agentes usque Arsur, quæ alio nomine dicitur Antipatrida, currere non timuerunt. Quod audiens rex, convocatis de universo regno militaribus copiis, et populi immensitate multa, Joppen obsidet. Hæc videntes quidam de fidelibus ejus, qui cum eo erant in eadem urbe, Balianus videlicet senior, et quidam alii Deum timentes, quod ita in præceps totus ire decreverat comes; et quod fidelium et amicorum salutaribus suorum monitis, ab incœpto pernicioso revocari non poterat, sed causas pertinaciter amplioris tractare periculi non vereretur; relinquentes quæ ab eo habebant beneficia, meliores partes secuti, ad dominum regem se contulerunt.

CAPUT XVII.

Civitas Joppensis obsidetur; regni principes de pace tractant; Belinas interim ab hostibus capitur.

Interea dominus patriarcha Willelmus, vir mitissimus et pacis amator, et quidam de regni principibus, videntes intestina hæc prælia regno nimis esse periculosa, attendentes illud evangelicum : *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet* (*Matth.* XII, 25); timentes, sicut et merito timere poterant, ne hac occasione hostibus Christiani nominis damni inferendi major pateret occasio et opportunitas, medios se constituunt, et de bono pacis inter dominum regem, et sæpe dictum comitem conantur utiles invenire tractatus. Tandem vero post multas altercationes, sicut in hujusmodi fieri solet, placet pacis compositoribus, ut pro bono pacis, et ut domino regi aliquid amplioris impenderetur honoris, comes per triennium extra regnum fieret : quo peracto, cum domini regis gratia in regnum iterum, sine calumnia quam pro eodem negotio de cætero pateretur, cum suis quos eduxerat ei liceret introire; interim vero de redditibus possessionum suarum, omne ejus debitum, et quod undecunque contraxerat æs alienum, persolveretur. Per idem tempus, dum dominus rex circa Joppen ita esset occupatus, et dominus Rainerius cognomine Brus, cum aliis regni principibus ibidem moram faceret, civitas Paneadensis, a Tegelmeluch Damascenorum rege obsessa, antequam rex obsessis ministrare posset, quod cum multa instantia procurabat, subsidium, violenter effracta, in manus devenit hostium. Captis quoque civibus, et qui in ea erant stipendiariis utriusque tam equitum quam peditum ordinibus, uxor prædicti nobilis et strenui viri cum aliis transmigrationem passa est captiva.

CAPUT XVIII.

Comes Joppensis apud Hierosolymam malitiose vulneratur; fit tumultus iterum; sed recepta convalescentia, ex condicto mare transit.

Interea comes Joppensis transitum exspectans, dum Hierosolymis prout consueverat moram faceret, accidit quod in eo vico, qui dicitur Pelliparium, ante meritorium unius negotiatorum, Alfani

Digitized by Google

nomine, dum super mensam ejus alea luderet, quidam miles natione Brito, super comitem nihil tale verentem, sed pro ludo sollicitum, ex improviso educens gladium, multis eum, et hostiliter nimis confodit vulneribus, in facie universorum astantium. Fit ergo repentinus statim populorum concursus, et civitas omnis, audita facti acerbitate immanissimi, concussa est et infremuit vehementer. Sermo publice unus in omnium ore vertebatur, non sine regis conscientia hoc fieri potuisse; nec maleficum, nisi de regis favore confisum, talia præsumpsisse moliri; spargitur per vulgus universum, comitem innocentem injustas pati calumnias; et regem odii quod adversus eum gratis, et præter merita comitis, conceperat, nimis evidens argumentum dedisse. Accedit itaque comiti plebis favor, et gratia popularis: et quidquid ei objectum fuerat, totum de malitia processisse videbatur. Quod sane postquam domino regi compertum innotuit, volens factum purgare et se constituere manifestis indiciis innocentem, maleficum jubet judicio sisti, et pro commisso flagitio, omnibus notorio, nec accusatore nec testibus indigente, ubi juris ordo non erat necessarius, dignam pro meritis præcipit reportare sententiam. Convocata igitur curia, de communi consensu, prædictus sicarius, mutilationis membrorum judicatur subire discrimen. Quod, postquam regi nuntiatum est, exsecutioni præcipit mandari sententiam, eo solo excepto, ne lingua inter mutilanda membra computetur; illam excepit, ne forte diceretur studiose factum, ut illi amputaretur lingua, ne se missum a rege et rei veritatem posset confiteri. In quo plane facto, prudenter nimis suæ rex prævidit existimationi, multumque conceptam adversus se compescuit indignationem; nam ab illo, neque secreto neque publice, vel ante vel post membrorum dispendium potuit extorqueri, quod de domini regis mandato vel conscientia ad illud tam enorme factum processisset, sed de proprio motu: et sperans in eo se domini regis gratiam promereri posse, id tale præsumpsisse fatebatur. Comes autem curæ proprii corporis habendæ gratia, et causa procurandæ salutis moram faciens, recepta ad plenum convalescentia, mœstus plurimum, tum pro illata recenter injuria, tum quia per loca incognita mendicare, propria hæreditate extorris, compelleretur, juxta condictum regno egressus, in Apuliam se contulit, ubi dominus Rogerus, qui universam illam jam sibi subjugaverat regionem, eum benigne recepit, putans quod causa invidiæ virum strenuum et nobilem ejus æmuli regno depulissent; et ei compassus, comitatum contulit Garganensem: ubi morte præventus immatura, vir lugendus posteris, in regnum deinceps non est reversus. Ab ea die quicunque comitis apud dominum regem fuerant delatores et incentores odii, dominæ Milisendis reginæ, quam etiam objecti criminis quodammodo respergere videbatur infamia, et dolor immanissimus, expulsi comitis macerabat præcordia, indignationem incurrentes, exactam pro tutela proprii corporis oportebat habere diligentiam. Maxime autem Roardum seniorem, qui postmodum dictus de Neapoli, qui dominum regem præcipue in eam induxerat odiorum materiam, domina regina quibus poterat persequebatur modis. Non erat eis tutum, ante ejus accedere præsentiam; sed et publicorum conventuum se subtrahere cœtibus erat consultius; sed nec domino regi, inter fautores et consanguineos reginæ, tutus omnino erat locus. Tandem placata ejus indignatione per quorumdam eorum familiarium interventionem, rex alios quoque ejusdem rancoris participes, multa vix reconciliavit instantia, eatenus tantum, ut ante ejus præsentiam eis liceret cum aliis introire. Rex autem ab ea die ita factus est uxorius, ut ejus quam prius exacerbaverat, mitigaret indignationem, quod nec in causis levibus, absque ejus conscientia attentaret aliquatenus procedere.

CAPUT XIX.

Fit treuga cum Damascenis; restituuntur captivi qui apud Belinas capti fuerant.

Per idem tempus, petentibus Damascenis a domino rege pacem temporalem, præter alia quæ gratia obtinendi fœderis contulerunt, omnes captivos, quos in urbe Paneadense ceperant, simulque et prædicti strenui viri, cujus erat civitas, domini videlicet Rainerii Brus uxorem ex compacto restituerunt. Quam vir egregius et insignis post biennii reversam, ad maritalis amplexus participium devotus admisit. Cognoscens autem postmodum quod non satis prudenter se apud hostes habuerat, et maritalis tori reverentiam non satis caute, matronarum more nobilium, observaverat, abjecit eam a se; illa vero culpam non inficiens, claustrum sacrarum virginum Hierosolymis ingressa, voto se obligans perpetuæ continentiæ, sanctimonialis effecta est. Ea demum defuncta, prædictus vir inclytus Agnetem duxit, domini Willelmi de Buris neptem; quam postmodum eodem defuncto, Girardus Sidoniensis accepit uxorem: unde natus est Rainaldus, qui nunc eidem Sidoniorum præest civitati. Prædictam vero Paneadensium urbem, quam ita diximus domini sui absentia superatam, quidam Assissinorum magistratus, Emir Ali nomine, a populo suo diu possessam, suscepta pro ea compensatione placita, nostris non multo ante tempore resignaverat et tradiderat habendam, quam sine intervallo rex prædicto viro, jure hæreditario concesserat possidendam. Quis autem sit Assissinorum populus, et quam frivolas et Deo odibiles sequatur traditiones, in sequentibus loco et tempore docebimus; interim autem id de eis novisse sufficiat, quia populus est Christianis, et aliarum sectarum nationibus, et maxime principibus suspectus admodum et merito formidabilis.

Digitized by Google

CAPUT XX.

Raimundus Pictaviensium comitis filius occultus accedit, et Antiochiam perveniens, Boamundi filiam Constantiam uxorem ducit, invita et renitente principissa, ejusdem puellæ matre, et obtinet principatum.

Interea qui ab Antiochenis pro domino Raimundo, Pictaviensium comitis filio missi erant, ut præmisimus, prout eis injunctum fuerat sollicite investigantes, ubi compendiosius eum invenire possent, certis didicerunt relationibus, eum apud dominum Henricum seniorem Anglorum regem, a quo et arma sumpserat militaria, moram facere. Unde recto itinere in Angliam abeuntes, prædictum ibi reperiunt adolescentem; cui causa viæ secretius patefacta, de consilio domini regis benefactoris sui, verbum oblatum devotus amplectitur, et viæ necessaria præparans, iter nemini notus ingreditur. Præsenserat porro dux Apuliæ Rogerus, quæ de illius vocatione apud Antiochiam concepta fuerant; unde in singulis Apuliæ urbibus maritimis prætenderat insidias, ut eum comprehenderet, sperans quod si ejus posset transitum præpedire, facilius ad petitam hæreditatem, redemptis pecunia illius regionis magnatibus, posset obtinere compendium. Verum dominus Raimundus prudenter celans propositum, omni fastu deposito, tanquam unus de popularibus, nunc pedes, nunc vilibus insidens jumentis, inter plebeios iter carpebat incœptum, nulli unquam vel leve generositatis aut copiarum prætendens argumentum. Socii autem ejus per turmas divisi, simul et familia, quidam per diætas tres aut quatuor præcedebant, quidam vero sequebantur, tanquam ad eum nullum habentes respectum. Sic ergo peregrino et vili amictus habitu, et servorum plerumque subiens officia, specie fallens universos, hostis prudentis et potentissimi declinavit tendiculas. Perveniens itaque Antiochiam, amicos suo exhilaravit adventu; quibusdam vero non modicam intulit formidinem, qui principissæ fautores, hujus promotioni resistere nitebantur. Porro modico ante tempore, postquam tamen prædicti missi fuerant, ut dominum Raimundum citarent, Aaliza principissa domini Boamundi vidua, dominæ quoque Milisendis reginæ soror, quam pater ejus a civitate exclusam Antiochena, Laodicia et Gabulo jusserat esse contentam, interveniente apud regem sorore sua, ne actibus ejus obviaret, quorumdam procerum fulta patrocinio, iterum Antiochiam ingressa est, pro domina se gerens; et universa ad suam revocabat sollicitudinem. Inter hæc Radulphus Antiochenorum patriarcha subdolus, et in omni via sua multiplex, principissæ persuaserat ut ejus interim adversus clericos suos, qui eum persequebantur, gratia fungeretur et obsequiis, quod is qui vocatus erat, et venisse dicebatur, dominus Raimundus, ei esset destinatus, et futurus maritus; credulamque nimis hac vana spe deludebat Raimundus autem præsentiens, quod absque domini patriarchæ gratia et consilio ad optatum pertingere non posset, per interpretes utrique familiares, aditum quærit, quomodo domini patriarchæ sibi favorem comparet et plenius conciliet affectum. Exigitur ergo a domino Raimundo, ut juramento corporaliter præstito, domino patriarchæ fidelitatem exhibeat; versa vice, suscepturus sine difficultate puellam in uxorem, et cum omni quiete principatum; interseritur etiam pactis, quod si domini Raimundi frater, Henricus nomine, in partes descenderet Antiochenas, dominus patriarcha fideliter elaboraret, quomodo puellæ matrem, domini Boamundi viduam, cum duabus urbibus maritimis et earum finibus, haberet uxorem. Sic ergo pactis interpositis et jurejurando roboratis, admissus est in urbem, adhuc exspectante matre, ut sibi omnis ille nuptiarum fieret apparatus; et confestim ad basilicam apostolorum Principis deductus, dominam Constantiam adhuc intra nubiles degentem, annos tradente domino patriarcha, et id fieri postulantibus magnatibus universis, duxit uxorem. Principissa vero audiens quod delusa esset, Antiochia subito egressa, in suam se contulit regionem, principem postea inexorabili odio persecuta. Ab ea igitur die de elato factus elatior, solidas nimium se sperans in domino principe bases recepisse dominus patriarcha, solito se exhibebat arrogantiorem, de domino principe plus æquo præsumens, et plane deceptus; nam princeps pro magna ducens ignominia, quod ab eo fidelitatem extorserat, beneficii immemor, cœpit eum hostiliter persequi; et juramenti prodigus, adversariis ejus adjunctus est.

CAPUT XXI.

Quis, et qualis, et ex qua majorum prosapia fuerit Raimundus, describitur

Erat autem idem dominus Raimundus, egregii sanguinis prisca generositate insignis, corporis eximia proceritate et tota ejusdem gratissima compositione præstantissimus; adolescens, vix prima malas vestitus lanugine, speciosus forma præ regibus et principibus orbis terræ, verbo et affabilitate commendabilis, tota sui habitudine venustam principis eximii prætendens elegantiam; armorum usu et rei militaris experientia, omnibus qui eum præcesserunt, vel secuti sunt, anteponendus; litteratorum, licet ipse illiteratus esset, cultor; in divinis assiduus, ecclesiasticorum officiorum et maxime in diebus solemnibus avidus auditor; conjugalis integritatis, postquam duxit uxorem, sollicitus custos et servator; in cibo et potu sobrius, munificus et liberalis supra modum; sed parum providus, aleæ et damnosis talorum ludis plus æquo insistens. Erat præterea inter cæteros quos patiebatur defectus, animo præceps, in agendis impetuosus, in ira modi nescius, rationis expers, parum felix; in ea fidelitate quam domino patriarchæ promiserat juramenti immemor, et fidei interpositæ prodigus.

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Ad comprimendam Ascalonitarum insolentiam rex castrum ædificat, cui nomen Gybelin, quod alio nomine Bersabee dicitur.

Porro Ascalonitæ illis diebus insolentiores solito, et successibus facti animosiores, universam regionem liberis nimium discursibus percurrebant. Erat autem eadem civitas principi Ægyptiorum subjecta potentissimo, qui timens ne, ea subacta, Christianorum exercitus in Ægyptum irrumperent, et ejus turbarent quietem, omni sollicitudine et sumptibus infinitis dabat operam, ut eam quasi pro muro inter se et nostram haberet regionem; formidansque ne continuis laboribus et bellorum indeficientibus periculis, suorum virtus succumberet, singulis trium mensium spatiis, novos populos recentesque legiones in subsidium civium, cum victu necessario, et armorum copia sollicitus dirigebat. Hi autem qui de novo accedebant, volentes tirocinii sui vires experiri, et animositatis certa dare insignia, plerumque invitis veteranis, discursus et expeditiones, experimenti frequenter moliebantur gratia. Nostri vero videntes præsumptionem eorum non cessare, et vires indeficienter reparari, et morte civium, hydræ more, cives amplius et indesinenter suscipere incrementum; post multa consilia, optimum judicant, contra hanc hydram immanissimam, damno capitum factam locupletiorem, et toties attritam, graviter, in nostra pericula renascentem, municipia in circuitu per gyrum ædificari, unde collecta facilius militia, et de vicino commodius hostium discurrentium refrenari posset impetus, et civitas frequentius impugnari. Proviso igitur loco ad hoc idoneo, circa radices montium in campestrium initio, quæ inter montes et urbem prædictam continuo interjecta sunt tractu, in ea parte Judeæ quæ tribui Simeon sorte exiit in funiculo distributionis, urbem veterem et dirutam, Bersabee nomine reædificare parant. Convocato itaque universi regni populo, domino quoque patriarcha Guillelmo et magnatibus, opus conceptum aggrediuntur, et incœptum bonis avibus, consummatum, auctore domino felicius præsidium ædificantes muro insuperabili, antemuralibus et vallo, turribus quoque munitissimum, milliaribus duodecim a prædicta distans Ascalona. Hic locus tempore filiorum Israel, terræ promissionis ab Austro, sicut et Dan, quæ hodie dicitur Paneas, vel Cæsarea Philippi a septentrione erat terminus, sicuti in Veteri Testamento sæpius invenitur, *a Dan usque Bersabee* (*Jud.* xx, 1; *II Reg.* III, 10). Hic Abraham, sicut et alibi in plerisque locis, puteum dicitur fodisse, cui nomen ex aquarum copiis indidit, Abundantia. De his etiam et Josephus in libro Antiquitatum meminit dicens: *Abimelech itaque et terram ei distribuit, et pecuniam, constituerunique ut inter se sine dolo conversarentur, facientes ad quemdam puteum fœdus quem Bersabeæ vocant, quod fœdus Putei dici potest; sic autem hactenus a comprovincialibus nominatur.* Dicitur autem et Puteus septimus, Arabice autem *Bethgebrim*, quod interpretatur *domus Gabrielis*. Consummato igitur præsidio, et partibus omnibus absoluto, de communi consilio traditur fratribus domus Hospitalis quæ est Hierosolymis, qui usque in præsens depositum debita custodierunt diligentia, factique sunt impetus hostium in ea parte debiliores.

CAPUT XXIII.

Comes Tripolitanus proditione quorumdam ex suis juxta Montem peregrinum occiditur; successit ei filius Raimundus; necem paternam ulciscitur.

Post hæc non multo temporis intervallo, dominus Pontius comes Tripolitanus, Bezeuge Damascenorum principe militiæ in fines Tripolitanos ingresso, sub castro quod Mons peregrinus dicitur, hostibus cum omni suorum manu viriliter occurrens, dissolutis agminibus suis, et in fugam versis, captus est; et prodentibus eum Surianis, qui in Libanicis super eamdem civitatem habitant jugis, occisus est, Raimundo filio hærede relicto et in eodem comitatu successore. Captus est ibidem nihilominus dominus Giraldus, ejusdem civitatis episcopus; sed postquam apud hostes aliquandiu ignotus detentus est, dato pro se captivo uno, qui apud nostros detinebatur in vinculis, libertati pristinæ restitutus est. Cecidit in eodem prælio nobilium prædictæ urbis, sed et mediæ manus hominum maxima multitudo. Raimundus autem patre defuncto, collectis de residuo militiæ auxiliis et pedestrium manu valida congregata, subito Libanum in virtute magna conscendens, omnes illos viros sanguinum, qui prædictum potentem virum in agrum Tripolitanum, suis persuasionibus induxerant, et quos paternæ necis et publicæ stragis reos esse deprehendere potuit, cum uxoribus et liberis, vinculis mancipatos Tripolim deduxit; ubi in præsentia populi, in ultionem sanguinis eorum qui in acie ceciderant, eos variis affecit suppliciis, et durissima mortis genera, tamen pro immanitate commissi sceleris debita, compulit experiri. Hæc prima virtutis suæ rudimenta prædictus adolescens comes, omnium in se provocans affectum et favorem concilians, dedit.

CAPUT XXIV.

Joannes imperator Constantinopolitanus, versus Antiochiam properans, Ciliciam occupat universam.

Nuntiatur interea, et multorum relatione divulgatur, quod dominus Joannes, Constantinopolitanus imperator, domini Alexii filius, convocatis de universi imperii finibus, populis, tribubus et linguis, in multitudine curruum et quadrigarum, et inauditis copiis equitum congregatis, in Syriam descendere maturabat; nec erat sermo fide vacuus. Statim enim ex quo fama comperit certiore quod Raimundo vocato cives ei Antiochiam tradidissent, et domini Boamundi filiam ei contulissent uxorem, disposuerat Antiochiam venire, multum indignans quod absque ejus conscientia et mandato, aut do-

Digitized by Google

mini sui filiam nuptui collocare præsumpserant; aut civitatem alterius ditioni, eo inconsulto, ausi fuerant mancipare. Eam enim cum universis adjacentibus provinciis ad sui jurisdictionem revocans, sibi vindicare contendebat; asserens magnos illos principes, viros virtutum, et immortalis memoriæ, et a Domino missos, qui in prima venerunt expeditione, quos longum nimis esset enumerare per singulos, cum patre suo et imperio antecessore domino Alexio convenisse, multa munerum et obsequiorum interventione, quod quascunque urbes vel castella in tota illa profectione quocunque casu comprehenderent, ejus sine contradictione subjicerent imperio, et mancipatas pro posse et viribus quousque ipse cum suis adesset copiis, fideliter conservarent. Et hoc allegabat gestis insertum et prædictorum principum juramentis corporaliter præstitis confirmatum. Certum est autem prædictos principes cum domino imperatore pacta iniisse; ipsumque versa vice conditionibus quibusdam se principibus obligasse, a quibus ipsum prius certum est defecisse : unde ei tanquam pactorum violatori se non teneri constanter asserebant, qui prædictis conditionibus interfuerant; eosque qui jam vita decesserant, nihilominus reddebant excusatos, dicentes eum prius tanquam varium et inconstantem hominem, et cum eis fraudulenter versatum, adversus sua pacta venisse. Unde et merito lege pactorum se dicebant absolutos : *Iniquum est enim ei fidem servari, qui contra pacta nititur versari.* Facto igitur per annum continuum, missis procuratoribus per universum regnum, ad iter apparatu pro imperiali magnificentia necessario, in curribus et equis, thesauris numerum et pondus et mensuram nescientibus, et copiis infinitis, superato navigiis Hellesponto, qui vulgari appellatione dicitur brachium Sancti Georgii, viam versus Antiochiam dirigit, in multitudine gravi. Transcursis igitur mediis provinciis in Ciliciam pervenit, ubi moram faciens, Tarsum primæ Ciliciæ metropolim egregiam obsidens, occupavit eam violenter; et ejectis ex ea domini principis Antiocheni fidelibus, quorum fidei urbem prædictam commiserat, suos induxit. Ipsum autem et de Adama, et Mamistra et Anavarza secundæ Ciliciæ metropoli celeberrima, et cunctis ejusdem provinciæ civitatibus, et municipiis et oppidis quibuslibet, facere non distulit. Sicque universam Ciliciam per annos quadraginta, a principe Antiocheno sine calumnia possessam, ex quo prædicta Tarsus, per manum domini Balduini, fratris domini ducis; Mamistra vero cum omni reliqua regione, per manum domini Tancredi viri clarissimi, antequam Antiochia in nostram devenisset potestatem, Christianæ libertati restitutæ sunt, suo contra jus et pium vindicans imperio : inde etiam cum universis exercitibus suis in multitudine virtutis suæ progrediens, Antiochiam accelerat; ad eamque perveniens, statim more hostili circumvallat obsidione. Ordinatis itaque per gyrum machinis et ingentibus tormentis congruis stationibus collocatis, urbem cœpit vehementius arctare.

CAPUT XXV.

Sanguinus castrum cui nomen Montferrandus, obsidet; rex cum comite Tripolitano obsidionem quærit solvere, sed deficiunt; et victi, comes capitur, rex in castrum se recepit.

Dum hæc circa Antiochiam aguntur, Sanguinus vir sceleratissimus, et Christiani nominis immanissimus persecutor, videns comitem Tripolitanum cum multa suorum manu paulo ante corruisse, regionem quoque universam militaribus destitutam auxiliis, in finibus Tripolitanis supra civitatem Raphaniam, in monte situm præsidium, cui nomen Mons-Ferrandus, de quo etiam superius præmisimus, potenter obsidet; et oppidanos intus obsessos acriter impugnat, urget indesinenter et multa molestat instantia. Hoc audiens comes Tripolitanus Raimundus, adolescens, Pontii prædefuncti filius, domini regis ex sorore nepos, missis sub omni celeritate nuntiis, dominum regem profusis anxie precibus rogat, ut in tanta necessitate, rebus pene desperatis non moretur subvenire, sed opem laturus acceleret. Dominus itaque rex paterno more pro universis Christiani populi necessitatibus debitam gerens sollicitudinem, convocatis subito universis regni principibus et militaribus tam equitum quam peditum auxiliis conglobatis, impiger advolat, et Tripolitanis se ex improviso exhibet finibus. Occurrunt ibidem nihilominus et domini principis Antiocheni, sinistra deferentes, nuntii, scriptis et viva voce asserentes, quod et verum erat, dominum imperatorem Antiochiam obsedisse; monentes et multa rogantes instantia, quatenus illuc cum omnibus copiis descendat, et fratribus in gravi anxietate positis, mature subveniat. Habita itaque deliberatione, quid in tam ancipiti facto fieri oporteret; placuit universis, ut prius Christianis in vicino castro vallatis, ministretur auxilium, quod satis leve videbatur; dehinc omnes unanimiter Antiochenis subventuri, progrediantur. Conjunctis igitur adinvicem, tam domini regis quam comitis viribus, et robore collato, hostibus obviam, gratia destituti divina, progredi nituntur. Ubi ad locum cœperunt appropiare destinatum, Sanguinus audiens nostrorum adventum, obsidionem solvens, ordinatis agminibus, eis occurrit. Nostri quoque instructis aciebus et juxta militarem disciplinam dispositis, nihilo segnius unanimiter procedentes, versus oppidum, obsessis opem laturi, contendunt; et ut municipium alimentis vacuum, comportatis repleant necessariis. Qui autem duces erant itineris, nostrum præcedentes exercitum, errore an malitia dubium est, commodiorem et planam a læva declinantes viam, montis ardua secuti, per loca invia et angusta nimis nostras inducunt acies, ubi Martiis congressibus locus non erat idoneus, nec habilis ad resistendum, neque ad impugnandum opportunus. Quod videns Sanguinus,

Digitized by Google

sicut erat vir sagacissimus, et rei militaris multam habens experientiam, videns meliorem se habere calculum, animo fervens, suos convocans, et inter millia suorum primus, verbo suos erigens, provocans exemplo, in medias nostrorum irruit acies; et viriliter dimicans, ad nostrorum stragem animat, et agmina nostra prima in fugam conversa prosternit. Videntes autem nostri majores exercitus, primas acies defecisse, et in nullo resistendi spem habere, seque in angusto positos, subveniendi afflictis copiam non habere, monent dominum regem ut saluti consulens, in vicinum se conferat præsidium. Quod videns dominus rex esse pro tempore expedientius, in præsidium se cum paucis recipit, pedestribus copiis pene omnibus, aut neci traditis aut in vincula conjectis. Captus est ibi egregiæ indolis adolescens comes Tripolitanus, et de equestri ordine cum eo capti sunt nonnulli. Pars autem dominum regem secuta, in municipium ingressi, vitæ consuluerunt quocunque modo, et saluti. Amiserunt ergo illa die impedimentorum universam multitudinem, equos et ad sarcinas deputata animalia, quibus prædictum oppidum instaurare fuerat propositum. Nam qui in castrum fugientes ingressi sunt, vacui, et sola secum arma, quibus muniti erant, habentes, nihil victus intulerant. Cecidit illa die inter cæteros vir magnificus, nobilitate et armorum usu insignis Gaufridus Charpalu, domini Joscelini senioris Edessani comitis frater, cujus interitus tanquam strenui viri, multis exstitit doloris causa amplioris, et universum concussit exercitum casus ejus lugubris.

CAPUT XXVI.

Sanguinus iterum castrum obsidet; obsessi finitimos ad subsidium undique evocant.

Sanguinus interea videns nostros nihil prorsus alimentorum intulisse in castrum, se eorum copias habere universas, et omnes regni vires attrivisse, comitem quoque se habere in vinculis, regem etiam in castro semiruto et alimentis vacuo, cum regni majoribus inclusum; apposuit iterum municipium obsidione claudere; sperans non esse qui possit obsessis subsidium ministrare; idque præsidium infra paucos dies non dubitans se posse evincere. Convocatis igitur in unum cuneis, redeunt nostrorum spoliis onusti, ampliorem prædam præ collectorum multitudine fastidientes; et castrum ordinatis in gyrum legionibus, obsidione vallat urgentissima. Porro intus cum domino rege se contulerant, de regni proceribus, Willelmus de Buris constabularius, Rainerus Brus miles insignis, Guido Brisebare, Balduinus de Ramis, Hemfredus de Torono, tyro et nimium adolescens; et alii plures, cum quibus rex habens consilium, deliberat quid in tanta, tamque angusta et urgente necessitate fieri oporteat. Decernunt ergo pariter, ut principem Antiochenum et Edessanum comitem Joscelinum juniorem in suum sollicitent subsidium; dominumque Hierosolymorum patriarcham cum universis regni populis invitent; et interim eorum quocunque modo præstolentur adventum. Per idem tempus, dum hæc circa Montem Ferrandum aguntur, Rainaldus, qui cognominatus est Episcopus, nepos domini Rogerii episcopi Liddensis, militiæ Sancti Georgii primicerius, miles in armis strenuus et actibus militaribus insignis, dum Ascalonitas more solito, sed incaute prosequitur, in prætentas casu decidens hostium insidias, captus est. Interea non cessant nuntii, sed sub omni celeritate properant. Hic dominum principem debita stimulat instantia; et regis et suorum necessitates edocens, moras arguit, festinare monet attentius: ille dominum Edessanum comitem continuus incendit hortatibus. Tertius Hierosolymam festinus accelerat, et populum commovet universum. Verum princeps Antiochenus dubius quid faciat, hæret aliquantulum; nam pro foribus habens imperatorem, urbi timet, si tentet abscedere: iterum domino regi in tanta necessitate posito, durum nimis et inhumanum reputat non subvenire. Tandem domini regis et Christiani populi molestiis et anxietatibus compatiens, civitatem suam Domino committens, satius judicat cum fratribus quantumlibet adversa sustinere, quam eis sic deficientibus, abundare prosperis, et qualibet tranquillitate gaudere. Convocat igitur proceres, et populi majores; revelataque cunctis propria conscientia, invitat omnes ad regis subsidium, et facile persuadet. Sponte enim in eadem Deo gratissima concurrunt omnes desideria; et subito paratos se offerentes, ab urbe egressi, dominum imperatorem circa eam rem civitatem relinquentes, unanimiter ad domini regis subsidium proficiscuntur. Comes quoque Edessanus, cum universis viribus suis pari voto accingitur, et ad idem opus mira festinat celeritate. Dominus quoque Hierosolymorum patriarcha Willelmus, collectis universis copiis, quas in regno potuit invenire, assumpto sibi Dominicæ crucis venerabili ligno, illuc impiger accelerat; et undique suffragia corrogans, in eorum subsidium mature contendit.

CAPUT XXVII.

Bezeuge Damascenorum procurator, Neapolim incendit et depopulatur.

Ilis ita circa dominum regem se habentibus, Bezeuge regni Damascenorum procurator et princeps militiæ de quo etiam superius fecimus mentionem, audiens regnum solito robore vacuum, regem in extremis regionibus obsidione clausum, principes et universum populum circa ejus liberationem sollicitum, ad illas partes unanimiter convolare; ratus ex tempore nocendi occasionem invenisse optatam, cum multa militia in regnum ingreditur; et Neapolim civitatem immunitam, muro et antemuralibus, et etiam vallo carentem, aggreditur ex improviso; et subito irruens, tanquam fur in nocte, in cives incautos gladiis, et toto desævit spiritu, ætati non parcens, aut sexui; tandem serius admoniti, qui inventi sunt residui, in præsidium quod in medio civi-

Digitized by Google

tatis est, cum uxoribus et liberis, se cum multo labore recipientes, vix a cæde et incendiis elapsi sunt. Ille autem, nemine prohibente, discursibus liberis universam urbem obambulans, incendiis cuncta subjiciens, prædam et manubias, et quæcunque desiderabilia in urbe depopulatus, indemnis recessit.

CAPUT XXVIII.

Festinatur ad regis subsidium; sed obsessis majores interim inferuntur molestiæ.

Sanguinus interea obsessos continuis urgens molestiis, mœnia tormentis quatiens, machinis molares et saxa ingentia jaculatoriis in medium contorquens præsidium, domos prosternit interius, non sine multa inclusorum formidine; tantis enim eos cautes violenter immissi, contorta omnimodorum telorum genera, opprimebant angustiis, ut jam intra muros nullus tutus ad occultandos saucios et debiles inveniretur locus. Ubique periculum, ubique discrimen, et mortis imago tremendæ eorum se ingerebat oculis; et mentibus non deerat repentini timor interitus, et casuum præsentia sinistrorum. Ad hoc vir sævissimus, assultus ingeminat, et destinatis per vices agminibus, successionis quodam ordine vires reparat; et prioribus defatigatis, recentes subrogat, ut continuatum potius quam renovatum videretur præliorum negotium. Nostri vero, non habentes ad hanc vicissitudinis recreationem inducendam sufficientes copias, ipsi primos, ipsi novissimos continuatis laboribus sustinent impetus. Diminuebatur præterea eorum diebus singulis numerus, aliis vulnerum acerbitate, aliis ægritudinum varietate decumbentibus; omnibus autem unus idemque defectus, et tolerandæ perpetis molestiæ par impotentia. Noctes enim, excubiis deputati trahebant insomnes; diebus vero, continuis congressionibus fatigati, nullas percipiendæ quietis ad restaurandam corporum exinanitionem, hostes ferias indulgebant. Accedebat et ad malorum cumulum, quod nec ingredientes alimentorum aliquid intulerant; nec in castro, ex priore obsessione, erat aliquod victus residuum; nam quod ipsi inferre decreverant, in manus hostium cum omni pervenerat integritate. Unde statim post ingressum, suos, nil aliud habentes, equos comederant, quibus deficientibus, omnis omnino defecerat alimonia. Attenuabantur itaque præ jejunio, etiam fortium et robustorum corpora; et inducta per inediam macies, strenuis etiam vires furabatur. Tanta præterea erat inclusorum multitudo, ut nec ciborum sufficerent copiæ ad hoc, ut unusquisque modicum quid acciperet: ita sane obsessorum multitudine universa municipii referta erant diversoria, ut vicus et plateæ jacentium frequentia, quasi juncis strata viderentur; emissa quoque incaute jacula, casu et sine studio dirigentis lethalia inferebant vulnera. Hæc omnia Sanguinus noverat plenius, eoque protervius suos ad instandum impellebat, quod nostros hæc molestius pati posse non dubitabat. Ad hæc et circa oppidum tam frequentes hostium erant dispositæ cohortes, et tanta diligentia omnes observabant aditus, ut nec ad nos accedere quispiam, nec de nostris egredi aliquis, quasi rem desperatam attentaret. Augebatur obsessis in dies molestia singulos, et victu penitus deficiente, nullum erat spei residuum; et rebus ipsis edocebantur, quam violentum sit famis imperium, et quam vere dictum sit illud: *Asserit urbes sola fames.* (Lucan. III, 56.)

Id tamen pereuntem quocunque modo adhuc fovebat populum, quod principis et comitis Edessani, necnon et Hierosolymorum præstolabatur subsidium; et, quia *animo cupienti nihil satis festinatur*, omnis habebatur mora suspectior, dilatione votum creverat, et hora pro anno computabatur.

CAPUT XXIX.

Adest subsidium; sed interim rex ad deditionem inclinatur; et pactis initis, sospes ad propria regreditur.

Interea dum hæc circa obsidionem sic aguntur, princeps Raimundus cum suis jam aderat legionibus, comes quoque Edessanus ingentia trahens agmina non longe aberat; sed et Hierosolymorum exercitus salutiferæ lignum crucis sequentes unanimiter, maturato itinere accelerabant. Quo per nuntios fideles comperto, Sanguinus timens tantorum adventum principum; idque specialius reformidans, ne auditis obsessorum molestiis, eisque compatiens dominus imperator, quem circa Antiochiam esse cognoverat, cum suis intolerabilibus copiis super se iratus irruat, antequam ad obsessos hic rumor perveniat, de pace primus missis internuntiis dominum regem et principes suos alloquitur; dicens: *Castrum jam semitutum, ante se diu non posse stare; populum jejunum et fame laborantem, resistendi vires et animos amisisse; suum vero econtra exercitum, necessariis abundare; tamen domini regis intuitu, qui magnus et eximius esset princeps in populo Christiano, dicit se universos captivos quos paulo ante ceperat, tam comitem quam alios restituturum, et domino regi cum omnibus suis liberum et tranquillum exitum, et ad propria reditum, indulturum si ei castrum omnibus vacuum restituere voluerint.* Nostri porro nescientes tam præsens esse subsidium, præterea fame, vigiliis, laboribus, angore attriti, vulneribus confossi lethalibus, imbelles facti et exhausti viribus, verbum oblatum cum omni aviditate suscipiunt, admirantes unde tanta hominis tam inclementis processerit humanitas: quacunque tamen occasione, porrectas gratanter suscipiunt conditiones. Pactis ergo hinc inde ad placitam utrinque redactis consonantiam, comes Tripolitanus restituitur, et cum eo captivorum maxima multitudo; statimque dominus rex cum suis egressus, ab hoste satis humane tractatus, præsidio Turcis resignato, confusus quidem, sed tamen de periculorum nimia perplexitate erutus, gaudens de montibus descendit in campestria Ar-

Digitized by Google

chis contermina, ubi audito domini principis et domini comitis adventu, approbans eorum sollicitudinem et fraternam charitatem, sed sero oblatam conquerens, eis occurrit devotus; solutisque ingentibus gratiarum actionibus, quod pro ejus negotio tam sollicitos se exhibuerant, et quantum in eis erat, optatum ministraverant subsidium; et mutuis collocutionibus recreati, divisi sunt ab invicem, ad propria redeuntes.

CAPUT XXX.

Princeps Antiochiam reversus, urbem obsessam reperit; imperatori totis viribus contradicit; sed tandem quorumdam interventu, eidem reconciliatur.

Dominus autem princeps, cujus res in arcto videbantur constitutæ, quia potentissimum orbis terræ principem ante suam civitatem hostilia meditantem dimiserat, Antiochiam sub omni celeritate rediens, per portam superiorem, quæ præsidio civitatis et arci contermina est, ingressus, imperatorem adhuc in eodem perseverantem proposito reperit: ubi per dies aliquot habitis congressibus, nonnullis Antiochenis in imperatoris exercitum clam sæpe, palam sæpius irruptiones faciendo, damna eis frequenter intulerunt enormia; et cum eis more hostili, non attenta fidei professione, versabantur. Imperator quoque versa vice tormentis ingentibus et machinis jaculatoriis, cautes immanissimos, et immensi ponderis contorquendo, a porta pontis mœnia cædendo et turres, urbis claustra debilitare et effringere nitebatur. Dispositisque per gyrum legionibus, sagittis, et omnium missilium genere, necnon et fundibulariorum manu proterva, cives a muri propugnatione arcebant eminus; et ad suffodienda mœnia aditum et opportunitatem nitebantur vindicare. His igitur ita se habentibus, timori erat prudentioribus utriusque exercitus, quod nisi maturo rei subveniretur consilio, res in eum casum esset deventura, in quo non facile, periculis emergentibus, remedia possent aptari convenientia. Interponunt se itaque viri timorati, partium arbitri, pacis portantes manipulos: et domini imperatoris ingressi castra, ejus verbis pacificis, et omni humanitate prætenta, mitigare satagebant indignationem: rursum dominum principem adeuntes, prudenter et circumspecte nimis, prout opus erat, viam pacis student invenire. Tandem visum est arbitris et quæsiti fœderis moderatoribus, quod *dominus princeps ad imperialem accedens magnificentiam, in præsentia illustrium et inclytorum imperialis palatii, cum universorum cœtu procerum suorum, cum debita solemnitate ei ligiam exhibeat fidelitatem; juretque præstito corporaliter sacramento, quod domino imperatori Antiochiam ingredi volenti, vel ejus præsidium, sive irato sive pacato, liberum et tranquillum non neget introitum. Et si dominus imperator ei Halapiam, Cæsaream, Hamam, Emissam, sicut pactis erat insertum, principi restitueret quietas, quod his et aliis circumadjacentibus, contentus urbibus, Antiochiam domino imperatori sine difficultate restituat jure proprietatis habendam; dominus vero imperator in recompensationem exhibitæ fidelitatis, principi concedat, quod si, auctore Domino, eum contigerit Halapiam, Cæsaream, et omnem circumadjacentem regionem sibi acquirere, totum principi sine molestia et diminutione accrescat; et jure perpetuo sibi et haeredibus suis, tamen in beneficio, quod feodum vulgo dicitur, tranquille possideat.* Egressus est igitur dominus princeps, juxta condictum, cum omni suorum nobilium comitatu, ad castra imperialia: ubi cum debita honorificentia a domino susceptus imperatore, recensitis ad placitum hinc inde pactis consensum, fidelitatem suam domino imperatori manualiter exhibuit; sed et statim prædictarum urbium cum omnibus pertinentiis suis dominus imperator investituram ei concessit, spondens firmissime, quod æstate proxime futura, eas auctore Domino, comprehensas corporaliter tradat. Sic itaque fœdere completo, pace plenius restituta, vexillo imperiali super principalem præsidii arcem collocato, donis ingentibus cumulatus, cum suis princeps in civitatem est regressus. Dominus autem imperator, propter instantem hiemis asperitatem, cum universis exercitibus suis in Ciliciam reversus, circa Tarsum in regione maritima, hiemandi gratia se contulit.

INCIPIT LIBER QUINTUS DECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Imperator Cæsaream obsidet; principe et Edessano comite in ejus obsequio constitutis.

Transcursis igitur circa partes Ciliciæ mensibus hibernis, vere jam reducto, et gratam exercitibus referente temperiem, missa voce præconia, et edicto imperiali publice mandatur primiceriis, centurionibus, quinquagenariis legionum, iterum cohortes instrui, instrumenta bellica reparari, armis accingi populum universum. Præmissis ergo legationibus dominus princeps, dominus quoque comes Edessanus, aliique illarum partium primores invitantur, ut cum domino imperatore proficiscantur ad prælia. Quibus undique conglobatis, quasi circa Kal. Aprilis, tubarum stridore, clangore tympanorum, exercitus universus, ut pactis inter se et principem prius initis, satisfaciant, versus Cæsaream acies dirigi præcipit, et fines hostium ingressus,

Digitized by Google

paucis evolutis diebus, ante prædictam urbem castrametatus est. His auditis, princeps et comes, convocatis ex universa regione suorum copiis, imperatorem sub omni celeritate sequentes, subito cum suis ante supra nominatam civitatem, paribus accensi desideriis adfuerunt. Est autem prædicta civitas, inter montem et fluvium, qui Antiochiam præterfluit, fere in modum Antiochiæ sita, partem sui maximam in plano usque ad flumen habens; partem quoque in declivo montis; præsidium vero in montis fastigio imminens, humanis inexpugnabile viribus est constitutum. Unde a læva et a dextra demissis usque in fluvium mœnibus, civitas ambitur cum suburbio sibi adjacente. Transito itaque fluvio, dispositisque in gyrum agminibus, ex ea parte unde civitas suburbio ante se posito habilior ad impugnandum videbatur, urbem vallat obsidione. Hic demum machinis congrua provisione dispositis, turres ac mœnia, et infra muros civium domicilia gravium immissione molarium, incessanter concutiunt, et crebris ictibus et vicaria immissorum cautium repetitione, non sine multa inhabitantium strage funditus dejiciunt, in quibus erat defensionis spes maxima, ædificiorum munimina. Urgebat dominus imperator, sicut erat vir magnanimus, studio fervente propositum, et propositis braviis, adolescentium gloriæ cupidos, ad certamina et congressus Martios accendebat animos; lorica quoque indutus et accinctus gladio, casside caput tectus aurea medius immistus agminibus, nunc hos, nunc illos sermonibus hortatur congruis; nunc exemplo tanquam unus e popularibus provocat, et instat viriliter, ut alios ad instandum reddat animosiores. Sic igitur vir egregia animositate insignis, sine intermissione discurrens, æstus belli a prima diei hora usque ad novissimam sustinens, nihil sibi quietis, ut vel cibum sumeret indulgebat; sed aut hos qui machinis deserviebant, ut frequentius et directius jacularentur, admonebat; aut iis qui in conflictibus desudabant, addebat animos, per vicarias successiones vires reparans, et pro deficientibus recentes surrogans, et integris conatibus validos. Princeps autem et comes, ut dicitur, adolescentes ambo, et illius ætatis lævioribus nimium tracti studiis, cæteris in prælio et re militari desudantibus, aleam ludebant, non sine damno rei familiaris, assidue; et circa bellorum studia remissius se habentes, cæteros quoque a fervore instantiæ, suo revocabant exemplo. Quod audiens imperator, et facto eorum pernicioso nimis motus, interius eos semel et secundo, familiari et secreta commonitione, revocare studuit, exemplum sui proponens, qui cum regum terræ et principum omnium esset potentissimus; nec labori proprii parcebat corporis, nec immensis sumptibus. Tandem cum per dies aliquot in hujusmodi congressionibus et assiduis conflictibus perseverasset exercitus, indignatus imperator, quod incomparabilibus ejus copiis urbs pusilla tam diu posset resistere, affectus tædio, moram arguens, suorum accusans desidiam, ad fortiores animat insultus, et congressus ingeminans, acrius instare præcipit. Dumque urbis effractioni certatim instant, suburbium prædictum, quod in inferiore civitatis parte situm esse diximus, cominus effractum occupant violenter, civibus qui ibi reperti sunt, non parcentes, nisi forte qui ex eis verbo vel habitu, vel quovis signo Christianam professionem se esse sectaturum designaret. Multos enim fideles habebat et habuerat ab initio civitas illa habitatores, qui sub miseræ servitutis jugo ab infidelibus dominis premebantur indebite.

CAPUT II.

Indignatus idem, imperfecto negotio obsidionem solvit Antiochiam reversus.

Sic ergo civitate ex parte quadam impugnata, timentes cives, violentas hostium in uxores et liberos et urbis penetralia irruptiones, pacem ad tempus postulant modicum, et impetrant postulatam. Erat porro illius civitatis dominus quidam nobilis homo, Arabs natione, Machedolus nomine; hic missis occulte ad imperatorem nuntiis, pro salute urbis et civium indemnitate, profusis cum omni humilitate supplicat precibus, et infinitam spondens pro eodem pecuniam. Indignatus enim imperator, quod princeps et comes ita dissolute et negligenter in expeditione se habuerant, eoque præcipue quod pro eorum negotio et implenda promissione videbatur laborare, maximum contra eos rancorem conceperat; et promissam eorum fidelitatem, tanquam sine operibus mortuam, magis splendidam quam solidam, pro nihilo ducens, firmissime apud se, cum paucis familiaribus, præordinaverat, quod in odium eorum, et infidelitatis pœnam, obiata qualibet occasione, quæ aliquam saltem honestatis speciem videretur prætendere, soluta obsidione, ad propria rediret. Suscepta igitur pacta pro dissolvenda obsidione pecunia, edicitur publica voce præconia obsessis pax; et legionibus mandatur ut ad reditum se præparent. Sicque solutis castris imperator versus Antiochiam, acies præcipit dirigi et universus illuc exercitus properare. Audientes hoc princeps et comes, sero ducti pœnitentia, dominum imperatorem ab incœpto revocare nituntur; sed perseverat in proposito, quod irrevocabiliter conceperat imperator; spretisque eorum persuasionibus, iter accelerat. Dicebatur comes in eo malitiose nimis versatus; nam occulto, sed postmodum clare patuit, adversus dominum suum, principem videlicet, ducebatur odio, et incrementum ejus habens omne suspectum, seducebat imprudentioris adolescentis animum, ipse versutior; ad id toto contendens studio, ut princeps imperatoris indignationem mereretur, ne per eum ad majora proveheretur compendia.

CAPUT III.

Imperator a principe civitatis repetit præsidium, quasi moram in regione facturus.

Perveniens igitur Antiochiam dominus imperator

Digitized by Google

cum filiis suis et familiaribus, et militia non modica ad urbem ingressus, domino principe, dominoque comite stratoris officium exsequentibus, dominoque patriarcha cum universo clero et populo ordinata de more processione, in psalmis et hymnis, canticis et musicorum concentu instrumentorum cum plausu et exsultatione populorum, prius ad cathedralem ecclesiam, deinde ad palatium principis solemniter deductus est. Ubi cum per dies aliquot, balneis, et cæteris quæ ad corpus pertinent recreationibus, tanquam dominus in domo, pro libero usus esset arbitrio, profusaque et pene prodiga tam in dominum principem et comitem, quam in eorum magnates, nec non et in cives indifferenter usus esset imperiali munificentia, principem simul et comitem, et omnes provinciæ primores, ad se fecit evocari; quibus in præsentia sua constitutis, principem alloquitur, dicens : *Nosti, dilectissime fili Raimunde, quomodo ob gratiam tui, ut juxta conventiones inter nostrum Deo amabile imperium, et fidelitatem tuam prius per prudentum virorum meditationem initas, tuum augeam principatum, et dilatem super hostes fidei nostræ possessiones tuas, diu jam in ista regione conversatus sum; et ecce opportunitate ingruente, tempus est ut promissa solvam, et omnem circumadjacentem regionem tuæ subjiciam ditioni, sicut pactorum tenor manifestius edocet. Sed nosti optime, noverunt et isti, qui tecum in nostra assistunt præsentia, quod non est, quod tibi solvere tenemur, opus temporis modici; sed moram tua negotia videntur exigere diuturniorem et impensas ampliores deposcere. Oportet igitur ut civitatis hujus præsidium, sicut ex pacto teneris, nostræ deputes custodiæ, ut in eo nostri tutius reponantur thesauri; urbem quoque nostris exercitibus perviam facias, ut liberam omnino intrandi egrediendique habeant sine difficultate licentiam. Nam de Tarso, vel Anavarza, vel aliis Ciliciæ urbibus, non ita commode bellica parari possunt instrumenta, ad angustias et obsidionem Halapiæ inferendam; aliamque præstat hæc civitas iis usibus opportunitatem, longeque meliorem quam alia quævis posset ministrare. Imple ergo promissum et juxta tenorem exhibitæ fidelitatis, prosequere quod tuum est; nam nostræ erit eminentiæ, id quod tibi tenemur exsolvere, larga interpretatione et superfluente mensura largiri.*

His dictis, princeps et sui, verbi acerbitate perterriti, diu hærentes quid super his responderent, cum multa anxietate secum volvebant quid ad hoc referrent. Durum enim videbatur et grave nimis, quod civitas tanto nostræ gentis acquisita periculo, tantoque sanguinis felicium principum dispendio Christianæ fidei restituta, quæ tantarum semper fuerat caput et moderatrix provinciarum, in manus effeminati Græcorum populi descenderet; nam sine ea reliquæ regionis portiones nobis stare posse non videbantur. Iterum, id pactis domini principis insertum, nemo erat qui dubitaret; præterea tot de suis intromiserat, quod non facile videbatur ei, vim inferre volenti, resistere posse. Sic igitur res in arcto posita erat, cum ecce comes Edessanus pro omnibus respondens, ita orsus est : *Domine, sermo quem peroravit imperialis sublimitas vestra, divina redolet eloquentia, et omni acceptione dignus est; in nostrum enim totum illius tenorem videmus respicere penitus incrementum, sed res nova, novo indiget consilio, nec est in domino principe solum hoc effectui mancipare. Oportet enim ut cum suorum, mei videlicet, et aliorum suorum fidelium consilio, super hoc plenius deliberet, quomodo facilius verbum vestrum et postulatio debitum sortiatur effectum, ne tumultu plebis intercurrente, executioni petitionum vestrarum futuræ præstetur impedimentum.* Placuit itaque domino imperatori comitis responsum; et datis ad modicum induciis ut dictæ satisfieret deliberationi, comes domum regreditur, principe in palatio remanente, et sui ipsius, ut dicebatur, non habente potestatem.

CAPUT IV.

Excitatur in civitate tumultus; timet imperator et petitionem remittit; et sedatur scandalum, eodem ab urbe egresso.

Comite igitur domum reverso, missis occulte nuntiis, qui populum universum, patefacta imperatoris postulatione, ad arma sollicitent, fit tumultus cum immoderato strepitu per urbem; et turbis undique convenientibus, clamor attollitur in immensum. Hæc audiens comes, accepto equo velociter ad palatium festinans, tanquam popularium incursus fugiens, ante pedes imperatoris se dedit exanimem. Subito igitur comitis ingressu, imperator attonitus, quærit diligenter *quænam sit causa, quod ita inordinate, præter morem et disciplinam sacri palatii, ante majestatem irruperit imperialem.* Respondit : *necessitatem legem non habere; sequeque populi furentis insectatione coactum, ut mortis evitaret discrimen, contra morum regulas advenisse.* Item sæpius sciscitanti, ut causam diligentius aperiret, respondit : *se gratia percipiendæ quietis in hospitium declinasse, et ad id operam dare proposuisse, cum ecce subito universus civitatis populus, quasi vir unus ante domus januam cum gladiis et armis qualia furor ministrabat assistens, virum sanguinarium, proditorem patriæ, plebis homicidam, cœpit clamare; qui civitatem imperatori, sumpta inde pecunia vult vendere; comitem Edessanum sibi dari obviam velle; vixque eos jam effracta domo, cum mille periculis effugisse.* Interea clamor per civitatem excitatur ingens, tumultus immoderatus, rumor celeberrimus omnium aures circumstrepit, civitatem Græcis venditam, præsidium jam eis traditum; cives, relictis avitis domibus et fundis paternis, migrare oportere. His itaque rumoribus cives accensi, quoscunque de imperatore reperiunt familia, de equis dejiciunt, vi spoliant, verberibus afficiunt, resistere volentes, gladiis obtruncant; et usque in palatium principis, injurias et mortem

Digitized by Google

fugientes, strictis gladiis insequuntur. Hoc strepitu civium, et suorum conclamantium vociferatione vehementi motus imperator, principem et magnates accersiri jubet, et mitigata pro tempore indignatione, timens ne contra se durius aliquid oriretur, sermonem, quem eodem die coram hominibus aliquantulum liberius dixerat, tangens ait : *Memini me vobiscum hodie super uno verbo habuisse tractatum, unde fortasse scandalum hoc in populo dicitur obortum. Nunc autem noverit tam patrum quam plebis universitas, quod ex quo ita durum et difficile vobis videtur quod dixi, revoco sententiam, retracto quod proposui. Habetote vobis tam urbem totam, quam præsidium : sufficit imperio meo, statum temporum hactenus observatum continuare. Novi quod vere fideles mei sitis, nec a fidelitate promissa et præstita ulla dies unquam vos convellere poterit. Egredimini igitur et populum furentem compescite. Quod si mora in civitate mea eis aliquatenus suspecta est, ne super hæc moveantur, cras enim, auctore Domino, egrediemur.*

His dictis, laudant omnes domini imperatoris propositum ; et extollunt usque ad sidera mentem providam, consilii altitudinem, consulti pectoris judicium. Et egredientes princeps et comes, et alii procerum primores, voce, manu, nutibus et signis tumultum sedare tentant ; tandemque indicto silentio et plebe verbis amicis ad aliquam tranquillitatem redacta, domum eos redire, et armis depositis, quiete degere rogant propensius. Quod et factum est. Dominus autem imperator, die sequente cum filiis et consanguineis et familiaribus egressus, ante urbem castra locari præcipit.

CAPUT V.

Mittuntur legati, qui indignationem imperatoris mitigent, et obtinent ; imperator ad propria redit.

Scientes ergo hi quibus mens erat sanior, dominum imperatorem, licet more prudentis dissimulaverit, rancorem adversus principem et nobilium primores mente concepisse, tanquam eorum instinctu et occulta opera popularium tumultus et plebis scandalum esset excitatum ; dirigunt reformandæ pacis gratia idoneos ad hoc, et sensus habentes exercitatos, ad imperialem excellentiam nuntios, qui dominum principem et magnates regionis apud dominum imperatorem satagant excusatos habere ; et super eo qui in populo excrevit tumultu, prorsus asserant innocentes. Qui ergo missi fuerant, in auditorium imperatoris intromissi, pro injuncto negotio verba facientes, allegare student et persuadere principis innocentiam, in hunc modum : *Novit Augustalis apex, et imperialis eminentia nobis multo melius, quod in quolibet collegio, nedum in civitatibus et magnis hominum cœtibus, non omnes pari splendent prudentia, nec pari sunt præditi disciplina ; sed aliter et aliter affectis civibus, dispares mores, disparia sequuntur studia, ita ut, iuxta prudentis verbum, verum sit quod dicitur :*

Tres mihi convivæ prope dissentire videntur.

Et illud.

Quot homines, tot sententiæ.

Sed in hac tanta varietate morum dissimilium, prudentis est qualitatem distinguere meritorum, et congrua meritis præmia deputare. Juxta hanc rationem plebis indiscretæ calor inconsultus, in damnum non debet redundare melius affectorum. Usu enim inter homines solet evenire, ut plebs confusa, modum nesciens, rixas et tumultus consueverit incautius suscitare : idque in omnibus bene moratis urbibus, vetustam et usu approbatam longævo consuetudinem obtinuisse certum est, ut patrum modestia populares comprimantur impetus, et ignara modi refrenentur audacia. Aliter, vulgi multo meliorem quam nobilium esse conditionem ; turbæ imprudentis confusionem quam discretorum experientiam, nisi majoribus colligere liceat peccata plebis inconsultæ. Ignorante sane domino principe, nescientibus iis ad quorum nutum majora tractantur negotia, deliquit plebs indiscreta. Pœnas ergo toleret quas meruit, domino principe cum majoribus indemnibus conservatis : paratus est denique in argumentum suæ innocentiæ in finibus stare pactorum ; et, si liceat, urbem cum præsidio in manus imperii transferre

His et similibus persuasus imperator, motum indignationis nimiæ, quem de sola suspicione conceperat, humaniore sententia revocavit ; accersitoque domino principe, nec non et comite cum proceribus, ad se familiariter præcipit introire ; et detersa omni interjecti rancoris nebula, mutuæ salutationis benigne suscipit et impendit affatum. Tandem eis innotescens quod causas haberet urgentissimas, quibus impellentibus eum domum redire oporteret ; sumpta licentia, promissoque firmissime, quod iterum auctore Domino, pacta completurus, in manu valida esset rediturus, in Ciliciam universos dirigit exercitus. Unde, completis negotiis circa Ciliciam et Syriam, præparatisque ad iter agminibus, ad propria reversus est.

CAPUT VI.

Hierosolymorum rex ultra Jordanem præsidium obsidet et occupat violenter. Apud Thecuam nostri miserabiliter prosternuntur.

Interea dum hæc circa Antiochiam geruntur, subsequente æstate, non post multum temporis intervallum, vir inclytus et magnus apud occidentales principes, dominus Theodoricus Flandrensium comes, domini regis gener, orationis et devotæ peregrinationis gratia cum honesto nobilium virorum comitatu Hierosolymam venit, cujus adventum rex et populus universus multa cum hilaritate suscipientes, confisi de insigni et robusta, quam secum adduxerat militia, apponunt unanimiter cum domini patriarchæ et aliorum regni principum consilio, trans Jordanem in finibus Ammonitarum juxta montem Galaad obsidere præsidium unum, nostris regionibus perniciosum valde. Erat autem prædictum municipium spelunca quædam in latere montis eminentis maxime declivo sita, aditum habens pene in-

Digitized by Google

accessibilem. Desuper vero immanissimum imminebat præcipitium, usque in infima subjacentis vallis, a vertice supereminentis promontorii contiguum. Ex latere vero altrinsecus ad eamdem speluncam erat inter clivum superincumbentis altitudinis, et dictum præcipitium, artus et formidabilis. In hanc se collegerat furum manipulus nocens, et prædonum turba de finibus Moab, et Ammon, et Galaad, qui, præmissis exploratoribus locorum peritis, et per eos de statu regionum nostrarum plenius edocti, sumpta opportunitate frequentes irruptiones, clam, et plerumque periculosas nimis, nostris finibus inferebant. Quibus malis nostri volentes occurrere, proponunt, ut præmisimus, speluncam obsidere. Convocato igitur universo regni populo et copiis militaribus congregatis, transito Jordane, illuc perveniunt; et sicut regionis patiebatur inæqualitas, simul et angustia, aditus occupant, castra per circuitum locantes; et dispositis agminibus per gyrum, locum obsidione vallant. Legem itaque castrorum exsequentes, ad quælibet nocendi se converterunt argumenta, obsessos modis quibus possunt arctantes, ut ad deditionem impellant; illi versa vice quidquid miseris rebus solet venire solertiæ colligentes, in sui tuitionem vigilanter armantur. Dumque ibi pene omnis Christianus unanimiter desudaret exercitus, Turci quidam ex tempore opportunitatem nacti, videntes trans Jordanem universam regionem militia destitutam, hostilibus patere insidiis, Jordane transmisso, Hiericuntinam regionem relinquentes, a dextris, secus Asphaltem lacum, qui et mare Mortuum dicitur, incedentes, inde se ad montana conferentes, in eam provinciæ partem irruperunt, quæ tribu Judæ olim cessit in sortem; et pervenientes ad civitatem prophetarum Amos et Habacuc, Tecuam nomine, incolis vacuam, violenter occupaverunt, paucis quos ibi repererunt occisis; fugerant enim loci illius habitatores, hostium adventu prænognito; et cum uxoribus et liberis, armentis et gregibus in speluncam Odollam, illis vicinam, se contulerant. Vicum ergo prædictum invenientes vacuum, domicilia eorum qui fugerant ingressi, quod residuum erat, asportabant.

Erat autem casu Hierosolymis illis diebus ab Antiochia veniens, vir piæ in Domino recordationis, miles eximius et in armis strenuus, nobilis carne et moribus, dominus Robertus, cognomine Burgundio, natione Aquitanicus, magister militiæ Templi. Hic cum quibusdam de fratribus suis et cum iis qui Hierosolymis remanserant, paucis et promiscui generis equitibus, vexillum regium bajulante quodam domini regis familiari, Bernardo Vacher, subsequente populo, ad locum prædictum certatim et sub omni celeritate contendunt. Audientes itaque Turci nostrorum adventum, locum deserentes Habebim, Joelis prophetæ domum, versus Ebron patriarcharum sepulcrum, fugam inierant; volentes inde in plana Ascalonam versus descendere. Nostri autem, scientes hostium acies in fugam versas, non eisdem vestigiis inhærentes, tanquam de tropæo certi, sed ad diversa incaute nimis tendentes, fugientium spoliis magis quam stragi hostium insistebant imprudenter. Quod intelligentes qui fugam inierant, iterum more solito conglobati, resumentes animos, dispersas acies, quantum possunt, revocare nituntur, nostrisque ex improviso et nimis confidenter irruentes, passim vagantes et securos invadunt, gladiis obtruncant; paucis tamen resistentibus et collectis adinvicem, pugna committitur.

Inter hæc, qui diversa fuerant secuti tubarum clangore, stridore cornuum, equorum fremitu, armorum fulgore coruscantium, vocibus suos adhortantium, simul et pulveris equorum pedibus agitati nebula in sublime rapta, commoniti, ad locum properant certaminis. Sed antequam eorum qui restiterant catervis se conjungerent, deficientibus primis et in fugam actis, facti sunt hostes, nostris devictis, superiores. Conversos itaque in fugam nostros, per loca saxis asperrima et prorsus invia, et omnino fugam non admittentia sagittis et strictis gladiis more hostium insectantes, alios ferro perimunt, alios prosternunt præcipites; et a prædicta Hebron, quæ est Cariatharbe, usque in fines Thecuæ persequentes, stragem multam nimis operati sunt in populo. Ceciderunt autem illa die multi nobiles et inclyti viri, inter quos vir eximius frater militiæ Templi, Odo de Monte Falconis, omnes morte sua mœrore et gemitu conficiens, occisus est. Hostes vero victoria potiti, cæde nostrorum et spoliis lætantes, Ascalonam reversi sunt. Nostri autem qui in expeditione erant, cognito quod apud nos acciderat infortunio, animo nimirum sunt vehementer consternati. Sed tamen intelligentes hanc esse bellorum legem, ut nunc hi, nunc illi variis eventibus fiant superiores, iterum consolationem recipientes, cœpto instant operi ferventius solito, et auctore Domino, infra paucos dies prædictum obtinent præsidium, inde cum gloria et triumpho ad propria reversi.

CAPUT VII.

Sanguinus regnum Damascenorum inquietat; Damasceni a nostris auxilium postulant, et interpositis obtinent conditionibus; Sanguinus ad propria revertitur.

Interea, dum hæc in partibus geruntur Hierosolymitanis, Sanguinus tanquam vermis inquietus, successibus in immensum elatus, præsumit etiam Damascenorum regnum sibi vindicare. Quod intelligens Ainardus illius regni procurator, militiæ princeps, socer quoque regis Damascenorum, quod in fines suos violenter esset ingressus, nuntios ad dominum regem, cum verbis pacificis dirigit, petens et obnixe postulans ab eo et populo Christiano auxilium et consilium contra hostem utriusque regni crudelissimum. Et ne præsumptuose, gratis et sine multorum spe emolumentorum, dominum regem et ejus principes in sui subsidium videretur sollicitare, spondet pro imnensis ad hoc opus neces-

Digitized by Google

sariis, mensibus singulis persolvenda aureorum vicena millia : insuper et hoste a finibus suis violenter abacto, urbem Paneadensem, paucis ante annis a nobis violenter ablatam, pactis inserit, nostris absque contradictione restituendam ; et super iis omnibus conventionum articulis, ut eis fides amplior habeatur, nobilium filios, quantos expedit, obsides se daturos pollicetur. His auditis, dominus rex, convocans universos regni principes, legationis modum et verborum seriem eis diligentius aperit ; consilium postulat, quid eis super hujusmodi petitionibus respondendum videatur. Tandemque communicato adinvicem consilio, et deliberationis provido libramine, partibus pensatis, optimum judicant, Ainardo et Damascenis, contra hostem immanissimum et utrique suspectum regno, opem esse ferendam ; ministranda etiam gratis subsidia, ne hostis potentior, per nostram desidiam, in nostram perniciem, regno acquisito, regni suscipiat incrementum. Præterea et additæ conditiones, causam reddunt amplius favorabilem ; idque potissimum omnes trahit in hanc partem procliviores, quod de urbe Paneadense in fine verborum est adjunctum.

CAPUT VIII.

Obsidetur civitas Paneadensis, Damascenis præbentibus auxilium.

Approbato ergo generali consilio, susceptisque jam dictis obsidibus et in tuto collocatis, confestim ex omnibus regni finibus apud Tiberiadem præcipitur, tam equitum quam peditum innumera manus convenire. Sanguinus autem in multitudine virtutis suæ, cum immensis equitum copiis ejusdem provinciæ fines ingressus, relicta post se Damasco, usque ad eum locum qui dicitur Rasaline, pervenerat ; ibique, per aliquot temporis intervallum, dubitans de nostrorum adventu, cum suis legionibus consederat. Certus enim esse videbatur quod, nisi nostrorum vires ejus propositum impedirent, facile ad optatum posset pertingere. Nuntiatur ergo nostris, Sanguinum in prædicto loco consistere ; Damascenos quoque urbe jam egressos, domini regis et nostrorum apud Nuaram præstolari adventum : quo cognito, nostræ quoque acies castris solutis, vexillis præcedentibus, ad prædictum locum unanimiter contendunt. Quod audiens Sanguinus, timens, sicut vir erat industrius, in terra hostium cum gemino committere exercitu, priusquam nostri cum Damascenis convenirent, locum prædictum deserens, declinatis nostris et Damascenorum ad lævam copiis, fugam accelerat ; et in eam regionem quæ dicitur vulgo Vallis Baccar, maturatis se confert itineribus. Nostri autem nihilominus ad locum prædictum pervenientes, Damascenis permisti, de discessu Sanguini edocti plenius, de communi consilio, sicut pactis continebatur, contra Paneadem universos dirigunt exercitus. Hanc urbem, ut prædiximus, Doldequinus Damascenorum rex, paucis ante annis volenter occupaverat ; sed postmodum magistratus, qui eam commiserat, a Damascenis deficiens, contra Damascenos, Sanguino adhæserat ; unde erat, quod ad hoc, ut domino regi traderetur, fidelius elaborabant ; malentes eam Christianis restitui, quorum gratia fruebantur, quam ut hostis eorum tam suspectus tamque formidabilis, eam possideret : unde gravius, eis et quasi de vicino nocere poterat, et majores inferre molestias.

CAPUT IX.

Princeps Antiochenus et Tripolitanus comes ad eamdem accedunt obsidionem, et urgentissime impugnatur civitas.

Ista est Paneas, quæ vulgari appellatione Belinas dicitur, olim ante introitum filiorum Israel in terram promissionis, dicta Lesen ; quam postea filii Dan acceperunt in sortem et vocaverunt Lesen Dan, sicut legitur in Josue, ubi scriptum est : *Ascenderuntque filii Dan, et pugnaverunt contra Lesen, ceperuntque eam et percusserunt eam in ore gladii, ac possederunt, et habitaverunt in ea, vocantes nomen ejus Lesen Dan, ex nomine Dan patris sui* (*Jos.* XIX, 47). Consequenter autem dicta est eadem Cæsarea Philippi, eo quod Philippus tetrarcha, senioris Herodis filius, in honorem Tiberii Cæsaris eam ampliaverit, et ædificiis admirabilibus reddiderit insignem, ita ut ad nomen Cæsaris et ampliatoris vocabulum, unam prætenderet appellationem. Conversis igitur ad urbem agminibus, et ad eam pervenientes Kal. Maii, civitatem undique vallant obsidione. Ainardus cum suis ab Oriente, inter urbem et silvam suorum locat expeditiones, in eo loco qui dicitur Cohagar ; rex autem et noster exercitus ab Occidente, versus campestria suas locant legiones. Sic igitur ordinatis in gyrum stationibus studiose procuratur, ut inclusis generaliter omnis interdicatur aditus, nec ingredi vel egredi volentibus libera pateat evagandi potestas. Placet præterea, et de communi sancitur consilio, quatenus missis nuntiis fidelibus, dominum Raimundum Antiochenorum principem et dominum comitem Tripolitanum convocent ad præsentis operis subsidium : quod et factum est. Ipsi nihilominus interea cum Turcis æque ferventibus, ad congressus quotidianos accinctis, obsessos assultibus urgent assiduis ; et machinis jaculatoriis, quas petrarias vocant, immissis magnæ quantitatis molaribus, mœnia concutiunt, et infra urbem conterunt domicilia ; ad hoc et telorum immissionibus, et multa sagittarum grandine, adeo fatigant oppidanos, ut nullus intra muros tutus ad latendum inveniretur locus ; vixque muro et propugnaculis tecti, contorquentes saxa, aut arcubus utentes, eos qui deforis impugnabant auderent conspicere. Intueri erat ibi præter solitum hostes ab hostibus Marte sævissimo provocari ; et fictione deposita, serio nimis in eorum armari perniciem ; nec facile erat discernere utra protervius contra communes adversarios arma corriperet manus, aut in congressionibus instaret acrius, aut diuturniore longanimitate in belli pondere perseveraret ; erat namque nostris militibus cum Da-

Digitized by Google

mascenis cohortibus animorum par affectus, et consonans desiderium. Experientia quidem et usus armorum longe dissimilis, sed voluntas nocendi non inferior. At vero obsessi, licet continuis assultibus fatigati, vigiliis et nimii laboris pondere essent attriti, tamen resistunt viriliter; et pro viribus libertatem, uxores, et liberos tueri satagentes, urgente molestia solertiores effecti, ad omnia resistendi se convertunt argumenta. His ita per dies aliquot tractatis, videntur omnino non proficere, nisi castello ligneo mœnibus applicato, obsessis desuper bellum inferatur. Cumque in tota illa regione ad usus hujusmodi, conveniens non inveniretur materia, mittuntur Damascum de mandato domini Ainardi, qui trabes proceras, et ingentis magnitudinis, ad hoc specialiter multo ante deputatas, deportari faciant et cum omni redeant celeritate.

CAPUT X.

Principe et comite præsentibus, machina ad oppugnandam urbem erigitur; civibus spe subsidii strenue se defendentibus.

Interea princeps Antiochenus et comes Tripolitanus nostris exciti legationibus, cum ingentibus copiis et valida manu, optato advenientes, castris se adjungunt nostris; quorum adventu geminatus est obsessis timor, et resistendi spes omnis visa est cecidisse. Dumque hi qui recentes advenerant, certatim vires experiuntur, et laudis cupidi, et gloriæ consequendæ gratia congregatis seorsum urbem impugnant agminibus; obsessis ingeritur formido amplior, et diffidentia; nostris vero spes de obtinenda victoria jam certior, animos erigens, minuebat tædium, et ad impugnandum singulis diebus reddebat fortiores. Nec mora, dum hæc circa urbem fiunt, ecce qui Damascum ierant redeuntes, trabes secum miræ magnitudinis afferunt, et soliditatis optatæ. Quibus per artifices et lignorum cæsores sub omni celeritate lævigatis et clavis ferreis debita soliditate conjunctis erigitur subito immensæ altitudinis machina, qua desuper universa prospicitur civitas; et unde sagittis omnique telorum genere, pugillarium quoque jactu lapidum arcent oppidanos: qua erecta, complanatis quæ inter machinam et murum erant media, mœnibus applicatur, urbem despiciens universam, tanquam turris in urbis medio subito appareret ædificata. Hic primum dura nimis, et ad supremum compellens defectum, facta est obsessorum conditio; nam ad contorsiones lapidum et telorum immissiones, quibus eos instanter urgebant, qui in castello erant, non erat omnino remedium invenire; non inveniebatur interius locus, qui tutas sauciis aut debilibus posset latebras ministrare, vel ad quas confugerent post labores, qui adhuc solidi et viribus integri, aliis se poterant præstare defensores; et jam per murum discurrere negabatur; et deficientibus sociis, absque mortis periculo non licebat opem ferre; nam quæ ab inferioribus inferebantur bellorum pondera, et nocendi argumenta, facta relatione, ad ea quæ de superioribus imminebant diversi generis pericula, nulla aut modica poterant judicari: ita ut bellum non tam cum hominibus quam cum superis videretur. Fuerat autem ab initio spes obsessis, eademque usque in præsentem articulum fovebantur, quod Sanguinus eis esset ministraturus, sicut et fide interposita firmaverat, subsidium; sed, urgente jam periculo, nec subsidium, nec defensionis locus videbatur relictus.

CAPUT XI.

Legatus, Ecclesiæ Romanæ applicat; ad obsidionem accedit; capitur civitas, ibique ordinato episcopo, Hierosolymam principes omnes proficiscuntur.

Dum hæc in expeditione geruntur, legatus quidam Romanæ Ecclesiæ, Albericus nomine, episcopus Hostiensis, natione Francus, de episcopatu Belvacensi, apud Sidonem applicuit. Venerat autem specialiter ob illud missus negotium, quod in Ecclesia Antiochena, inter dominum patriarcham et ejus canonicos erat obortum; cujus etiam gratia, vir vitæ venerabilis, dominus Petrus Lugdunensis archiepiscopus, paucis ante diebus, legationis fungens officio, in Syriam venerat; sed morte præventus, finem injuncto non potuit dare negotio: unde hic, ut tantæ controversiæ debitum finem imponeret, prædicto venerabili viro substitutus est, sicut in sequentibus dicetur. Hic, audito quod universus Christianus exercitus in obsidione apud Paneadem detineretur et quod ibi dominus patriarcha Hierosolymorum Willelmus, dominus Fulcherus, Tyrensis archiepiscopus, cum cæteris regni principibus moram facerent, illuc sub omni celeritate contendit; adveniensque licet in cœpto non torperent opere, sed instarent ferventer, qui et urbem obsederant, tamen prudentis viri studio et auctoritate subnixus apostolica, ad propositum invitat; et exhortatorii sermonis eis addens stimulos, ad impugnandam urbem accendit vehementius. Interea qui in machina ad hoc deputati erant, cives continuis urgent assultibus; et negata requie, desuper injecta terroris et periculi causa multiplici, fatigationibus assiduis molestias ingeminant; jamque quibusdam ex eis consumptis gladio, quibusdam vero lethaliter sauciis, aliis vero præ lassitudine deficientibus, eorum minuebatur numerus, nec instantes more solito a sui poterant impugnatione repellere. Quod intelligens Damascenorum procurator et militiæ princeps Ainardus, vir providus admodum, et fœderis quod nobiscum pepigerat tenacissimus et fidelissimus prosecutor, sciens quia vexatio dat viam auditui, et ad conditiones extremas consummata miseria impellere solet, missis occulte quibusdam de familiaribus suis, qui obsessos cum spe salutis ad deditionem invitarent, verbum prætentavit fideliter; illi autem primum abhorrentes et fingentes se longius ire, tanquam adhuc resistendi spem viderentur habere aliquam, novissime tamen cum aviditate multa, gratanter suscipiunt oblatum verbum. Magistratus tamen, quem ipsi vocant emir, nobilis homo et potens, oblatis adjicit conditionibus, ut pro urbis

Digitized by Google

deditione, habita consideratione, ne egeret, aliqua A boni viri arbitratu fieret ei recompensatio; turpe enim videretur et indecens, ut vir nobilis et tam famosæ urbis dominus, propria pulsus hæreditate, mendicare compelleretur. Ainardus vero, videns nobilis viri petitionem juri satis convenire, et æquitati, totaque mentis properans intentione ut civitas in nostram veniret potestatem, juxta illorum desiderium se obligat: quod usque ad certam summam, quæ inter eos convenit in balneis et pomeriis ei redditus annuatim solvendos assignaret, et populo exire cupienti, liberum cum omnibus rebus suis exitum procuraret. Iis vero qui urbem et prædia sua tam urbana quam rustica incolere, et nusquam abire vellent, vel ad tempus, vel in perpetuum, bonis conditionibus tranquillam, fide interposita, B moram pollicetur. Quod verbum tam dominus rex quam reliqua populi pars, placite suscipientes, urbem sine mora parati sunt tradere. Ainardus itaque videns conventiones ad optatam pervenisse consonantiam, et jam in nullo vacillare sermonem, dominum regem, patriarcham, principem et comitem familiarius convenit, et rei seriem secretius pertractatæ, diligenter aperit, et ad consensum modis quibus potest hortatur; illi porro viri prudentiam et fidei sinceritatem attendentes, conditiones approbant, et consensum impartientes gratuitum, omnia se facturos juxta illius ordinationem firmissime compromittunt. Sic ergo civitate tradita cives cum omni supellectile sua, cum uxoribus et liberis, C liberum habentes exitum, ad loca optata se contulerunt. Nostri vero civitate recepta, domino patriarcha id procurante, dominoque Fulchero Tyrensi archiepiscopo, ad cujus jurisdictionem Paneadensis Ecclesia jure metropolitico certum erat pertinere, id concedente et electionem approbante, dominum Adam, archidiaconum Acconensem, in episcopum ejusdem loci eligunt; et curam fidelium illic commorari volentium, committunt spiritualem; temporalem vero jurisdictionem domino Rainerio cognomine Brus, cui paucis ante annis violenter erepta fuerat, restituunt. Inde Deo gratias et hostias solemnes exhibituri Hierosolymam, dominus rex, cum domino principe Antiocheno, cum domino patriarcha et domino legato contendunt. Completis igitur D de more orationibus et mora per dies aliquot Hierosolymis habita, dominus princeps, prætentata domini legati mente, quid propositi adversus patriarcham suum haberet, et invitans eum, ut non pigritaretur venire, sed fortis et de ejus auxilio certus veniret, Antiochiam reversus est. Missus enim erat, ut prædiximus, idem legatus, ut super quibusdam criminibus, eidem patriarchæ, a quibusdam canonicis ecclesiæ suæ objectis cognosceret, et causam fine debito terminaret. Nunc tempus est, ut quod superius de prædicto patriarcha præmisimus, exsolvamus; quod ut facilius intelligatur, a superioribus aliquantulum repetenda est historia.

CAPUT XII.

Princeps Antiochenus cum adversariis Antiocheni patriarchæ conspirat; patriarcha Romam proficiscitur. Capitur a duce Apuliæ Rogerio; sed tandem cum eo pacificatus, Romam pervenit.

Domino igitur Raimundo, primum Antiochiam, ut præmisimus, accedente, antequam uxorem destinatam haberet, domino Radulpho, qui tunc Ecclesiæ præerat Antiochenæ, ut facilius ad optatum perveniret, fidelitatem manualiter exhibuit, spondens fide interposita, quod *ab ea die in antea, non esset in consilio, vel in facto, quod honorem, vitam, aut membrum perderet, aut caperetur mala captione;* sicut in forma exhibendæ fidelitatis continetur. In qua fidelitate nec modico quidem tempore perseveravit; statim enim uxore ducta et tota regione recepta, per ejus studium et operam, adjunctus est ejus adversariis, opem conferens, et omne consilium, contra fidelitatis debitum, in ejus læsionem. Habentes igitur ejus æmuli tantum studiorum suorum cooperatorem, animosius ejus impugnationibus insistentes, Romam proficiscuntur. Erant autem ejus adversarii, Lambertus quidam, ejusdem ecclesiæ archidiaconus, vir quidem litteratus, et conversationis honestæ, sed sæcularium modicam, aut nullam habens experientiam; et Arnulfus quidam, Calaber natione, nobilis genere, litteratus et in sæcularibus circumspectus. Hi, interpositis appellationis vocibus, consentiente et favente domino principe, Romam profecti, eum etiam invitum, sed per principem vi compulsum, eamdem arripere viam coegerunt. Factum est itaque quod Arnulfus præcesserat, et in Siciliam compendioso itinere profectus, conjunctis sibi de amicis et consanguineis, quia de Calabria erat oriundus, ubi postmodum fuit Consentinus archiepiscopus (erat enim nobilis valde, ut diximus) dominum Rogerum Apuliæ ducem, cui notus erat, convenerat, dicens: *Ecce, princeps egregie, in manus tibi, optato, sed et gratis, datur hostium tuorum immanissimus, Antiochenorum patriarcha, qui tibi et hæredibus tuis in perpetuum Antiochiam abstulit, sublimato in ea, viro ignoto, contra juris ordinem. Ecce tibi eum obtulit Dominus, et consummata ejus peccata dederunt præsentem. Eia expergiscere, tracta quomodo eum habeas; certus quia per eum ad hæreditatem jure tibi legitimæ successionis debitam, iterum tibi patere poterit introitus, qui tibi per eumdem negatus est indebite.* His verbis motus Apuliæ dux, sicut vir erat solertissimus, in singulis maritimis urbibus, locari præcipit insidias, ut adveniens statim captus et vinculis mancipatus, in Siciliam protinus dirigatur. Ille vero prospera usus navigatione, nihil tale veritus, Brundusium applicans, juxta ducis mandatum, sublatis omnibus quæ secum tanquam princeps potentissimus detulerat, sed et dispersa cuncta familia, vinctus traditur eidem Arnulfo, in Siciliam ante ducem pertrahendus. Hic primum Arnulfo juxta desideria datum est in hostem et impium

Digitized by Google

persecutorem suum, pro libero desævire arbitrio, et vices æqua lance reddere, pro his quæ de manu ejus acceperat duplicia. Tandem in præsentia ducis constitutus, habitisque cum eo familiaribus colloquiis et conventionibus interpositis, sicuti erat vir prudens et facundissimus, et honestissimam habens personam, receptis universis cum omni integritate quæ amiserat, sed et familia restituta, spondens quod in reditu per eumdem ducem sit habiturus regressum, cum omni honestate Romam pergens, dimittitur. Romam vero perveniens, prima facie difficiles habuit ad dominum papam introitus, tanquam Romanæ persecutor Ecclesiæ, et qui singularem sedis apostolicæ primatum comminuere et infringere voluerit, sedem æmulam contra Romanam erigens, et parificans Ecclesiam, tanquam læsæ majestatis reus, ab ingressu sacri arcetur palatii, et a domini papæ colloquio suspenditur.

CAPUT XIII.

Accusatur ab adversariis; tandem cum plenitudine gratiæ, ad propria revertitur.

Porro tam dominus papa quam universa Ecclesia, procliviores erant ad hoc, ut dominum patriarcham, sumpta qualibet honesta occasione gravarent, ejusque adversariis plurimum exhibebant favorem; suspectus enim eis habebatur admodum, eo quod vir dives esset, et magnificus, et sedem cui præerat, Antiochenam videlicet, Romanæ subjacere dedignabatur; sed ei eamdem in omnibus parificare contendebat, dicens: *Utramque Petri esse cathedram, eamque quasi primogenitæ insignem prærogativa;* unde multipliciter ad ejus gravamen nitebantur. Tandem quorumdam amicorum usus officio, intervenientibus tam domini papæ quam suis familiaribus, et semitas dirigentibus, admissus est ad domini papæ et curiæ solemniter congregatæ præsentiam, et cum multa susceptus est magnificentia. Porro semel et secundo eo in consistorium ingresso, sumpta opportunitate, ejus adversarii prodeunt in publicum; et oblatis libellis accusatoriis, parati erant, cum omni juris solemnitate, ad accusandum procedere. Verum cognoscens tota curia quod qui ad accusandum prodierant, non erant eatenus instructi, ut domino papæ et ejus assessoribus plenam de objectis possent ibi fidem facere, significatur ambabus partibus, quod interim quiescant, quousque dominus papa aliquem de latere suo, ad partes dirigat Antiochenas, qui ibi habita testium et instrumentorum copia, de causa plenius possit cognoscere. Interea resignato pallio, quod idem patriarcha de altari Antiochenæ Ecclesiæ, sua sibi sumpserat auctoritate, in injuriam, ut dicebatur, sedis apostolicæ, et cardinalibus tradito: aliud ei, sumptum de corpore beati Petri more solemni per priorem diaconorum traditur. Sic itaque mora, quantum negotium ejus videbatur exigere, Romæ habita, cum plenitudine gratiæ, salva tamen quæstione, sumpta licentia, ad ducem Rogerum in Siciliam reversus est; qui redeuntem honorifice suscipiens, postquam mutuis colloquiis sæpe et multum ad invicem plura et quæ sufficere videbantur, familiariter contulerunt, datis eidem a domino duce galeis, quotquot ad iter remetiendum habuit necessarias, secundis usus flatibus, in Syriam devectus, fauces Orontis attigit, qui fluvius Antiochiam præterfluit; qui locus vulgari appellatione portus Sancti Simeonis dicitur, ab Antiochia decem plus minusve modicum distans milliaribus.

CAPUT XIV.

Rediens, a clero suo, instinctu principis non recipitur; in terram secedit comitis Edessani; tandem cum principe pacificatus, Antiochiam ingreditur.

Postquam ergo, sicut dictum est, dominus patriarcha Cœlesyriam advenit, et suæ ita vicinus factus est civitati, scribit Ecclesiæ suæ ut, die statuta, ei extra civitatem, in loco prænominato cum processione solemniter occurrant. Qui principis favore freti, qui eum, ut prædiximus, odio inexorabili contra fidelitatis debitum, quo eidem tenebatur astrictus, persequebatur, omnino facere, ve. eidem obedire negant; sed et introitum civitatis, per principis violentiam penitus interdicunt. Ille vero intelligens cleri sui malitiam, et eorum de quibus longe aliter meruerat, aversionem, principis quoque obstinatam indignationem, secessit in montana, quæ urbi conterminata sunt, quæ vulgo dicuntur Nigra; ibi in monasteriis, quibus locus ille abundat, moram faciens præstolabatur, ut rancore deposito, humaniore sententia tam dominus princeps quam clerus suus, eum in urbem revocarent. Princeps sane solito amplius et manifestius ipsi oppositum se dabat; auxerat enim odium et majora dederat incendia Arnulfus, qui de Sicilia eidem principi scripserat, quod idem patriarcha cum duce Rogero, ejus æmulo, contra eum pactis secretioribus convenerat; et in argumentum assertionis suæ prætendebat, quod eum per Siciliam redeuntem, muneribus et multa prævenerat honorificentia, et galeas ad iter contulerat necessarias; quæ omnia ad persuasionem merito videbantur operari. Dum itaque in locis prædictis moraretur, comes Edessanus, Joscelinus junior, tum odio principis, tum favore patriarchæ, eum, missis ad hoc specialiter nuntiis, ut in terram suam secure et confidenter cum omni suo descendat comitatu, diligenter invitat. Favebant enim prædicto patriarchæ illius regionis episcopi, et tanquam dominum et patrem devote venerabantur: Edessanus videlicet Coriciensis et Hierapolitanus archiepiscopi. Illorum ergo vocatione tractus, ad eos descendit, honorifice nimis ab omnibus illius regionis tractatus prælatis; sed et comes juxta id quod ei promiserat, humanissime et devote multum ejus suscepit adventum, et moram gratanter amplexus est. Princeps vero, pecunia, ut dicitur, redemptus, ore, non corde, eidem gratiam suam, per quorumdam utriusque familiarium interventionem, restituit, et nuntios dirigens ad ingressum civitatis et reditum ad

Digitized by Google

propria verbis pacificis in dolo, familiarius invitat. Quod audiens patriarcha, maturat reditum; et assumens sibi vicinos illos episcopos, quorum sibi devotionem in illa sua adversitate certis indiciis expertus fuerat necessariam, Antiochiam pervenit: ubi occurrens ei universa Ecclesia et populus universus, sed et equestris ordinis cum principe maxima multitudo, cum hymnis et canticis, pontificalibus indutus, solemniter in civitatem et in majorem ecclesiam, dehinc in palatium suum introductus est.

CAPUT XV.

Lugdunensis archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, apud Accon defungitur; dirigitur ad idem Albericus, episcopus Hostiensis. Synodus apud Antiochiam indicitur.

Interea legatus quidam Ecclesiæ Romanæ, Petrus nomine, natione Burgundio, Lugdunensis archiepiscopus, missus a domino Innocentio papa ut causæ prædictæ debitum finem imponat, venit in Syriam, apud Accon applicans. Erat autem vir vitæ venerabilis, simplex ac timens Deum, longævus, et jam in senium vergens. Qui statim, ex quo Syriam ingressus est, Hierosolymam orationis gratia profectus est: unde sub compendio digressus, urgentibus eum prædictis Lamberto et Arnulfo, ut Antiochiam, uti finem impositurus, acceleraret, Accon iterum pervenit; ubi gravi correptus ægritudine, antequam procederet, veneno, ut dicitur, in potu ministrato, subito deficiens, in fata concessit. Prænominati autem patriarchæ adversarii, Antiochiam properantes, omnimodo destituti auxilio, spe quoque quam de adventu legati conceperant, frustrati, viæ et laborum, quæ per tot pertulerant tempora, tædio fatigati, per interventores, quos ad hoc reputabant idoneos, pacem supplices postulant, restitutionem beneficiorum suorum implorant, accusationi renuntiare parati, et fidelitatem exhibere. Lambertus in archidiaconatum restituitur; Arnulfus vero nihil humanitatis inveniens, principis iterum fretus auxilio, solita longanimitate iterum ad labores et iter accingitur; Romamque proficiscens, iterum opportune et importune pulsat; tandemque precibus proterve insistens, obtinet ut prædictus legatus, de quo nobis in præsenti sermo est, in Syriam dirigatur. Qui Hierosolymam, ut præmisimus, adveniens, completis orationibus, dominum patriarcham et universos regni pontifices ad synodum convocans, apud Antiochiam pridie Kal. Decembris celebrandam, illuc cum omni celeritate contendit.

CAPUT XVI.

In cœtu episcoporum adversus patriarcham accusatio proponitur; citatur, sed venire differt. Serlo Apamiensis archiepiscopus, ejus fautor, deponitur.

Die igitur statuta adfuerunt de diœcesi Hierosolymitana dominus Willelmus patriarcha, Gaudentius Cæsariensis archiepiscopus, Anshelmus Bethlehemita episcopus: adfuit et dominus Fulcherus Tyrensis archiepiscopus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ multum devotus, et fidelis, in quo tota legato spes erat consummationis negotii; erat autem vir magnanimus, et discretus plurimum; adfuit cum duobus de suffraganeis suis, Bernardo videlicet Sidoniense, et Balduino Berythense. De provincia autem Antiochena, quoniam viciniores erant, adfuerunt universi, quorum varia nimis et ab invicem dissona erant desideria. Nam Stephanus Tarsensis archiepiscopus, Gerardus Laodicensis, Hugo Gabulensis episcopi, canonicorum contra dominum patriarcham fovebant causam. Franco autem Hieropolitanus, et Gerardus Coriciensis, Serlo quoque Apamiensis, licet ei ab initio adversarius fuisset, conversus ad eum, domino patriarchæ, suum manifeste præstabant patrocinium. Alii in neutram partem manifeste videbantur declinare. Die ergo præfixa, residentibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ex more in ecclesia Principis apostolorum, et pontificalibus indutis, præsidente domino legato, et vices domini papæ obtinente, lectus est ibi in publico mandatorum domini papæ tenor. Quo perlecto diligentius et plenius cognito, prodierunt in publicum accusatores, Arnulfus sæpe dictus, et Lambertus archidiaconus; qui, licet prius cum domino patriarcha convenisset in dolo et beneficii sui obtinuisset restitutionem, tamen conversus in arcum pravum, denuo se constituit accusatorem. Adjunctique sunt eis alii etiam complures, videntes non satis prospere tempora domino patriarchæ respondere. Hic etiam erat illud manifeste verum deprehendere, quod Naso noster proverbialiter dicendum tradidit:

Donec eris felix multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Procedentes igitur in publicum auditorium accusatores, paratos se dicunt, secundum juris regulas, porrectis libellis accusatoriis, ad accusandum procedere; et subire, si deficiant, talionem. Erant autem capitula, super quibus proposuerant eum impetere, schedulis inscripta. Quædam de enormi et indisciplinato, et contra regulas sanctorum Patrum, ejus introitu; quædam de ejus incontinentia et operibus Simoniacis. His instanter postulantibus ut se præsentem exhiberet, mittuntur qui eum ad synodum solemniter invitent; et ut ad objecta veniat responsurus, moneant; qui omnino venire refutavit. Ea itaque die nihil amplius processum est in verbo illo, nisi quod exhortatorios habuerunt sermones ad invicem, sicut moris est in talibus. Secunda iterum die, convenientes denuo, et ex ordine residentes, iterum citatorio edicto dominum patriarcham solemniter vocant; qui sicut et pridie, omnino venire noluit. Interim Serlo Apamiensis archiepiscopus, in choro pontificum sine veste residens nuptiali: non enim more aliorum indutus erat pontificalibus; a domino legato convenitur, quare reliquis fratribus non consonaret; et quare ad accusandum, sicut aliquando fecerat, non procederet? Respondit: *Quod aliquando feci, inconsulto calore et contra salutem animæ meæ, detrahens patri meo,*

Digitized by Google

et more maledicti Cham, verenda patris discooperiens, operatus sum; et nunc ab errore devio me, auctore Domino, revocare, nec eum accusare, nec judicare præsumptuose, tentabo; sed pro ejus statu et incolumitate, paratus sum usque ad mortem decertare. Præcipitur ergo exire; et data in eum sententia excommunicationis simul et degradationis, sive juste, sive aliter, ab omni officio sacerdotali et pontificali depositus est. Tantus enim timor domini principis, in partem legati nimium proclivis, omnes invaserat, ut jam nulla contradicendi libertas alicui præstaretur. Incendebat eumdem principem, minus providum et indiscretum, quidam Petrus Armoinus, præsidii civitatis custos, vir malitiosus supra modum, sperans, quod si patriarcham deponi contingeret, quemdam nepotem suum Aimericum nomine (quem dominus patriarcha in suam perniciem, ejusdem ecclesiæ decanum fecerat) posset per seductum principem, in sedem illam provehere : quod et factum est. Serlo igitur, sive de facto, sive de jure depositus, Antiochia egrediens, in suam diœcesim se contulit; perveniensque ad castrum Harenc, ægritudine præventus, et curarum anxius pondere, lecto decubuit : et conversus ad parietem, injuriarum enormitatem non ferens, exspiravit.

CAPUT XVII.

Patriarcha quasi contumax absens deponitur; ignominiose tractatus, vinculis mancipatur; Romam iterum profectus, ex parte gratiam obtinet; sed rediens veneno interit.

Tertia demum die iterum convenientes et residentes ex ordine, tertio dirigunt, qui dominum patriarcham peremptorio citent edicto, et ut veniat objectis responsurus, moneant. Qui, utrum conscientiam veritus, an contra se synodum invidiose collectam sciens et principis violentiam timens, pro certo compertum non habemus, venire, sicut et prius, omnino negavit. Erat autem in palatio suo cum suis familiaribus, multo stipatus equitum et popularium comitatu; confluxerant enim ad ejus subsidium universi de civitate, qui nisi principis timuissent potentiam, legatum cum universis qui in ejus depositionem convenerant, urbe cum ignominia parati erant depellere. Videns ergo legatus quod ad se venire nolebat patriarcha, de domini principis confisus patrocinio et viribus, in palatium ascendit, ibique data in eum depositionis sententia, annulum et crucem compulit violenter resignare; inde jubente legato, principi traditus, et vinculis miserabiliter alligatus, tanquam vir sanguinum ignominiose tractatus, apud monasterium Sancti Simeonis, juxta mare, in monte eminentissimo situm, carceri mancipatus est. Fuit autem idem dominus Radulphus (nam nos ipsi in nostra pueritia vidimus eum) vir specie decorus, procerus corpore, oculis aliquantulum obliquis, non tamen ad indecentem modum; litteratus mediocriter, sed facundus plurimum, et jucundissimi sermonis, multam habens gratiam; liberalis admodum, militarium virorum, sed et secundæ classis favorem non modicum assecutus; promissorum et pactorum facile immemor; in verbo suo varius et inconstans, subdolus, ac nimium in omni via sua multiplex, providus et discretus; in eo solo repertus imprudentior, quod adversarios quos sibi merito suscitaverat, in gratiam suam redire volentes, non admiserat. Dicebatur etenim, et vere sic erat, arrogans, et de se plus æquo præsumens: unde in eum devenit casum, quem si aliquantulum circumspectius se habuisset, facile potuisset declinare. Captus ergo et catenatus in monasterio diu detentus, tandem elapsus, Romam profectus est. Ibi aliquatenus gratiam sedis apostolicæ assecutus, dum redire maturaret, veneno hausto, sceleris ministro porrigente nescimus quo, miserabiliter interiit; in se ipso, quidquid utraque fortuna facere poterat, alter Marius, plenius expertus.

CAPUT XVIII.

Legatus Hierosolymam redit; synodum celebrat; templum dedicat Dominicum.

Legatus igitur, deposito patriarcha, et consummatis apud Antiochiam pro quibus venerat negotiis, Hierosolymam reversus est; ubi usque ad solemnitatem Paschalem moram faciens, habito prius consilio cum prælatis ecclesiarum, tertia post sanctum Pascha die, una cum domino patriarcha et episcoporum nonnullis, templum Domini solemniter dedicavit. Adfuerunt ibi dedicationis die, multi tam de partibus ultramontanis quam de cismarinis regionibus, magni et nobiles viri. Inter quos adfuit et dominus Joscelinus junior, comes Edessanus, qui tunc in solemnibus sancti Paschæ diebus, magnifice nimis in civitate moram faciebat. Qua celebritate completa, convocatis archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum prælatis, una cum domino patriarcha concilium celebravit, in primitiva et ecclesiarum matre sancta Sion, tractans ibi cum eis de his quæ instanti tempori videbantur convenire. Cui synodo interfuit Maximus Armeniorum pontifex, imo omnium episcoporum Cappadociæ, Mediæ, Persidis, et utriusque Armeniæ princeps, et doctor eximius, qui Catholicus dicitur. Cum hoc etiam de fidei articulis, in quibus a nobis dissentire videtur populus ejus, habitus est tractatus; et ex parte ejus promissa est in multis correctio. Quibus rite peractis, prædictus legatus ad Acconensem rediens civitatem, inde parato navigio, Romam reversus est. Clerus vero Antiochenus, et maxime qui in depositione domini Radulphi conspiraverant, instinctu et suggestione principis et maximorum, ut dicitur, interventu munerum, elegerunt sibi quemdam ejusdem Ecclesiæ subdiaconum, Aimericum nomine, Lemovicensem natione, hominem absque litteris, et conversationis non satis honestæ, quem prædictus dominus Radulphus, arbitrans eum sibi reddere obligatiorem et fideliorem amplius, in decanum ejusdem Ecclesiæ promoverat, spe frustratus. Nam ab ea die cum ejus adversariis dicitur convenisse; et in benefactoris sui, fidelitatis immemor,

Digitized by Google

conspirasse depositionem. Quod autem de ejus promotione factum est, Petrus quidam cognomine Armoinus, ejusdem civitatis castellanus, artibus suis et multa munerum profusione dicitur effecisse, et tam clerum quam principem ad id impulisse, eo quod ejus esset consanguineus.

CAPUT XIX.

Rursus imperator in Syriam descendit, ad pacta prius inita principem invitat.

Per idem tempus, quatuor vix evolutis plene annis ex quo a Tarso Ciliciæ et universa Syria discesserat, dominus Joannes Constantinopolitanus imperator, reparatis viribus et legionibus revocatis, crebris domini principis et Antiochenorum nuntiis excitus, iterum expeditiones, iterum exercitus in Syriam dirigens, in multitudine virtutis suæ, in curribus et equis, in thesauris infinitis et innumerabilibus copiis, iter versus Antiochenas dirigit partes. Enavigato igitur Bosphoro, qui limes Europæ Asiæque intelligitur, transcursis mediis provinciis, Attaliam usque pervenit, quæ est urbs maxima, in littore maris sita, provinciæ Pamphyliæ metropolis: in hac dum moram faceret dominus imperator, duo de filiis ejus, Alexius videlicet primogenitus, et natu secundus Andronicus, languore correpti gravissimo, extremum morientes clauserunt diem. Vocansque imperator natu tertium, Isaacium nomine, cum fratrum funeribus defunctorum, ut ea humanitatis gratia procurans et exsequiarum novissimam exhibere faciens reverentiam tumulis mandaret, prout imperialem decebat magnificentiam, Constantinopolim remisit; uni, sepultis fratribus, juxta patris imperium in urbe, usque ad patris obitum moram fecit continuam. Pater vero natu novissimum sibi assumens Manuelem, inceptum prosequens iter, transcursa Isauria, in Ciliciam pervenit: inde peragrata Cilicia subito, vix cum fama sui adventus præveniente, in terra comitis Edessani, cum omnibus copiis suis ingressus, ex insperato ante Tubessel consedit. Est autem prædictus locus castrum opulentissimum, circa Euphraten, ab eo distans milliaribus viginti quatuor, vel modicum amplius. Ad quem locum, postquam pervenit imperator, petiit a comite Joscelino juniore obsides, qui de subito ejus attonitus et admirans ingressu, videns ejus incomparabiles copias, et quas nemo regum terræ sustinere posse videretur, seque imparatum, et omnino ad resistendum non posse sufficere, *de necessitate faciens virtutem*, unam ex filiabus suis, Isabellam nomine, tradidit ei obsidem. Hoc autem ad nihil aliud exigebat, nisi ut comitem hoc vinculo arctius sibi devinctum, ad prosequenda mandata sua haberet fideliorem. Inde versus Antiochiam universos dirigens exercitus, illucque sub omni celeritate contendens, secus oppidum quoddam, nomine Gastun, exercitus collocavit mense Septembre, vicesima quinta die mensis. Inde nuntios ad principem dirigens mandat, ut juxta pactorum legem, inter se prius initam, urbem ei cum urbis præsidio et omnibus indifferenter civitatis munitionibus, resignet; ut inde finitimis hostium civitatibus guerram posset inferre, quasi de vicino commodius; et ipse versa vice, quantum in se erat, paratum se constanter asseverat, pacta quæ scriptis indita prius fuerant, larga interpretatione complere et insuper addere mensuram bonam et confertam, secundum qualitatem meritorum.

CAPUT XX.

Cives missa legatione ad imperatorem pactis contradicunt, et ingressum inhibent.

Princeps vero Antiochenus, dominus Raimundus, qui prius eum tam frequentibus citaverat nuntiis, videns se in arcto constitutum, seque pactorum lege obligatum sciens, hæret dubius quid faciat; convocatisque majoribus et primoribus tam civitatis quam regionis universæ, partes ingreditur deliberationis, consilium postulans, quid facto sit opus in re tam periculosa. Illi vero post multam deliberationem unanimiter convenientes, nullatenus arbitrantur expedire statui regionis, quod urbs tam nobilis, tam potens, tam munita, in manus aliquo pacto tradatur imperatoris; futurum enim esse ut per ignaviam Græcorum, sicut non semel ante contigit, civitas in manus hostium deveniret, simul cum universa regione. Sed ne princeps fidei violatæ merito possit argui, colorem quærunt, quo velari possit principis factum minus commendabile; id enim pactis priore ejus adventu, inter eos convenerat, ut præmisimus, ut ei civitatem sine difficultate traderet; idque postmodum frequentibus nuntiis ad veniendum in Syriam eum invitans, promiserat se bona fide servaturum. Ut ergo principem in hac parte quocunque modo habeant excusatum, legatos dirigunt ad imperatorem, de nobilioribus regionis, qui ei ex parte beati Petri, domini quoque patriarchæ, et civium universorum ingressum civitatis inhibeant, significentque: *Se principis facta quæ præcesserant, rata omnino non habituros, neque eumdem principem sic paciscendi in uxoris hæreditate, de jure habuisse facultatem; sed neque eamdem, absque conniventia civium et procerum, transferendi dominium in aliam personam habuisse, vel habere omnino potestatem; aut auctoritatem, in injuriam civium vel principum regionis transigendi, ullam aliquo jure, alterutri illorum concessam. Quod si in hoc vel uterque, vel alter, obstinate perseverare præsumetent, futurum esse ut, urbe et universis finibus illorum ejectos, extorres faciant ejus, quam cum detrimento fidelium suorum contra jus venalem proposuerant, hæreditatis.* His verbis motus imperator, et corda civium et provincialium omnium prænoscens, indignatus admodum, in Ciliciam iterum exercitus redire præcipit, ut ingruente hiemis inclementia, oræ maritimæ committeret temperiei; solet enim esse circa maritimas regiones hibernis diebus aura suavior, et fovendis legionibus commoditas aptior inveniri.

Digitized by Google

CAPUT XXI.

Imperator ad regem Hierosolymorum nuntios dirigit, simulans se habere propositum loca visitandi venerabilia; et super eodem recipit a rege responsum.

Videns itaque imperator, civitatis optatum omnino sibi et suis negatum esse introitum, sperans hieme transcursa, grata veris redeunte clementia, circa Antiochiam etiam invitis civibus, aliquid pro votis obtinere; dissimulat mentis conceptum, et occultandi gratia propositi, ad dominum Fulconem Hierosolymorum regem, magnæ nobilitatis viros dirigit, significans quod devotionis et orationis gratia, et ut contra hostes in partibus illis opem ferat, libenter, si ita Christianis videretur, veniret. Rex autem, habito consilio, ad ejus petitionem responsa ferentes nuntios remittit, dominum Anselmum Bethlehemitam episcopum, dominum Gaufridum, abbatem templi Domini, Græca lingua peritum; Roardum arcis Hierosolymitanæ castellanum, dicens: *Regnum arctissimum esse, nec ad sufficientiam tantæ multitudinis, alimentorum copiis abundare; nec tantos, nisi cum famis et rerum necessariarum periculo, sustinere posse exercitus. Verumtamen, si cum decem millibus, ejus Deo amabili placeret imperio, usque ad urbem beatam et loca nostræ salutis venerabilia pervenire, et aliquid pro votis disponere, omnes cum summis desideriis ei obviam exirent; et cum omni lætitia et mentis exsultatione ejus susciperent adventum; et tanquam domino et maximo principi orbis terrarum obedirent.* Quod audiens imperator et contra imperialem gloriam reputans, cum tam modica manu proficisci, qui tot millibus semper stipatus incedere consueverat, verbo supersedit; remissisque nuntiis, multa liberalitate, honore et gratia præventis, ver operiens futurum, hiberna in Cicilia circa Tarsum tempora peregit; æstate proxime futura promittens, et animo gerens, magnum aliquid, et perenni dignum memoria, in Syriæ partibus se facturum. Interea quidam nobilis homo Paganus nomine, qui prius fuerat regius pincerna, postmodum habuit terram trans Jordanem, postquam Romanus de Podio, et filius ejus Radulphus, meritis suis exigentibus, ab ea facti sunt exhæredes et alieni, in finibus Arabiæ secundæ, castrum ædificavit cui nomen Crahc, natura loci, simul et opere manufacto, munitum valde, juxta urbem antiquissimam ejusdem Arabiæ metropolim, prius dictam Raba, in cujus obsidione mandato David, et Joab studio, Urias innocens legitur occisus; postea vero dicta est Petra deserti, unde et secunda Arabia hodie dicitur Petracensis.

CAPUT XXII.

In Cilicia moram faciens, lethaliter sauciatur imperator, dum venationi dat operam.

Interea circa veris initium, antequam soleant reges exercitus ad bella producere, imperator Constantinopolitanus, silvarum et nemorum, venandi gratia, vehementissimus amator, tollendi studio fastidii, et longa id exigente consuetudine, saltus cum solito et ad hoc deputato comitatu ingreditur; dumque feras solita persequitur diligentia, arcum manu bajulans, et sagittis gravidam de more gestans pharetram, ecce aper, canum deprehensus industria, et importunitate fatigatus, latratibus actus acerbis, ante dominum imperatorem in insidiis positum, necessario habuit transitum; qui correpta mira celeritate sagitta, arcum implet nimis, et sagittæ acie toxicata, se ipsum in ea manu vulnerat, qua regebat arcum. Sumpto itaque ex tam levi causa in proprio corpore mortis responso, silvàs, morbi compellente molestia, deserens, in castra se contulit; accitaque medicorum frequentia, rem aperit, et sui ipsius mortis causam se existere, dicere non veretur. Illi autem pro domini sui salute valde solliciti, curam adhibent; sed recepta interius pestis mortifera, remedia non audit, et serpens interius et ad interiora progrediens, salutis vias intercludit; unum tamèn dicunt et singulare, sed tanto indignum principe, posse adhiberi remedium: si læsa manus, in qua vis tota mali adhuc contineretur, antequam reliquas corporis partes adhuc illæsas inficiat, præcidatur. Hoc vir audiens magnanimus, licet doloris angeretur immensitate, et mortem non dubitaret adesse præ foribus, imperiali tamen majestate constanter observata, sprevit; et respondisse dicitur: *Indignum esse, ut Romanum imperium una manu regatur!* Sinistro igitur eventu, et quo periculosior intervenire nullus poterat, attonitus concutitur exercitus omnis; et pro tanti principis defectu, dolor universas occupat legiones; mœror et anxietas corda sibi vindicant singulorum, et castra omnino insperata replent amaritudine.

CAPUT XXIII.

Sublimato ad imperium juniore filio, defungitur imperator. Exercitus, duce Manuele imperatore substituto, domum revertitur.

Videns interea dominus Imperator, tanquàm vir providus et discretus, sibi certum imminere mortis diem, vocatis ad se consanguineis et affinibus, quorum multa eum turba semper sequi consuevet, primoribus sacri palatii et exercituum primiceriis, de successore imperii inter eos suscitat quæstionem: plurimum dubius quid faciat, an majori natu filiorum suorum Isaacio, quem cum funeribus fratrum suorum ab Attalia, ut præmisimus, remisit Constantinopolim, cui de jure regni primitiva videbantur competere; an juniori filio, qui secum erat, qui optimæ et præcipuæ erat indolis adolescens et futurus magnus ab omnibus dicebatur, imperii committeret gubernacula. Subjungit etiam et dubitationis causam, dicens: *Si huic sceptra imperii concesserimus, legibus humanitatis, quæ primogenitum merito faciunt potiorem, videbimur contraire; si vero illi, communibus observatis judiciis, moderamen imperii contulerimus, non erit qui hos*

Digitized by Google

exercitus, et totius robur et gloriam Romani imperii domum reducat incolumes. Hostibus enim interjectis, insidias molientibus et undique corrogantibus suffragia, non nisi cum periculo, sine rectore posse pertransire legiones, certum videbatur. Erat autem inter principes vir magnificus, Megadomesticus Joannes nomine, qui cum suis Isaacio multum affectabat imperium conservari; et de incolumi legionum ad propria reditu, dubitantem imperatorem nitebatur confirmare. Porro Manuel junior filius, qui ibidem cum patre præsens erat, universi exercitus, et maxime Latinorum favore et præconiis extollebatur. De principibus quoque nonnulli ad ejus promotionem omnimodam dabant operam. Patris quoque in eumdem, quia prudentior, et in armis magis strenuus, et omnino affabilior videbatur, affectus magis et gratia erat proclivior; angebat eum etiam maxime exercitus cura propensior. Sic igitur post multam deliberationem, auctore Domino, obtinuit junior filius, et exhibita sibi in patris præsentia, et eo mandante imperiali reverentia, ocreis, ut mos est in illo imperio, insignitus purpureis, ab universis legionibus certatim Augustus est appellatus. Sic domino Manuele ad apicem promoto imperialem, pater ejus inclytæ recordationis, vir inclytus, liberalis, pius, clemens et misericors, in fata concessit. Fuit autem statura mediocris, carne et capillo niger; unde et cognomento dicitur etiam hodie Maurus; facie despicabili, sed moribus conspicuus, et actibus insignis militaribus. Defunctus est itaque sub Anavarza, urbe antiquissima, quæ est secundæ Ciliciæ metropolis, in eo loco qui dicitur Pratum Palliorum, anno ab Incarnatione Domini 1137, mense Aprili, imperii vero vicesimo septimo; vitæ vero..... Tandem vero compositis in ea regione negotiis, dominus imperator cum omni sospitate Constantinopolim suos reduxit exercitus; ubi fratrem natu se priorem, palatium, audita patris morte, jam obtinentem, per Misticonem suum, qui palatio et thesauris præerat universis, missis occulte litteris, ex improviso captum, et nihil tale veritum, in vincula conjecit. Sed postmodum, postquam urbem regiam solemniter ingressus est, per interventionem communium consanguineorum et principum sacri palatii fidelem operam, fratri reconciliatus est; sicque cum tranquillitate debita, juxta patris supremum judicium, obtinuit dominus Manuel monarchiam, fratrem suum tanquam primogenitum, multiplici non cessans, quandiu vixit, honore prævenire, et gratia prosequi cumulatiore.

CAPUT XXIV.

Rex et regni principes, ante Ascalonam castrum fundant, cui nomen Ibelin.

Interea dominus rex Hierosolymorum Fulco, et alii regni principes, una cum domino patriarcha et aliis Ecclesiarum prælatis, volentes Ascalonitarum insolenter nimis desævientium impetus refrenare, et discurrendi per regionem, nimiam aliquatenus arctare licentiam, constituunt de communi voto, in campestribus juxta urbem Ramulam, non longe a Lidda, quæ est Diospolis, castrum ædificare. Erat autem in eadem regione collis aliquantulum editus, supra quem unam de urbibus Philistinorum, traditiones habent fuisse constitutam, Geth nomine, juxta illam aliam eorum civitatem, quæ dicta est Azotum, ab Ascalona distans milliaribus decem, non longe ab ora maritima. Convenientes igitur unanimiter ex condicto, in præfato colle, firmissimo opere, jactis in altum fundamentis, ædificant præsidium, cum turribus quatuor, veteribus ædificiis, quorum multa adhuc supererant vestigia, lapidum ministrantibus copiam; puteis quoque vetusti temporis, qui in ambitu urbis diutæ frequentes apparebant, aquarum abundantiam, tum ad operis necessitatem, tum ad usus hominum largientibus. Perfecto igitur castro et partibus omnibus absoluto, cuidam nobili viro et prudenti, de communi traditur consilio, domino videlicet Baliano seniori, Patri Hugonis, Balduini et Baliani junioris, qui omnes ab eodem loco cognominati sunt de Hibelin; hoc enim nomen illi erat loco, antequam etiam castrum illic ædificaretur. In cujus custodia et hostium persecutione, cujus gratia municipium erat conditum, diligentem habuit vir prædictus vigilantiam; et post ejus obitum prædicti ejus filii, viri nobiles et in armis strenui, in nullo segnius, quousque prædicta civitas nomini restituta est Christiano, diligentissima tenuerunt custodia.

CAPUT XXV.

Iterum ante eamdem Ascalonam de communi principum consilio castrum ædificatur, cui nomen est Blanca guarda.

Anno proxime subsecuto, videntes regni principes, et ipso rerum experimento plenius cognoscentes, in fundatione duorum præsidiorum, Bersabee videlicet et Hibelin, contra Ascalonitarum superbiam se plurimum profecisse, et eorum ex maxima parte repressam insolentiam, impetus tardiores, debilitatos conatus, adjiciunt tertium ædificare, ut amplioribus molestiis et multiplicatis in gyrum municipiis, urbem affligant, et quasi obsessis, frequentius terrorem, et cum terrore pericula incutiant magis repentina. Erat autem in ea Judeæ parte, quæ a montibus declinans, campestribus incipit esse contermina, secus Philisthiim fines, in tribu Simeon, ab Ascalona octo distans milliaribus, locus quidam, qui ad montana comparatus, collis; ad planiorem vero regionem collatus, mons sublimis poterat appellari, et loco nomen Arabice Tellesaphi, quod apud nos interpretatur *mons* sive *collis clarus*. Hic complacuit prudentioribus, præsidium fundari, eo quod aliis quæ ad usus similes facta erant municipiis, et civitati vicinius, et loco situque munitiore videretur. Proposito igitur satisfacientes, dominus rex et principes ejus, una cum domino patriarcha et prælatis ecclesiarum, circa

Digitized by Google

veris initium, hieme transcursa, ad locum unanimiter conveniunt, et vocatis artificibus, simul et populo universo necessaria ministrante, ædificant solidis fundamentis et lapidibus quadris oppidum, cum turribus quatuor congruæ altitudinis. Unde usque in urbem hostium liber esset prospectus, hostibus prædatum exire volentibus valde invisum et formidabile; nomenque ei vulgari indicunt appellatione, Blancha guarda, quod Latine dicitur *alba specula*. Castrum ergo perfectum et omnibus suis partibus absolutum, dominus rex in suam suscepit custodiam, et tam victu quam armis sufficienter munitum, viris prudentibus et rei militaris habentibus experientiam, quorum nota est fides et probata devotio, servandum commisit. Qui frequenter per se, frequentius adjunctis sibi ex aliis municipiis ad usus similes ædificatis, militibus, egredientibus hostibus occurrebant, eorum evacuantes molimina; nonnunquam vero ipsi Ascalonitas lacessentes, gravia inferebant eis discrimina et de eis sæpius triumphabant. Porro, qui circumcirca possidebant regionem, prædicto confisi munimine et vicinitate castrorum, suburbana loca ædificaverunt quamplurima, habentes in eis familias multas et agrorum cultores; de quorum inhabitatione facta est regio tota securior, et alimentorum multa locis finitimis accessit copia. Inter hæc Ascalonitæ videntes urbem per gyrum præsidiis inexpugnabilibus vallatam, cœperunt de statu suo solito amplius diffidere, et principem Ægypti potentissimum, cui nihil amplius residui de universa regione factum erat, dominum suum, nuntiis frequentibus commonere, ut pro urbe, quæ imperii sui robur erat, gereret sollicitudinem.

CAPUT XXVI.

Regina in loco cui Bethania nomen, monasterium ædificat, et amplissimo ditat patrimonio, sororem ibi præficiens.

Interea per Domini superabundantem gratiam, regno ad aliquam tranquillitatem redacto, concepit domina Milisendis, piæ recordationis regina, pro remedio animæ suæ et parentum suorum, pro salute quoque mariti et liberorum, si locum inveniret juxta cor suum, monasterium sacrarum virginum fundare. Erat autem ei soror, inter cæteras junior, Iveta nomine, quæ in monasterio Sanctæ Annæ matris sanctæ Dei genitricis, vitam sanctimonialem erat professa. Hujus etiam intuitu plurimum ad prædictum propositum domina movebatur regina; indignum enim videbatur ei ut regis filia, tanquam una ex popularibus in claustro alicui subesset matri. Transcursa igitur mente universa regione, et diligenter investigato, quisnam inveniretur aptior ad fundandum monasterium locus; tandem post multam deliberationem, placuit Bethania, castellum Mariæ et Marthæ, et Lazari fratris earum, quem dilexit Jesus, familiare Domini diversorium et domicilium Salvatoris. Is autem locus ab Hierosolymis distat stadiis quindecim, juxta verbum Evangelistæ, ultra montem Oliveti, ad Orientem situs, in declivo ejus montis. Erat autem idem locus ecclesiæ Dominici Sepulcri proprius; pro quo domina regina tradens canonicis urbem prophetarum Thecuam, locum in proprium recepit. Ubi quoniam quasi in solitudine erat, et hostium patere poterat insidiis, turrim munitissimam quadris et politis lapidibus, officinis distinctam necessariis, multis sumptibus ædificari præcepit, ut Deo dicatis virginibus contra subitos incursus non deesset præsidii inexpugnabilis solatium. Turri igitur constructa, loco ad aliquem modum ad cultum religionis præparato, sanctimoniales induxit feminas, matrem eis constituens annosam quamdam et in religione probatam, venerabilem matronam, multa Ecclesiæ conferens prædia, ita ut in bonis temporalibus, nulli monasteriorum, virorum aut mulierum inferior haberetur; imo, ut dicitur, plus aliarum qualibet ecclesiarum abundaret. Inter cæteras enim possessiones, quas prædicto venerabili loco contulerat, locum famosissimum, et omnium commoditatum abundantia simul refertum, in campestribus Jordanis situm, Jericho, cum suis pertinentiis liberaliter assignavit. Contulit etiam eidem monasterio sacra utensilia, ex auro et gemmis, et argento, ad multam quantitatem, simul et holoserica ad decorem domus Dei; sed et indumenta tam sacerdotalia quam levitica, et omnis generis, prout disciplina exigebat ecclesiastica. Defuncta quoque illa venerabili matrona, quam eidem præfecerat loco, ad intentionem rediens, sororem suam, de consensu domini patriarchæ et sororum sanctimonialium conniventia, eidem præfecit monasterio; cum qua etiam adjecit plura in calicibus, libris et cæteris quæ ad ecclesiasticos respiciunt usus, ornamenta, locum non cessans, quandiu vixit, intuitu animæ suæ et sororis, quam unice diligebat, gratia ampliare.

CAPUT XXVII.

Rex in campestribus Acconensibus leporem agitans, de equo ruit præceps; moritur; Hierosolymis inter suos prædecessores sepelitur.

Accidit autem illis diebus, quod cum dominus rex, una cum domina regina transcurso autumno, in civitate Acconense moram faceret, voluit regina, sublevandi gratia fastidii, extra urbem ad loca quædam suburbana, fontibus irrigua, causa recreationis exire: quo dominus rex, ut solatium reginæ non deesset, adjecit etiam ipse, cum solito comitatu proficisci. Dumque inter eundum esset, accidit casu ut qui agmina et comitatum præibant pueri, leporem in sulcis jacentem excitarent, quem fugientem clamor prosecutus est universorum. Rex autem, arrepta lancea, ut eumdem leporem insectaretur, sinistro actus casu, equum ad illas cœpit urgere partes, et cursui vehementer instare. Tandem inconsulte festinans equus in præceps agitur; corruensque in terram, regem dedit præcipitem, jacentique præ casus dolore attonito, sella caput obtrivit, ita ut cerebrum tam per aures, quam per nares etiam emitteretur. Ad hunc casum, universus qui præibat

Digitized by Google

et qui sequebatur, facti acerbitate perterritus, conversus est comitatus, et jacenti opem ferre volentes, exanimem reperiunt, cui neque vox erat, neque sensus. Regina vero, comperta mariti morte tam inopinata, et sinistro saucia casu, veste et capillo lacera ejulans, et doloris immensitatem suspiriis contestans et lamentis, in terram corruens, corpus amplectitur exanime. Non sufficit humor oculis, præ fletus ubertate continui; et vox, doloris interpres, crebris interrumpitur singultibus; nec dolori satis fit, licet nihil aliud sit sollicita quam dolori satisfacere. Familia quoque lacrymis, voce et habitu mœrorem contestans, anxietatis nimiæ lugubria prætendit argumenta. Nuntiatur interea, et fama circumvolante divulgatur per urbem Acconensem, regis miserabilis interitus; et ad partes illas certatim turbæ confluunt, intueri volentes factum inauditum quod acciderat. Inde cum lacrymis in prædictam urbem deportatus, triduo, sine sensu, tamen adhuc palpitans, protraxit vitam; quarta demum die, Idibus videlicet Novembris, anno ab Incarnatione Domini 1142, regni vero ejus anno undecimo, deficiens, in senectute bona ultimum clausit diem. Inde Hierosolymam cum debita delatus honorificentia, occurrente universo clero et populo, in ecclesia Dominic Sepulcri, sub monte Calvariæ introeuntibus ad dextram, secus portam, inter alios felicis memoriæ reges, ejus prædecessores, per manum domini Willelmi, venerabilis Hierosolymorum et piæ recordationis patriarchæ, regia magnificentia sepultus est; duobus superstitibus liberis, adhuc impuberibus relictis, Balduino videlicet primogenito annorum tredecim, et Amalrico annorum septem; reseditque regni potestas penes dominam Milisendem, Deo amabilem reginam, cui jure hæreditario competebat.

INCIPIT LIBER SEXTUS DECIMUS.

PRÆFATIO.

Quæ de præsenti hactenus contexuimus Historia, aliorum tantum quibus prisci temporis plenior adhuc famulabatur memoria, collegimus relatione; unde cum majore difficultate, quasi aliena mendicantes suffragia, et rei veritatem, et gestorum seriem, et annorum numerum sumus consecuti: licet fideli, quantum potuimus, hæc eadem recitatione, scripto mandavimus. Quæ autem sequuntur deinceps, partim nos ipsi fide conspeximus oculata, partim eorum, qui rebus gestis præsentes interfuerunt, fida nobis patuit relatione. Unde gemino freti adminiculo, ea quæ restant, auctore Domino, facilius fideliusque posterorum mandabimus lectioni. Nam et recentium temporum soldior solet occurrere memoria; et quæ visus menti obtulit, non ita facile oblivionis sentiunt incommodum, sicut quæ solo sunt auditu collecta. Ut enim *Flacci* nostri utamur verbo, huic nostro consonante:

Segnius irritant animum, demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus; et quæ
Ipse sibi tradit spectator, etc.

CAPUT PRIMUM.

Præmittitur præfatiuncula brevis. Defuncto Fulcone, succedit filius ejus, Balduinus tertius; et qualis corpore fuerit, describitur.

Defuncto domino Fulcone, Hierosolymorum ex Latinis rege tertio, successit ei dominus Balduinus tertius, ex domina Milisende regina filius ejus, fratrem habens unum puerulum, Amalricum nomine, annorum septem, ut præmisimus; qui postmodum eidem sine liberis defuncto successit in regno, sicut in sequentibus aperietur. Tredecim annorum erat dominus Balduinus cum regnare cœpit; regnavit autem annis viginti. Fuit autem adolescens optimæ indolis, id de se certis promittens indiciis, quod postea in virilem evadens ætatem pleno rerum persolvit experimento. Nam vir factus, sicut facie, et tota corporis habitudine, præ cæteris differenti formæ præeminebat elegantia: ita et mentis vivacitate et eloquentiæ flore, omnes reliquos regni principes facile anteibat. Erat autem corpore procerus, mediocribus major; ad corporis proceritatem membrorum habens consonam, et quasi proportionaliter respondentem universaliter dispositionem, ita ut nec in modico, a ratione totius in eo pars aliqua dissentiret. Fuit sane facie decorus elegantissima, colore vivido, et innatum designante vigorem; a quibus plane in ea parte matrem referens, et ab avo non degener materno; oculis mediæ quantitatis, modice proeminentibus, fulgoris temperati; capillo plano, non flavo penitus; barba mentum genasque, grata quadam plenitudine, favoraliliter vestitus; carnositatis media quadam habitudine modificatus, ita ut nec fratris more pinguior, nec matris exemplo dici posset macilentus. Tanta autem, ut in summa dicatur, formæ præibat eminentia, ut ignaris etiam, eximia quadam in eo refulgente dignitate, certum in se de regia majestate daret indicium.

CAPUT II.

De moribus et conversatione ejus.

Huic autem tantæ corporis venustati, mentis quoque bene constitutæ æquipollenter respondebat habitus. Nam ingenii summe velocis erat et sponte fluentis eloquii ei non deerat prærogativa quædam singularis, nec morum dignitate commendabilium quolibet principe videbatur inferior. Affabilis enim

Digitized by Google

et misericors erat admodum; et licet supra vires se pene omnibus exhiberet liberalem, alieni tamen minime cupidus, nec ecclesiarum vexabat patrimonia, nec subjectorum, more prodigi, insidiabatur opulentiis. Quodque in ea ætate rarissime solet contingere, etiam in adolescentia sua erat Deum timens, et ad ecclesiasticas institutiones, et ecclesiarum prælatos omnimodam habens reverentiam; ingenii etiam vivacitate præditus, fidelis etiam memoriæ erat assecutus beneficium; erat autem et commode litteratus, et fratre suo domino Amalrico, qui ei successit, multo amplius; cum vero quid otii ex occupationibus publicis decerpere poterat, libenter incumbebat lectioni; historiarum præcipue auditor, antiquorum regum et optimorum principum gesta moresque diligenter investigabat; litteratorum maxime, sed et prudentum laicorum confabulationibus plurimum recreabatur. Tanta autem affabilitatis gratia præeminebat, ut etiam contemptibilibus personis, ex improviso et nominatim salutationibus dependeret affatum; et ad se ingredi volentibus, vel occurrentibus passim mutuæ collocutionis aut offerret ultro commercium, aut postulantibus non negaret. Unde tantam sibi plebis et patrum conciliaverat gratiam, ut prædecessorum suorum quolibet amplius, utrique classi haberetur acceptus. Erat autem et laboris patiens, et in dubiis bellorum eventibus, more optimi principis maxime providus; in summis necessitatibus, quas pro regni incremento pertulit sæpius, regiam præferens constantiam, et fortis viri nusquam deserens securitatem. Juris etiam consuetudinarii, quo regnum regebatur orientale, plenam habens experientiam : ita ut in rebus dubiis, etiam seniores regni principes ejus consulerent experientiam et consulti pectoris eruditionem mirarentur. Erat præterea jucundi sermonis, facetique; et personis quibuslibet favorabili quadam compositione se conformem tribuens, omni ætati et conditioni gratissime se contemperabat. Urbanitatis quoque præcipuæ; eo minus quod dicendi nimia utebatur libertate, ita ut quæ in amicis erant notabilia et reprehensioni obnoxia, sublata differentia, utrum placeret an læderet, eis in faciem publice jacularetur; quæ tamen, quoniam non nocendi animo, sed quadam mentis hilaritate, vel potius levitate dicebat, non multum inde etiam eorum quos sermone liberiore lacessebat, gratiam demerebatur; eoque amplius veniale videbatur, quod in se versa vice contorta, æquanimiter dicta supportabat mordacia. Ad hæc et alearum, et damnificos talorum ludos, plusquam regiam deceret majestatem sequebatur; et carnis curam perficiens in desideriis, injuriam alienis dicebatur inferre matrimoniis. Sed hoc in adolescentia; nam vir factus, secundum Apostolum, *evacuavit quæ erant parvuli* (*II Cor.* XIII, 11). Insignibus enim virtutibus secutis, vitia prioris compensavit ætatis; uxore enim suscepta, cum ea vixisse continentissime dictus est. Et quæ in adolescentia minus Deo placita, et notæ subjacentia, lubrico ætatis impellente, contraxerat, postmodum prudentiore consilio detersit, et studio in melius reformavit saniore. In sumenda præterea corporis refectione sobrius erat admodum, et supra id quod ætas illa exigebat abstemius, *ebrietatem, tam in cibo quam in potu, pessimi criminis fomitem* esse asserens, abominabatur.

CAPUT III.

De promotione ejus in regno; et quandiu sub matris tutela regnaverit.

Defuncto igitur patre, IV Idus Novembris, proxime subsecuto Dominici natalis die, anno Incarnationis Dominicæ 1142, præsidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ domino Eugenio papa tertio, Antiochenæ domino Aimerico, Hierosolymitanæ domino Willelmo, Tyrensi vero Ecclesiæ præsidente domino Fulchero, convenientibus de more principibus, simul et universis Ecclesiarum prælatis, in ecclesia Dominici Sepulcri, per manus domini Willelmi, bonæ memoriæ Hierosolymorum patriarchæ, solemniter inunctus, consecratus et cum matre coronatus est. Erat autem mater, mulier prudentissima, plenam pene in omnibus sæcularibus negotiis habens experientiam, sexus feminei plane vincens conditionem, ita ut manum mitteret ad fortia; et optimorum principum magnificentiam niteretur æmulari, et eorum studia passu non inferiore sectari. Regnum enim, filio adhuc intra puberes annos constituto, tanta rexit industria, tanto procuravit moderamine, ut progenitores suos in ea parte æquare merito diceretur; cujus quandiu regi voluit consilio filius, optata tranquillitate gavisus est populus, et prospero cursu regni procedebant negotia. Verum attendentes quibus mens erat levior, quod eorum studiis, quibus dominum regem involvere nitebantur, dominæ reginæ multum obviabat prudentia, dominum regem more aliorum ejusdem ætatis, cereum *in vitia flecti, monitoribus asperum*, suis inducunt persuasionibus, ut a matris tutela se subtrahens, regnum ipse moderaretur avitum. Indignum esse dicentes regem, quem omnibus aliis præesse convenit, quasi privati filium, semper ad matris ubera dependere. Quæ res sicut ex inconsulta levitate, vel ex quorumdam malitia habuit initium, ita regnum universum paulo minus habuit conterere : sicut inferius, cum de his tractabitur, diligentius docebitur.

CAPUT IV.

Sanguinus Edessam obsidet; et describitur ejusdem civitatis situs.

Eodem anno, illo medio temporis intervallo, quod inter patris obitum, et ejusdem domini Balduini in regnum promotionem fuit, Sanguinus vir sceleratus, Turcorum inter Orientales potentissimus, ejus civitatis quæ olim Ninive dicta est, nunc autem mutato nomine Musula dicitur, et est metropolis ejus regionis, quæ olim dicta est Assur, dominus et moderator, maximam et egregiam Medorum metropolim, Edessam nomine, quæ alia magis usitata appella-

Digitized by Google

tione Rages dicitur, in multitudine magna obsedit multum præsumens tum de gentis suæ numerositate et viribus; tum de simultatibus quæ inter principem Antiochenum Raimundum, et ejusdem comitem civitatis Joscelinum, exortæ fuerant nimis periculosæ. Erat autem eadem civitas trans Euphratem sita, ab eodem flumine distans itinere dici unius. Prædictus autem comes civitatis illius, contra prædecessorum suorum morem, illius dimissa urbis habitatione, circa Euphratem, in loco qui dicitur Turbessel, jugem et assiduam constituerat conversationem, tum propter loci ubertatem, tum propter otium; erat enim longe ab hostium tumultu; deliciis vacans, nec debitam gerens pro tam nobili urbe sollicitudinem. Prædicta vero urbs Chaldæos, et ex Armeniis imbelles viros et armorum usum penitus nescientes, solam negotiandi artem familiarem habentes, habebat domesticos; raroque Latinorum frequentabatur accessu, paucissimos ex eis habens cives. Erat autem solis mercenariis tradita ejus cura, neque iis etiam pro tempore, vel pro modo exhibita militiæ, præstabantur stipendia; sed plerumque in annum vel amplius, pactam petentes pecuniam protrahebantur. At vero uterque Balduinus et Joscelinus senior, postquam eumdem comitatum adepti sunt, illic jugem et manentem constituerant habitationem, ex locis finitimis illuc tam victus quam armorum, et aliorum quæ pro tempore erant necessaria, copiam, ad omnem sufficientiam diligenter inferentes; unde non solum in se tuta poterat consistere, sed et aliis vicinis urbibus merito erat formidabilis. Erant autem, ut præmisimus, inter principem Antiochenum et comitem inimicitiæ, non jam occultæ, sed quæ jam usque ad odium processerant manifestum: unde uterque, pro alterius molestiis aut sinistris eventibus, modicam aut nullam gerebat sollicitudinem; imo etiam detrimentis gaudebat et sinistris casibus lætabatur. Ex his omnibus prædictus princeps magnus Sanguinus occasionem colligens secumque ab universo Orientali tractu infinitas equitum copias deducens, convocatis etiam finitimarum urbium populis, urbem prædictam obsidione claudit; et obsessis omnem præstruit aditum, ita ut nec obsessis civibus egredi, nec ad eos introire volentibus ulla daretur facultas. Sed et victus et alimentorum quorumlibet plurimum angebantur inopia qui obsessi erant. Erat autem civitas muro circumdata solido, et turrium excelsarum vallata [præsidio] civitatis parte [superiore] alterum inferius, ad quæ civibus etiam expugnata urbe, secundum poterat esse refugium; sed et hæc omnia, sicut usui solent esse contra hostes, si sint qui pro libertate velint contendere, et se viriliter hostibus opponere; sic sine utilitate jacent, ubi non reperitur in obsessis qui vicem velit gerere defensoris. Parum est enim in civitatibus turres, muros esse et antemuralia, nisi sint qui hæc omnia tueantur. Vacuam ergo urbem reperiens, et ex eo obtinendi majorem habens fiduciam, locatis in gyrum legionibus et legionum primiceriis congrua statione dispositis, urbem vallat; deinde tormentis et machinis jaculatoriis mœnia debilitat; et crebris sagittarum immissionibus cives incessanter affligens, obsessis requiem negat. Nuntiatur interea, et fama discurrente vulgatur, quod prædicta Dei cultrix civitas, has obsidionis ab hostibus fidei et nominis Christiani patiebatur angustias: unde ad hunc sermonem, fidelium longe lateque hæc audientium, liquefacta sunt corda, et zelus armari cœpit, ad ultionem iniquorum. Comes vero hoc audiens, et facti acerbitate percussus, copias impiger convocat militares; et sero memor urbis eximiæ, quasi jam defunctæ parat exsequias, qui ægrotantis et remedia postulantis, curam habere noluit; circuit fideles, amicos sollicitat, Antiochenum principem dominum suum suppliciter monet, et attentius per nuntios hortatur, ut ejus compatiatur laboribus, et urbem prædictam a jugo futuræ liberet servitutis. Pervenerunt etiam hujus tam sinistri casus nuntii ad regem Hierosolymorum, obsidionis circa prædictam urbem et angustiarum, quas cives ejus patiebantur, certitudinem attestantes. Domina autem regina, quæ regni moderabatur imperium, communicato cum proceribus consilio Manassem regium constabularium, consanguineum suum, Philippum Neapolitanum, Elinandum Tiberiadensem, una cum militari multitudine, illuc sub omni celeritate dirigit, ut optatum domino comiti et afflictis civibus ministrent solatium. Princeps vero Antiochenus, de comitis gaudens adversitatibus, non multum attendens quantum communibus debeat utilitatibus, et quod personale odium in publicam non debet redundare læsionem, occasiones colligit, dum petitum differt subsidium ministrare.

CAPUT V.

Capitur civitas, et populus ejus occiditur.

At Sanguinus interea obsessos continuis urgens assultibus, omnia nocendi percurrit argumenta; nil intentatum reliquit eorum quæ civibus possint augere molestiam, et sibi ad obtinendum locum possint tribuere facultatem. Immissis igitur fossoribus per scrobes et subterraneos meatus, secus murum ducit cuniculum, suffossumque opus stipitibus sustentat appositis; quibus igne consumptis, decidit ex magna parte murus, et hiatum hostibus pervium plus quam centum dedit cubitorum. Hostes igitur aditum pro votis habentes, confluentibus undique in urbem ingrediuntur legionibus, et quos de civibus habent obviam gladiis perimunt, conditioni, ætati aut sexui non parcentes; ita ut de iis dictum videretur: *Viduam et advenam interfecerunt, et pupillos occiderunt, juvenem simul ac virginem lactentem, cum homine sene* (*Psal.* XCIII, 6). Capta igitur urbe et hostium gladiis tradita, qui prudentiores erant ex civibus, vel magis expediti, in præsidia, quæ in urbe esse diximus, cum liberis et uxoribus, ut vitæ saltem, licet tempore consulerent modico, se contulerunt; ubi tantus in introitu concurrentium popu-

Digitized by Google

lorum factus est tumultus, ut præ turba compri- A mente, multi miserabiliter suffocati interirent; inter quos et reverendissimus vir, Hugo, ejusdem civitatis archiepiscopus, cum quibusdam clericis suis eodem dicitur modo occubuisse. Hujus tamen miserabilis eventus culpam nonnullam in prædictum refundunt antistitem, qui prædicto interfuerunt negotio. Nam cum pecuniam collegisse diceretur infinitam, quam erogans militibus, urbi posset esse auxilio, maluit opibus avarus incumbere, quam populo consulere pereunti; unde factum est, ut avaritiæ fructus colligens, mortem cum popularibus sortiretur indifferentem, ab auditu etiam malo, nisi misericorditer dominus subveniat, non multum securus. Talibus enim terribiles loquuntur Scripturæ, dicentes: *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (*Act.* VIII, 20). B Sic igitur dum princeps Antiochenus, odio victus indiscreto, differt fratribus debitum auxilium ministrare; dumque comes aliena præstolatur suffragia, urbs antiquissima, et nomini Christiano a temporibus apostolorum devota, verbo et prædicatione apostoli Thaddæi, ab infidelium superstitionibus eruta, indebitæ jugum passa est servitutis. Dicitur in eadem urbe et corpus beati Thomæ apostoli, una cum prædicti apostoli et beati Abgari regis corporibus esse sepultum. Hic est Abgarus toparcha illustris, cujus epistolam ad Dominum Jesum Christum missam, Eusebius Cæsariensis, in historia sua quam Ecclesiasticam nominat, asserit; quem et Domini dignum rescripto docet, utriusque ponens epistolam, et in fine ita subjungens: *Hæc in archivis publicis Edessanæ urbis, in qua tunc supradictus Abgarus regnavit, ita descripta reperimus in iis chartis, quæ gesta Abgari regis servata antiquitus continebant.* Sed hæc hactenus, nunc ad historiam redeamus.

CAPUT VI.

Trans Jordanem castrum, cui nomen Vallis Moysi, per regem acquiritur.

Hujus domini Balduini, anno primo quo regnare cœpit, Turci, quibusdam faventibus et vocantibus locorum incolis, castrum quoddam nostrum, cui nomen Vallis Moysi, in Syria Sobal, quæ est trans Jordanem, occupaverant. Est autem prædictum oppidum, juxta aquas contradictionis, ubi Moyses D populo Israelitico vociferante et deficiente præ siti, ex silice fluenta produxit, et libit populus universus et jumenta ejus. Cognito itaque quod prædictum municipium hostes, nostris qui in eo erant occisis, detinerent, congregatis undique militaribus copiis, dominus rex, licet tener adhuc nimium, illuc proficiscitur; et transiens cum suis expeditionibus, Vallem illustrem, ubi nunc mare Mortuum, quod et lacus Asphaltes dicitur, interjacet, secundæ Arabiæ, quæ est Petracensis, in finibus Moab, montana conscendit. Inde Syriam Sobal, quæ est tertia Arabia, quæ hodie vulgo dicitur terra Montis regalis, percurrentes, ad locum perveniunt destinatum. Indigenæ autem regionis, comperto nostrorum adventu cum uxoribus et liberis in præsidium se contulerant, præsumentes de loci munitione, eo quod inexpugnabilis videretur. Ubi nostri, loci videntes difficultatem et insuperabile munimen, postquam aliquot diebus saxa contorquendo, crebris sagittarum immissionibus et aliis nocendi argumentis, inutiliter operam consumpserant, ad alia se dirigunt consilia. Erat autem tota illa regio olivis consita pinguibus, ita ut instar nemorum condensorum, universam terræ superficiem obumbrarent; unde regionis habitatores, sicut et eorum progenitores, sibi victum omnimodum propagabant; quibus deficientibus, omnino vivendi spes eos destitueret. Has igitur exstirpare et dare incendiis decretum est, ut saltem hoc damno deterriti, et succisis olivetis desperarent, et Turcis qui in municipium se contulerant traditis vel exclusis, nostris castrum restituerent: quod conceptum fructuoso non caruit eventu. Nam, protinus ubi succidi amicas viderunt arbores, mutato consilio, ad alia se convertunt studia; et conditionibus interpositis, quod Turcis quos introduxerant, liber et sine periculo pateret exitus; quodque eis et eorum uxoribus et liberis non imputaretur ad mortem, quod deliquerant, castrum domino regi restituerunt. Recepto itaque municipio, et custodibus in eo locatis, alimentorum quoque immissa copia, simulque et armorum, dominus rex cum suis, consummato negotio, quod ei in primi regni sui auspiciis occurrerat, victor, et sospes cum universo exercitu, ad propria reversus C est.

CAPUT VII.

Sanguinus moritur, dum obsidet Calagenbar; succedit ejus filius Noradinus.

Sanguinus interea, unde supra fecimus mentionem, subjugata urbe Edessana, tanto in immensum elatus successu, apposuit et civitatem munitam, supra Euphratis fluenta sitam, Calogenbar nomine, obsidere; in cujus obsidione dum perseveraret, tractante et disponente prædictæ urbis domino, cum quibusdam cubiculariis et familiaribus ejus eunuchis, nocte una vino æstuans, et præ nimia crapula supinus jacens in tabernaculis suis ab eisdem domesticis suis, gladiis confoditur. De quo quidam nostrorum, nuntiato ejus interitu, sic ait:

Quam bonus eventus! fit sanguine sanguinolentus,
Vir homicida, reus, nomine Sanguineus.

Qui autem eum interfecerant, a domino urbis obsessæ, ex condicto intra mœnia recepti, ultrices consanguineorum exstincti manus effugerunt. Fugit autem et universus ejus exercitus, domini solatio et provisione destitutus; cui defuncto successerunt ejus filii, alter apud Mussulam, introrsum in Oriente; alter apud Halapiam, natu posterior, nomine Noradinus, vir providus et discretus, et juxta traditiones illius populi superstitiosas, timens Deum; felix quoque, et paternæ ampliator hæreditatis.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Nobilis quidam ex Damascenis, Bostrensis civitatis procurator, cum rege paciscitur; et exercitus regni versus Bostrum properat; Ainardus Damascenorum procurator factum nititur impedire.

Non multo post tempore, anno secundo regni domini Balduini, nobilis quidam Turcorum satrapa, ex causis quibusdam, Mejeredim regis Damascenorum indignationem sustinens, et procuratoris ejus Mehenedin, qui alio nomine Ainardus dicebatur, gratia destitutus, cujus multo major quam ipsius regis in universis Damascenorum finibus erat auctoritas, ad dominum regem et matrem ejus, cum honesto comitatu venit Hierosolymam, asserens quod si dominus rex honestam et pro boni viri arbitratu sufficientem ei vellet assignare compensationem, ipse Bostrensem urbem, cui præerat, una cum oppido Selcath, Christianis resignaret. Est autem Bostrum primæ Arabiæ metropolis, quæ hodie vulgari appellatione Bussereth dicitur. Erat porro idem nobilis homo, ut dicebatur, Armenus genere, corpore procerus, facie venusta virilem tota corporis habitudine animositatem prætendens, eratque nomen ei Tantais. Convocatis igitur hujus rei gratia universis regni principibus et deliberationis partibus congruo libramine pensatis, audita tanti viri adventus causa, placuit omnibus de communi consilio, ut de honesta et competente recompensatione, supradicto satisfiat viro; et convocatis exercitibus, ad Bostrenses partes dirigantur expeditiones; maximum enim et Deo acceptum regni judicant incrementum, si Christianæ fidei et nostræ jurisdictioni, per hujus operam, jure perpetuo possit accrescere civitas prænominata. Pactis igitur hinc inde ad congruam consonantiam redactis, universus regni populus voce præconia congregatur, et implorato de supernis auxilio, vivificæ crucis ligno secum assumpto salutari, tam dominus rex, quam principes omnes, Tiberiadem usque perveniunt: ubi circa pontem, unde ex mari Jordanis fluenta se dividunt, castrametantur. Porro prædictus Ainardus, cum domino rege, sicut et cum patre ejus fœdus prius inierat, et pacem temporalem: unde oportebat eum præmoneri solemniter, ut ad resistendum præparandumque se, et convocandum exercitum legitimas pro more regionis haberet ferias; ne si repente et ante solemnem commonitionem, infra suos fines, hostiliter dominus rex ingrederetur, contra legem pactorum videretur versatus. Missis igitur nuntiis, ad eumdem procuratorem, dum ille tanquam vir sagacissimus ex industria differt responsa dare, jam pene mensis præterierat: quo medio tempore non cessavit, tam prece quam pretio, omnes finitimos suæ gentis proceres, longe lateque in sui subsidium convocare; quibus undique ad infinitatem nimiam congregatis, domino regi et principibus mandat, dicens: *Contra legem initi fœderis, in terram domini mei paratis intrare, et servum ejus contumacem, et contra debitæ fidelitatis jura versantem, indebito protegere laboratis patrocinio; rogamus humiliato in preces animo, quatenus ab injusto dominus rex desistat proposito; pactorum prius initorum tenorem conservet illibatum. Nos parati sumus, domino regi universas cum omni integritate impensas, quas pro hac expeditione fecit, refundere.* Ad hæc dominus rex de communi consilio responsum dedit, dicens: *Nos pactorum et fœderis concepti, nullatenus intendimus violare tenorem; sed, quia prædictus nobilis homo ad nos venit, ut nobiscum familiariter loqueretur, non possumus homini in regno nostro spem habenti, cum nostra honestate ita penitus deesse. Sufficiet autem nobis, ut in urbem quam nostro deseruit intuitu, eum introducere sine difficultate liceat; postquam autem in suum se receperit municipium, tractet eum dominus suus patriis legibus, et secundum merita sua eidem præmia largiatur; nos enim sive in eundo, sive in redeundo, regi Damasceno amico nostro, omnino auctore Domino, sicut tenemur, declinabimus injuriam irrogare.* Erat autem hic idem Ainardus, vir prudentissimus et populi nostri amator; qui, cum haberet tres filias, unam illarum dederat prædicto Damascenorum regi, alteram Noradino Sanguini filio; tertiam cuidam egregio militi, Manguarth nomine. Habebat ergo regni curam, tum quia regis erat socer, tum quia vir circumspectus erat plurimum. Rex autem deses, ebriosus et epulo, solis vacabat deliciis et libidine totus effluebat dissolutus. Is, ut diximus, gentis nostræ gratiam, quibuscunque poterat obsequiis mereri, satagebat; et quibus solent amici comparari, merita in eo non erant otiosa. Quod utrum ex animo et ex dilectionis sinceritate procederet, an invitum impelleret necessitas, inter prudentes quærebatur. Poterat sane utrumque esse in causa; nam generum suum Noradinum, sicut et patrem ejus prius, suspectum habebat non modicum, ne regem, iterum generum suum, virum prorsus inutilem, et crassa supinum ignorantia, regno, et se ab administratione detruderet. Inde erat maxime, quod nostrorum sibi necessariam reputans gratiam, omni via qua poterat ad eam obtinendam aspirabat. Videbatur vir discretus præsagientem habere spiritum; nam quod verebatur accidit. Statim enim eo mortuo, prædictus Noradinus, consentientibus sibi Damascenis, illo qui regnabat violenter excluso, regnum occupavit. Elaborabat ergo fideliter, ut dominus rex, refusis sibi expensis, quæ pro vocanda fecerat expeditione, ad propria rediret indemnis; et procul dubio minus hostiliter in eo facto, contra dominum regem et Christianum exercitum se habuisset, si convocatas exteras nationes, pro suo potuisset arbitrio cohibere. Multa enim fidei sinceritatis et constantiæ illius in plerisque negotiis, certo rerum experimento cognovimus argumenta.

CAPUT IX.

Procedens exercitus, infinita sustinet pericula.

Verum, dum hæc nuntiarent legati, inter quos

Digitized by Google

erat præcipuus quidam domini regis familiaris, Bernardus Vacher; populus cœpit acclamare eumdem Bernardum proditorem esse: non esse populo Christiano fidelem, quicunque dissuasionibus huic negotio velit dare impedimentum. Magnis etiam vocibus cœpit plebs indiscreta clamare procedendum esse, urbem tam nobilem non facile esse deserendam; grates habendas nobili viro, et ejus per omnia propositum amplectendum fideliter et devote, qui tantum Christianitati obtulisset sæculis memorabile beneficium, et pro eo usque ad mortem decertandum. In hoc itaque tanto tumultu, prævaluit vulgi sententia, spreto consilio sanius affectorum. Compositis igitur sarcinis et solutis castris, versus prædictum oppidum iter dirigunt: transitaque cavea Roob, in planitiem pervenerunt, quæ dicitur Medan, ubi singulis annis Arabum et aliorum Orientalium populorum solent nundinæ convenire solemnes, ubi tanta hostium nostris cœpit occurrere multitudo, ut qui prius cœpto insistendum et in negotio procedendum acclamaverant, redire si fieri posset, præoptarent et judicarent utilius. Visis tamen hostium cuneis, et stupentes multitudinem, nostri accingunt se tanquam statim præliaturi. Rex vero, de consilio eorum qui rei militaris habebant experientiam, castra protinus jubet locari; quibus compositis, curam corporis, prout in arcto positi poterant, agentes, noctem illam duxerunt insomnem. At vero hostes, multiplicati supra numerum, legiones nostras undique vallantes, quasi manubias et vilia mancipia, nostros procul dubio habituros in crastino compeditos non dubitabant. Nostri vero continuis excubiis se observantes prudenter, et virorum fortium circa se tota sollicitudine impleverunt officia. Mane facto, communicato consilio, nostri procedendum esse decernunt; nam redire, cum ignominia plenum, tum pene videbatur impossibile. Verum hostes circumpositi utrumque impedire videntur. Tandem nostri, animosius insistentes, per medias hostium acies viam ferro aperiunt et ad destinatum unanimiter locum contendunt; sed loricis, cassidibus, simul clypeis onusti, lento incedebant gradu; hostium etiam circumposita multitudine præpediebantur. At vero equites, licet expedientius possent incedere, peditum tamen oportebat in incessu conformes fieri manipulis ne dissolveretur agmen et irruendi super cuncos hostibus daretur occasio. Compatiebantur itaque sibi invicem cohortes, et quasi vir unus affectus erat populus universus. Tanta enim equitibus erat pedestrium turmarum cura, ut ipsi de equis descendentes, communicato cum eis labore, fessis pro vehiculo se exhibentes, itineris molestiam redderent leviorem. Hostes tamen interea crebris sagittarum immissionibus exercitum fatigantes, multiplicatis molestiis, nostrorum cohortes dissolvere nitebantur. Nostri autem e diverso, quanto ad hoc magis eos vident instare et importunius, tanto sibi invicem cohærere magis et cœpto insistere ferventius itineri non formidant. Accedebat, ad majorem molestiarum cumulum, sitis aspera, ex laboris difficultate et æstatis caumate geminata. Erat quoque eis iter per loca arida et inaquosa; tota enim illa regio fontes nescit; verum hieme solent aquas colligere lacunis tam naturalibus quam manufactis, pluviales. Acciderat autem illis diebus, unde et hæ ipsæ factæ erant inutiles; nam tanta fuerat paulo ante locustarum in ea provincia præter morem intemperies, quod omnes hujusmodi piscinas tabo infecerant, et aquæ usum reddiderant abominabilem putredine, quam morientes intulerant. Hæc autem, qua nostris iter erat, regio dicitur Traconitis; cujus in Evangelio Lucas facit mentionem, dicens: *Philippo autem Iturææ et Traconitidis regionis tetrarcha* (*Luc.* III, 1). Videtur autem nobis a Traconibus dicta. Tracones enim dicuntur occulti et subterranei meatus, quibus illa regio abundat; nam pene universus illius regionis populus in speluncis et cavernis habitat, et in traconibus habet domicilia.

CAPUT X

Ad locum pervenientes destinatum, civitatem reperiunt ab hostibus occupatam; et infecto negotio reditus indicitur.

Transcursa igitur cum summo periculo regionis illius parte, circa horam diei novissimam ad locum perveniunt, qui antiquo Adratum dicitur vocabulo, nunc autem vulgari appellatione dicitur civitas Bernardi de Stampis. Est autem una de urbibus suffraganeis, quæ ad Bostrensem metropolim habet respectum; ubi adjunctis illius loci incolis, ad hostium numerum, major nostris accessit molestia; ubi etiam de cisternis, quarum ora videbant patentia, et sine difficultate haurire aquas se posse nostri arbitrarentur, demissas situlas non sine damno amittebant; nam qui intus latebant in cavernis subterraneis funes præcidentes quibus hauriendi alligata erant instrumenta, funes remittebant decurtatos; et spe potus elusos, ad majus compellebant sitis dispendium, dum in hauriendis aquis frustra diutius laborabant. Sic igitur quatuor diebus continuis, nunquam indulta requie, nostri afflicti sunt incessanter, vix noctibus habentes otium ut necessitatibus corporis quocunque modo satisfacerent. Augebatur præterea per singulos dies hostium numerus; nostrorum vero decrescebant agmina: aliis interemptis; aliis sauciis lethaliter; alii vero de vita desperantes, et nimia percussi formidine sarcinarum et impedimentorum augebant turbam, infra equos et jumenta deliteseentes, et simulantes impotentiam, ne ad sustinenda hostilis impetus onera, egredi compellerentur. Tanta enim sagittarum et missilium pene continua supra nostrum exercitum erat densitas, ut grandinis aut imbrium instar descenderent, et universa tam homines quam jumenta telis consita viderentur. Mirari poterant intuentes, aut hostes in jaculando

Digitized by Google

tantum posse, aut nostros tantum patientiæ invincibilis continuare laborem. Instabant et nostri, telis et sagittarum immissione nihilominus; sed hostium exercitus, discursus habens liberiores, rarius sagittis lædebantur nostris. Quarta demum die continuatis cum tanto periculo itineribus, ad locum destinatum appropiantes, urbem eminus contuentur; ubi cum multa difficultate, hostibus violenter exclusis, aquas intra rupes modice scaturientes occupant, et circa eas castra metantur; ubi refectioni vacantes aliquantulum, corporibus quantum permittebatur indulgent. Ea nocte ibi qualemqualem nostri habentes requiem, diem exspectabant cum summo desiderio sequentem; cum ecce intempestæ noctis silentio, ex urbe prædicta quidam latenter egressus, per medias hostium acies ad nostrum se contulit exercitum, infaustæ legationis bajulus. Qui statim veniens, ad regem se postulat introduci, verba dicens se habere secretiora quæ perferat. Admissus ergo, convocatisque principibus, simul quoque et illo nobili viro, qui ejusdem civitatis magistratum administraverat, et nos in præsentia duxerat pericula, nuntiat, urbem uxore ejusdem nobilis viri prodente, hostibus traditam; et eorum introductos satellites, arces et præsidium, exclusis aliis, obtinere universum. Hoc infelici rumore, nostri mente plurimum consternati, quid facto opus sit deliberant; tandemque visum est expedientius reditum ad propria, cum quocunque periculo, maturare. Fuerunt tamen nonnulli de majoribus regni principibus, qui domino regi secretius et in aurem consulerent, quatenus assumpto sibi vivificæ crucis ligno equum domini Joannis Gomani, qui omnes alios ejusdem exercitus eques celeritate et laboris patientia longe superare dicebatur, conscenderet, et solus suæ consuleret saluti. Hoc autem dicebant, omnino de reditu desperantes et omnium stragem timentes in proximo futuram. Quod verbum rex, licet infra annos puberes constitutus (significans qualis in majore ætate futurus esset) regia sprevit magnificentia, dicens: *Propriam se omnino contemnere salutem, si tam Deo devotus populus casu tam flebili deperiret.* Videntes ergo regem eorum monitis, licet ex affectu pro prodeuntibus, non acquiescere, ad alia se convertunt studia; et de reditu tractare incipiunt, videntes non sine universorum strage ad ulteriora se posse procedere. Tunc primum cœpit spe tanta dejectis, et evacuatos videntibus omnes suos conatus, labor duplo exsurgere molestior. Nam, etsi prius dura nimis, et pene intolerabilia, et quibuslibet quæ postmodum accidere possent non inferiora passi erant, spes tamen et fiducia obtinendi civitatem, laborantium animos confovens, ad tolerantiam gratis quibusdam stimulis accendebant. Videntes ergo se prorsus spe delusos, fixum firmumque quod proposuerant decernentes, ad iter se accingunt, voce præconia reditu cunctis significato.

CAPUT XI.

Rediens exercitus intolerabilia patitur pericula; stupent hostes nostrorum perseverantiam.

Reddita igitur terris die, ecce Noradinus in auxilium soceri vocatus, infinita secum trahens Turcorum agmina, ab urbe prædicta veniens, ad hostium se adjungit cohortes. Nostri vero ad redeundum, secundum propositum, iter arripiunt. Quod videntes adversarii, clamoribus perstrepentes obviam se dare contendunt, ut impediant regressum. At nostri ipsa difficultate, quæ undique premebat, facti animosiores, obvias acies gladiis et ferro dissolventes, viam sibi cum summo periculo et strage suorum violenter aperiunt. Erat autem nostris indictum publice, ut defunctorum corpora camelis et aliis animalibus ad sarcinas deputatis imponerent, ne nostrorum considerata strage, redderentur fortiores inimici; debiles quoque et saucios, jumentis imponi mandatur, ne omnino nostrorum aliquis aut mortuus aut debilis crederetur. His et datum erat in mandatis ut, gladios educentes, saltem speciem validorum exprimerent. Mirabantur itaque hostium prudentiores, quod de tanta immissione sagittarum, de crebris conflictibus, de tanta sitis, pulveris, æstus immoderata molestia, nullus unquam mortuus aut deficiens inveniretur; populum judicant ferreum, qui tot tamque continua possint tam perseveranter sustinere dispendia. Videntes porro hostes quod sic non proficerent, ad alia se convertunt molimina. Erat sane regio tota vepribus et frutectis humilibus, carduis aridis et synapis silva, veteribus stipulis et frugibus jam maturis, obsita: his omnibus ignem subjiciunt, vento nostris obvio fomitem et vires ministrante. Hic incendii vicinioris afflatu fumique occurrentis nube densissima, nostris ingeminatur molestia, cum ecce ad venerabilem virum dominum Robertum Nazaræum archiepiscopum, qui crucem Dominicam bajulabat, omnis populus cum clamore et ejulatu conversus, postulabat cum lacrymis, dicens: *Ora pro nobis, pater; et per hoc vivificæ crucis lignum, quod manibus gestas, in quo nostræ salutis auctorem credimus pependisse, erue nos ab his malis, nam diutius sustinere non possumus.* Erat autem populus, in modum fabrorum officinas exercentium, vento agitante fuliginem, tam facie quam toto corporis habitu, nigredine factus decolor; et tam æstatis quam incendiorum caumate duplicato, ad supremum afflictus siti, supra vires laborabat. Ad has itaque gementis populi voces, vir Deo amabilis, contritus corde et animo valde compatiens, salutare lignum erigit contra incendia, quæ illi totis viribus procurabant; et invocato de supernis auxilio, statim adfuit virtus divina, et in momento conversis in oppositum flatibus, incendia simul cum tetra fumi caligine in hostes, qui nostrum præcedebant exercitum, se dirigunt; et quæ in nostram paraverant læsionem, in suam vident retorta perniciem. Stupent hostes novitate miraculi, et singularem reputant Christianorum fidem, quæ

Digitized by Google

tam præsens possit a Domino Deo suo pro votis impetrare beneficium. Suis ergo occupati necessitatibus, nostris aliquam indulgent requiem, et ad tempus respirare concedunt.

CAPUT XII.

Mittitur ad hostes pro pace legatus; quidam nobilis de hostibus cadit; dissolvitur hostium exercitus; noster liberior proficiscitur.

Dum vero his tam intolerabilibus noster exercitus premeretur malis, diffidentes de vulgi patientia majores, et qui sensus habebant magis exercitatos, regem adeunt, persuadent ut legatio ad Ainardum dirigatur, pacem postulans sub conditione qualibet, dum solummodo ad propria possit redire exercitus. Eligitur quidam qui suspectus habebatur, quod alia vice in legatione simili contra Christi populum malitiose versatus fuisset; tamen propter linguæ commercium, quod habere dicebatur familiare plurimum, iterum id ei muneris injungitur. Dumque ei persuaderetur ut fideliter injunctum exsequatur officium, dixisse perhibetur: *Injuste et præter meritum suspectus habeor; vado tamen; quod si objecti reus sum criminis, nunquam mihi redire concedatur, quin hostium gladiis confossus inteream.* Datam ergo in se mortis sententiam miser homo, divino judicio expertus est statim; nam, antequam ad hostes perveniret et legationis functus esset munere, armis hostium confossus interiit. Convenerant ad eamdem expeditionem quatuor inclyti Arabum principes fratres, illustris et eximii Arabum satrapæ filii, qui dictus est Merel, cum innumera suorum manu; hi, dum nostros ex latere protervis nimis assultibus vexarent instantius; nostri autem proposita lege ad eos erumpere non auderent, ne si contra rei militaris disciplinam ordines solverent, duriorem in se tanquam locorum desertores experirentur sententiam: unus de familia Turci illius, qui nobiscum erat, non ferens illorum fastum et a nostris injuriam propulsare cupiens, vitæ prodigus, et legis immemor propositæ, equum viriliter admittens, in unum ex illis quatuor hastam, quam manu gerebat, dirigens, gladio transverberatum in medio suorum agmine, ad terram dejecit exanimem; seque statim, sanum et incolumem in nostrum recepit exercitum. Factus est ergo circa corpus defuncti, populi concursus innumerabilis; et cognito quod jam infelicem exhalaverat animam, in vocem erumpunt flebilem et doloris immensitatem fletus ubertate testantur. Nostri vero lætantes, diligenter quærunt quisnam esset qui tanto se objecerit periculo, cujus tam insigne factum gloriam meruerit pereunem; cognitoque quod vir alienigena, et cui legem propositam licebat ignorare, eo maxime quod linguæ commercium non habens, edictum publicum non intellexerat, licet contra rei militaris disciplinam egisse non dubitaretur, tamen juris ignaro clementer indulgent, viri factum amplectentes, non tam ratione quam eventu commendabile. Solvitur ergo ex ea parte hostium cuneus; et liberiora habens noster exercitus spatia, angustias quas patiebatur, locis redimit patentioribus, et jam continuato per aliquot dies itinere, ventum erat iterum ad Caveam Roob; quem locum, quoniam angustus erat, et periculosus poterat esse transeuntibus, principes consulto jusserunt declinari. Prædictus vero Damascenorum procurator Ainardus, videns quod rex cum suis exercitibus versus prædictam vallem properabat, missis nuntiis offert quod, si ei bonum videretur, trans Caveam ei faceret honeste prandium præparari; noverat enim jam per dies aliquot exercitum alimentorum inopia laborasse. Quod verbum utrum ex dilectionis sinceritate processerit, an ex dolo, volens nostras expeditiones in periculosarum vallium angustias immergere, pro certo non habemus compertum. Regulariter tamen creditur esse traditum, quod hostium munera merito etiam habeantur suspecta. Generali ergo decreto, decernunt via superiore, quoniam planior et minus periculosa erat, incedere. Cumque ducem non haberent qui agmina præiret, et locorum per quæ transituri erant haberet peritiam, ecce subito cohortes præcedens miles quidam ignotus, albi sessor equi, rubei coloris vexillum bajulans, lorica indutus, curtis usque ad cubitos manicis antecedebat exercitum. Hic tanquam angelus Domini exercituum, viarum sequens compendia et ad aquas ducens prius incognitas, congruis et commodis stationibus castrametari docebat. Sic igitur cum quinque diebus, usque ad prædictam Caveam vix pervenissent expeditiones, tribus postea sub jam dicto duce et itineris præambulo, iter agentes, Gadaram usque perveniunt.

CAPUT XIII.

Perveniunt Gadaram nostræ legiones; describitur locus; et ad propria revertitur exercitus.

Sita est Gadara in ea regione quæ Decapolis dicitur, de qua in Evangelio Marci legitur: *Exiens Jesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos* (*Marc.* VII, 31). In hac, sicut et nomen indicat, sunt civitates decem: Hippus, Pella, Gadara, de qua hic nobis est sermo, cum aliis septem. Ad quam, quoniam in confinio hostium et nostræ regionis sita est, cum pervenissent primæ nostrorum legiones, tunc denuo quasi redivivo malo et recrudescente insania, furere cœperunt hostes circa postrema agmina; sed videntes quod non proficerent, et quod nostri in sua jam se contulerant, fumo, caloris intemperie tædioque fatigati, solutis agminibus gregatim ad propria redire cœperunt. Nostri quoque nihilominus, transcursa nocte illa majore solito tranquillitate, exhaustis præ labore debitam corporibus exhibentes indulgentiam, die sequente ad urbem Tiberiadensem perveniunt. Asserunt autem unanimiter, quibus illius facti adhuc plenior famulatur memoria, quod hunc, unde diximus, ducem itineris nemo noverit; nam, cum ventum erat ut castrametaretur exercitus, subito disparebat, nec uspiam in castris videbatur; mane vero iterum exercitum anteibat. Non habet

Digitized by Google

præsentium hominum memoria, quod Latinorum tempore, in toto Oriente, absque manifesta hostium victoria, tam periculosa fuerit expeditio. Domino igitur rege in regnum reverso, cruce quoque Dominica Hierosolymis restituta, gavisus est populus qui remanserat, reverso ad se populo, dicens: *Mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est* (*Luc.* xv, 24). Postmodum vero idem nobilis homo, ab Ainardo vocatus verbis pacificis in dolo, quasi sub specie reconciliationis, male nimis tractatus est; nam, oculis erutis, in summa egestate et miseria, vitam miserabiliter infelicem finire coactus est.

CAPUT XIV.

Cives Edessani comitem vocant; comes accelerat; et urbem ignorantibus resipit hostibus.

Dum hæc circa nos geruntur, in partibus Edessanis factum miserabile, scriptis innodari dignum, accidit: quod ut plenius intelligatur, altius aliquantulum repetenda est historia. Mortuo Sanguino, maximo nominis Christiani persecutore, Noradinus filius ejus, dum de successione in patris principatum, apud Mussulam sustinet quæstionem et circa id in partibus illis detinetur occupatus, videntes Edessani cives quod pauci de familia ejus in civitate essent residui, qui ad tuenda præsidia erant deputati, reliqua autem populi pars universa fide polleret Christiana, occulte dirigunt nuntios ad prædictum comitem Joscelinum, significantes urbem Turcis vacuam, exceptis paucis qui præsidia servabant, solis civibus relictam. Erant autem, et a diebus apostolorum fuerant, illius cives urbis in Christi fide radicati et fundati, ita ut, sicut alias dictum est, aut rarissimus, aut nullus alterius professionis homo inter eos habitaret. Orant etiam et cum omni monent instantia, ut, militaribus copiis sine mora congregatis, ad urbem acceleret; eamque tradentibus civibus, sine periculo et sine difficultate recipiat. Ille vero cum omni celeritate, assumens sibi dominum Balduinum de Mares nobilem et potentem virum, et universam regionis illius tam equitum quam peditum militiam, transito repente fluvio ad prædictam urbem, cum omni comitatu suo de nocte repentinus accessit; ubi a civibus intempestæ noctis silentio, dormientibus iis qui ad vigilias erant deputati, funibus et scalis sunt intromissi, qui cæteris de foris exspectantibus portas aperirent. Quibus apertis, immissis omnibus indifferenter, statim per urbem discurrentes, quotquot habuerunt de hostibus obviam, in ore gladii peremerunt. Fugit tamen eorum pars quædam, et mortis declinans periculum, in præsidia se recepit. Obtinuit ergo comes, et Christianus qui cum eo erat exercitus, urbem eo modo per dies aliquot: præsidia tamen, quoniam victualibus, armis et militia instructa erant, et munita diligentius, comprehendere non valuit; maxime cum neque machinas, neque unde fieri possent materiam aut secum detulisset, aut in tota urbe reperisset.

CAPUT XV.

Noradinus occurrit; urbem obsidens, nostros angit miserabiliter.

Diriguntur igitur, qui de successu qui acciderat, nostros longe lateque positos certificent nuntii et ad subsidium invitent finitimos, quatenus eorum suffragio, urbem quam sic Domino favente receperant, perpetuo obtinere et cultui conservare Christiano possint. Quibus auditis, lætatus est ubique populus Christianus; et secundum multitudinem doloris, quam de illius urbis captivitate conceperat, videntur in ea mensura recepisse consolationem. Sed, *extrema gaudii luctus occupat;* et subito versa est in mœrorem cithara, et dolor natus redivivus pejor priore. Noradinus enim audiens quod comes prædictam urbem tradentibus civibus receperat, corrogatis undique ex omni Orientali tractu militaribus copiis et populis vicinarum urbium, voce præconia in unum congregatis, adest subito, et urbem in circuitu dispositis legionibus vallat obsidione. Erat itaque nostris, sicut scriptum est: *Foris gladius, et intus pavor* (*Deut.* xxxii, 25). Nam hostiles exterius acies exitum negant, parant prælia, mortem intentant; interius, qui in præsidiis intra urbem erant, terrorem incutiunt, et assiduis molestant vexationibus. Nostri porro inter tot angustias ignari quid faciant, volvunt apud se et frequenter mutant consilia; sed ad quamlibet deliberationis partem se convertentes nihil tutum reperiunt, nullum sine mortis discrimine rei exitum invenientes. Tandem pro loci et temporis conditione, visum est universis expedire, quod quocunque periculo, quocunque mortis discrimine, urbe sit egrediendum. Nam satius esse non dubitant, cum hostibus tentare congredi, et gladiis iter aperire, ut saluti consulatur, quam obsidionem sustinere: qua urgente, aut omnes indifferenter gladio pereant; aut inopia alimentorum compulsi, hostium vinculis mancipentur, et duram et omni mortis genere deteriorem subire cogantur servitutem. Placuit omnibus hæc sententia; et, licet periculosa sit nimis, habito tamen respectu ad alia quæ accidere poterant deteriora, compendiosior judicatur. Audientes hæc cives, quorum opera et studio comes cum suis introductus erat, quod omnis resistendi spes et via salutis defecerat, timentes ne si in urbe post comitis exitum remanerent, morte gravissima punirentur, eo quod hujus facinoris viderentur esse auctores, assumptis uxoribus et liberis, cum Christiano exercitu egredi et dubiam cum fratribus fortunam experiri eligunt, potius quam morte certissima occumbere; aut jugum sub infidelibus hostibus durissimæ pati servitutis, omni genere mortis amplius formidabile.

CAPUT XVI.

Comes cum suis egrediens, ad propria redire contendit; insequitur Noradinus; obtruncat exercitus; comes fuga elabitur.

Patefactis igitur portis, quasi id singulare remedium et unica via sit salutis, omnes certatim egredi contendunt; et, licet per medios hostium cuneos

Digitized by Google

ferro iter aperiendum esse non dubitent, leve tamen judicant quidquid accidere potest urbem egressis. Interea de hostibus nonnulli, reserantibus eis aditum qui erant in præsidiis, in urbem recepti, a tergo instant acrius, et exitum maturare compellunt; qui vero exterius erant, audito quod sui ex parte intra civitatem introducti essent, et jam cum nostris pugnam committerent, suis volentes adjungi, portam quam nostri aperuerant, ut exirent, violenter occupant; et convocata ex universis ordinibus ingenti multitudine, egressum inhibent, sed et in urbem introire contendunt. Commissa est igitur ibi inter partes pugna, quantum loci patiebantur angustiæ, periculosa nimis utrique parti. Tandem vi compellentibus eis qui ab intus instabant cominus, et in hac parte nostris vires et animum ministrantibus, invitis et plurimum renitentibus exterioribus, viam ferro, multa utriusque partis strage aperiunt, campis se patentibus infundentes. Intueri erat ibi quod et visu miserabile, et recitatione gemitu plenum, inerme vulgus, imbellem civium populum, senes, valetudinarios, matronas cum virginibus tenellis, grandævas matres cum parvulis et sugentibus ubera, in ipsis portarum angustiis, partim equorum pedibus conculcari; partim turba comprimentium interclusis respirandi meatibus, miserabiliter suffocari; partim gladiis hostium non parcentibus interire. Porro interfecti sunt ibi de civibus sexus promiscui pene omnes, qui nostrum exercitum egredientem sequi decreverant, paucis evadentibus qui aut proprii vigore corporis, aut equorum beneficio, abeuntem exercitum poterant comitari. Videns ergo Noradinus nostros ad redeundum succinctos, cohortes convocat ad insectandum abeuntes, acies instruit, componit agmina; et procedentes continuis urgens a tergo congressionibus, insequitur. Erat autem nostris iter versus Euphratem, qui a prædicta urbe milliaribus distabat quasi quatuordecim: quo toto itinere non defuit domino comiti et exercitui ejus pugna jugis, periculum indeficiens; singulis enim pene passibus conflictus erant, tum multorum, tum singulares, quibus ex utraque parte plures occumbebant. Mortuus est ibi vir nobilis, unde supra fecimus mentionem, et militaribus insignis operibus, dominus Balduinus de Mares; ceciderunt quoque et alii plures viri commendabiles et digni memoria, quorum animæ sancta requie perfruantur, quorum nomina non tenemus; quæ tamen certum est in cœlis esse conscripta, quia pro causa fidei et Christiani populi libertate, glorioso fine quieverunt. Comes tandem impar viribus, suis ex parte plurima deficientibus, assiduos hostium non ferens impetus, fuga vitæ consulens, transito Euphrate, in Samosatum se recepit. Alii vero ad diversa se conferentes, prout unicuique visum erat expedientius, sarcinas et impedimenta deserentes, vitæ consuluerunt et saluti. Exiit ergo sermo iste per omnes fines late adjacentium regionum; et quos prius de recepta urbe Edessanorum rumor fecerat lætiores, nunc de reamissa, et strage nobilium et populi confusione Christiani, casus contristavit asperior.

CAPUT XVII.

Moritur Hierosolymitanus patriarcha Willelmus; Fulcherus Tyrensis archiepiscopus ei substituitur; Tyrensi Ecclesiæ per regiam violentiam intruditur Radulphus, regius cancellarius.

Per idem tempus dominus Willelmus bonæ memoriæ, Hierosolymorum patriarcha, vir simplex ac timens Deum, viam universæ carnis ingressus est. Obiit autem v Kal. Octobris, pontificatus ejus anno quintodecimo; cui postmodum subsequente Januario, VIII Kal. Februarii, substitutus est dominus Fulcherus Tyrensis archiepiscopus, in prædecessorum nostrorum numero tertius. Eodem tempore, circa Epiphaniorum diem, fulmen divinitus immissum, ecclesiam Dominici Sepulcri et mentis Sion, ictu perculit periculoso; omen, ut credimus, portendens infaustum et universam deterrens civitatem. Visus est et cometa per dies multos; et alia quædam præter morem apparuerunt signa, futurorum designativa. Illis etiam diebus, cum Tyrensis vacaret Ecclesia, contigit tam dominum regem quam matrem ejus, penes quam regni cura, et universam residebat moderamen; dominum quoque patriarcham, qui ab eadem ecclesia fuerat assumptus; episcopos quoque ejusdem ecclesiæ suffraganeos, apud prædictam urbem, ut ecclesiæ providerent, convenisse; ubi, dum de more, de eligendo pontifice tractaretur, sicut solet in hujusmodi accidere, divisa sunt eligentium in duo desideria. Pars enim dari sibi deposcebat dominum Radulphum, regis cancellarium, virum utique litteratum, sed nimis sæcularem, Anglicum natione, forma decorum, regi et reginæ, cunctisque curialibus valde acceptum; et hi dominum regem et ejus matrem habebant propitios et fautores. Alii vero, quorum princeps erat Joannes Pisanus, ejusdem ecclesiæ archidiaconus, qui postea fuit cardinalis Romanæ Ecclesiæ, sanctorum Sylvestri et Martini, et Bernardus Sidoniensis, et Joannes Berytensis episcopi: hi dominum patriarcham sequentes, prædictum Radulphum promovere nolebant; sed, interposita appellationis voce, contra alios de regia violentia præsumentes, patronum habentes dominum patriarcham, modis omnibus prohibebant. Factum est autem quod per violentiam obtinens prædictus cancellarius, ecclesiam et ejus bona invasit, posseditque per biennium: quousque per Romanum pontificem, præsentibus partibus iis decisa, dictante domino Eugenio, factum prædicti cancellarii in irritum est deductum. Postmodum autem idem Radulphus, favente sibi domino Adriano papa, qui ejus compatriota erat, ad ecclesiam assumptus Bethlehemiticam, episcopus ejus ordinatus est loci. In prædicta autem metropoli, de communi omnium consensu, concurrente universorum conniventia, substitutus est vir miræ simplicitatis et mansuetudinis, timens

Digitized by Google

Deum et recedens a malo, cujus memoria in benedictione est apud Dominum et homines, dominus Petrus, ecclesiæ Dominici Sepulcri prior, de citeriore natus Hispania, civitate Barchinona, nobilis secundum carnem, sed spiritu nobilior; cujus vita et conversatio longiores et diligentiores postulant tractatus. Sed nos historia revocat ut omissis specialibus, de publicis edisseramus.

CAPUT XVIII.

Excitatur populus Occidentalis; et ad subveniendum Orientalibus Christianis iter arripiunt Romanorum imperator Conradus, et Ludovicus rex Francorum, cum aliis multis principibus.

Capta igitur urbe, ut præmisimus, Edessana, rumor lethalis memoriæ plenius personuit, et crebro fama divulgabatur per Occidentem universum, quod impia gens Turcorum, non solum urbem prædictam, sed omnem omnino Orientis tractum, licentia liberiore percurrens, nostrorum urbes, villas, municipia depopularentur, sed populum amplius solito Christianum præliis et crebris nimium invasionibus affligerent. Erant qui verba hujusmodi longe lateque in populis et nationibus disseminarent; et desides et longa pace dissolutas, ad tantarum ultionem injuriarum sollicitarent provincias: dominus quoque Eugenius papa tertius, vir Deo plenus, paternam gerens pro filiorum Orientalium, quæ dicebatur, afflictione sollicitudinem, et eis affectu pleniore compatiens, viros religiosos et exhortatorii sermonis habentes gratiam, potentes in opere et sermone, ad diversas Occidentis partes dirigit, qui populis, et tribubus et linguis, Orientalium fratrum denuntient pressuras intolerabiles; et ad tantas ultum iri fraterni sanguinis injurias, eos debeant animare. Inter quos vir immortalis memoriæ et honestæ conversationis speculum, dominus Bernardus, Clarevallensis abbas, piæ in Domino et per omnia amplectendæ recordationis, ad prædicti Deo placiti muneris exsecutionem, præcipuus eligitur; qui injunctæ sibi dispensationis sedulus exsecutor, ejusdem operis secum Deo amabiles trahens comministros, impiger, indefessus, licet corporis esset invalidi, tum propter senium imminens, tum propter jejunia pene continua et subtilem nimis dietam, regna circuit, regiones obambulat, evangelizans ubique regnum Dei: *afflictionem populi, qui est in Oriente, simul et molestias, quibus incessanter opprimuntur, aperit diligenter; urbes fidelium, prius fidei Christianæ devotas, juga pati persecutorum nominis Christiani, et servitutem durissimam*, proponit evidentius. *Fratres quoque pro quibus Christus mori voluit, vinculis mancipatos et compedibus, fame attritos, horrendis carcerum clausos ergastulis, squalore sordidos, indutos amaritudine, sedere in mendicitate et ferro*, plenius edocet. *Ad hoc ad eorum liberationem invitat; ad propulsandas fratrum injurias oppressorum accendit; non defuturum de supernis auxilium, volentibus hunc tam pium laborem assumere, spondet; præmia etiam pro iis sempiterna, cum electis pollicetur.* Hæc ei per gentes, principatus et regna pia longanimitate disserenti, adfuit tam patrum quam plebis favor gratuitus: et exhortationibus ejus spontaneum præbentes assensum, iter versus Hierosolymam compromittunt; et vivificæ crucis signum humeris aptantes, ad iter accinguntur. Nec solum in plebeis et popularibus turmis hic persuadentium sermo ita se præbuit efficacem, verum usque ad supremos orbis moderatores, et eos qui præcipua regnorum videbantur dispensare fastigia, sermo iste cum effectu non inferiore pervenit. Illustres enim et potentissimi regum terræ, dominus videlicet Conradus Romanorum imperator, et dominus Ludovicus rex Francorum, cum multis utriusque regni principibus, consono voto et paribus desideriis amplexi sunt verbum; et salutare vivificæ crucis signum in arrham futuræ profectionis cum omni devotione cervicibus imprimunt et indumentis.

CAPUT XIX.

Imperator præcedens cum expeditionibus suis, Constantinopolim pervenit. Soldanus Iconiensis contra eum insidias præstruit.

Composito igitur congruo moderamine regnorum statu suorum, assumptis etiam iis qui ejusdem desiderii fervore concepto, votis salutaribus tenebantur obligati, paratis ad iter necessariis, prout regiam decebat dignitatem, Deo placitæ peregrinationis, mense Maio, iter arripiunt unanimiter; sed avibus infaustis et omine sinistro. Nam, tanquam invita divinitate et eis irata, iter assumpserunt. In tota illa profectione nihil Deo placitum, peccatis nostris exigentibus, operati sunt; sed nostrum, quibus opem se laturos arbitrabantur, statum, in deteriorem mutaverunt conditionem. Segregatim igitur proposuerunt incedere et separatos ab invicem exercitus ducere ea videlicet ratione, ne, populis inter se dissentientibus, contentiones inter eos orirentur, et ut commodius vitæ necessaria suis procurarent legionibus; sed etiam ut equis et jumentis, ad onera deputatis, pabula non deessent. Transcursa igitur Bawaria et flumine magno Danubio apud Ratisbonam transmisso, a læva eumdem fluvium habentes, in Austriam descenderunt, inde Hungarorum fines ingressi, ubi a domino rege illius provinciæ honorifice tractati sunt. Decurso igitur regno et utraque emensa Pannonia, Bulgarorum provincias, Mœsiam videlicet et Daciam mediterraneam, Ripensem a læva dimittentes, prætereunt. Inde Thracias attingentes et urbes famosissimas Philippolim et Adrianopolim transeuntes, ad urbem regiam pervenerunt. Inde cum domino Manuele Constantinopolitano imperatore habito familiarius colloquio, transcursis feriis quæ ad recreationem exercituum, et quietem post tot labores videbantur necessariæ, transito Hellesponto, qui eamdem urbem alluit, et Europæ terminus, Asiæ præbet initium, in Bithyniam, quæ prima de Asianis occurrit provinciis, castrametantur legiones universæ in

Digitized by Google

pago Chalcedonensi, unde relictam urbem e vicino erat conspicere. Hæc est Chalcedon, urbs antiqua, ubi quarta sexcentorum triginta sex Patrum convenit sancta synodus, domini Martiani Augusti, et domini Leonis Romani pontificis, contra Eutycheten monachum et abbatem, qui unam tantum in Domino Jesu Christo asserebat naturam. Soldanus interea Iconiensis, audito tantorum principum adventu et suspectum habens eorum introitum a multo retro tempore, ex ultimis Orientis finibus militaria convocat auxilia; et sollicitum se gerit quomodo ab imminentibus hostium tantorum periculis se possit eximere. Urbes igitur munit, ruinas erigit, finitimorum implorat suffragia populorum; et cum anxietate continua, eorum quos pro furibus audierat, præstolatur adventum, de die in diem exspectans suorum interitum, patriæ desolationem. Dicebatur enim, a sæculis inaudita advenire multitudo et universam terræ superficiem eorum dicebatur equitatus operire; maxima eis ad potum non sufficere flumina et regiones uberes cibos eis non posse ministrare ad sufficientiam. Et licet major vero fama præcurrens hoc nuntiaret, rei tamen veritas magnis principibus a fide alienis Christiana, multum poterat et merito terrorem incutere. Nam, ut constanter asserunt qui in eadem expeditione præsentes fuerunt, in solo domini imperatoris comitatu, ad septuaginta millia fuerunt loricatorum, exceptis peditibus, parvulis et mulieribus, et equitibus levis armaturæ. In exercitu vero domini regis Francorum, virorum fortium loricis utentium numerus ad septuaginta millia, excepta classe secunda, æstimabatur; quibus si clemens et propitia comesque fuisset Domini gratia et eos in beneplacito suo visitare dignatus esset Dominus, non solum Soldanum, verum universas Orientis provincias, nomini potuissent Christiano subjecisse; sed eorum ex occulto, justo tamen judicio, sprevit famulatum Dominus, nec habuit acceptum munus, quod indignis fortasse offerebant manibus.

CAPUT XX.

Transito Hellesponto, seducitur imperator Conradus, Græcorum malitia; et ad loca periculosa nimis ejus trahitur exercitus.

Interea dominus imperator Conradus, transjectis universis trans Bosphorum legionibus, cum paucis et familiaribus admodum principibus, sumpta a domino imperatore licentia, navigio eumdem Bosphorum superans, exercitus iter jubet arripere, constitutis super singulas legiones singulis principibus: inde relinquens a læva Galatiam et Paphlagoniam, et utrumque Pontum, a dextris vero Phrygiam, Lydiam et Asiam minorem, per mediam iter agens Bithyniam, juxta ejusdem regionis metropolim Nicomediam, Nicæam, ubi trecentorum decem et octo sanctorum Patrum, temporibus domini Constantini, adversus infelicis Arii impia dogmata, convenit synodus, a dextris deserens, totam illam transcurrit regionem. Inde Licaoniam, cujus metropolis est Iconium, viam compendiosiorem secuti, instructis agminibus, universus attigit exercitus. Ubi prædictus soldanus, congregatis militaribus copiis et maxima Turcorum multitudine ex finitimis collecta regionibus, sustinens exspectabat, ut loco et tempore opportuno occurrere posset transeuntibus; et ne procederent, procurare posset impedimentum. Omnes enim usque in ultimos Orientis fines illarum provinciarum reges, duces et cujuscunque generis principes tam prece quam pretio, in nostram sollicitaverat læsionem; asserens et frequentibus contestans nuntiis quod, si tantæ tamque armatæ multitudini liber transitus indulgeretur, futurum esse ut suæ ditioni universum violenter subjiciant Orientem. Ex utraque igitur Armenia, Cappadocia, Isauria, Cilicia, Media, Parthia, ad ejus vocationem convolat gentium infinitus numerus, et colligitur numerositas inaudita; quorum omnium fretus auxilio, spem concipit, ut paribus possit resistere copiis, immensæ quam audierat advenire multitudini. Tradiderat autem Constantinopolitanus discedenti ab eo, et id ipsum petenti, domino imperatori, viæ duces, locorum peritos, provinciarum finitimarum omnem habentes prudentiam; sed fidei modicæ. Hi ad hoc dati credebantur, ut bona fide præirent exercitus, ne periculose incautis occurrerent locorum angustiæ, aut invia secutis victus deesset legionibus. Hi, postquam in terram hostium introduxerunt cohortes, primiceriis exercitus præcepe-runt, ut ad certos dies, quibus per loca deserta gratia compendii eos transire oportebat, necessariam sumerent ciborum alimoniam, spondentes firmissime quod, prætaxato paucorum dierum effluxo numero, ad Iconium urbem nominatissimam perventurus esset exercitus, et in regionem optimam, et commoditatibus redundantem consensurus. Illi autem dicto parentes, currus, jumenta et quælibet vehicula victualibus onerantes, eis habentes fidem, in simplicitate spiritus sui secuti sunt præcedentes. Verum Græci innata usi malitia, et consueto in nostros ducti odio, sive de mandato domini sui, sive hostium corrupti pecunia, studiose et ex industria per devia cœperunt trahere legiones; et in ea introducere loca, quibus populum simplicem major fieret hostibus opprimendi et expugnandi copia, et longe amplior ministraretur opportunitas.

CAPUT XXI.

Absentant se malitiose, qui ejus exercitui, a Græco imperatore duces erant dati: et periclitatur imperatoris exercitus.

Imperator vero videns dierum prætaxatum jam effluxisse numerum, et expeditiones nondum ad optatum et promissum pervenisse locum, viarum duces Græcos accersiri jubet, et coram principibus suis interrogare cœpit diligentius: *Quidnam sit quod amplioribus jam diebus quam ipsi ab initio deputassent, viam cœptam emensset exercitus, nec ad locum pervenisset constituti?* Illi autem ad solita recurrentes figmenta, futurum esse dicunt et cum

Digitized by Google

stanter affirmant, opitulante Domino, infra triduum universas Iconium perventuri legiones. Quibus verbis imperator, sicut vir simplex erat, persuasus, adjecit ut etiam hoc triduum patienter sustineret, fidem habens eorum promissionibus. Nocte ergo insequente, castris more locatis solito, cæteris præ labore quieti membra concedentibus, prædicti pestilentes viri, intempestæ noctis silentio, clam ab exercitu diffugiunt, relicto sine duce populo, qui eorum fidei fuerat commendatus. Relata demum luce, cum jam tempus immineret ut proficisceretur exercitus, non sunt inventi qui de consuetudine præirent agmina; tandemque ad imperatorem et principes exercitus, fugitivorum fraus relata est, et ab omnibus comperta malitia. Illi autem ut prolongarent iniquitatem sibi et peccatum peccato adderent, viri Belial, ad Francorum regis, qui in proximo dicebatur esse, properant exercitum, mentientes dominum imperatorem, qui præcesserat eorum fretum ducatu, omnia egisse prospere: Iconium violenter expugnatam, funditus dejecisse, et de hostibus triumphasse solemniter. Hæc autem, ut credimus, ea videbantur intentione asserere, vel ut dominum regem in idem præcipitarent periculum, et eadem incedere via persuaderent; aut fortasse, ut periclitantibus fratribus non subvenirent, dum illis omnia succedere crederent ad votum; aut fortasse illud confinxerunt, ne si exercitum deperisse dicerent, ipsi tanquam proditores, quorum maleficio corruisset populus, raperentur ad pœnas. Quacunque tamen intentione illud dixerint, certum est illorum perfidia seductum exercitum, in ea unde corruit descendisse mortis discrimina. Videns ergo imperator ducibus itineris destitutum exercitum, convocato universorum principum cœtu, quid facto opus sit deliberat. Aliis itaque redeundum, aliis vero procedendum esse dicentibus, fit votorum tanta dissonantia, ut vere dici posset: *Effusa est contentio super principes, et errare fecit eos Dominus in invio, et non in via* (*Psal.* CVI, 40). Dumque sic locorum ignari, et pro alimentorum defectum solliciti fluctuarent (defecerat enim penitus tam equis et jumentis pabulum, quam hominibus quodlibet ciborum genus) nuntiatur, nec erat a vero longius, in vicino hostium consistere acies, et Turcorum innumeram adesse multitudinem. Erat autem in solitudine sterili, longe a culto solo constitutus exercitus: sicut studiose, ut præmisimus, a prædictis seductoribus fuerat introductus. Nam declinantes a dextra Lycaoniam, per quam iter eis esse debuerat, cum tempore recisiore illuc facile potuissent pervenisse et omnibus abundasse copiis, loca culta sequentes; lævam tenuerunt, et in Cappadociæ solitudines, longe ab Iconio, universum deviare compulerunt exercitum. Dicebatur publice, nec a verisimili multum abhorrebat, quod de conscientia et mandato imperatoris Græcorum, nostrorum provectibus invidentis, constructa fuerunt hæc tam periculosa molimina; suspectum enim semper et habuisse et habere Græci dicuntur nostrum, maxime Teutonicorum, tanquam imperium æmulantium, incrementum omne. Moleste siquidem ferunt quod eorum rex Romanorum se dicit imperatorem; in hoc enim suo nimium detrahi videtur imperatori, quem ipsi monarcham, id est singulariter principari omnibus dicunt, tanquam Romanorum unicum et solum imperatorem.

CAPUT XXII.

Irruunt e repente super Teutonicorum legiones Turci, et eas obtruncant; evadit tamen imperator.

Sic igitur, cum fame et locorum ignorantia, laboris quoque diuturnitate, difficultate viarum, equorum defectum, sarcinarum pondere, domini imperatoris laboraret exercitus, Turcorum satrapæ, et diversi generis magistratus, convocatis prius ad id ipsum militaribus auxiliis, repente supra eorum castra hostiliter irruunt, et irruptione subita, nihil tale verentes, conturbant legiones. Freti autem equis velocibus, quibus non defuerant necessaria, et armorum levitate, arcuum videlicet et pharetrarum, castra magnis vociferationibus circumstrepunt, et agilitate solita, in nostros lentos et armis onustos gravibus, impetus exercent periculosos. At vero nostri loricis, ocreis et clypeis onerati, habentes equos fame et itineris longitudine fatigatos et ad sustinendos discursus insufficientes, licet viribus et armorum usu præminerent, longius tamen a castris, nec hostes insequi, nec cum eis committere volebant. Hostes e converso catervatim irruentes, eminus sagittarum, instar grandinis, immissa multitudine infinita, equos eorumque sessores vulnerantes, et causas mortis de remoto inferentes, equorum velocitate, nostrorum persequi volentium gladiis, fugientes, eripiebantur. Sic ergo in gyrum nostrorum vallatus exercitus, telorum et sagittarum immissionibus anxie nimis, et usque ad mortem premebatur; nec dabatur referendi vicem, et cum hostibus cominus conserendi copia: quippe quibus comprehendendi adversarios nulla erat facultas. Quoties enim in hostes nostrorum acies impetus facere nitebantur, illi dissolutis agminibus, nostrorum eludentes conatus, ad diversa ferebantur: iterum nostris in castra se recipientibus, illi agmina revocantes sua, nostrum cingebant exercitum; et instantes acrius, quasi obsessis requiem negabant. Factum est autem occulto Dei judicio, justo tamen, quod omnis illa tantorum principum virtus, quæ prius armis, viribus, animis et numero videbatur incomparabilis, subito contrita, languido lacessita Marte, corruit, ita ut vix remanerent illorum vestigia gloriæ, et tantarum vix superesset residuum copiarum. Nam de septuaginta millibus loricatorum equitum, et de tanta pedestrium turbarum manu, quorum infinitus erat numerus, vix, ut asserunt qui præsentes fuerunt, decima pars evasit, aliis fame, aliis gladio interemptis, nonnullis etiam vinculis hostium mancipatis. Evasit tamen dominus imperator cum paucis ex principibus suis; et cum

Digitized by Google

residuo suorum, licet cum difficultate nimia, post dies aliquot in partes Nicææ se contulit. Hostes vero victoria potiti, onusti spoliis, et gaza multiplici facti locupletiores, equis, armis usque ad nauseam ditati, in sua se contulerunt, tanquam locorum periti, præsidia, exspectantes avide Francorum regis adventum, qui ad easdem prope partes advenisse dicebatur. Sperabant enim quod ex quo domini imperatoris majores fuderant copias, et de comitatu domini regis Franciæ multo facilius possent obtinere: quod et factum est. Huic tamen tanto negotio Soldanus Iconiensis non interfuit; sed quidam nobilis militiæ suæ primicerius Turcorum magnus satrapa, Paramum dictus, hanc plagam, Domino permittente, contra spem exercuit. Accidit autem anno ab Incarnatione Domini 1146, mense Novembri.

CAPUT XXIII.

Rex Francorum, transito Hellesponto, apud Niceam Bithyniæ, cum suis pervenit legionibus; colloquuntur sibi ad invicem; imperator Constantinopolim revertitur.

Interea rex Francorum, pene eisdem subsecutus vestigiis cum suo exercitu, pervenerat Constantinopolim; ubi modico tempore secretioribus cum imperatore usus colloquiis, et ab eo honorificentissime, et multa munerum prosecutione dimissus, principibus quoque suis plurimum honoratis, inter urbem regiam et mare Ponticum, quod ab ea trigenta distat milliaribus, ubi Hellespontus angustissimus, vix ad unum milliare habet latitudinis, cum universis legionibus transito mari, in Bithyniam descenderat: gyratoque sinu maris, qui ab adjacente urbe ejusdem Bithyniæ metropoli, Nicomediensis dicitur, qui etiam Bosphori, sive Hellesponti pars est, in pago Niceo, non multum a Nicea remotus, castra locaverat, deliberans qua via incedendum esset; et de domino imperatore, qui eum præcesserat, nova diligentius investigans; et ecce nuntiatur dominum imperatorem, amisso exercitu, vagum et profugum, cum paucis principibus evasisse. Primum itaque sermo dubius, et sine certo auctore ortus est; sed processu temporis factus est certior; nam, modico interjecto intervallo, dominum Fredericus Suevorum dux, adolescens admirandæ indolis, domini imperatoris ex fratre primogenito nepos, qui eidem domino Conrado, patruo suo succedens, Romanum hodie strenue et feliciter administrat imperium, a castris domini imperatoris egressus, ad exercitum domini regis Francorum properans, hæc eadem quæ prius incerto auctore susceperant, plenius et certius edocuit. Venerat autem, ut dominum regem cum prædicto domino imperatore ad colloquium invitaret ut, communi consilio, licet sero, de itinere tractaretur. Factum est autem ut, audito periculo fratrum et interitu, et domini imperatoris sinistro casu qui acciderat, universus Francorum merito turbaretur exercitus, et mente compateretur; tandem verbo, domini ducis rex motus, habita cum suis deliberatione, ut cum eo loqueretur, cum paucis ex principibus suis progressus, duce prævio, usque ad imperatoris castra, quæ in vicino idem locaverat, pervenit. Dato itaque et accepto debitæ salutationis affatu, simul et osculo pacis interveniente, familiaribus usi colloquiis, ordinant proposito insistere, et simul junctis agminibus proficisci. Multi tamen de utroque exercitu, sed maxime de castris Teutonicorum, amissis viaticis et expensis ad iter necessariis, laboris quoque immensitate deterriti, votorum immemores, Constantinopolim sunt reversi. Communicato igitur cum utriusque exercitus primoribus consilio, viam quam prius incesserat imperator, ad lævam relinquentes, versus Asiam minorem, relicta a dextris utraque Phrygia, post tergum vero Bithynia, dirigunt acies; et nunc mediterraneo, nunc maritimo gradientes itinere, Philadelphiam a læva declinantes, Smyrnam, et inde Ephesum ejusdem Asiæ metropolim, Joannis Evangelistæ conversatione, prædicatione, simul et sepulcro claram, pervenerunt. Hic demum imperator, seu quia cum paucioribus erat, qui multo plures prius secum habuerat, verecundiam sustinens, aut Francorum fastus non ferens, seu aliis latentibus causis, remissis quæ supererant per terram legionibus, ipse ab Epheso usus navigio, Constantinopolim reversus est. Ubi a domino imperatore, multo quam primo adventu, susceptus honestius, moram apud eum usque ad veris initium sequentis, cum suis habuit principibus. Erat enim inter eos affinitatis vinculum; nam eorum uxores, sorores erant, filiæ Berengarii senioris, comitis de Sulcepach, magni et egregii principis, et in regno Teutonicorum potentissimi: unde ampliori erga eum abundabat gratia, et liberalitatem in eum et suos tenebatur, maxime interveniente imperatrice, effundere cumulatiorem.

CAPUT XXIV.

Rex Francorum alia procedens via, Ephesum pervenit; Guido comes de Pontivo ibi moritur. Franci Meandrum fluvium transeunt, invitis hostibus.

Interea rex Francorum de itinere cum suis principibus valde sollicitus, dum apud Ephesum gratia recreandi exercitus, moram faceret, Guido comes de Pontivo, vir militaribus præclarus et insignis actionibus, morbo gravatus in fata concessit, ibique in vestibulo ecclesiæ honorifice sepultus est. Rex autem inde profectus cum suo exercitu, iter in Orientem pro viribus maturabat; profectus enim inde, post paucos dies, ad vada Meandri, oloribus amica, pervenit. Hic est ille fluvius, de quo Naso noster in libro dicit Heroicum:

Sic ubi fata vocant, udis abjectus in herbis,
Ad vada Meandri concinit albus olor.

Supra cujus ripas in pascuis grate virentibus castrametatus est. Hic primum Francis hostes, juxta eorum desiderium, datum est intueri; nam accedere volentibus ad aquas, ex opposita fluminis ripa, hostes in magna multitudine ripas contingere, et aquæ usum nostris interdicebant. Tandem vero in-

Digitized by Google

ventis vadis, flumine, hostibus invitis, transmisso, irruentes nostrorum acies, pluribus ex eis neci traditis, multisque vinculis mancipatis, eos in fugam vertunt; et obtinentes eorum castra simul et opima spolia et supellectilem universam, ulteriorem fluminis ripam viriliter sibi vindicarunt. Habita itaque hujusmodi victoria, et de hostium manubiis et præda facti lætiores, nocte illa cum tranquillitate transcursa, rursum dato mane, ad iter se accingunt; inde Laodiciam, ejusdem regionis urbem pervenientes, sumptis viaticis ad dies aliquot, more solito, proficiscuntur unanimes.

CAPUT XXV.

Francorum, casu miserabili, prosternitur exercitus; pars quæ præcesserat, evadit.

Erat autem exercitui mons obvius, arduus admodum, et ascendendum difficilis; illum ea die, juxta legem profectionis, transire oportebat. Porro in expeditione consuetudo erat, singulis diebus quosdam de illustribus, qui agmina præirent, quosdam qui subsequerentur ad custodiam imbellis populi, et maxime turmarum pedestrium deputare; et cum principibus de modo viæ, de profectionis quantitate, de loco castrorum in die sequenti, ordinare. Præibat autem illa die cum vexillo regio sorte vocatus, in ordine vicis suæ, nobilis quidam de Aquitania vir, nomine Gaufridus de Rancun. Hic cum prædictum montem ascendisset, cum agminibus quæ præcedebant, in montis fastigio positus, licet præordinatum fuisset quod in montis vertice castrametarentur qui præibant, contra legem dispositam, proposuit adhuc aliquantulum procedere; nam videbatur ei quod modicum nimis illa die profectus esset exercitus, et multa diei pars adhuc superesset; cœpit, ducibus præeuntibus, et locum commodiorem in vicino promittentibus, adhuc ultra proficisci. Qui autem sequebantur, arbitrati quod in montis prædicti vertice essent castrametaturi, modicumque rati superesse itineris ad diem deputati, lente nimis et remissius sequi cœperunt præcedentes; ita quod monte a quibusdam transcurso, quibusdam vero circa montem adhuc moram facientibus, divisus est exercitus. Quod videntes qui a longe exercitum ex latere conturbantur hostium cunei, parati semper, si occasionem invenirent, irruere, et ad hoc specialiter sequentes sine intermissione exercitum: sumpta occasione, cum ex locorum angustiis, tum quia major et fortior expeditionis portio præcedens, separata erat; nec facile subsequentium aut conditionem nosse, aut eis laborantibus subvenire posse arbitrabantur; clivum montis occupant, ut majus inter præcedentes et subsequentes chaos firmaretur: instructisque aciebus, super nostros irruunt, et antequam arma possint corripere, nostras violenter dissolvunt acies; nec jam sagittis vel arcu, sed gladiis instantes cominus, Martem et mortem ingerunt, et diffugere paratos urgent atrocius. Nostris autem oberant locorum angustiæ; equi quoque ob diuturnitatem et difficultatem itineris facti debiliores, sarcinarum etiam multiplex numerositas, nonnullum præstabant impedimentum; resistunt tamen unanimiter, et paribus animis, pro vita, pro libertate, pro consortibus itineris decertant viriliter; gladiis ac lanceis rem peragunt, sese mutuis sermonibus exhortantes et exemplis. Hostes e converso spe fruendi victoria, suos animant, ad memoriam revocantes quod paucis ante diebus majores multo copias minore fudissent periculo, et de pluribus et longe fortioribus facile triumphassent. Pugnant igitur Marte diu ancipiti et dubio eventu; verum in fine, peccatis nostris exigentibus, infidelium prævaluit manus; et noster usque modicum numerum, plurimis interemptis, captivatis innumeris, redactus est exercitus. Occubuerunt illa die viri nobiles et illustres, rebus militaribus singulariter insignes, pia digni recordatione, comes de Guarenna, vir inter majores eximius, Galcherus de Montiay, Eurardus de Bretol, Iterus de Magnac, et alii multi quorum nomina non tenemus, quæ tamen scripta esse in cœlis credendum est, quorum memoria in benedictione erit in sæculum sæculi. Occidit illa die, nostris infausta et casu nimis adverso, ingens Francorum gloria; et virtus gentibus hactenus formidabilis, contrita corruit, immundis et Deum nescientibus, quibus prius terrori fuerat, facta ludibrio. *Quid est, benedicte Domine Jesu, quod populus iste, tibi tam devotus, pedum tuorum volens adorare vestigia, loca venerabilia, quæ tua corporali consecrasti præsentia, deosculari cupiens, per manus eorum qui te oderunt, ruinam passus est? Vere judicia tua abyssus multa* (*Psal.* xxxv, 7), *et non est qui possit ad ea. Tu enim solus es, Domine, qui cuncta potes; et non est qui possit resistere voluntati tuæ.*

CAPUT XXVI.

Rex casu evadens, ad eos qui præcesserant se colligit; residuum exercitus apud Attaliam pervenit, inde in Syriam transfretans.

Rex interea, casu magis quam industria, tanto tamque confuso exemptus periculo, sæpe dicti, qui vicinus erat, montis clivum ascendens, cum paucis ejus fugæ consortibus, sine duce, noctis intempestæ silentio, ad suorum castra, aliquantulum locata remotius, se contulit. Hi autem qui præcesserant, vexillum regium secuti, ut præmisimus, et montis angustias sine difficultate transierant, et castra, nemine prohibente, loco satis commodo, locaverant, ignari prorsus et expertes omnium quæ iis qui sequebantur acciderant. Præsagiebat tamen animus eorum qui præcesserant, ex quo viderunt acies interruptas et tantam subsequentium moram, quod aliquid sinistri obtigerat, nec erant eis pro voto universa. Ex quo autem per eos qui evaserant et cum rege in castra se contulerant, de infausto, qui acciderat, facti sunt certiores eventu, statim luctus occupat universa, mœror et anxietas corda sibi vindicat singulorum. Dumque sibi quisque, quem amiserat, proximum querulis vocibus et lacrymosis

Digitized by Google

quærit suspiriis, et dolore multiplicato quæsitum non invenit, ejulatu resonant agmina et gemitu cohortes macerantur; non erat in castris locus quem dolor familiaris, et domestica jactura non premeret : hic patrem, ille dominum; illa filium, hæc maritum cuncta lustrando perquirit; dumque non inveniunt quod quærunt, noctem percurrunt pondere curarum pervigilem, quidquid absentibus potest accidere deterius suspicantes. Reversi sunt tamen nocte illa de utraque classe nonnulli, qui frutectis et rupibus et cavernis terræ, mortis declinantes discrimen, noctis protecti beneficio, casu magis quam prudentia se adjungebant, ad castra pervenientes. Factum est autem hoc anno ab Incarnatione Domini 1146, mense Januario. Cœpit autem ab ea die panis et omnis penitus alimonia in castris deficere; sed nec alterius generis deinceps per multos dies, habuerunt commercium; sed etiam, quod deterius erat, sine duce, sine præambulo, passim nunc hac, nunc illac errabundi, locorum nullam omnino habentes peritiam, vagabantur. Tandem vero Pamphiliam ingressi, per abrupta montium, per devexa vallium, cum difficultate nimia, sine tamen hostium conflictu, usque Attaliam, ejusdem regionis metropolim, pervenerunt. Est autem Attalia civitas in ostore maris sita, imperatoris Constantinopolitani [subjecta] imperio, agrum habens opimum, et tamen civibus suis inutilem; nam angustiantibus eos undique hostibus, nec permittentibus agrorum cultui vacare, jacet ager infructuosus, dum non est qui exercendo fecunditatem possit procurare; alias tamen multas habens commoditates, gratum se solet præbere hospitibus, nam aquas emanans perspicuas et salutares, pomeriis est obsita fructiferis, situ placens amœnissimo; trajectarum tamen frugum et per mare devectarum solet habere copias, et transeuntibus sufficientem ciborum commoditatem ministrare. Quia vero hostibus nimis est contermina, eorum non valens indesinenter sustinere molestias, facta est eis tributaria, per hoc necessariorum cum hostibus habens commercium. Hanc nostri, idiomatis Græci non habentes peritiam, corrupto vocabulo Sataliam appellant; unde et totus ille maris sinus, a promontorio Lissidona, usque in insulam Cyprum, Attalicus dicitur, qui vulgari appellatione Gulphus Sataliæ nuncupatur. Ad hanc perveniens rex Francorum cum suis, ob multitudinem concurrentium tantam passus est alimentorum penuriam, quod pene residuum exercitus, et maxime pauperes ibi consumerentur inedia. Ipse vero cum suis principibus, relictis pedestribus turmis maturato navigio, Isauriam Ciliciamque a læva deserens, a dextris autem Cypro relicta, prosperis actus flatibus fauces Orontis fluminis, quod Antiochiam præterlabitur, qui locus hodie dicitur Sancti Simeonis portus, juxta antiquam urbem Seleuciam, et ab Antiochia decem distat milliaribus, ingreditur.

CAPUT XXVII.

Raymundus princeps Antiochenus regem Francorum apud portum Sancti Simeonis honeste recipit; deducit Antiochiam; sed tandem male dividuntur ab invicem.

Audiens igitur princeps Antiochenus Raymundus, regem Francorum in partibus suis applicuisse, cujus adventum multis diebus ante exspectaverat, cum desiderio sustinens, convocatis nobilibus totius regionis, et populi primoribus, cum electo comitatu ei occurrens, in urbem Antiochenam, omnem ei exhibens reverentiam, occurrente ei universo clero et populo, magnificentissime introduxit. Conceperat autem multo ante, audito ejus adventu, quod per ejus auxilium Antiochenum principatum ampliare posset : unde et eidem in Franciam, antequam etiam iter arriperet, honesta præmiserat donaria, et exenia multi pretii, ut ejus sibi conciliaret gratiam, largitus fuerat. Præsumebat nihilominus et de reginæ apud dominum regem interventu, quæ ejusdem peregrinationis regi adhæserat comes indivisa; quæ ejusdem domini principis neptis erat, domini videlicet Willelmi Pictaviensium comitis, fratris ejus primogenita filia. Advenienti igitur, ut diximus, omnem exhibuit humanitatem; sed et circa nobiles et principes, qui ejus secuti sunt comitatum, ejus simile non defuit studium, nec eximiæ liberalitatis opera; sed omnes honore præveniens, prout cujusque exigebant merita, plena tractabat munificentia. Erat ei sane spes maxima, quod urbes finitimas, Halapiam videlicet, et Cæsaream, aliasque nonnullas ejus fretus auxilio, et copiis adjutus, sibi posset subjugare. Nec ea spe delusus esset, si regem cum suis ad hoc potuisset induxisse proceribus; nam tantus de adventu regis hostibus nostris timor incubuerat, ut jam non solum de viribus suis diffiderent, sed de vita etiam viderentur desperare. Conveniens igitur solemniter, et in præsentia tam principum domini regis quam suorum princeps dominum regem, juxta id quod mente conceperat, et secretius nonnunquam convenerat, et petitiones suas effectui sine difficultate mancipabiles, honestatique simul et utilitati convenire ostendens; ubi videt se non proficere, cum rex Hierosolymam votis ardentibus irrevocabiliter ire proposuisset, spe frustratus, mutato studio, regis vias abominari, et ei præstruere patenter insidias et in ejus læsionem armari cœpit. Uxorem ejus enim in id ipsum consentientem, quæ una erat de fatuis mulieribus, aut violenter aut occultis machinationibus, ab eo rapere proposuit. Erat, ut præmisimus, sicut et prius et postmodum manifestis edocuit indiciis, mulier imprudens, et contra dignitatem regiam legem negligens maritalem, tori conjugalis fidem oblita; quod postquam regi compertum est, principis præveniens molimina, vitæ quoque et saluti consulens, de consilio magnatum suorum iter accelerans, urbe Antiochena cum suis clam egressus est. Mutatus est igitur color optimus, et dissimilia

Digitized by Google

acta sunt postrema prioribus; et qui cum tanta gloria susceptus fuerat adveniens, egrediens sorte mutata recessit inglorius. Sunt qui regi hæc ad minimam imputant malitiam : et ei dicunt digne pro meritis accidisse, quod tanti viri, et de se et de suis ita bene meriti preces non admiserit; præsertim cum constanter asseverent quod facile unam vel plures ex prænominatis urbibus, si ad id dare operam voluisset, obtinere potuisset.

CAPUT XXVIII.

Hieme transcursa, Conradus imperator, usus navigio, in Syriam pervenit; comes quoque Anfossus apud Acconensem applicat civitatem, moriturque apud Cæsaream.

Interea dominus imperator, transcursa hieme, apud urbem regiam, ubi a domino Constantinopolitano, humanitatis legibus diligenter, prout tantum decebat principem, tractatus, et donis in decessu largissimis cumulatus, classe quam eidem imperialis magnificentia deputaverat, vectus, cum quibusdam ex principibus suis in Orientem perveniens, portum attigit Acconensem. Inde Hierosolymam proficiscens, a domino rege Balduino et domino Fulchero bonæ memoriæ patriarcha, occurrente ei extra civitatem universo clero et populo cum hymnis et canticis, in sanctam introductus est civitatem. Applicuit etiam eisdem diebus portu quoque Acconensi, vir magnificus et illustris, comes Tolosanus, Anfossus nomine, domini Raymundi senioris comitis filius (qui tantus princeps, tanti fuit meriti in prima expeditione); vir suis egregius titulis; sed patris pia clarior memoria, dum inde Hierosolymam, ut Domino pro peracta feliciter peregrinatione gratias ageret, proficisceretur, apud Cæsaream urbem maritimam, paucis postquam appulit diebus, porrecto, ut dicitur, veneno, sed auctore tanti sceleris incerto, vitam finivit. Hujus viri inclytæ recordationis, universus populus cum summo desiderio præstolabatur adventum; sperans quod faustum et felix omen patris, adveniens, regno esset illaturus.

CAPUT XXIX.

Rex Francorum, ab Antiochia digressus, Hierosolymam properat; mittitur ei obviam Hierosolymitanus patriarcha.

Nuntiatur interea Hierosolymis, regem Francorum ab Antiochia digressum, ad partes accedere Tripolitanas, unde de communi omnium principum consilio dirigitur ei obviam dominus Fulcherus, bonæ memoriæ Hierosolymorum patriarcha, ut exhortationibus congruis et monitis salutaribus eum in regnum evocaret; ne forte vel a domino principe, restituta in integrum gratia revocatus, vel a domino comite Tripolitano, ejus consanguineo, detentus Hierosolymorum differret desideria. Orientalis enim Latinorum tota regio quatuor principatibus erat distincta. Primus enim ab austro, erat regnum Hierosolymorum, initium habens a rivo qui est inter Biblium et Berythum, urbes maritimas provinciæ Phœnicis, et finem in solitudine quæ est ultra Darum, quæ respicit Ægyptum. Secundus erat versus septentrionem, comitatus Tripolitanus, a rivo supradicto habens initium, finem vero in rivo qui est inter Maracleam et Valeniam, urbes similiter maritimas. Tertius erat principatus Antiochenus, qui ab eodem rivo habens initium, usque in Tarsum Ciliciæ, versus occidentem protendebatur. Quartus erat comitatus Edessanus, qui ab ea silva quæ dicitur Marrim, in orientem ultra Euphratem protendebatur. Hi omnes magni viri et potentes ab initio spem conceperant quod in adventu prædictorum regum, per eorum operam et auxilium possent fines suos dilatare et porrigere terminos in immensum. Omnes enim hostes immanissimos et urbes hostium invisas, plurimum habebant conterminas, quas sibi adjungere cupiebant. Erant ergo de cura domestica et familiari incremento valde solliciti. Unde reges nuntiis et muneribus ad se quisque invitabant, alios prævenire cupientes. Inter hos dominus rex et qui in regno erant, spem sibi videbantur fovere majorem, tum ob reverentiam locorum venerabilium, quorum amor et devotio omnes trahebat amplius; tum quia dominum imperatorem apud se habebant, ad quem credibile erat dominum regem Francorum accessurum, cum complendæ orationis et peregrinationis gratia, tum ut de communi consilio in opere aliquo ad incrementum Christianitatis procederetur. Missus est ergo dominus patriarcha, ut prædiximus, a regni principibus, metuentibus plurimum, ne a domino principe, cujus affinis erat, et ei arctiore charitatis vinculo jungi videbatur, et maxime interventu reginæ, circa partes Halapiæ detineretur, sicut et probabile videbatur. Cognito vero quod minus amice ab invicem discesserant, spes eis accessit amplior, quod sine dilatione inde digrediens, Hierosolymam esset perventurus. Contra tamen fortunæ insidias, et quia *prudenter timetur quidquid accidere potest*, virum venerabilem prædictum patriarcham, cujus auctoritate moveretur, præmiserunt; nec spe concepta frustrati sunt; nam ejus verbum secutus, Hierosolymam incunctanter advenit. Quo perveniens, occurrente ei universo clero et populo, cum hymnis et canticis una cum principibus suis, honorifice, et cum debita gloria, in urbem receptus est et ad loca venerabilia deductus. Tandem completis de more orationibus, indicitur apud urbem Acconensem curia generalis, ut de fructu tantæ peregrinationis, et de tantorum fine laborum, et de regni desiderato tractaretur incremento. Tandem die statuta ad destinatum convenientes locum sicut et præordinaverant, quid facto esset expedientius, cum regni nostri magnatibus, quibus plenior rerum et locorum erat cognitio, diligentius deliberare cœperunt.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER SEPTIMUS DECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Apud Ptolomaidam urbem maritimam curia celebratur generalis; nominanturque principes qui ad eam convenerunt.

Dignum credimus, et præsenti satis convenire videtur historiæ ut posteritatis mandetur memoriæ, qui principes prædictæ interfuerunt curiæ, qui ex tantis convenerant regionibus. Interfuit ergo primus dominus Conradus inclytæ recordationis, Teutonicorum rex et Romanorum imperator: et de principibus ejus ecclesiasticis, dominus Otto Frisingensis episcopus, vir litteratus frater ejus; dominus Stephanus Metensis episcopus; dominus Henricus, domini Theodorici Flandrensium comitis frater, Tullensis episcopus; dominus Theotinus natione Teutonicus, episcopus Portuensis, apostolicæ sedis legatus, qui de mandato domini Eugenii papæ, ejusdem domini imperatoris castra fuerat secutus. De laicis vero dominus Henricus dux Austriæ, ejusdem imperatoris frater; dominus dux Guelpho, vir illustris et potens; dominus Fredericus, inclytus Suevorum et Vindelicorum dux, ejusdem domini imperatoris ex fratre primogenito nepos, eximiæ indolis adolescens, qui ei postmodum succedens, Romanum hodie strenue et viriliter administrat imperium; dominus Hermannus, provinciæ Veronensis marchio; dominus Bertholdus de Andes, qui postea fuit Bavariæ dux; dominus Wilelmus, marchio de Monteferrato, ejusdem domini imperatoris sororius; Guido comes de Blandrada, qui prædicti marchionis sororem habebat uxorem, ambo de Lombardia erant, magni et egregii principes. Interfuerunt et alii nonnulli, nobiles et spectabiles viri, quorum nomina vel titulos non tenemus.

Interfuit dominus Ludovicus Francorum rex piissimus, inclytæ in Domino memoriæ, et cum eo dominus Godefridus, Lingonensis episcopus; dominus Arnulphus, Loxoviensis episcopus; dominus Guido de Florentia, Ecclesiæ Romanæ presbyter cardinalis, titulo Sancti Chrysogoni, apostolicæ sedis legatus; dominus Robertus, comes Perchensis, ejusdem domini regis frater; dominus Henricus, domini Theobaldi senioris comitis filius, comes Trecensis, ejusdem domini regis gener, egregiæ indolis adolescens; dominus Theodoricus; Flandrensium magnificus comes, domini regis Hierosolymorum sororius; dominus Ivo de Neella Suessionensis, vir fidelis et prudens. Interfuerunt et alii multi, nobiles, et potentes, et digni memoria viri, quorum nomina, prolixitatem declinantes, studiose prætermimus. De nostris autem regionibus, adfuit dominus Balduinus, Hierosolymorum rex, inclytæ indolis adolescens; et cum eo mater ejus, prudens et circumspecta mulier, cor habens virile, et quolibet consulto principe nihil inferius sapiens; et cum eis, dominus Fulcherus, patriarcha; dominus Balduinus, Cæsariensis archiepiscopus; dominus Robertus, Nazarenus archiepiscopus; dominus Rorgo, Acconensis episcopus; dominus Bernhardus, Sidoniensis episcopus; dominus Willelmus, Berytensis episcopus; dominus Adam, Paneadensis episcopus; dominus Geraldus, Bethlehemita episcopus; Robertus magister militiæ Templi; Raimundus, magister domus Hospitalis. De laicis vero, Manasses regis constabularius, Philippus Neapolitanus, Helinandus Tiberiadensis, Gerardus Sidoniensis, Galterius Cæsariensis, Paganus dominus regionis quæ est trans Jordanem, Balianus senior, Hunfredus de Torono, Guido Berytensis; et alii multi, de quibus per singula longum nimis esset enumerare. Hi omnes, ut diximus, in urbem convenerant Acconensem, tractaturi quod optimum et loco et tempori magis conveniens videretur; quod primum, auctore Domino, ad incrementum regni et Christiani gloriam nominis attentarent.

CAPUT II.

Urbem Damascenam proponunt obsidere, et ex condicto ad eam accedunt.

Tractatis igitur continuo libramine deliberationis partibus, post subjecta, sicut in talibus fieri solet, diversarum partium diversa consilia, de communi consilio visum est tempori expedientius Damascum urbem nostris damnosam obsidere: unde firmato circa id consilio, voce præconia præcipitur publicari, quatenus die statuta omnes unanimiter parati sint copias suas ad partes illas dirigere. Mense igitur Maio, vicesima quinta die mensis, anno ab Incarnatione Domini 1147, congregatis ex universo regno militaribus tam equitum quam peditum copiis, tam ex indigenis quam ex peregrinis, prævio vivificæ crucis salutari ligno, prædicti Deo amabiles reges, una cum suis expeditionibus, ad urbem Tiberiadem, ex condicto perveniunt. Inde viarum compendia secuti, secus mare Galilææ usque Paneadem, quæ est Cæsarea Philippi, universos deduxerunt exercitus. Ubi deliberatione habita cum iis qui situs urbis Damascenæ et adjacentis regionis habebant peritiam, communicato cum majoribus principibus consilio, utilius judicant prædictam urbem eatenus obsidione vallare, ut prius occupentur pomeria, quæ ex maxima parte urbem ambiunt eamdem et plurimam videntur conferre munitionem, arbitrantes quod occupatis pomeriis urbem deinceps obtinere satis esset in expedito. Sic igitur juxta initum consilium iter agressi, transcurso famosissimo monte Libano, qui medius inter Cæsaream Philippi et eamdem Damascum interjacet, apud vicum cui nomen Daria est, in agrum descenderunt Damasce-

Digitized by Google

num, ab urbe quatuor aut quinque distantes millaribus : unde et totam civitatem cum adjacente regione, de plano dabatur intueri.

CAPUT III.

Describitur situs Damascenæ urbis.

Est autem Damascus civitas maxima minoris Syriæ, quæ alio nomine Phœnicis Libanica nuncupatur metropolis, sicut ibi legitur : *Caput Syriæ Damascus* (*Isa.* VII, 8); a quodam Abrahæ servo denominata, qui eam creditur fundasse. Interpretatur autem *sanguinea* vel *sanguinolenta*. Est autem in campestribus sita, in agro sterili et arido, nisi quantum aquarum antiquis meatibus deductarum irrigatur beneficio. Fluvius enim a promuntorio descendens vicino, in superioribus illius regionis partibus, canalibus exceptus, ut inde liberius per plana possit deduci, per diversas subjectæ regionis partes ad agrorum sterilitatem fecundandam dirigitur; quod vero residuum est, quia copiosas habet aquas, ex utraque ripa pomeria nutrit, arboribus consita fructiferis, juxtaque civitatis murum Orientem versus labitur. Pervenientes igitur prædicti reges ad locum prænominatum, videlicet Dariam, urbem habentes jam vicinam, instruunt acies, et ordinem incedendi assignant legionibus, ne promiscue incedentes, contentiones suscitent ad invicem et operi futuro ministrent impedimentum. Primus itaque cum suis Hierosolymorum rex, eo maxime quod locorum peritiam ejus cohortes dicebantur habere, de communi principum statuto ire præcipitur, et cæteris subsequentibus iter aperire. Secundum et medium locum rex Francorum cum suis expeditionibus tenere jubetur, ut præcedentibus, si necessitas emerserit, opem ferat. Tertium et novissimum imperator, eodem decreto, conservare mandatur, ut hostibus, si forte a parte irruant posteriore, resistere sit paratus, et præcedentes copias a parte relicta reddat securiores. His ergo tribus exercitibus ordine congruo dispositis, ad urbem castra promovent, accedere contendentes. Est autem civitas ab occidentali parte, unde nostris erat accessus, et a septentrionali pomeriis obsita longe lateque, instar condensorum nemorum et opacarum silvarum, ita ut ultra quinque aut amplius milliaria versus Libanum protendantur. Et hæc eadem, ne dominia fortasse sint in incerto, et ne volentibus passim introire liceat, clausa sunt muro, licet luteo; nam lapidibus regio illa non abundat. Clausa sunt itaque, et secundum hoc quod cuique designatæ sunt possessiones, muro hujusmodi vallata, relictis semitis et viis publicis, licet angustis, quibus hortulanis et curam pomeriorum habentibus ad urbem cum jumentis fructus deferentibus perveniatur. Sunt autem hæc pomeria urbi pro summo munimine; nam præ densitate et arborum frequentia, et viarum angustiis, videbatur durum et pene impossibile, ut ab ea parte esset transitus urbem adire volentibus. Per hæc tamen loca decretum erat nostris principibus ab initio exercitus introducere, et ad urbem patefieri accessum; ex causa gemina, tum ut occupatis munitioribus locis, et in quibus populo Damasceno major erat fiducia, quod superesset, leve videretur et compleretur facilius; tum ut expeditionibus, fructuum et aquæ non deesset commoditas. Immittit ergo primus Hierosolymorum rex, per illas pomeriorum angustiores semitas, suas acies; sed vix et cum multa difficultate procedere poterat exercitus, tum viarum impeditus angustiis; tum eorum qui in virgultis latebant, insidiis lacessitus; tum etiam manifesto hostium qui aditus obsederant, et viarum præoccupaverant anfractus, conflictu. Egressus enim erat unanimiter civitatis populus, et in prædicta descenderat pomeria, ut tam occultis quam manifestis congressionibus exercitum transire prohiberet. Erant præterea, intra ipsa pomeriorum sepia, domus eminentes et excelsæ, quas viris pugnaturis communierant, quorum possessiones erant vicinæ : unde sagittis et aliorum immissione telorum, hortorum sepia tuebantur, neminem accedere permittentes; sed et publicam volentibus transire viam reddebant eminus sagittis valde periculosam. Nec erant tamen ex una tantum parte nostris prædictorum formidabiles insidiæ; sed ex omni latere par erat incautis periculum, et suspectum æque improvisæ mortis discrimen. Erant nihilominus et secus muros interius latentes viri cum lanceis, qui per specularia modica, in muris ad hoc studiosius ordinata, unde videre transeuntes poterant, minime vero ipsi videri, prætereuntes confodiebant ex latere : quo casu plurimi dicuntur illa die miserabiliter occubuisse. Sed et aliæ innumerabiles non defuerunt inter illas angustias periculorum transire volentibus species.

CAPUT IV.

Nostri pomeria civitatis violenter effringunt, et fluvium invitis hostibus occupant in manu forti. Factum imperatoris eximium et admirabile describitur.

Hoc igitur intelligentes nostri, instant acerbius et effractis hortorum violenter claustris, pomeria certatim occupant; et quos intra sepia vel in hujusmodi domibus reperiunt, gladiis transverberant, aut in vincula captos conjiciunt. Quod audientes qui ad simile opus exierant, aliorum exemplo timentes interire, relictis hortis, catervatim in urbem se recipiunt; sicque illis in fugam versis, aut peremptis gladio, liber nostris ad anteriora patuit aditus. Equestres porro tam civium, quam eorum qui eis in subsidium venerant, copiæ, intelligentes quod ad obsidendum urbem per illas partes noster venturus esset exercitus, ad amnem qui urbem præterlabitur, accesserant, ut arcubus et balistis expeditiones ex itinere fatigatas, et præ sitis angustia laborantes, arcerent a flumine et aquarum maxime necessariam negarent sitientibus commoditatem. Nostri vero ad relevandam sitim, quam ex laboris difficultate et ex pulveris nube densa, equorum ho-

Digitized by Google

minumque pedibus agitati, collegerant, ad fluvium quem vicinum audierant properantes, ubi secus ripam viderunt tantam hostium multitudinem, substiterunt ad modicum; tandemque collectis viribus, necessitate vires et audaciam ministrante, semel et secundo, sed frustra aquas sibi vindicare nituntur. Dumque circa id Hierosolymorum rex cum suis plurimum desudat et frustra laborat, nuntiatur domino imperatori qui posterioribus præerat agminibus, sciscitanti : *Quænam esset causa quare non procederet exercitus?* quod hostes, fluvium obtinentes, nostros non permittebant accedere. Quo cognito, ira succensus, per medias regis Francorum acies usque ad conflictum eorum qui pro flumine contendebant, cum suis principibus celer pervenit. Ubi tam ipse quam sui de equis descendentes, et facti pedites (sicut mos est Teutonicis, in summis necessitatibus bellica tractare negotia) objectis clypeis, gladiis cominus cum hostibus experiuntur; quorum impetus, qui prius fortiter restiterant, sustinere non valentes, in fugam versi, flumina deserunt, in urbem cum summa velocitate se conferentes. In quo congressu, domini imperatoris factum sæculis memorabile dicitur accidisse; nam uni de resistentibus, viriliter et strenue dimicanti, quamvis loricato, uno ictu caput, collum, cum sinistro humero et brachio cohærente, simulque partem subjecti lateris dicitur amputasse. Quod factum cives, tum qui hoc viderant, tum eos qui ex aliorum relatione id ipsum cognoverant, in tantam dejecit formidinem, ut et de resistendo et de vita penitus desperarent.

CAPUT V.

Desperant cives, et de fuga cogitant; ex nostris principibus quosdam data corrumpunt pecunia, quorum persuasione in oppositam civitatis partem transfertur exercitus.

Obtento igitur flumine et ripa liberius concessa, longe lateque secus urbem castrametantur; et tam pomeriis violenter expugnatis quam fluminis libere pro arbitrio usi sunt commoditate. Attoniti ergo cives, et exercitus nostri et numerum stupentes et virtutem, de viribus suis cœperunt diffidere, quasi resistere non valentes; timentesque subitas nostrorum irruptiones, nihil tutum reputant, dum ad mentem reducunt, quales eos hesternis congressionibus sint experti. Habita igitur deliberatione, usi ea quæ miseris et afflictis rebus solet adesse, solertia, et ad ultima recurrentes argumenta, omnes vicos civitatis, ex ea parte, in qua nostri castra locaverant, magnis et proceris contexunt trabibus; in eo solo spem habentes, ut dum nostri circa effringenda repagula hujusmodi laborarent, ipsi per partem oppositam, cum uxoribus et liberis egrederentur fugientes. Videbatur satis in expedito, si propitia nobis esset Divinitas, quod urbem in vicino obtenturus esset populus Christianus; sed aliter visum est ei qui *terribilis* est *in consiliis super filios hominum* (*Psal.* LXV 4). Nam dum, ut dixi-mus, civitas in arcto constituta esset, nec ejus cives resistendi aut salutis spem haberent ullam, sed compositis sarcinis migrare e loco disponerent, peccatis nostris exigentibus, cœperunt de nostrorum præsumere cupiditate; et pecuniarum interventu, eorum expugnare animos sunt aggressi, quorum corpora posse vinci diffidebant; tota enim sollicitudine in argumenta varia se attollentes, quibusdam de principibus promissa et collata infinitæ quantitatis pecunia, ut eorum studio et opera obsidio solveretur, ut Judæ proditoris officio fungerentur persuaserunt. Hi ergo datis et pollicitis corrupti, et vitiorum omnium fomitem, cupiditatem secuti, in id sceleris descenderunt, ut regibus et peregrinis principibus, de eorum fide et industria confidentibus, impiis suggestionibus persuaderent ut, relictis pomeriis, in oppositam civitatis partem transferrent expeditiones; et ut dolum quocunque colore tegerent, allegant in opposita civitatis parte, quæ austrum respicit et quæ ad orientem, nec pomeria esse, quæ urbi sint pro robore; nec ad murum expugnandum, vallo vel flumine impediri accessum. Murum quoque asserunt humilem, et ex crudis compactum lateribus, primos vix posse impetus sustinere. Ibi nec machinis, nec multo opus esse conamine dicunt, sed statim primis congressionibus manibus murum dejici, et in civitatem irrumpere non esse difficile. Horum autem ad hoc solum properabat intentio, ut exercitus ab ea parte, qua locatus erat, quaque civitas maxime premebatur, et diu tolerare neque poterat, amoverent, scientes quod in opposita parte perseverare, et obsidionem continuare non possent. Crediderunt ergo tam ipsi reges, quam totius primores exercitus, et loca quæ prius cum multo sudore, et multa suorum strage occupaverant, deserentes, universas transferunt legiones; et in opposita civitatis parte prævis seductoribus castrametati sunt. Ubi videntes se ab aquarum commoditate longe positos, fructuum quoque ubertate carere, et jam deficere penitus alimenta, dolum intercessisse; et malitiose a locis uberibus se translatos, licet sero, conqueruntur.

CAPUT VI.

In nostrorum castris victus deficit; detegitur proditorum malitia; et soluta nostri redeunt obsidione.

Deficiebat ergo victus in castris; nam spe subito obtinendi civitatem, sicut eis persuadebatur antequam iter arriperent, ad paucos dies sufficientia detulerant alimenta; et maxime peregrini, quibus non multum poterat imputari, tanquam locorum ignaris. Persuasum namque illis fuerat quod primis congressionibus statim, et sine difficultate urbem essent obtenturi; interimque fructuum alimonia, qui gratis occurrerent, etsi alius omnino deesset victus, magnum posse ali exercitum asserebant. Quid ergo faciant dubii, et in secreto et in publico deliberant. Redire enim ad loca unde exierant, durum videbatur et impossibile; nam, nostris egredientibus, statim hostes, ut viderunt effectui man-

Digitized by Google

cipatum quod cupierant, multo fortius quam ante eadem loca ingressi, communierant vias quibus nostri prius introierant; objectis trabibus et molibus magnis præstruxerant, sagittariorum immittentes manum infinitam, qui ab ingressibus arcerent ingredi cupientes. Rursum ex ea parte in qua castra locaverant, urbem impugnare, moram videbatur exigere; sed ferias longiores victus inopia non indulgebat. Colloquentes itaque peregrini principes ad invicem, videntesque manifestam illorum, quorum fidei animas suas et negotia commiserant, malitiam, scientes quod non proficerent, redeundum esse decernunt, fraudes eorum qui eos seduxerant detestantes. Sic igitur reges et principes, quantos a sæculis non legimus convenisse, confusione induti et reverentia, peccatis nostris exigentibus, infecto negotio, redire compulsi, eadem via qua venerant, in regnum sunt reversi. Qui deinceps, non solum quandiu in Oriente moram egerunt, nostrorum principum vias omnes suspectas habebant; et eorum merito, tanquam malitiosa nimis declinabant consilia, circa regni negotia tepidos se exhibentes; verum, postquam ad eorum regiones eis datum est reverti, susceptarum perpetuo memores injuriarum, eorumdem principum abominati sunt malitiam. Nec se solos, verum etiam et alios, qui non interfuerant, circa amorem regni efficiebant remissiores: ita ut jam de cætero, neque tot, neque ferventes adeo, hujus peregrinationis viam arriperent, et advenientes etiam nolentes eorum illaqueari fraudibus, domum citius redire etiam hodie contendant.

CAPUT VII.

Diversæ ponuntur opiniones, quis tantæ proditionis auctor fuerit. Iterum Ascalonam proponunt obsidere, sed non proficiunt.

Memini me frequenter interrogasse et sæpius prudentes viros, et quibus illius temporis solidior adhuc suberat memoria, et ea maxime intentione ut compertum historiæ mandarem præsenti, quænam tanti mali causa fuerit et qui tanti sceleris fuerint auctores; et quomodo tam detestabilis conceptus effectui potuit mancipari. In assignatione autem causæ dissonas inveni relationes; nam quorumdam erat opinio quod comitis Flandrensium factum quoddam occasionem præstiterat huic malo; is namque, ut præmisimus, in eo fuit exercitu. Qui, postquam nostræ legiones ad urbem prædictam accesserunt, et jam violenter obtentis pomeriis et flumine, obsessa est civitas, ad singulos regum dicitur singillatim et seorsum accessisse, et profusis precibus postulasse, ut capta civitas ei daretur; et hoc etiam dicitur impetrasse, quod audientes regni nostri quidam proceres, consentientibus etiam aliorum nonnullis, indignati sunt quod tantus princeps, et cui sua poterant sufficere, et qui gratis Domino militare videbatur, regni tantam portionem sibi dari postulabat; sperabant enim sibi accrescere, quidquid per istorum principum operam et laborem regno incrementi accederet. Unde indignati, in hoc tam piaculare descenderunt flagitium, ut mallent eam hostibus conservare quam ut comiti prædicto cederet in sortem. Indignum enim eis admodum videbatur ut qui tota vita sua regno militantes, infinitos labores pertulerant aliis qui recentes advenerant, tantorum fructus laborum colligentibus, ipsis neglectis et absque remunerationis spe, quam diu et ex meritis videbantur collegisse. Alii dicunt principem Antiochenum indignatum quod rex Franciæ ita ab eo divertisset, et beneficiorum suorum immemor, in nullo eum juvisset, quibusdam mandasse in exercitu principibus, et obtinuisse, quatenus ejus gratia efficeret, ne conatus ejus finem sortiretur optatum, et ut ita procurarent, ut infecto negotio redire cogeretur inglorius. Alii dicunt omnino nihil aliud intercessisse, nisi quod ab hostibus infinita sint redempti pecunia, qui hoc tam ingens procuraverunt malum; et pro summo solent recitare miraculo, quod postmodum tota illa male sumpta pecunia, inventa est reproba et penitus inutilis. Qui autem fuerint tam detestabilis ministri sceleris, varia multorum nihilominus fuit opinio, sed mihi pro certo compertum non est. Quicunque tamen sunt, sciant quod pro meritis digna quandoque præmia reportabunt, nisi misericors Dominus condigne satisfacientibus clementer indulgeat.

Ita ergo, ut præmisimus, nostri sunt sine gloria reversi. Lætata est ergo Damascus in profectione ipsorum, quia incubuit timor eorum super eos; nostris autem e diverso, *versa est in luctum cithara; et facti sumus canticum hostium nostrorum tota die* (*Job.* XXX, 31). Reversi itaque in regnum prædicti reges, iterum convocato procerum cœtu, aggredi conantur (sed incassum) factum aliquod, in quo memoriam suam posteris possint reddere commendabilem. Erant nonnulli qui suggererent circa Ascalonam, quam adhuc detinebat populus infidelis, quæ quasi in regni medio sita erat, et ad quam sine difficultate poterant universa deferri necessaria, ponendam obsidionem; facileque esse dicebant, et in promptu, ut cultui restitueretur Christiano; sed post multa hujusmodi verba, sicut et prædictus conceptus passus est aborsum; et dum adhuc oritur, succisus. Iratus enim Dominus omnes eorum conatus videbatur evacuare.

CAPUT VIII.

Imperator Conradus ad propria regreditur, rege Francorum in Syria moram faciente.

Videns igitur dominus Conradus imperator quod ei gratiam suam subtraxerat Dominus, et in regni negotiis ei procedere negabatur, parato navigio, sumptaque licentia, in regnum proprium est reversus. Quo perveniens, infra paucos annos apud Bauenberg mortuus est, ubi et magnifice in ecclesia majori sepultus est: vir pius et misericors, corpore conspicuus, generositate insignis, rei militaris ad perfectum habens experientiam, vita et moribus per omnia commendabilis, cujus memoria in bene

Digitized by Google

dictione est. Cui dominus Fredericus Suevorum dux illustris, qui ejusdem peregrinationis comes adhæserat indivisus, ex fratre primogenito nepos (cujus supra fecimus mentionem) inclytæ indolis adolescens, in imperio successit, qui hodie Romanum strenue et feliciter administrat imperium. Dominus vero rex Francorum, peracto apud nos unius anni curriculo, circa transitum vernalem, Pascha Hierosolymis celebrato, cum uxore et principibus suis ad propria reversus est. Quo perveniens, injuriarum memor, quas in via et in toto peregrinationis tractu, uxor ei irrogaverat, in præsentia pontificum regni sui solemniter celebrato divortio, ab uxore, titulo consanguinitatis objecto, divertit. Quam protinus sine temporis intervallo, Henricus Normanniæ dux et Andegavensium comes, antequam in Aquitaniam suam, quæ ei paterna erat hæreditas, se reciperet, duxit uxorem. Qui statim ea ducta, domino Stephano Anglorum regi, sine liberis sexus melioris defuncto successit in regno. Dominus vero rex Francorum, Hispaniarum imperatoris filiam, Mariam nomine, virginem Deo placitam, moribus et sancta conversatione commendabilem, secundis votis felicior, sibi matrimonio copulavit.

CAPUT IX

Noradinus ingreditur fines Antiochenos; princeps Raimundus occurrit; pugnatur inter eos. Princeps Raimundus occiditur.

Ab ea die cœpit Orientalium Latinorum manifeste deterior fieri conditio; nam nostrorum principum et regum maximorum, qui Christiani populi videbantur bases esse solidiores, viderunt hostes nostri, et subsannaverunt labores sine fructu, sine effectu conatus, vires attritas, confractam gloriam; et quorum sola nomina hostibus nostris prius erant formidini, nunc præsentiam sine damno despexerant; unde in tantam elati sunt præsumptionem et audaciam, ut jam de cætero nec eorum vires haberent suspectas, nec nostris instare solito acerbius vererentur. Inde fuit, quod statim post utriusque regis discessum, Noradinus, Sanguini filius, cujus superius fecimus mentionem, convocata infinita Turcorum ex omni Oriente manu, circa partes Antiochenas cœpit solito protervius desævire; vidensque Latinorum terram principum auxilio destitutam, apposuit etiam castrum, cui nomen Nepa, obsidere. Quod postquam domino Raimundo principi Antiocheno plenius innotuit, sicut homo animosus et impetuosus, nec alterius consilio in hujusmodi regebatur, non exspectato suorum equitum, quos evocari præceperat comitatu, cum paucis imprudens ad partes illas accelerat; et adhuc in obsidione perseverantem, circa prædictum municipium invenit Noradinum. Qui audiens principem advenire, timens ne majores secum traheret copias, exspectare et cum eo congredi veritus, ab obsidione discessit, in loco tuto se conferens, et exspectans, et frequentibus nuntiis doctior fieri cupiens, qualia secum princeps traxerat auxilia, et utrum majora accederent adminicula. Princeps vero præsenti successu elatus et de se, more solito, plus æquo præsumens, cœpit se habere incautius; et dum haberet finitima præsidia in quibus se indemnem cum suis poterat conservasse, et suos reduxisse incolumes, maluit se campis credere patentibus; indignum judicans ut illius timore videretur cessisse vel ad tempus; et hostium maluit patere insidiis. Ea igitur nocte, videns Noradinus nullas principi vires accrevisse majores, sperans cum suis eas quas secum adduxerat, facile superaturum, principis comitatum vallat, per gyrum agminibus dispositis; et in modum urbis obsidet. Mane autem facto, videns princeps hostium multitudinem, et de viribus suis, licet sero diffidens, dubitare cœpit; tamen acies instruit, militiam ordinat, tanquam cominus cum hostibus congressurus. Inito itaque prælio, qui cum eo erant, viribus impares, hostium non ferentes multitudinem, principe cum paucis relicto, in fugam versi sunt. Princeps vero tanquam magnanimus, et in armis singulariter strenuus, viriliter decertans, in media hostium strage quam exercuerat, cædendo fatigatus et exhaustus spiritu, gladiis confossus interiit; cujus caput cum brachio dextro a corpore separantes, reliquum corpus mutilum, inter alios vita privatos, reliquerunt. Cecidit ibi inter alios vir magnus et potens, suæ perpetuo lugendus regioni, dominus Rainaldus de Mares, cui comes Edessanus filiam suam uxorem dederat. Ceciderunt et alii nobiles nonnulli, quorum nomina non tenemus. Fuit autem dominus Raimundus vir magnanimus, rei militaris experientissimus, hostibus supra modum formidabilis, parum tamen felix, cujus multa quæ in principatu strenue et magnifice gessit opera, speciales exigunt tractatus; sed nos ad prosequenda communia festinantes, in singulis hujusmodi negotiorum articulis immorari, et his stylum committere non valemus. Occisus est autem anno ab Incarnatione Domini 1148, principatus ejus anno tertiodecimo, mense Junio, vicesima septima die mensis, die festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, inter urbem Apamiam et oppidum Rugiam, in eo loco qui dicitur Fons-muratus. Cujus corpus quibusdam notis et cicatricibus cognitum, inter cæterorum defunctorum corpora repertum, Antiochiam delatum est, et in vestibulo ecclesiæ apostolorum Principis, inter ejus prædecessores, solemnibus exsequiis sepultum.

CAPUT X.

Noradinus universam regionem pro suo tractat arbitrio. Rex illuc properat, solatium ministraturus. Soldanus Iconiensis terram comitis ingreditur Edessani.

Noradinus vero in augmentum gloriæ et in signum victoriæ, et quod maximus gentilitatis persecutor crederetur occidisse, caput cum manu dextera, quæ ad hos usus de corpore prædicti viri separari fecerat, ad maximum Sarracenorum principem et mo-

Digitized by Google

narcham, caliphæ videlicet Baldacensem, et alios Turcorum satrapas, per Orientem constitutos direxit. Destituta itaque tanti rectoris solatio Antiochena regio, in lamenta se dedit, fletus non cohibens et crebris suspiriis dolorem indicans, querulis quoque et lacrymosis vocibus fortis viri egregia gesta rememorans. Nec solum finitimos mors illius audita contristavit populos; sed et longe lateque rumor hic dispersus, tam majorum quam minorum in amaritudinem deduxit animas, et acerbo interius mœrore confecit. Interea idem fidei et nominis, more patris, maximus persecutor Christiani Noradinus, videns principem regionis, et maximam robustorum ejus partem cecidisse in prælio, totamque provinciam suo subjacere arbitrio, immissis statim expeditionibus suis, totam cœpit hostiliter circuire regionem: ita ut juxta Antiochiam pertransiens, et cuncta præstans incendio, ad monasterium Sancti Simeonis, quod inter Antiochiam et mare in montibus sublimibus situm est, ascenderet, propria in ea usus potestate, et cuncta libero tractans imperio; et inde ad mare, quod nunquam prius viderat, descenderet, et in eo, in signum quod victor usque ad mare pervenerat, coram suis lavaretur. Inde rediens castrum Harenc, ab Antiochia vix milliaribus distans decem, præteriens occupat, et occupatum armis et militibus et alimentis muniens, instruit diligenter; ita ut multorum dierum posset obsidionem sustinere. Timuit ergo populus universus, et humiliata est in conspectu ejus terra, eo quod tradiderat Dominus in manus ejus, robur militiæ et principem regionis; et non erat auxiliator, nec qui contra imminentia pericula protectionis afferre posset remedium. Relicta enim erat in reipublicæ et principatus administratione sola principis uxor Constantia, cum filiis duobus et filiabus totidem, adhuc impuberibus; nec erat qui principis fungeretur officio, et plebis erigeret dejectionem. Ea tamen tempestate, dominus Aimericus ejusdem civitatis patriarcha, vir solers et locupletissimus, strenue satis afflictæ se regioni præbuit patronum; et ad conducendas militum copias, stipendia, contra morem suum non parce ministravit, temporis satisfaciens necessitati. Porro Hierosolymorum rex audiens illarum partium pericula, et morte domini principis cognita, mente plurimum consternatus, convocata subito militia, ut oppressis opem ferat fratribus, celer ad partes convolat Antiochenas, et de se diffidentibus et animo dejectis propria præsentia præbuit consolationem. Collectis itaque militaribus tam suorum, quos secum traxerat, quam de tota regione auxiliis, ad resistendum invitat; et ut resumptis cordibus respirare discant, castrum Harenc, quod superius de novo captum diximus, obsidet. Sed post dies aliquot non proficiens, quia instructum erat diligentius, infecto negotio, Antiochiam est reversus.

Soldanus etiam Iconiensis, audita principis morte, in multitudine gravi in Syriam descendit, et captis multis urbibus et castellis pluribus, Turbessel obsidet, licet comes cum uxore et liberis intus esset. Rex vero Henfredum constabularium, cum sexaginta militibus ad tuendum Hasart, interea dirigit, ne a Turcis occupetur. Tandemque comes datis Soldano captivis omnibus quos de sua regione vinctos habebat, et duodecim equitum armis, pace facta, abeunte Soldano, ab obsidione liberatus, eodem die Hasart venit; et inde Antiochiam, domino regi gratias pro humanitate quam in eum exercuerat, acturus properavit: inde etiam viso rege, sumptaque ab eo licentia, cum modico quem deduxerat comitatu, ad propria reversus est. Rex autem apud Antiochiam destitutæ regionis curam agens, ad hoc moram faciens, compositis pro loco et tempore negotiis, tranquillitate aliquatenus restituta, revocantibus eum curis domesticis, in regnum suum est reversus.

CAPUT X.

Comes Edessanus, post regis ab Antiochia discessum ab hostibus capitur, ubi et ignominiose moritur.

Interea comes Edessanus, Joscelinus junior, vir supinus, a patria degener honestate, sordibus effluens, libidine dissolutus, spretis melioribus perniciosa sequens, putans sibi optime successisse quod princeps Antiochenus, quem odio insatiabili persequebatur, occubuerat; non multum attendens, quam vere dicatur:

Tua res agitur, paries cum proximus ardet;

dum Antiochiam, ut dicitur, a domino patriarcha evocatus, de nocte proficisceretur, separatus a comitatu, cum adolescente, qui ejus equum trahebat, gratia, ut dicitur, alvum purgandi, et ut secretioribus naturæ satisfaceret debitis, ignorantibus tam iis qui præibant quam qui sequebantur, irruentibus in eum prædonibus, qui in insidiis latebant, captus est; ac vinculis mancipatus, Halapiam perductus est. Ubi immundarum viarum suarum fructus colligens, squalore carceris et catenarum pondere fatigatus, anxietate spiritus et corporis jugi molestia consumptus, fine miserabili vitam finivit. Reddita terris die, qui in ejus erant comitatu, eorum quæ circa ipsum acciderant penitus ignari, dominum suum quem non reperiunt, anxie quærentes, ubi vident se inquirendo non proficere, reversi nuntiant quid eis acciderat; et iterum repleta est stupore et exstasi universa terra. Et quamvis vicinorum sinistris non noverant condolere casibus, nunc familiaribus oppressi periculis eodem discunt experimento, quomodo doloribus sit compatiendum alienis. Tandem post dies aliquot quorumdam relatione, quibus id pro certo compertum erat, cognoverunt, quod apud Halapiam detinebatur in compedibus. Uxor vero ejus, mulier pudica, sobria, et timens Deum, quales Deus amat, cum filio impubere et duabus filiabus remanserat; quæ quantum potuit, consilio procerum, qui superstites erant, populum regere nitebatur: et regionis præsidia adversus hostes, armis viris et alimentis com

Digitized by Google

munire, vires transcendens femineas, satagebat. Sic igitur peccatis nostris exigentibus, utraque regio, melioribus destituta consiliis, vix in se subsistens, femineo regebatur imperio.

CAPUT XII.

Rex cum regni principibus juxta Ascalonam, Gazam reædificat.

Dum vero hæc ita circa partes aguntur Antiochenas, non multo post temporis intervallo visitante regnum divina clementia, erigentes se de pulvere et de abjectione nimia, in qua propter sinistros casus, qui frequentes acciderant, jacere videbantur; redeuntes ad cor tam dominus rex quam cæteri Hierosolymitanæ regionis principes, ut Ascalonitas hostes immanissimos arctius cohibeant, et magis eorum periculosos refrenent impetus, Gazam urbem antiquissimam, ab Ascalona decem distantem in parte australi milliaribus, dirutam et habitatoribus carentem, reformare proponunt, ut sicut a septentrione et ab oriente fundatis in gyrum municipiis eam quasi obsederant, ita eidem ab austro simul non deesset stimulus; et ex ea quoque parte continuis impugnaretur congressionibus et frequentibus lacesseretur insidiis. Die igitur statuta, convenit universus populus, quasi vir unus, ad prædictum locum; et opus unanimiter aggressi, urbem certatim reædificare contendunt. Fuerat autem eadem Gaza, civitas antiquissima, una de quinque urbibus Philistiim, ædificiis præclara, cujus antiquæ nobilitatis in ecclesiis et amplis domibus, licet dirutis, in marmore et magnis lapidibus, in multitudine cisternarum, puteorum quoque aquarum viventium, multa et grandia exstabant argumenta. Fuerat autem sita in colle aliquantulum edito, magnum satis et diffusum infra muros continens ambitum. Videntes autem nostri quod non satis expediret, nec fortasse præsentis temporis vires sufficerent ut tota reformaretur, partem prædicti collis occupant; et jactis ad congruam altitudinem fundamentis, opus muro insigne et turribus ædificant, et in brevi, opitulante Domino, consummant feliciter. Consummatum etiam et partibus suis absolutum, de communi consilio fratribus militiæ Templi custodiendum, et perpetuo cum universa adjacente regione possidendum committunt. Qui tanquam viri fortes, et in armis strenui, et commissum usque in præsentem diem fideliter prudenterque servaverunt; et urbem prædictam frequentibus, cum occultis tum manifestis impugnationibus viriliter afflixerunt: ita ut qui prius excurrentes et per universam regionem hostiliter desævientes, nostris erant formidini, nunc pro summa felicitate reputent, si clausis intra mœnia vivere liceat, et quiete perfrui, pace precibus vel pretio ad tempus impetrata. Nec solum urbe prædicta, ad cujus læsionem constructum erat illud præsidium, recalcitrante, utile fuit; sed etiam ea devicta, quasi regni limes ab austro contra Ægyptios, pro multo fuit regioni tutamine. Circa veris autem initium, domino rege domino-

A que patriarcha, completo ex parte municipio interiore, relictis ibi militiæ Templi fratribus, quorum diligentiæ deputatum erat, Hierosolymam reversis, accidit subsidium Ægyptiorum, quod ter vel quater in anno ad reparandas vires Ascalonitarum solemniter solebat accedere, in multitudine gravi ante prædictum oppidum adesse; et oppidanis interius hostium metu congregatis, assultus hostiles multa instantia dedisse. Sed videntes, qui militiæ præerant, quod non proficerent, cum dies aliquot in obsidione operam consumpsissent, Ascalonam profecti sunt. Ab ea itaque die, tanquam attritis viribus et nocendi contracta licentia, cœperunt prorsus a vexatione adjacentis quiescere regionis. Sed et Ægyptiorum exercitus, qui ita frequens, ut præ-
B diximus, civitati jam afflictæ solatium ministrabat, jam non nisi marino accedere consuevit itinere, prædicti municipii interpositos timens insidias et militiam habens suspectam.

CAPUT XIII.

Inter regem et matrem ejus graves oriuntur simultates et matre ignorante rex coronatur.

Inter hæc, dum satis prospero cursu regni orientalis negotia procederent, et quasi quadam tranquillitate gauderet; eo minus, quod comitatus nobis deperierat et in hostium nostrorum cesserat potestatem Edessanus, regio quoque Antiochena frequentibus hostium insidiis fatigabatur; videns inimicus homo, qui solet superseminare zizania, et nostræ invidens prosperitati, intestinis nos tentans concutere seditionibus, quietem nostram perturbare aggressus est, cujus periculi hæc fuit causa et origo. Domina Milisendis regina, inclytæ recordationis et piæ in Domino memoriæ, defuncto marito, ut prædiximus, relicta cum duobus liberis adhuc infra annos constitutis, regni tanquam jure hæreditario sibi debiti curam et administrationem sortita est, filiorum legitimam agens tutelam. Hanc consilio principum regionis, strenue et fideliter, vires et animum transcendens femineum, usque ad illum diem administraverat: filio primogenito, domino Balduino, cujus in præsenti gesta conscribimus, etiam postquam in regni sublimatus est solium, ejus multum favente et merito subD jacente imperiis. Inter cæteros autem quorum opera consilioque utebatur, familiarem admodum habebat quemdam nobilem virum, ejus consobrinum, Manassen videlicet; cui, statim post ejus introitum in regnum, curam militiæ tradiderat omnem et [quem] ordinaverat constabularium. Hic autem de dominæ reginæ gratia præsumens, nimium arrogans, ut dicitur, et regni majoribus insolenter se præferens, nullique debitam exhibens reverentiam, invidiam in se nobilium regionis concitaverat maximam; et nisi dominæ reginæ eos cohiberet auctoritas, parati erant conceptum odium usque in opus pertrahere. Duxerat autem et domini Baliani senioris viduam, nobilem matronam Hugonis, Balduini et Baliani Ramatensium fratrum matrem:

Digitized by Google

unde sibi cumulaverat divitias et multiplicaverat possessiones. Eorum autem qui prædictum Manassen odio prosequebantur, primus erat et affectu et opere rex ipse : asserens quod ei matris suæ subtraheret gratiam et munificentiam impediret. Habebat autem super eodem facto plurimos incentores, odiorum fomitem ministrantes, quibus prædicti viri invisa erat potentia et molesta nimis dominatio. Hi dominum regem impellebant, ut etiam matrem a regni amoveret potestate, dicentes, eum jam ad adultam pervenisse ætatem, indignum esse ut femineo regeretur arbitrio, et regni proprii curam aliquam sibi committeret moderandam. Horum igitur et similium rex fretus consilio, proposuerat, in die festo Paschæ Hierosolymis solemniter coronari; cujus gloriæ, cum a domino patriarcha et a viris prudentibus qui pacem regni diligebant, instanter rogaretur, ut matrem participem faceret, distulit prædictorum consilio, ne matrem haberet consortem, illa die qua proposuerat; et sequenti die subito, matre non vocata, in publicum processit laureatus.

CAPUT XIV

Regnum inter se dividunt filius et mater. Rex Hierosolymam ingreditur violenter, et matrem in arce obsidet Davidica; tandem pax cum tranquillitate reformatur.

Transcursa igitur illa solemnitate, convocato procerum cœtu, præsente etiam Ivone Suessionensi comite et Galtero castellano Sancti Aldemari, matrem convenit, et ut regnum secum dividat instanter exigit, et avitæ sibi postulat hæreditatis portionem assignari. Tandem post multos hinc inde habitos deliberationis tractatus, divisa hæreditate, domino regi optione data, assumpsit sibi in partem Tyrensem et Acconensem, cum pertinentiis suis, urbes maritimas : relictis dominæ reginæ Hierosolyma et Neapoli, cum suis iterum pertinentiis. Sicque divisi sunt ab invicem, sperante populo quod pro bono pacis tolerandum esset quod sic ordinatum fuerat : quod uterque contentus esse deberet sua, quæ eum contigerat, portione. Per eosdem itaque dies dominus rex nobilem quemdam et magnificum virum dominum Henfredum de Torono, cui magnæ et amplæ possessiones erant in Phœnice, in montibus qui Tyrensi adjacent metropoli, ordinavit constabularium suum, et ei militiæ suæ curam commisit. Sed neque sic etiam quievit dominam reginam persequentium stimulus; sed et causis levibus vires resumens ignis, qui latuerat in favilla, incendium majus et priore multo periculosius, cœpit ministrare. Nam rex eisdem impellentibus quorum consilio prius acquieverat, matrem iterum cœpit molestare, et eam quam ex utriusque beneplacito regni obtinuerat portionem, exclusa omnino matre, sibi vindicare proposuit. Quod intelligens regina, commendata Neapoli quibusdam fidelibus suis, qui ejus curam haberent, Hierosolymam se recepit. Rex vero interea congregata quanta potuit militia, prædictum Manassen in castello quodam ejus, cui nomen Mirabel, obsidet; eumque ad deditionem compellens, regnum et omnem cismarinam regionem abjurare coegit : inde occupata Neapoli, matrem persequens Hierosolymam proficiscitur. Recesserant autem a domina regina, juramentorum et fidelitatis immemores, quidam ex iis qui infra sortem ejus habebant possessiones, et ei fide media erant obligati. Pauci vero ei adhærentes, fidei servaverant integritatem : Amalricus videlicet comes Joppensis, filius ejus, valde adolescens; Philippus quoque Neapolitanus, et Rohardus senior, et pauci alii quorum nomina non tenemus. Audiens itaque regina, filium cum exercitu advenire, in arcem cum familiaribus suis et fidelibus se recepit, de præsidii munitione confidens. Dominus vero patriarcha Fulcherus, bonæ memoriæ, videns tempora periculosa, et dies tentationis imminere, volens partes suas interponere, et de iis quæ ad pacem sunt rogare, assumptis sibi de clero, viris religiosis et Deum timentibus, domino regi obviam exiit, monens ut a pravo desistat proposito, et in finibus pactorum consistens, matrem quiete perfrui patiatur : apud quem postquam videt se non proficere, consilium ejus detestans, in urbem regressus est. Rex autem urgens propositum, ante urbem castra locat. Tandem vero civibus indignationem declinantibus regiam et portas aperientibus, intromissus est cum suis expeditionibus : ubi statim arcem, in quam mater se contulerat, aptatis ad eam expugnandam machinis, obsidione vallat; et more instans hostili, balistis, arcubus et jaculatoriis machinis continuas inferens molestias, obsessis requiem negat. Illi vero, omnino instanti omnino reluctantes, vim vi repellere nituntur, et quibus modis exteriores obsessos impugnare satagunt, eisdem injurias propulsare et in hostes æqua lance damna refundere, obsessi non verentur. Tandem cum per dies aliquot, periculose nimis hinc inde decertatum esset, cum in arcem expugnando rex non multum proficeret, nec tamen a proposito vellet desistere, intercurrentibus quibusdam pacis et gratiæ reformatoribus, urbe Neapolitana cum suis finibus contenta domina regina, regni caput domino regi resignat Hierosolymam, interpositis ex parte domini regis, et præstitis corporaliter juramentis, quod super ea possessione per eum perpetuo non deberet molestari; sicque eis in mutuam redeuntibus gratiam, quasi stella matutina in medio refulgens nebulæ, regno et Ecclesiæ restituta est tranquillitas.

CAPUT XV.

Soldanus Iconiensis comitatum Edessanum rursum ingreditur; rex illuc cum omni celeritate properat.

At vero nuntiatum est regi Hierosolymorum, et fama certiore compertum quod comes Edessanus sorte tam miserabili captus erat, et regio tota absque defensoris cura, hostium late patebat insidiis; quod

Digitized by Google

omnis illa provincia, sicut et Antiochenorum partes, femineo relictæ moderamini, suam exposcebant sollicitudinem; assumptis sibi Henfredo constabulario et Guidone Berytensi (nam de iis qui in portione dominæ reginæ erant, licet singillatim evocasset, neminem habere potuit) ad partes pervenit Tripolitanas; ubi et comitem cum suis militibus assumens, Antiochiam celer pervenit. Dicebatur enim publice, et vere sic erat, quod potentissimus Turcorum princeps soldanus Iconiensis, cum innumero equitatu ad partes illas descenderat, et fere omnem suis finibus conterminam occupaverat regionem. Non valentes enim locorum habitatores resistere et exercituum illius sustinere potentiam, urbes et municipia universa illi tradiderant, impetrantes ab eo salvum et liberum exitum cum uxoribus et liberis, et sine periculo conductum usque Turbessel; is enim locus cæteris munitior, plures habens habitatores, ubi et dominus comes jugem et manentem habebat habitationem, adhuc in tranquillo videbatur esse. Dumque sic exceptis paucis præsidiis, universam occupasset regionem, majoribus eum revocantibus curis, domum redire compulsus est; nihilominus tamen, provincialium aut labor est imminutus, aut remissior facta sollicitudo. Nam Noradinus molestissimus gentis nostræ persecutor et Turcorum princeps potentissimus, pene continuis incursionibus universam eatenus molestabat regionem, ut extra præsidia nemo penitus auderet comparere. Sic igitur inter duas molas, miser ille populus incessanter conterebatur; et a duobus maximis principibus supra vires angebatur, quorum alterius tantum vix posset potentiam tolerare.

CAPUT XVI.

Imperator Constantinopolitanus exercitum ad partes dirigit Antiochenas; comitatum Edessanum sibi resignari postulat; obtinet postulatum; Græcis castella resignantur; rex inde Latinos educit.

Interea dominus Imperator Constantinopolitanus audiens illarum partium desolationem, unum de principibus suis, cum immensis sumptibus, et militia suorum non modica, ad prædictas partes direxerat, offerens comitissæ liberisque ejus annuos certæ quantitatis reditus, qui eis ad honestum sufficere possent victum in perpetuum, in recompensationem traditæ sibi regionis, si præsidia quæ adhuc penes se retinebat, ejus imperio vellet concedere. Spondebat enim confidenter, in immensitate divitiarum suarum spem habens, quod et illa a Turcorum incursionibus conservaret illibata, et alia quæ amiserant, facile suo restitueret imperio, si ei provincia resignaretur. Adveniente igitur rege Antiochiam, causa cognita adventus imperialium nuntiorum, ipsis etiam injunctam sibi legationem aperientibus, facta est inter principes regionis illius dissensio; aliis dicentibus rem nondum in eum necessitatis articulum descendisse, ut id fieri oporteat; aliis econtra asserentibus necessarium id esse fieri, priusquam terra penitus in hostium manus tradatur. Inter has igitur deliberationis ambiguitates, cognoscens dominus rex, quod prædicta regio, in eo statu, in quo erat, diu perseverare non posset; ipsum enim ampliorem ibi moram facere, regni propria cura non patiebatur; nec ejus tot tantæque erant vires, ut duas quindecim dierum itinere a se distantes provincias administrare posset commode, videnque Antiochenam quæ media erat provinciam, principis solatio jam per plures annos destitutam, in eam descendit sententiam, ut præmissis conditionibus, Græcis oppida quæ supererant traderentur. Et licet non multum præsumeret, quod Græcorum viribus in eo statu conservari posset provincia, maluit tamen, ut eis possidentibus iste casus accideret, quam ei periclitantis populi et terræ deficientis imputaretur ruina. Pactis igitur hinc inde juxta prædictas conditiones, adhibito consensu dominæ comitissæ et liberorum ejus, ad placitam consonantiam redactis, præfigitur dies, quo dominus rex, cum omni militia sua in partes illas descendat, imperatoris homines in possessionem inducat, et eis universa resignet oppida. Die igitur statuta rex ex condicto assumens sibi comitem Tripolitanum, et tam suos quam Antiochenarum partium magnates, in terram comitis Edessani, Græcos secum deducens, usque Turbessel pervenit; ubi assumpta sibi domina comitissa cum liberis suis et aliis omnibus, tam Latinis quam Armenis, sexus promiscui, exire volentibus, Græcis regionem assignat. Erant autem oppida quæ a nostris adhuc possidebantur Turbessel, Hamtab, Rauendel, Ranculat, Bile, Samosatum, et fortasse alia quædam. Quibus omnibus Græcorum potestati resignatis, ipse cum universo egredi volentium populo, cum jumentis et sarcinis eorum, quæ erant multæ nimis (nam unusquisque cum omni domo et familia, et supellectile universa exire proposuerat) ad iter accingitur; et cum omni hujusmodi imbellis populi multitudine, et impedimentorum quantitate numerosa egredi maturat, educere volens eos sine periculo.

CAPUT XVII.

Noradinus regi occurrit; exitum impedire procurat. Rex, licet cum difficultate, Antiochiam redit. Noradinus, ejectis Græcis, universam occupat regionem.

Audiens itaque Noradinus quod rex ad educendum populum ingressus fuerat et quod de conservanda regione omnino desperantes, Græcis viris effeminatis et mollibus, oppida resignaverant, de nostra formidine factus animosior, congregata ex universis adjacentibus regionibus militia, ad easdem partes festinus descendit, volens regi et populo de viribus suis diffidenti et sarcinis multiplicibus impedito occurrere : ad lucrum sibi putans cedere, si tales sibi obviam habere posset. Factumque est, quod vix ad urbem Tulupam, quæ a Turbessel vix quinque aut sex distabat milliaribus,

Digitized by Google

illam impotentem multitudinem adduxerat, cum ecce Noradinus universam regionem suis repleverat legionibus. Erat autem castrum illis vicinum, Hamtab nomine, per quod iter eis erat futurum: illuc nostri properare volentes, videntes imminere periculum, acies instruunt, ordinant agmina, tanquam mox cum hostibus commissuri. Illi vero instructis catervis, nostrorum adventum, tanquam de victoria securi, avide nimis exspectabant. Accidit tamen, contra spem eorum, quod noster exercitus ad prædictum oppidum, prævia Domini misericordia, pervenit indemnis; ubi nocte tota fessis tam jumentis quam hominibus, ad requiem concessa, convocato procerum cœtu, et de futuro in crastinum itinere deliberantes, fuernnt nonnulli de magnatibus, qui prædictum præsidium exposcerent sibi dari, arbitrantes opitulante Domino contra Turcorum incursiones viribus propriis locum posse conservare; quorum unus de regno erat Henfredus de Torono, vir magnificus regius constabularius; alter erat vir nobilis et potens, de principatu Antiocheno, Robertus videlicet de Surda valle. Sed videns dominus rex neutrius vires aut potentiam ad prædictum opus sufficere, spreto utriusque verbo tanquam inutili, pactis insistit perseverans; et tradito Græcis municipio, populum præcipit ad iter accingi. Videre erat ibi viros nobiles, et inclytas cum ingenuis virginibus et parvis pueris matronas, natale solum, avita domicilia, cognatam regionem, singultibus et lacrymosis deserere suspiriis, et transmigrationem ad populum alterum cum fletibus et lamentis inire. Non erat pectus ita ferreum, cujus interiora non moverent fletus et lacrymæ, et querulæ voces populi transmigrantis. Luce igitur terris reddita, compositis sarcinis, rursum iter arripiunt; et ecce ex utroque latere hostium acies junctis agminibus, incedebant, in comitatum nostrorum parati ex omni parte irruere. Nostri ergo hostium videntes agmina et gravem multitudinem, de quingentis equitibus, quos habebant, instaurant acies et incedendi ordinem assignant instauratis. Dominum itaque regem præire jubent, ut agmina præcedat et turbis pedestribus gradiendi modum assignet; comitem Tripolitanum et Henfredum regium constabularium posteriores jubent tueri partes, et ut cum majoribus et fortioribus militum copiis hostium sustineant impetus, et eorum a plebe arceant violentiam; Antiochenos vero magnates a dextris et a sinistris collocant, ut positæ in medio multitudini, undique per gyrum non deesset robur fortium, et armata militia. Sic igitur, et eodem ordine tota die nostris gradientibus usque ad solis occasum intolerabiles nostris non defuerunt molestiæ, frequentes impetus, pugna jugis, congressiones continuæ. Tanta autem erat immissarum in exercitu numerositas sagittarum, ut omnes sarcinæ, ericii more, sagittis viderentur consitæ; præterea pulvis, calor quoque, qualem solet Augustus ministrare, sitis quoque aspera, plebem supra vires fatigabat; tandem sole jam ad occasum declinante, Turci secum non habentes victualium quidpiam, amissis de exercitu suo nonnullis nobilibus, dato ad reditum signo, nostros insequi desinunt, eorum stupentes incomparabilem instantiam et perseverantiam. Dumque Henfredus constabularius, arcu abeuntes persequitur, aliquantulum a comitatu remotior, accessit ad eum miles quidam de hostium numero, qui repositis armis et junctis alternatim ad latus manibus, signum exhibet reverentiæ. Is porro cujusdam potentissimi Turcorum principis, qui eidem constabulario fraterno fœdere junctus erat et in eo tenacissimus, domesticus erat et familiaris, ab eodem missus, ut eum verbis ejus salutaret, et de statu hostilis exercitus eum redderet doctiorem. Refert autem Noradinum cum suis in proposito habere ea nocte ad propria maturare reditum; defecerat enim in castris ejus omnis penitus alimonia, unde eos diutius non poterant insectari. Sic igitur illo redeunte ad propria, constabularius in castra se recipit; et verbo quod audierat, domino regi communicato, instante jam nocte, in loco qui dicitur Joha, castrametatus est populus universus. In sequentibus diebus, populo sine molestia per silvam quæ dicitur Marris, et usque ad loca nostræ ditioni subdita traducto, dominus rex in Antiochiam se recepit. Videns igitur Noradinus terram comitis, Latinorum auxilio destitutam, de Græcorum mollitie, quibus commissa erat, præsumens, frequentibus irruptionibus, et quas Græci non satis supportare noverant, eam cœpit aggravare. Tandemque immissis exercitibus copiosis, obsidione vallans oppida, Græcis violenter exclusis, infra annum universam occupavit regionem. Sic igitur provincia opulentissima, rivis, silvis et pascuis lætissima, ubere gleba dives, et omnibus redundans commoditatibus, in qua quingenti equites sufficientia habebant beneficia, peccatis nostris exigentibus, in hostium manus devenit, et a nostra jurisdictione usque in præsentem diem facta est aliena. Decesserunt itaque Ecclesiæ Antiochenæ in partibus illis tres archiepiscopi, Edessanus, Hierapolitanus et Coricensis; quorum Ecclesias etiam nunc infidelitas detinet, et gentilis superstitio, licet invitas.

CAPUT XVIII.

Rex principissam monet, ut unum de principibus in maritum accipiat, qui regioni possit præesse; sed non proficit. Rex inde Tripolim accedit, ad propria reversurus.

Interea dominus rex Hierosolymorum Balduinus, pro urbe Antiochena, et ejus adjacente diœcesi plurimum sollicitus, ne principis destituta solatio, sicut et terra comitis, de qua prædiximus, in manus hostium, sorte descendat miserabili, et populo Christiano simul cum jactura intolerabili, amplius accedat confusio; videnque sibi liberum non esse, revocante eum regni cura, moram ibi habere longiorem, dominam principissam sæpius commonet ut unum de nobilibus sibi, cui nubat, eligat

Digitized by Google

viris, cujus consilio et opera principatus regatur. Erant autem eo tempore inclyti et nobiles viri in eadem regione, domini regis castra sequentes, dominus videlicet Ivo de Neella, comes Suessionensis, vir magnificus, prudens et discretus, cujus in regno Francorum plurima erat auctoritas; Galtherus quoque de Falcunberga, castellanus Sancti Aldemari, qui postea fuit Tiberiadensis dominus, ipse quoque vir prudens, urbanitatis eximiæ, providus in consiliis et in armis strenuus; dominus quoque Radulphus de Merlo, vir summe nobilis, et armorum usum habens, et prudentia multa conspicuus; quorum quilibet ad procurandam regionem, merito videbatur sufficiens. Illa autem vincula timens conjugalia, solutamque ac liberam vitam præponens, non multum attendebat quid populo expediret, circa id plurimum sollicita, ut carnis curam perficeret in desideriis. Rex autem ejus intelligens propositum, apud Tripolim principibus utriusque tam regni quam principatus, curiam indicit generalem. Ad quam tam dominum Antiochenum patriarcham cum suffraganeis suis, quam dominam principissam cum suis proceribus invitat; interfuit autem et mater ejus, domina regina Milisendis, et regni principes eam secuti. Ubi cum de publicis negotiis diligens habitus esset tractatus, ventum est ad negotium principissæ; sed neque tunc vel rex, vel comes, ejus sanguinei; vel regina, vel comitissa Tripolitana, ambæ ejus materteræ, in hoc eam potuerunt inducere, ut sibi et regioni in hac parte vellet providere. Dicebatur autem et patriarchæ niti consilio, qui tanquam vir argutus et versipellis, ut liberius interim tota terra dominaretur, cujus rei cupidus erat nimis, in hoc eam dicebatur errore fovere. Cum ergo nihil in eo proficerent, soluta curia, ad propria quisque reversus est

CAPUT XIX.

Rex et mater ejus apud Tripolim conveniunt, ut comitem uxori reconcilient; sed non proficiunt. Comes ab Assissiniis in porta civitatis occiditur.

Erat autem illis diebus, inter dominum comitem et ejus uxorem, dominæ Milisendis reginæ sororem, ex zelo maritali orta simultas; cujus sedandæ gratia, et ut principissam neptem suam videret, domina Milisendis advenerat. In qua resarcienda gratia, cum ipsa iterum non multum profecisset, sororem, rediens, deducere secum decreverat, et in hoc procinctu ambæ erant urbem Tripolitanam jam egressæ. Comes autem proficiscenti principissæ comitem se ad tempus dederat, a qua sumpta licentia, post modicum reversus est intervallum; qui, dum portam civitatis ingrederetur, nihilque omnino casus timeret sinistri, in introitu portæ, inter murum et antemurale, Assissinorum gladiis confossus, miserabiliter interiit. Cecidit autem et cum eo inclytus et nobilis vir, cujus superius fecimus mentionem, dominus Radulphus de Merlo, cum quodam milite suo, quorum uterque domino comiti in ea profectione casu se dederat consortem. Rex autem in civitate securus aleam ludebat, recreationi dans operam, horum omnium ignarus. Commota est ergo universa civitas, nece comitis audita; et ad arma populus convolans, quemcunque alienum a lingua nostra, vel habitu reperit, putans sicarios qui hoc malum commiserant invenire, gladio percutit, et mortem omnibus irrogat indifferenter. Interea rex repentinis excitus clamoribus, morte comitis intellecta, tristis admodum, et mente plurimum consternatus, lacrymas et suspiria non valens cohibere, matrem et materteram mox præcipit revocari. Quibus reversis, post multa lamenta et fletus uberes, corpore cum debita exsequiarum magnificentia sepulturæ tradito, præcipiente domino rege, cuncti proceres illarum partium, dominæ comitissæ et liberis ejus fidelitatem exhibuerunt. Erat autem domino comiti, filius ei æquivocus, nomine Raimundus, vix annorum duodecim; et filia nomine Milisendis, fratre natu posterior. His ergo sic compositis, rex cum matre et principibus suis in regnum reversus est.

CAPUT XX.

Turcorum ingens multitudo Hierosolymam venit, ut eam occupet; sed egredientes nostri, eos in virtute magna prosternunt.

Non multo vero post interjecto temporis intervallo, quidam nobiles Turcorum satrapæ, viri potentes, et apud suos egregii nominis, quibus cognomen est Hiaroquin; quorum sancta civitas, antequam a Christianis liberaretur, dicitur fuisse hæreditas; hortante matre et eorum improperante ignaviam, quod tandiu ab hæreditate avita se paterentur esse extorres, collecta infinita Turcorum multitudine Hierosolymam venire et eam quasi jure hæreditario sibi debitam vindicare proponunt. Assumptis ergo sibi ingentibus militarium virorum copiis, matrem longævam continuis exhortationibus id monentem secuti, iter arripiunt propositum, si Dominus ita permiserit, prosecuturi. Pervenientes igitur Damascum, ibi ad reparandos exercitus et vires recreandas moram facientes aliquam, volentibus Damascenis eorum insipiens revocare consilium, non acquieverunt; sed resumptis viaticis et compositis iterum sarcinis, quasi de proposito non diffidentes, versus Hierosolymam proficiscuntur. Tandem transito Jordane cum universis cohortibus suis montana conscendentes, in quibus sita est prædicta civitas, in montem Oliveti, qui mons conterminus prædictæ supereminet urbi, se contulerunt; ita ut inde loca omnia venerabilia, et maxime Templum Domini, quod in summa et præcipua habent reverentia, et universam urbem eis daretur liberis prospectibus intueri. Quod videntes qui in urbe erant residui; nam maxima totius regionis militiæ pars apud Neapolim convenerat, timens, quia urbs sine mœnibus erat, ne illuc advenientium hostium se conferret multitudo, invocato de cœlis auxilio, arma corripiunt, et certatim egressi, in hostes properare et cum eis committere votis ardentibus accelerant. Est autem via, quæ ab Hierosolymis de-

Digitized by Google

scendit in Jericho, et inde ad Jordanem, inæqualis plurimum, locis saxosis et præcipitiis periculosa frequentibus; ita ut, nihil etiam timentibus et liberum habentibus transitum, molestum semper soleat ascendentibus vel descendentibus præstare accessum. In hanc ergo ingressi, dum nostrorum acies acrius instantes inordinate fugiunt, præcipitiis et locis angustis nullam ad fugiendum habilitatem concedentibus, multi sine gladio pereunt præcipitati. Qui vero loca planiora secuti, fugæ tentabant insistere, nostrorum gladios incurrentes, saucii lethaliter in mortem nihilominus dabantur præcipites. Qui vero eorum itineris longitudine et laboris difficultate fatigati, viarum non ferentes asperitatem, sessoribus suis, omnino deficientes, negabant obsequium : unde facti pedites, armis onusti et usum laboris non habentes, nostrorum subsequentium gladiis tanquam pecudes deputantur. Fit ergo tanta tam equorum quam hominum strages, his prædictis casibus, quod præ multitudine peremptorum, ad insequendum qui præibant impediretur transitus. At vero nostri tanto avidius insectantes, spretis spoliis, et manubias declinantes, cædi acrius instant, pro summo lucro reputantes, hostium sanguine cruentari. Qui vero apud Neapolim convenerant, scientes prædictos hostes ad nos ingressos, unanimiter egredientes, ad Jordanis fluenta hostibus occurrentes certatim convolant, ut vada occupent et impediant transire volentes : ubi eos qui insectantes effugerant, incautos reperiunt et confodiunt ex latere irruentes. Facta est ergo illa die manus Domini super eos, ita ut, sicut scriptum est : *Residuum locustæ comederet bruchus* (*Joel.* I, 4). Nam qui equorum velocitate, aut aliqua industria insectantes videbantur declinasse, occurrentium ex latere gladiis cædebantur. Si qui vero agmina præeuntes, Jordanem ingressi fuerant, vadorum ignari, undis rapiebantur tumentibus, flumine suffocati. Sic igitur qui in multis millibus ascenderant, in spiritu vehementi, in equitatu suo spem habentes, ad modicum redacti numerum, confusione induti et reverentia, ad propria sunt reversi. Dicuntur illa die ex eis cæsa esse ad quinque millia. Factum est autem hoc anno ab Incarnatione Domini 1152, IX Kalend. Decembris, regni vero domini Balduini regis quarti, anno nono. Nostri ergo hostium onusti spoliis, et uberes de tropæo manubias agentes, solemnes Domino laudis hostias immolaturi, Hierosolymam reversi sunt.

CAPUT XXI.

Rex regnique principes Ascalonam properant, ut pomeria circa urbem depopulentur : sed promoto ad amplius proposito, urbem obsident.

Collata igitur nostris divinitus prædicta victoria, erecti in spem bonam, Domino corda eorum dirigente, apponunt unanimiter, communicato tam majorum quam minorum consilio, hostes eorum qui in vicino constituti erant, quique nostris sæpius gravia inferebant pericula, Ascalonitas videlicet, aliquo modo lædere. Idque visum est pro tempore expedientius, ut pomeria civitati adjacentia, unde civibus multa erat commoditas, in manu forti exstirpare niterentur, et in parte saltem hostes protervos dammificare. Juxta quod propositum, collectæ unanimiter in manu valida ante urbem prædictam universæ regni copiæ, arbitrati sufficiens esse, si effectui possent mancipare propositum. Sed præsentibus nostris ante urbem, adfuit mirabiliter divina clementia, quæ eos ad majora cœpit ex insperato accendere. Nam, postquam ante urbem nostræ constiterunt acies, tantus cives pavor invasit, quod infra urbem omnes se receperunt certatim; nec inventus est vel unus, qui extra mœnia nostris se daret obviam. Unde sumpta occasione ex eo quod ita deterriti videbantur, dirigente eos divina gratia, adjiciunt urbem obsidione vallare. Missisque nuntiis per universos regni fines, præciplunt evocari eos qui domi remanserant, ut omnes unanimiter die præfixa adesse non differant, propositum quale Deus eis inspiraverit, aperientes. Qui ergo vocati fuerant, gratulabundi et sine mora convenientes, ad eos qui se præcesserant, adjuncti sunt, castra cum aliis circa urbem locantes. Et ut firmum esset quod aggrediebantur, et de perseverantia in proposito nulli dubitare liceret, juramentis exhibitis corporaliter se invicem obligant, quod ante urbem captam ab obsidione non desistant. Convocatis igitur universi regni viribus et populo unanimiter conveniente, dominus rex dominusque patriarcha, cum aliis tam sæcularibus quam ecclesiasticis regni principibus, signum Dominicæ crucis vivificum et venerabile secum habentes, ante urbem prædictam felicibus auspiciis, VIII Kalendas Februarii, castrametati sunt. Interfuerunt autem de Ecclesiarum prælatis, dominus Hierosolymorum patriarcha Fulcherus, dominus Petrus Tyrensis archiepiscopus, dominus Balduinus Cæsariensis archiepiscopus, dominus Robertus Nazarænus archiepiscopus, dominus Fredericus Acconensis episcopus, dominus Geraldus Bethlehemita episcopus : abbates etiam nonnulli : Bernhardus etiam de Tremelai magister militiæ Templi et Raimundus magister domus Hospitalis. De principibus autem laicis : Hugo de Ibelim, Philippus Neapolitanus, Henfredus de Torono, Simon Tiberiadensis, Gerardus Sidoniensis, Guido Berithensis, Mauritius de monte Regali, Rainaldus de Castellione, Ganderus de Sancto Aldemaro, qui duo apud dominum regem stipendia merebant. Ordinatis itaque compositisque per gyrum tentoriis et principibus certis congruisque mansionibus dispositis, cœpto fideliter insistunt operi, tanto labori debitam devote et prudenter impendentes sollicitudinem.

CAPUT XXII.

Describitur situs civitatis, et commoditas aperitur

Est autem Ascalona una de quinque Philisthiim urbibus, in littore maris sita, formam habens semicirculi, cujus chorda sive diameter, secus littus

Digitized by Google

maris jacet; circumferentia vero, sive arcus, super terram ad orientem respiciens. Jacet autem tota civitas quasi in fovea, tota declivis ad mare, aggeribus undique cincta manufactis, supra quos mœnia, sunt, cum turribus frequentibus, opere solido, duritiem lapidis vincente cœmento nexorum; muris debita spissitudine latis et congrua proportione sublimibus; verum etiam et antemuralibus, eadem soliditate fabrefactis, cincta est per gyrum, et communita diligentius. Fontes autem neque infra murorum ambitum, neque sibi vicinos habent aliquos, sed puteis tum extra, tum inferius, aquas sapidas et ad potum habiles ministrantibus abundat: cisternas quoque aquarum pluvialium receptivas, ad majorem cautelam, cives interius construxerant nonnullas. Erant autem et in murorum ambitu portæ quatuor, turribus excelsis et solidis diligentissime communitæ; quarum prima quæ ad orientem respicit, dicitur Porta major, cognomento Hierosolymitana, eo quod urbem sanctam respiciat, habens circa se duas turres altissimas, quæ quasi robur et præsidium subjectæ videntur præesse civitati; hæc ante se tres aut quatuor in antemuralibus portas habet minores, quibus ad eam per quosdam anfractus pervenitur. Secunda est quæ ad occidentem respicit, et dicitur Porta maris, eo quod per eam ad mare civibus pateat egressus. Tertia ad austrum, Gazam urbem, de qua superius fecimus mentionem, respicit, unde et ab ea cognomen ducit. Quarta ad septentrionem respiciens, ab urbe finitima, in eodem sita littore, Joppensis dicitur. Hæc autem civitas, situ maris nullam præbente aptitudinem, portum, vel aliquam tutam navibus non habet vel habuit stationem; sed littus tantum arenosum, et circa id mare, ventis intumescentibus, fretosum valde, et accedentibus, nisi multa fuerit in mari tranquillitas, nimis suspectum. Solum autem exterius urbi adjacens arena est obsitum, agriculturæ nesciens, vinetis tamen et fructiferis arboribus accommodum; exceptis vallicullis in parte septentrionali paucis, quæ injecto fecundatæ lætamine et aquis irrigatæ putealibus, herbarum et fructuum aliquam civibus præstant commoditatem. Erat autem in ea civitate populus multus, quorum ei qui minimus erat, et ut vulgo dicebatur, etiam recens nato, de thesauris Ægyptii caliphæ dabantur stipendia. Multam enim et maximam, tam prædictus dominus, quam ejus principes, pro eadem urbe gerebant sollicitudinem; arbitrantes quod, si illa deficeret, in nostrorum veniens ditionem, nihil restaret aliud quam ut libero et sine difficultate accessu nostri principes in Ægyptum descenderent, regnum violenter occupaturi. Utebantur ergo ea pro muro, et profusa liberalitate quater in anno, tam per mare quam per terras civibus ministrabant subsidia; ut ea superstite, et nostris circa eam studium consumentibus et operam, ipsi optata interim tranquillitate fruerentur. Multis ergo propterea urbi necessaria ministrabant expensis, arma, victum et recentem militiam, certis temporibus dirigentes, ut nostris circa eos occupatis, minor eos de nostrorum suspectis viribus premeret sollicitudo.

CAPUT XXIII.

Ordinatur obsidio, et præficiuntur qui classi præsint, et qui legiones per terram moderentur

Hanc igitur urbem, per annos quinquaginta et amplius, postquam Dominus terræ promissionis partes reliquas populo Christiano tradiderat, adhuc resistentem et nostris conatibus æmulam, tandem obsidere conati sunt, rem aggressi arduam et pene impossibilem. Nam, præter id quod muris et antemuralibus, turribus et aggere, armis et victualibus erat supra omnem opinionem instructa, populum habebat usum et experientiam armorum habentem, in tanta quantitate ut, a prima obsidionis die usque ad novissimum, numerus obsidentium a multitudine obsessorum in duplo vinceretur. Dominus igitur rex, dominus quoque patriarcha; dominus etiam Petrus, prædecessor noster, Tyrensis archiepiscopus, alii quoque regni magnates, tam principes quam Ecclesiarum prælati, unaque cum eis cives urbium singularum, segregatim tabernacula figentes, urbem per terras obsederant; dominum vero Girardum Sidoniensem, unum de magnis regni proceribus, quindecim navium rostratarum et ad cursum expeditarum classi præfecerant, ut per mare volentibus accedere, aditum impediret; volentibus egredi nihilominus inhiberet egressum. Porro nostri pene diebus omnibus, nunc equites, nunc pedites, in urbem frequentes dabant assultus; illi vero occurrentes animosius, resistebant viriliter, pro uxoribus et liberis, et quod præcipuum est, pro libertate contendentes. Quibus congressionibus nunc hi, nunc illi, sicut in hujusmodi solet accidere, flebant superiores; nostri tamen frequentius meliorem calculum reportabant. Dicebatur autem et in castris tanta esse, cum rerum venalium omnimoda commoditate, securitas, ut ita se haberet populus in tentoriis et tabernaculis quibuslibet, sicut domi in muratis urbibus se consueverat habere. Urbani autem, cura præcipua locum de nocte custodientes, deputatis alternatim vigilibus, et ipsi majores vicissim nihilominus custodientes vigilias, mœnia perlustrantes, noctes ex parte plurima trahebant insomnes. Erant autem et in circuitu murorum et turrium in propugnaculis locatæ vitreæ lampades opercula habentes vitrea, ignem qui oleo fovebatur infuso conservantes, ex quibus mœnia circuire volentibus, lumen tanquam de die ministrabatur. Nostris quoque qui in castris erant, pro tempore turmatim deputabantur vigiliæ, et jugis non deerat custodia, timentibus ne urbani nocturnas irruptiones in castra facerent; aut Ægyptii in eorum subsidium properantes, subitis et improvisis incursionibus læderent exercitum; quamvis et circa Gazam in locis pluribus non deerant explora-

Digitized by Google

tores, qui hostium adventum citissime possent præ- A nuntiare.

CAPUT XXIV.

Secundo obsidionis mense, adest peregrinorum transitus, multas deferens ad opus obsidionis commoditates.

Sic igitur duobus mensibus eodem tenore continuata obsidione, accidit ut more solito circa Pascha adesset transitus, et peregrinorum adveniret frequentia. Communicato ergo consilio diriguntur de exercitu, qui auctoritate regia tam nautis quam peregrinis redire volentibus, interdicant reditum, et omnes ad obsidionem et laborem Deo tam acceptum promissis invitent stipendiis, et naves tam majores quam minores illuc deducant. Factumque est ut subito et intra paucos dies, secundo actæ flatu naves omnes, quotquot illo transitu advenerant, ante urbem adessent; peregrinorum quoque tam equitum quam peditum ingentes copiæ nostris expeditionibus se adjungerent, et diebus singulis exercitus augeretur. Erat ergo in castris lætitia et spes fruendi victoria; apud hostes autem mœror invalescebat et anxietas; et de viribus diffidentes rarius egrediebantur ad conflictus, licet sæpius lacessiti. Frequentibus etiam nuntiis calipham Ægyptium sollicitant quatenus mature procuret subsidium : alioquin in proximo se defecturos significant. Ille vero impiger per principes suos, operi hujusmodi præpositos, classem instruit, militiam comparat, armis, victualibus et machinis naves excelsas onerat, præfectos ordinat, expensas tribuit, moras arguit et imperat celeritatem. At nostri interea emptis multo pretio navibus sumptisque ex eis malis, vocatis artificibus, castrum ligneum ingentis erigunt celsitudinis; intusque et deforis cratibus et coriis contra incendia et fortuitos casus diligenter communiunt, ut iis quibus ex eo urbem impugnare mandabatur, tutum posset conferre præsidium. Ex reliqua autem lignorum navalium materia, machinas instruunt jaculatorias, quas congruis ad infringenda mœnia locant stationibus. Scrophas quoque ex eadem contexunt materia, quibus impune ad complanandos aggeres accedebatur. His ergo rite compositis, considerata quoque ea muri parte, cui castellum nostrum posset applicari facilius, complanato ex multa parte per prædicta instrumenta prius aggere, magnis clamoribus castrum muro applicant, unde totam eminus erat urbem conspicere, et cum iis qui in vicinis erant turribus, cominus experiri. Laborabant porro cives et instabant protervius, cum ex muris tum ex aggere, arcubus et balistis; sed incassum operam consumentes, eos qui intus latebant, quorum studio promovebatur machina, lædere non poterant. Fiebat ergo civium concursus ad eam muri partem, quæ castello erat opposita; et qui inter eos erant animosiores, ibi præcipiebantur vires experiri, continuum habentes et juge certamen cum iis, qui de castello eos impugnabant. Sed et in aliis ejusdem muri partibus, per loca varia non deerat conflictus et pugna pertinax, ita ut vix absque strage dies præteriret ulla, exceptis sauciis, quorum utrinque turba erat plurima. Audivimus et quorumdam in illa obsidione, tam nostrorum quam hostium virtutem egregiam, facta memorabilia. Sed nos generalia prosequentes, hujusmodi specialibus non multam damus operam.

CAPUT XXV.

Quinto mense, classis Ægyptiorum ad urbem accessit, multum obsessis civibus afferens consolationem.

Cum igitur per quinque menses continuos nostri principes in obsidione perseverassent, hostiumque vires attritæ viderentur aliquatenus, nostros autem spes solito amplior obtinendi civitatem foveret, B ecce subito Ægyptiorum classis flatibus acta prosperis, comparuit. Quam videntes Ascalonitæ, voces cum manibus tendunt ad sidera et magnis intonant clamoribus, recedendum nostris esse, aut in proximo pereundum. Girardus vero Sidoniensis, qui nostræ classi præerat, videns hostium exercitum ad urbem accedere, cum paucis quas habebat galeis, tentans occurrere et impedire accessum, multitudinem veritus, terga vertit, fuga vitæ consulens et saluti. At vero classis hostium ad urbem accessit intrepida, civibus optatam deferens consolationem. Erant porro in eadem classe, galeæ, ut dicitur, septuaginta et aliæ naves viris, armis et victualibus usque ad summum oneratæ, miræ et ingentis magC nitudinis, quas omnes in subsidium urbi prædictæ princeps miserat Ægyptius. Illi denuo tanquam reparatis viribus et de subsidio præsumentes, nostris rediviva cœperunt hostes inferre certamina, solito protervius et frequentius conflictus appetentes; cives tamen cautius, quibus nostrorum nota erant negotia; rudes vero, et qui recenter venerant, gloriæ cupidi, ut vires ostentarent et audaciam, dum incaute negotiantur, occumbunt frequentius, quousque et ipsi nostrorum experti constantiam, didicerunt parcius irruere et modestius irruentium impetus sustinere

CAPUT XXVI.

Constantia Antiochenorum principissa Rainaldo de Castellione nubit. Noradinus quoque regnum Damascenorum occupat violenter. Almaricus Sidoniensi præficitur Ecclesiæ.

D Dumque hæc circa Ascalonam in castris geruntur, domina Constantia, domini Raimundi Antiocheni principis vidua, licet multos inclytos et nobiles viros, ejus matrimonium appetentes, more femineo repulisset, Rainaldum de Castellione, quemdam stipendiarium militem, sibi occulte in maritum elegit; noluit autem verbum publicari, quoadusque domini regis (cujus erat consobrina, et sub cujus protectione principatus videbatur consistere) interveniret auctoritas et consensus. Festinavit igitur prædictus Rainaldus ad exercitum et verbum domino regi communicans, sumpta ejus conniventia, Antiochiam rediens, prædictam duxit in uxorem

Digitized by Google

principissam, non sine multorum admiratione, quod tam præclara, potens et illustris femina et tam excellentis uxor viri, militi quasi gregario, nubere dignaretur. Interea Noradinus, vir prudens et circumspectus, audiens quia mortuus erat Ainardus socer ejus, Damascenorum princeps militiæ et regis procurator negotiorum, qui suis conatibus plurimum semper restiterat; vidensque dominum regem Hierosolymorum, omnemque regni ejusdem militiam, circa Ascalonam jamdudum occupatos; arbitransque quod non facile obsidionem desererent, ut Damascenis contra se auxilium postulantibus ministrarent, sumpta ex tempore occasione, ad partes cum ingenti militia accessit Damascenas, quasi regnum violenter occupaturus. Ubi faventibus et ultro manus dantibus Damascenis, regem eorum hominem dissolutum et inutilem, regno privat; et vagum et profugum super terram, fugere compulit in orientem. In quo facto, nostra nihilominus deterior facta est conditio; nam pro viro impotente, et qui pro sua debilitate nostris erat obnoxius, eatenus, ut tanquam subjectus, annua tributa persolveret, durior nobis oppositus est adversarius. Nam sicut *regnum* in se ipsum *divisum*, juxta verbum Salvatoris, desolatur (*Matth.* XII, 25), sic unita plurima sibi robur ex mutuo solent assumere, et in hostes consurgere fortiora. Capta itaque Damasco, et subacta regione universa, volens Ascalonitis opem, qualem poterat de remoto conferre, urbem Paneadensem, in novissimis regni finibus sitam, de nostrorum præsumens occupationibus, obsidet, ut in obsessorum auxilium revocati, obsidionem circa Ascalonam desererent et infecto negotio, redire compellerentur. Sed prævia Domini misericordia, a spe tanta decidens, neutrum obtinuit; nam ipse circa obsessam civitatem non profecit; et nostri opitulante Domino ad deditionem compulerunt. Per idem quoque tempus mortuo domino Bernardo, bonæ memoriæ Sidoniensi episcopo, substitutus est ei Amalricus, piæ in Domino recordationis, abbas canonicorum Regularium, ordinis Præmonstratensis, in eo loco qui dicitur Sancti Habacuc, sive Sancti Joseph, qui cognominatus est ab Arimathia; vir simplex ac timens Deum, et egregiæ conversationis; qui in Ecclesia Liddensi, per manum domini Petri felicis memoriæ, Tyrensis archiepiscopi, munus consecrationis dicitur recepisse; quoniam ab urbe obsessa, nulli longius abscedere dabatur licentia.

CAPUT XXVII.

Qui in obsidione sunt, urbem instanter impugnant. Cives machinam exteriorem niluntur exurere. Murus civitatis ex parte corruit, nostri, volentes ingredi, ex parte pereunt : noster desperat exercitus.

Interea qui in expeditione erant, cœpto cum multa diligentia instantes operi, non cessant assidue urbem obsessam impugnare, et circa eam portam, quæ Major dicitur, congressiones innovare civibus valde periculosas; tormentis nihilominus jaculatoriis turres ac mœnia debilitare; et infra urbem, non sine strage multa, funditus dissolvere, immissis magnis molaribus, domicilia. Qui vero in castello, ad ejus custodiam deputati erant, tantas civibus, non solum iis qui in turribus et in muris resistebant, verum iis etiam, qui per urbem necessitatibus tracti, discurrere cogebantur, arcubus et sagittis inferebant molestias, ut earum respectu, quidquid alibi civibus inferebatur, leve judicaretur, et, quamvis durum esset, tolerabile. Unde, communicato inter se consilio, eorum maxime expetentes opem, quibus major in ejusmodi videbatur experientia, proponunt ut quocunque periculo, quocunque civium discrimine, interjectis inter murum et castellum lignis aridis, aptam ignibus materiem et fomitem præstare valentibus, procurato occulte incendio, concremetur : alioquin nec spes salutis, nec resistendi fiducia, sic oppressis et usque ad summum afflictis, videbatur. Surgentes igitur eorum exhortationibus quidam viri fortes, viribus et animo præstantiores, civium suæ præferentes salutem, objectant se periculis, ligna ad eam partem muri, quæ castello erat vicinior, comportantes, et in locum qui medius videbatur inter murum et machinam projicientes exterius. Composita porro lignorum strue maxima, et quæ videbatur ad incendium castelli sufficere, picem desuper infundunt, oleum quoque et liquamen et cætera hujusmodi incendiorum irritamenta, quæ solent ignibus præstare fomitem. Igne igitur immisso, adfuit nobis manifeste divina clementia; nam statim invalescente incendio, suscitatus est ventus ab oriente vehemens, qui totas incendii vires, in murum civitatis flatu vehementi contorsit. Ventus igitur, vehementia sua, flammas in murum incendiumque impellens, tota nocte illa pervigil et flatus continuans, murum usque in favillam decoxit : ita ut mane facto, circa diei crepusculum, ab una turri, usque ad conterminam, totus corruerit funditus, ita quod ruinæ sonitus universum commovit exercitum; decidens autem tanto pondere castello illisus est, ut cui non nocuerant incendia, muri casus de principalibus membris quædam confringeret, et eos qui in ejus soliis et projectis excubias procurabant, paulo minus ad terram dejiceret. Excitus igitur ad hunc ruinæ sonitum universus exercitus, arma corripiunt; ad partes illas convolant quasi patefacto divinitus aditu, protinus intraturi. At magister militiæ Templi, Bernardus de Tremelai, cum fratribus suis, alios ante multo prævenientes, aditum occupaverant, neminem nisi de suis intrare permittentes; eos autem hac intentione dicebantur arcere, quatenus primi ingredientes, spolia majora et manubias obtinerent uberiores; nam in violenter effractis urbibus, id hactenus apud nos pro lege obtinuit consuetudo, ut quod quisque ingrediens sibi rapit, id sibi et hæredibus suis perpetuo jure possideat. Poterant autem omnibus indifferenter ingredientibus, et mancipari civitas, et victoribus

Digitized by Google

spolia sufficere. Sed de vitiata radice et perversa intentione opus prodiens, rarum est ut bono fine claudatur quia :

Non habet eventus sordida præda bonos.

Dum ergo cupiditate rapti, ad prædæ participium renuunt habere consortes, in mortis periculo, merito reperti sunt soli. Ingressos igitur ex eis circiter quadraginta, cæteris subsequi non valentibus, cives prius de vita solliciti et extrema omnia sustinere sine contradictione parati, videntes eos paucos, resumptis viribus et recepto animo, eos gladiis excipiunt et interceptos obtruncant. Junctis igitur iterum agminibus, quasi viribus renatis, et armis quæ quasi victi deposuerant, resumptis, ad eam partem unanimiter convolant, qua murus deciderat. Trabes itaque immensæ magnitudinis et ligna ingentia, quorum illis ex navibus multa erat copia, contexentes, hiatum replent, obturant aditum et locum certatim faciunt impermeabilem. Communitis etiam turribus, quæ ex utroque latere vicinæ fuerant incendio, quas incendiorum importunitatem ferre non valentes, dereliquerant, bella renovant, ad congressus iterum accinguntur; nostros ultro provocant ad prælia, tanquam nihil omnino adversitatis perpessi. Qui autem in castello erant, scientes se bases habere minus solidas, et quod ab inferiore parte læsa erat in spondis solidioribus machina, minus proterve instabant, non multum de ejus soliditate præsumentes. Illi autem interemptorum corpora in nostram confusionem, super murum in propugnaculis funibus suspendentes, nostris insultabant, lætitiam quam mente conceperant, verbis et nutibus exprimentes. Sed hujus *gaudii extrema luctus occupat;* et quæ sequuntur manifeste indicant, quam vere dicatur, *ante ruinam exaltabitur cor* (*Prov.* XVI, 18). Nostri vero e converso, mente consternati et animo, mœrore confecti, et cordis amaritudine. de victoria diffidunt, pusillanimes effecti.

CAPUT XXVIII.

Iterum confortantur nostri, et ad continuandam obsidionem animantur, insistentes animosius.

Interea dominus rex, casus acerbitate perterritus, principes convocat, et coram posita vivifica cruce (nam in ejus tabernaculo convenerant) præsentibus domino patriarcha, domino quoque Tyrensi archiepiscopo et aliis Ecclesiarum prælatis, quid in tanta rerum varietate sit opus, quærit sollicitus. Illis vero sub Dei timore constitutis, et cum multa anxietate deliberantibus, facta est votorum dissonantia, et deliberantium quasi bipertitum desiderium. Alii namque, de obtinenda urbe diffidentes, longo se tempore operam ibi inutiliter consumpsisse asserebant, militiam ex parte cecidisse, principes saucios, aut peremptos, expensas deficere, civitatem inexpugnabilem esse, cives ejus bonis omnibus abundare, eorum vires reparari sæpius, nostras vero deficere, prætendentes, reditum persuadebant. Alii vero quibus mens erat sanior, perseverandum esse adhuc in proposito, et de Domini misericordia sperandum, qui non soleat relinquere sperantes in se pia longanimitate, hortabantur: proponentes parum esse, negotia quælibet bonum habere principium, nisi et simili fine claudantur. Dicunt etiam multum temporis et expensarum plurimum impendisse, sed spe fructus uberioris, quem Dominus, etsi differre, non tamen auferre videbatur; cecidisse suos aiunt, sed tamen spes erat, ut meliorem invenirent resurrectionem : fidelibus esse promissum : *Tristitia vestra vertetur in gaudium* (*Joan.* XVI, 20); et : *Quodcunque petieritis, fiet vobis* (*Matth.* VII, 8), asserebant. Hæc et similia allegantes, reditum dissuadebant; et ut in proposito tanquam viri fortes perseverarent, monere nitebantur. Priorem sententiam pene omnes laici principes fovebant; rex quoque tædio casuum adversorum in eam proclivior videbatur. In oppositа sententia dominus patriarcha, dominus quoque Tyrensis erant cum clero, consortem habentes dominum Raimundum magistrum hospitalis, cum fratribus suis. Sic igitur eis ab invicem dissentientibus, et varia pro utraque parte allegantibus, adfuit præsens divina clementia, quæ domini patriarchæ sententiam, quæ majoribus juvabatur meritis, et ampliore nitebatur honestate, omnibus fecit complacere. Proponunt igitur unanimiter, recurrendum esse ad Dominum, et implorato de cœlis auxilio, in eo quod cœperant perseverandum, quoad usque visitet eos *Oriens ex alto* (*Luc.* I), et labores eorum clementer respiciat. Redeuntes itaque in id ipsum, unanimiter arma corripiunt, perstrepunt tubis; lituis et voce præconia ad pugnam populum excitant universum. Illi vero peremptorum fratrum ulcisci affectantes injurias, solito ardentius ante urbem conveniunt, et hostes ad prælia avidissime provocant. Intueri erat nostras acies, tanquam nihil damni pertulissent, aut recentibus uterentur viribus, exterminato furore, in hostes irruere et impetus inferre solito vehementiores, ita ut mirarentur hostium canei; et in nostris virium augmentum insuperabile, et instandi stuperent perseverantiam; cumque et ipsi pari tentarent resistere conatu, frustra nitentes, non poterant nostrorum tolerare instantiam aut gladios declinare. Certatum est ergo illa die, viribus longe disparibus; sed tamen tam equitum quam peditum copiæ, de hostibus ubique triumphantes, palmam undique reportabant. Facta est itaque strages hostium maxima, et recompensata est mensura superefluente, quam nostri nudiustertius passi erant, injuria. Non erat in civitate familia, quam luctus domesticus et familiaris non premeret anxietas. Induta est ergo confusione civitas, et comparatione præsentis periculi levia videntur præterita. A prima enim obsidionis die usque in præsentem, nunquam paria damna receperant, nec similis illis acciderat jactura. Consumpto enim militiæ robore et urbis moderatoribus interemptis, defecerat consilium, virtus elan-

Digitized by Google

guerat et omnis spes evanuerat resistendi. Factumque est quod de publico consilio missi sunt quidam de primoribus populi, pacis interpretes, et inducias a domino rege postulantes ad tempus ut, datis nostrorum receptisque suorum defunctorum corporibus, liceat utrisque, pro more suo, debitas funeribus exhibere exsequias et supremum honorem impendere. Placuit itaque nostris postulata conditio; receptaque suorum corpora, cum exsequiarum solemnibus, commendant sepulturæ.

CAPUT XXIX.

Ascalonitæ desperant, et de communi consilio ad deditionem inclinantur.

Ascalonitis vero, postquam præsentem suorum stragem conspexerunt, et manum magnam, quam exercuerat in eos Dominus, renovatus est dolor, anxiatus spiritus, et præ doloris immanitate, eorum interius liquefactæ sunt animæ. Et ut nihil eis ad cumulum deesset malorum, accidit eadem die ut quadraginta fortibus ex eis, trabem ingentis magnitudinis, ad locum ubi necessaria videbatur, deferentibus, lapis ingens de nostra emissus jaculatoria machina, casu super trabem decideret, et quotquot oneri suberant deportando, omnes simul cum ea trabe contereret. His ergo pressi molestiarum ponderibus, et in amaritudine positi, eos qui residui erant ex Patribus, plebs convocat cum lacrymis et gemitu in unum collecta, ita ut nec matres deessent, parvulos tenentes ad ubera, nec senes valetudinarii, quibus vix supremus in præcordiis hærebat spiritus. Ubi per disertos et prudentes viros de communi omnium consilio habitus est ad populum universum hujusmodi sermo: *Viri Ascalonitæ, qui habitatis intra portas istas, nostis, et nemo vobis melius, quam periculosam et difficilem cum populo isto ferreo, et in proposito nimium pertinaci, jam per annos quinquaginta luctam habuimus: experimentis quoque compertum habetis, quoties in acie patres nostros fuderint; et quoties loco parentum filii contra eos bella reparaverint recidiva, injurias propulsare, et locum hunc, unde originem traximus, cum uxoribus et liberis, et quod majus est, libertatem conservare cupientes. Quinquagesimus quartus hodie agitur annus, ex quo populus iste nobis tam molestus, ab extremis Occidentis partibus ad nos ascendens, a Tarso Ciliciæ usque in Ægyptum universam regionem manu forti violenter occupavit; sola hæc civitas decessorum nostrorum meritis et virtute, in medio tantorum usque in præsentem diem indeficiens subsistit adversariorum; quæ tamen hactenus passa est, respectu imminentium, minima aut nulla judicari possunt. Et nunc quidem resistendi animus nobis in nullo remissior est; sed attritus exercitus, consumptæ copiæ, laboris pondus intolerabile, hostium pervigil et nimium pertinax multitudo, continuæ tam animorum quam corporum molestiæ vires negant, et protrahendi negotium invident facultatem. Unde Patribus videtur, si et vobis ita visum fuerit, instanti tempore et præsentibus miseriis expedire, ut missis nuntiis pro universo populo ad potentem istum regem, qui nos obsidet, tentemus exitum liberum cum uxoribus et liberis, servis et ancillis, et omnimoda supellectile, conditionibus interpositis impetrare; et ei, quod gementes dicimus, urbem resignare, ut tantis malis finem imponamus.*

CAPUT XXX.

Missis de majoribus civitatis, apud regem, obtinent liberum cum uxoribus et liberis et omni substantia exitum, et urbem resignant.

Visus autem sermo hic in oculis omnium bonus, et cum magnis et consonis clamoribus, sicut in hujusmodi fieri solet, esse approbatus, electi sunt de omni populo viri prudentes et discreti, reverendæ senectutis argumenta portantes, qui præordinatas ad dominum regem et principes ejus deferant conditiones; quibus extra portam egressis, sumptis prius induciis et accedendi licentia, dominum regem adeunt. Factaque eis universorum principum (sicut expetierant) copia, verbum proponunt, placitas exponentes ex ordine conditiones. Quibus jussis ad tempus egredi rex, cum principibus habito consilio, quid singulis videatur diligenter exigit; illi autem præ gaudio erumpentes in lacrymas, oculos cum manibus tollentes ad sidera, uberes Creatori referunt gratias, quod indignis tantam dignatus est conferre sui muneris largitatem. Revocatis igitur nuntiis, datum est illis de communi responsum: *Placere conditiones interpositas, si tamen infra triduum subsequens, universam expedirent civitatem.* Quod illi approbantes, ut robur pactis magis accedat, juramenta sibi exigunt præstari; quibus per manum domini regis et electorum principum corporaliter, et cum solemnitate præstitis, quod bona fide, sine dolo malo factorum tenor prædictorum conservetur; datis prius obsidibus eis, quos nominatim rex expetierat, ad propria læti sunt reversi, secum deducentes quosdam de nostris milites, qui vexilla regis super eminentiores civitatis turres in signum victoriæ collocarent. Postquam autem exercitus noster cum summo desiderio id exspectans, vexilla regia in turribus sublimioribus conspexit, factus est exsultantis populi clamor ingens cum lacrymis, usque ad sidera voce consona laudantium et dicentium: *Benedictus Deus patrum nostrorum, qui non deserit operantes in se; et benedictum nomen majestatis ejus, quod est sanctum, quia vidimus mirabilia hodie.* Factum est autem ut, cum per totum triduum continuum ex compacto haberent inducias, nostrorum formidantes præsentiam, infra biduum compositis sarcinis, cum uxoribus et liberis, servis et ancillis, et supellectile omnimoda accincti ad iter, egressi sunt. Quibus dominus rex duces itineris concedens, usque Laris, civitatem antiquam, sitam in solitudine, juxta pactorum tenorem, dimisit [eos] in pace. Dominus autem rex, dominus quoque patriarcha, cum cæteris regni principibus et Ecclesiarum prælatis, una cum universo clero et populo, prævio ligno Dominicæ crucis, cum hymnis et can-

Digitized by Google

ticis spiritualibus urbem ingressi, in præcipuo eorum et eximii decoris oratorio, quod postmodum in honorem apostoli Pauli consecratum est, crucem Dominicam intulerunt. Ubi celebratis solemniter divinis, post gratiarum actiones, in hospitia sibi deputata se recipientes, lætum et sæculis memorabilem egerunt diem. Intra paucos autem dies, dominus patriarcha ordinans Ecclesiam, certum numerum Canonicorum ibi, et eis certa dispendia (quæ præbendas vocant) instituit; episcopum quoque quemdam Absalonem, Ecclesiæ Dominici Sepulcri canonicum regularem, reclamante multum, et id fieri interdicente Geraldo Bethlehemita episcopo, ordinavit. Postmodum vero per appellationem causa ad Romani pontificis audientiam delata, obtinuit prædictus Bethlehemita episcopus, eo excluso quem dominus patriarcha ibi consecraverat, Ascalonitanam Ecclesiam, cum possessionibus suis, sibi et Ecclesiæ Bethlehemiticæ jure perpetuo possidendam. Rex autem, tam in urbe quam in suburbanis, matris consilio, benemeritis, et quibusdam etiam pretii interventu, possessionibus et agris in funiculo distributis, civitatem fratri suo adolescenti, domino Amalrico, Joppensi comiti, liberaliter concessit. Capta est ergo prædicta civitas, anno ab Incarnatione Domini 1154; regni vero domini Balduini regis quarti, anno decimo, mense Augusto, die mensis duodecima. Accidit autem miseris Ascalonitis proficiscentibus et descendentibus in Ægyptum casus miserabilis. Nam discedentibus ab eis regis hominibus, qui dati erant euntibus duces itineris, et ut nemo eos molestaret, ad tutelam, Nocquinus quidam, Turcus genere, armis strenuus, sed perversus moribus et infidelis, qui apud eos laborum particeps, stipendia merens, diu militaverat, fingens se profectionis eorum et descensionis in Ægyptum consortem, ubi videt eos ducibus destitutos, spreta fide, humanitate contempta, irruit super eos; et ablatis spoliis discedens, errabundos dimisit in solitudine.

INCIPIT LIBER OCTAVUS DECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Rainaldus de Castellione, princeps Antiochenus, patriarcham Antiochenum ignominiose tractat; ille in regnum confugit. Oritur fames valida super terram.

Interea Rainaldus de Castellione, qui domini Raimundi, principis Antiocheni viduam duxerat, de quo facto superius diximus, videns quia domino patriarchæ factum non multum placuerat ab initio, et adhuc in eodem perseverabat, suspectas ejus omnes habebat vias. Ille autem tanquam vir et ditissimus et potens, et supremæ auctoritatis, libere satis, tam de ejus persona, quam de ejus actibus, tum in secreto, tum in publico sæpius loquebatur. Erant autem nonnulli, sicut in talibus frequenter solet contingere, qui hujusmodi verba, odiorum fomitem quærentes, reportabant: unde motus in indignationem et iram inexorabilem princeps, domino patriarchæ violentas injecit manus; et ausu diabolico captum, in castellum quod civitati Antiochenæ supereminet, ignominiose deduci fecit; quodque satis videtur abominabile, sacerdotem longævum, Petri apostolorum Principis successorem, virum ægrotativum, et pene perpetuo infirmantem, nudo capite et melle delibuto, per diem æstivum in sole ferventissimo compulit sedere, nemine contra solis importunitatem præbente remedium, vel gratia pietatis muscas abigente. Hoc audiens dominus rex Hierosolymorum, in stuporem raptus, viri dementis admirans insaniam, et præ admiratione in se ipso deficiens, missis venerabilibus nuntiis, domino Frederico Acconense episcopo, domino Radulpho ejus cancellario, per eos litteras dirigit, et auctoritate regia prædictum dementem corripit, et a perpetrata redire monet insania. Ille autem, visis nuntiis et regiis perlectis apicibus, postquam eum multis affecerat contumeliis, remisit liberum; bona etiam quæ ab eo et suis violenter rapuerat plene restitutit. Tandem vero dominus patriarcha Antiochenam deserens diœcesim, in regnum se contulit Hierosolymorum. Ubi a domino rege et ejus matre discretissima, domino quoque patriarcha et regni universis episcopis benigne habitus, per aliquot mansit annos.

Facta est autem anno sequenti fames valida super universam terram; et iratus nobis Dominus, omne firmamentum panis contrivit, ita ut tritici modius aureis quatuor venderetur. Quod nisi fuisset frumenti copia, quæ in urbe Ascalonitana, ea devicta, inventa est, fame regionem oppugnante, populus pene deperisset universus. Sequentibus tamen annis, ex quo regio Ascalonæ adjacens, quæ annis quinquaginta metu hostilitatis inculta jacuerat, postquam agricolarum curam sensit, et populus regionis, metu hostium propulsato, libere terram exercere potuit, tanta universum regnum replevit ubertate, ut omne quod effluxerat tempus, habita comparatione ad præsens, jejunum et sterile merito quis posset appellare. Diu enim culturæ nescia, vomeris usum non sustinens, integris in se subsistens viribus, postquam rusticam sensit adesse sollicitudinem, credita semina, cum fenore multiplici et fructu sexagesimo reportavit.

Digitized by Google

CAPUT II.

Defuncto Anastasio, substituitur et Adrianus. Imperator Fredericus Romæ coronatur. Inter papam et regem Siciliæ Willelmum graves oriuntur inimicitiæ.

Dum hæc in partibus geruntur Orientalibus, Romæ defuncto Domino Anastasio papa quarto, substitutus est ei dominus Adrianus tertius; hic Anglicus natione, de castello Sancti Albani, apud Avinionem civitatem Provinciæ, in Arelatensi diœcesi, abbas fuit canonicorum Regularium in ecclesia Sancti Rufi; unde ad Ecclesiam Romanam a domino bonæ memoriæ Eugenio vocatus, in episcopum Albanensem ordinatus est, Nicolaus nomine. Hic, defuncto domino Anastasio, qui prædicto domino Eugenio successerat, de Norwegia, Occidentali et ultima provincia, ad quam missus fuerat ab eodem legatus, electioni interfuit, et a clero et populo unanimiter electus est, et Adrianus appellatus.

Contigit autem eodem anno, quod dominus Fredericus Teutonicorum rex, nondum tamen imperator, in Italiam cum infinita suorum manu descenderat, et Dertona, una ex urbibus Lombardiæ, quam diu obsederat, subacta, Romam venire et ibi coronari disposuerat. His autem diebus, inter dominum papam Adrianum (de quo prædiximus) et regem Siciliæ dominum Willelmum, domini Rogerii bonæ memoriæ filium, graves ex causis quibusdam ortæ erant inimicitiæ : ita quod usque ad odium manifestum et guerram noxiam prodierat res, ita ut sententiam excommunicationis dominus papa in eum jacularetur. Dominus tamen Fredericus, de quo prædiximus, propositum urgens, accelerato itinere, infra paucos dies de Lombardia Romam venerat, ita ut subitus ejus adventus domino papæ et universæ Ecclesiæ Romanæ suspectus esset admodum. Tandem per internuntios pacis ordinatores, interpositis conditionibus solitis, in ecclesia beati Petri solemniter et ex more VI Kal. Julias coronatus est, et Augustus appellatus : inde subsecuto triduo, ambo sub civitate Tiburtina, in loco qui dicitur ad pontem Lucanum, festo die Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, hic imperiali schemate decoratus, ille summi pontificatus singularia habens insignia, junctis agminibus, exsultantibus clero et populo processerunt laureati. Unde post diei festi consummationem, in bona pace divisi ab invicem, dominus imperator ad partes properavit Anconitanas, quo eum imperii cura trahebat, domino papa circa partes Romanas, in montanis urbibus moram faciente.

Interea rex Siciliæ Beneventanam urbem Ecclesiæ Romanæ familiare domicilium, principibus suis mandat obsideri, et urgentissimis angustiis ejus præcipit arctari habitatores. Quod verbum dominus papa moleste ferens supra modum, vicem ei æqua lance volens refundere, principes proprios contra eum nititur armare; nec in ea parte fraudatus est a desiderio suo. Nam potentissimum regni sui comitem, ejusdem regis amitæ filium, Robertum videA licet de Bassavilla, cum multis aliis viris nobilibus, quibus auxilium consiliumque Romanæ Ecclesiæ perpetuo non defuturum pollicebatur, contra eum insurgere persuasit. Exsules quoque, quos tam ipse quam pater ejus de regno ejiciens, bonis fecerat extorres paternis, viros inclytos et potentes, dominum videlicet Robertum de Surrento, principem Capuanum, comitem quoque Andream de Rapacanina, et alios multos, exhortationibus suis provocaverat, ut in regnum redirent et ad jure hæreditario sibi debitas accederent possessiones, Romanam Ecclesiam in perpetuum eis non defuturam, in verbo pontificali spondens eis firmissime. Utrumque nihilominus imperatorem, Romanorum videlicet et Constantinopolitanum, alterum ore ad os et manifeste,
B qui adhuc erat in Italia; alterum vero per litteras, sed occulte, ad occupandum Siculi regnum sollicitat

CAPUT III.

Inter dominum patriarcham et fratres Hospitalis quæstiones suscitantur de decimis, et quibusdam injuriis, quæ ab Ecclesiis eis inferebantur.

Sic igitur dum in Italia turbantur tam Ecclesiæ quam regni Siculi negotia, non fuit quoque tractus Orientalis noster absque turba. Nam per idem tempus, urbe Ascalonitana divino favore Christianis restituta, cum regni satis prospere procederent negotia, lætis frugibus, cœpit inimicus homo superseminare zizania, et a Domino præstitæ invidere tranquillitati. Raimundus enim magister domus Hospitalis, una cum fratribus suis, eodem spiC ritu repletis, licet alias vir religiosus et timens Deum crederetur, tam domino patriarchæ quam cæteris Ecclesiarum prælatis, multas tam super parochiali jure quam super jure decimationum, cœperunt inferre molestias; nam a suis episcopis excommunicatos vel nominatim interdictos, et ob scelera sua separatos ab Ecclesia, ad divinorum celebrationem, passim et sine delectu recipiebant; ægrotis eisdem et viaticum et supremam unctionem, mortuis vero sepulturam non negabant. Ob enormia vero commissa, si quando silentium ecclesiis universis, vel alicujus civitatis, vel cujuslibet municipii imponebatur, hi primum et campanarum pulsatione, et vociferatione solito majore interdiD ctos populos ad divina vocabant, ut oblationes et cæteras obventiones matricibus ecclesiis debitas, ipsi haberent, et aliis lugentibus, soli ipsi lætarentur : obliti illius verbi egregii prædicatoris : *Gaudete cum gaudentibus; et flete cum flentibus* (*Rom.* XII, 15). Sacerdotes suos, nec admittentes juxta sanctorum antiquam sanctionem decretorum, locorum episcopis præsentabant, ut cum eorum conscientia in suis diœcesibus divina celebrarent; nec abjicientes, sive juste sive injuste, hoc notum faciebant episcopis. De prædiis autem suis, et universis reditibus, quocunque jure ad eos devolutis, omnino decimas dare negabant. Hæc omnium querela adversus eos pontificum; hæc jactura omnibus cathedralibus Ecclesiis, ubique ab eis irrogabatur; specialiter

Digitized by Google

autem domino patriarchæ, et sanctæ Hierosolymorum Ecclesiæ, hanc Christianis omnibus odibilem inferebant injuriam; nam ante sanctæ Resurrectionis ecclesiæ januas, in ipsius contemptum et contumeliam Ecclesiæ, ædificia cœperunt erigere multo sumptuosiora et sublimiora plurimum, quam illa habet ecclesia, quæ Domini salvatoris in cruce dependentis pretioso dedicata est sanguine, et ei post crucis patibulum in se ipsa gratissimam præstitit sepulturam. Insuper quotiescunque de more dominus patriarcha, ut ad populum loqueretur, ad locum in quo mundi Salvator pro salute nostra pependit, et totius orbis celebrata est apud eum copiosa redemptio, ascendebat, ipsi ut ejus actibus et dispensationi sibi creditæ aliquod præstarent impedimentum, pulsatis campanis tot [et] tantis, et [tam] studiose, et tam diu [contendebant], ut nec domini patriarchæ sermo sufficeret ad clamandum, nec populus eum, licet multum laborantem, audire merebatur; cumque super hujusmodi temeritate sæpius conquereretur dominus patriarcha ad cives, et eorum præsentibus argumentis, deprehenderetur malitia, conventi a pluribus, incorrigibiles inventi sunt, comminantes etiam se aliquando graviora molituros. Quod et factum est; nam etiam usque ad eam temeritatem, ausu diabolico et spiritu furoris concepto, pervenerunt ut, armis correptis, tanquam in domum alicujus gregarii irrumperent in prædictam Deo amabilem ecclesiam, et sagittas tanquam in speluncam latronum jacularentur multas, quas postmodum collectas et redactas in manipulum, ante locum Calvariæ, ubi crucifixus est Dominus, func dependentes, et nos ipsi vidimus, et alii viderunt infiniti. Hujus autem tanti mali primitivam originem Romana Ecclesia, licet fortasse nesciens, nec multo ponderans libramine, quid ab ea peteretur, diligenter considerantibus videtur intulisse; nam locum prædictum, a domini patriarchæ Hierosolymitani jurisdictione, cui diu et merito subjacuerat, emancipavit indebite, ut nec ad Deum, timorem, nec ad homines, nisi quos timent, habeant reverentiam. Nec tamen omnes uno judicio et sublata discretionis differentia, in hanc, Deo odibilem et vitiorum matrem omnium, involvimus superbiam, credentes vix posse contingere, ut in tanto corpore omnes eodem gradiantur itinere et sit nulla differentia meritorum. Ut autem, ex quam modico jactu seminis, tantum locus memoratus cœperit incrementum, quamque indebite contra Dei ecclesias Erecalcitraverit et usque hodie recalcitrare non desinat, sumpto aliquantulum altius exordio, præsenti duximus mandandum historiæ, veritatis regulam omnino, auctore Domino, non prætermittentes.

CAPUT IV.

Describitur unde habuit ortum et initium domus Hospitalis.

Regno Hierosolymorum cum universa Syria et Ægypto, cum adjacentibus provinciis, peccatis nostris exigentibus, in manus hostium nominis et fidei Christianæ, secundum quod antiquæ tradunt historiæ, devolutis: quod tempore domini Heraclii Romanorum imperatoris, invalescentibus contra eum Arabiæ populis, certum est accidisse; non defuerunt de Occidentalibus multi, qui loca sancta, licet in hostium potestate redacta, aut devotionis, aut commerciorum, aut utriusque gratia, visitarent aliquoties. Inter eos autem qui negotiationis obtentu, de Occidentalibus per illa sæcula, loca prædicta adire tentaverunt, fuerunt viri de Italia, qui ab urbe quam incolunt dicuntur Amalfitani. Est autem Amalfia civitas inter mare et montes eminentissimos constituta, ab Oriente habens urbem nobilissimam Salernum, vix septem milliaribus marino ab ea distantem itinere; ab occidente vero Surrentum et Neapolim Vergilianam; ab austro vero Siciliam, ducentis milliaribus, plus minusve modico, remotam, Tyrrheno mari interjacente. Hujus regionis habitatores, ut prædiximus, primi merces peregrinas, et quas Oriens prius non noverat, ad supranominatas partes lucri faciendi gratia inferre tentaverunt; unde et optimas conditiones apud illarum partium præsides, pro rebus necessariis quas inferebant, et sine difficultate accessum, et populi nihilominus gratiam merebantur. Possidebat illis diebus princeps Ægyptius universas maritimas regiones, a Gabulo civitate, sita in littore maris juxta Laodiciam Syriæ, usque in Alexandriam, quæ est novissima civitas Ægypti. Et per præsides singulis civitatibus deputatos, imperium suum late reddebat formidabile. Prædicti vero Amalfitani tam regis quam principum suorum plenam habentes gratiam, loca universa, quasi negotiatores et tractatores utilium, tanquam merces circumferendo, confidenter poterant circumire; unde et traditionum paternarum non immemores et fidei Christianæ, loca sancta, quoties opportunitas dabatur, visitabant; non habentes autem in eadem urbe familiare domicilium, ubi moram possent facere aliquantulum, sicut in urbibus habebant maritimis, congregatis de suo populo, quotquot ad opus conceptum poterant convocare, calipham Ægyptium adeunt, et oblenta familiarium ejus gratia, petitionem suam scripto porrigunt, et votis consone recipiunt impetratum.

CAPUT V.

Quomodo Ægyptius calipha ad petitionem Amalphitanorum, locum eis designari præcipit, ubi Ecclesiam ædificent.

Scribitur ergo Hierosolymorum præsidi, ut viris Amalfitanis, amicis, et utilium introductoribus, locus Hierosolymis juxta eorum desiderium, in ea parte quam Christiani habitant, ad construendum ibi domicilium, quale voluerint, designetur amplissimus. Erat autem civitas, sicut et hodie est, in quatuor partes pene divisa æqualiter, ex quibus

Digitized by Google

sola quarta, in qua Sepulcrum Dominicum situm est, fidelibus concessa erat ad habitandum; reliquas autem cum Templo Domini, soli infideles habebant domesticas. Designatur ergo eis de mandato principis, qui sufficiens videbatur ad construenda necessaria locus, sumptaque a negotiatoribus quasi per symbolum pecunia, ante januam ecclesiæ Dominicæ Resurrectionis, quantum vix lapidis jactus est, monasterium erigunt, in honore sanctæ et gloriosæ Dei genitricis, perpetuæque virginis Mariæ, simul cum et iis officinis, quæ ad usus monachorum et suæ gentis hospitum susceptionem, poterant aliquam præstare commoditatem. Quo facto de partibus suis tam monachos quam abbatem transferentes, locum regulariter instituunt, et Domino conversatione sancta reddunt placabilem. Et quoniam viri Latini erant, et qui locum fundaverant, et qui in religione conservabant, idcirco ab ea die usque in præsens, locus ille monasterium de Latina dicitur. Accedebant etiam per illa nihilominus tempora, ut loca deoscularentur venerabilia, sanctæ viduæ et continentes, quæ timoris oblitæ feminei, et periculorum, quæ multiplicia occurrebant, non habentes formidinem; quibus advenientibus, cum non esset intra septa monasterii, ubi colligerentur honeste, congrua satis provisione procuratum est ab eisdem sanctis viris, qui locum fundaverunt ut, advenientibus devotis feminis, non deesset seorsum oratorium, domus familiaris et locus in diversorio. Tandemque, divina favente clementia, ordinatum est ibi monasteriolum in honore piæ peccatricis, Mariæ videlicet Magdalenæ; et sorores sub certo numero, ad obsequium adventantium mulierum constitutæ. Confluebant etiam per illa periculosa tempora nonnulli ex aliis gentibus, tam nobiles quam secundæ classis homines, quibus quoniam ad sanctam civitatem non nisi per terras hostium erat accessus, de suis viaticulis cum ad urbem pervenissent, omnino non fiebat residuum; sed miseros et inopes ante civitatis portam, tam diu cum summo labore, fame, siti et nuditate expectare oportebat, quousque, dato aureo numismate, urbem eis licebat introire. Ingressis autem et locis sanctis ex ordine peragratis, non erat eis vel ad unum diem refectionis spes ulla, nisi quantum eis de prædicto monasterio fraterne ministrabatur; nam omnes alii civitatis habitatores Sarraceni erant et infideles, excepto domino patriarcha, et clero et populo misero Surianorum; qui diebus singulis tot angariis, parangariis, et sordidorum munerum præstationibus vexabantur, ut vix sibi, in suprema paupertate constitutis, in continuo timore mortis, liceret respirare. Nostris ergo miseris, et ad supremum afflictis et egentibus, cum non esset qui tectum præberet, procuratum est a beatissimis viris, qui monasterium Latinorum incolebant, ut misericorditer victui et tegumento detrahentes, ad opus talium, intra ambitum sibi designatum, xenodochium erigerent, ubi tales sanos vel ægrotantes colligerent, ne de nocte per vias reperti jugularentur; et in eodem loco congregatis, de reliquiis fragmentorum utriusque monasterii, tam virorum quam mulierum, ad quotidianam sustentationem qualemqualem, aliquid ministraretur. Erexerunt etiam in eodem loco altare in honore beati Joannis Eleymon. Hic vir Deo placens et per omnia commendabilis, natione fuit Cyprius; tandem suffragantibus meritis, factus est Alexandrinus patriarcha, vir in operibus pietatis singulariter excellens, cujus pia studia et liberales eleemosynas in perpetuum enarrabit omnis ecclesia sanctorum. Unde et a sanctis Patribus vocatus est Eleymon, quod interpretatur *misericors*. Huic autem loco venerabili, quod ita charitative se porrigebat ad homines, neque redditus erant, neque possessiones; sed prædicti Amalfitani annis singulis, tam qui domi erant, quam qui negotiationes sequebantur, collecta inter se quasi per symbolum pecunia, per eos qui Hierosolymam proficiscebantur, abbati, qui pro tempore ibi erat, offerebant, ut inde fratribus et sororibus ad victum et tegumen provideretur et de residuo fieret advenientibus Christicolis in xenodochio aliqua misericordia. Ita ergo per multorum annorum curricula, quousque placuit summo rerum opifici, civitatem illam, quam proprio cruore mundaverat, a superstitionibus gentilium purgare, sub iis conditionibus mansit locus ille. Adveniente namque Christiano populo et principibus a Deo protectis, quibus regnum illud Salvator tradi voluit, in monasterio feminarum inventa est, abbatissæ fungens officio, quædam Deo devota et sancta mulier, Agnes nomine, nobilis secundum carnem, natione Romana; quæ etiam postquam civitas restituta est fidei Christianæ, per aliquot vixit annos; et in xenodochio similiter repertus est quidam Geraldus, vir probatæ conversationis, qui pauperibus in eodem loco tempore hostilitatis, de mandato abbatis et monachorum, multo tempore devote servierat; cui postea successit Raimundus iste, de quo nobis sermo est in præsenti.

CAPUT VI.

Patriarcha cum plurima parte episcoporum orientalium, Romam proficiscitur, ad Adrianum papam.

Sic ergo de tam modico incrementum habentes, prædictæ domus fratres, prius a jurisdictione se subtraxerunt abbatis; deinde multiplicatis in immensum divitiis, per Ecclesiam Romanam a manu et potestate domini patriarchæ sunt emancipati; qua perniciosa libertate impetrata, nullam prorsus ecclesiarum prælatis deinceps exhibentes reverentiam, decimas sibi ex quibuscunque prædiis ad se quocunque jure devolutis, penitus negant. Hoc exemplo multa de iis locis, quæ dicuntur venerabilia, tam monasteria quam xenodochia, quibus Ecclesiæ de mera liberalitate et solitæ pietatis officio prima præstiterunt fundamina et ad optata perduxerunt incrementa, tandem ex adipe recalcitrantes, ab ube-

Digitized by Google

ribus piæ matris, quibus ab initio quasi modo geniti infantes lacte pasti et solido pro tempore cibo saginati, divisi sunt, ita ut merito de eis conqueri possit Ecclesia : *Filios enutrivi et exaltavi ; ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I, 2). Parcat eis Dominus et ad cor redire concedat, ut matri suæ, quam dereliquerunt, discant servire in timore ; et illi etiam amplius indulgeat, quæ cum haberet centum oves, unicam vidit pauperis, et invidit ; cui a Domino dicitur : *Occidisti, et possedisti* (*III Reg.* XXI, 19). Væ illi, quicunque sit ille, quia juxta judicium prophetæ, *vir sanguinum est* (*II Reg.* XVI, 8). Postquam ergo sæpe ac sæpius, tam dominus patriarcha quam reliqui ecclesiarum prælati apud eosdem fratres sua jura reposcendo non proficiebant, ut præmisimus, ad Romani pontificis hinc inde processum est auditorium. Assumens ergo sibi dominus patriarcha, licet longævus esset et fere centenarius, de ecclesiarum prælatis dominum Petrum Tyrensem archiepiscopum et de suffraganeis ejus dominum Fredericum Acconensem episcopum, dominum Amalricum Sidoniensem episcopum, dominum quoque Balduinum Cæsariensem archiepiscopum, dominum Constantinum Liddensem episcopum, dominum Renerum Sebastenum episcopum, dominum Herbertum Tiberiadensem episcopum, vernalis temporis gratia respirante, cum primum mare flatibus exagitatum hibernis, spirante Favonio, cœpit se reddere placabilius, iter aggressi, auctore Domino, Hydruntum Apuliæ urbem maritimam prospero cursu attigerunt.

CAPUT VII.

Imperator Constantinopolitanus, consentiente papa, Apuliam invadit. Dominus patriarcha cum suis ad curiam pervenit.

Interea, dum pontifices Orientis una cum domino patriarcha fines attigissent Apuliæ, ut præmisimus, Constantinopolitanus imperator verbum domini papæ secutus, immissis de principibus suis, cum infinita pecunia, consentientibus illarum partium proceribus, regionem violenter invaserat, ita ut postquam dominus patriarcha cum suis ab Hydrunto usque Brundusium pervenisset, domini imperatoris familia urbem prædictam, tradentibus eam civibus, jam recepisset in suam, solo præsidio civitatis in quo pauci erant, in fidelitate domini regis perseverante. Comes quoque Robertus, de quo superius fecimus mentionem, cum iis qui partes suas, tam regis odio quam ejus gratia sequebantur, Tarentum, Barum, egregias metropoles, et omnem maritimam regionem usque ad regni terminos violenter occupaverat. Prædicti vero magni et inclyti viri, Robertus princeps Capuanus et comes Andreas, universam Campaniam, quæ vulgari appellatione dicitur terra Laboris, usque Salernum, et usque Neapolim, et usque ad Sanctum Germanum, sibi vindicaverant ; eratque tota regio in tanto motu, ut nusquam quies, nusquam securitas esset transire volentibus. Romanorum etiam imperator, dominus Fredericus, circa partes Aconitanas cum exercitibus suis moram faciens, tantam in legionibus, quas in Italiam introduxerat, cladem patiebatur ut, deficientibus majoribus et nobilioribus imperii principibus, vix decimus superesset : unde eos qui supererant, ad propria redire volentes, cohibere non valens, ipse quoque ad reditum, licet invitus accingebatur. Multa enim supererant negotia, et maxime contra eumdem Siculum regem, quæ ejus exigebant præsentiam.

Dominus porro patriarcha cum sui consortibus itineris anxie deliberabat, qua via ad dominum papam in tanto tumultu posset accedere ; undique enim prælia, undique seditiones omnem videbantur aditum præclusisse. Ansquetinus quoque, quidam regis Siciliæ cancellarius, urbem obsederat Beneventanam, nuntiis domini patriarchæ, qui ad hoc missi fuerant, ut ei a prædicto cancellario ducatum implorarent, omnino negans per partes illas transitum, quæ tamen via multo cæteris erat compendiosior. Tandemque habito quorumdam prudentum consilio, viam maritimam secutus, cum omni comitatu suo Anconam pervenit ; missis inde ex latere suo quibusdam episcopis, qui dominum imperatorem Romanorum, jam ut prædiximus, ad propria redeuntem, verbis illius salutarent, et pro negotiis ejus ad dominum papam litteras obtinerent imperiales. Quod et factum est, licet ipse urbem Senogallias et Pisaurum jam pertransiisset, pro redeundo sollicitus. At vero dominus patriarcha cum suo comitatu Romam versus iter dirigens, dominum papam a civitate Narniensi egressum, quasi fugientem persequebatur. Tandem Romam veniens, ibique per dies aliquot facta mora, cum ei nuntiatum esset dominum papam apud urbem Ferentinam gressum fixisse, illuc incunctanter properat ut de negotio pro quo venerat experiri tentaret. Dicebant quidam dominum papam, ut eum tædio afficeret et gravaret sumptibus, eum studiose declinare ; nam muneribus infinitis corruptus, in partem Hospitalariorum dicebatur se dedisse proclivem, qui jam ad eum multo ante prævenerant. Alii dicebant, urbis Beneventanæ gratia, quæ obsidione claudebatur, ut diximus, eum tam maturato advenisse itinere. Illud tamen erat evidens, favorem suum et familiarium suorum, Hospitalariis nimis familiariter indulsisse ; dominum vero patriarcham cum suis, quasi adulterinos filios, fastu quodam et indignatione a se repellere, quasi indignos.

CAPUT VIII.

Adrianus papa Beneventum properat ; patriarcha illuc festinat, proponit actiones ; sed corrupta muneribus curia, justitiam opprimit. Revertitur infecto negotio patriarcha.

Postquam igitur ad prædictam urbem pervenit, obtulit se de more apostolicis conspectibus ; ubi et male receptus, et pejus habitus, invitis ex plurima parte cardinalibus, certum de domini papæ mentis conceptu et habitudine reportavit argumentum. Ille

Digitized by Google

tamen quorumdam prudentum amicorum suorum fretus consilio, totum hoc dissimulans, sicut homo severus erat, dominum papam frequentabat, diebus festis assiduus erat in consistorio, episcoporum suorum cœtu venerabiliter circumseptus; cui etiam advocatorum turba, quoties opus erat, jugis assistebat, officium adimplere parata. Data igitur utrisque partibus audientia, cum jam per dies multos utrinque inutiliter esset decertatum, videns dominus patriarcha, et per quosdam familiares amicos suos intelligens, quod non proficeret, sumpta licentia, conditionem referens deteriorem, confusione indutus et reverentia, aggressus est ad propria redire. De tanta autem cardinalium turba, vix reperti sunt duo vel tres, dominus videlicet Octavianus, dominus Joannes de Sancto Martino, qui ejusdem domini patriarchæ, dum esset Tyrensis archiepiscopus, archidiaconus fuerat, qui Christum sequentes, ejus ministrum in causa sua pie vellent vovere. Alii omnes abeuntes post munera, secuti sunt vias Balaam, filii Bosor. Dominus vero papa urgentibus eum curis domesticis, transcursa Campania Beneventum pervenit. Interea rex Siciliæ, dominus Willelmus, audiens et crebris edoctus legationibus, quod in partibus Apuliæ, comes Robertus de Bassavilla, una cum Græcis regionem occupassent violenter; in Campania vero princeps Capuanus, et comes Andreas late sua diffunderent imperia, dominus quoque papa in Beneventum se receperat, unde omnibus prædictis vires et animos ministrabat, congregatis ex universa Sicilia et Calabria militaribus copiis, cum ingentibus expeditionibus in Apuliam pervenit. Ubi statim circa Brundusium, fugiente comite Roberto, primo Marte Græcorum fudit copias; et attrito penitus eorum exercitu, duces eorum captos, vinculis mancipavit. Cazas quoque, quas intulerant, valde multiplices, suis intulit tam potenter quam feliciter vestiariis: inde recepta universa regione, quæ ab eo defecerat et populis gratia restituta, Beneventum obsidet; ubi tantis tam dominum papam cum suis cardinalibus, quam cives universos affecit molestiis, ut et victus deficeret et de salute redderet valde sollicitos: ubi nuntiis intercurrentibus, quibusdam occultis conditionibus, reformata est pax inter eos, exclusis omnibus illis a fœdere, qui domini papæ suasionibus, tantis se laboribus immerserunt et periculis. Videntes ergo prædicti nobiles viri, quod contra spem accidisset eis, et quod dominus papa, non obtenta eis domini regis gratia, pacem sibi et Romanæ Ecclesiæ, illis exclusis fecerat, solliciti pro se, anxie cœperunt disquirere, quonam pacto possent, sani et incolumes, extra regnum se facere. Comes itaque Robertus et Andreas, cum quibusdam aliis nobilibus viris in Lombardiam properantes, ad dominum imperatorem se contulerunt. Princeps vero Capuanus, cæteris infelicior, dum Garilianum navigio transire parat, a suis vectoribus, cum suos jam præmisisset et ipse cum paucis in ripa citeriore jamjam transiturus exspectaret, captus est; et regis fidelibus traditus, in Siciliam deductus est, ubi continuo carcere et cæcitate violenter inducta, miserabiliter vitam finivit.

CAPUT IX.

In Ægypto tumultus excitatur civilis; fugit soldanus ab eis, et occiditur a nostris; capitur ejus filius Nosceradinus.

Per idem tempus, regno Hierosolymorum satis prospere per Dei misericordiam se habente, contigit regiones ei adjacentes ex utroque latere, quasi inopinato miserabiliter concuti. Nam Ægyptiorum quidam potentissimus, soldanatus agens officium, dominum regionis, calipham videlicet, quem Ægyptii pro summo numine colere solent et venerari, accedens ad eum familiariter, tanquam negotiorum ejus domesticus procurator, in secretiore palatii cubiculo fraudulenter occidit: hoc autem ea intentione dicitur fecisse, ut filium suum Noseredinum in calipham erigeret, et in regni administratione, filio præsidente, sine cura et sollicitudine perseveraret. Arbitratus est autem per dies aliquot rem posse occultari, quousque recepto palatio majore et thesauris occupatis ex integro, cœtuque amicorum et familiarium convocato, volentibus ei hoc quod egerat ad mortem imputare, resistere posset. Sed res longe aliter accidit. Nam modico interjecto tempore, scelus commissum innotuit, et omnis populus a maximo usque ad minimum, tanquam vir unus, conveniens, domum illius, in quam se, perpetrato homicidio, contulerat, undique vallantes, ad pœnas una voce virum sanguinum exigunt, qui domino regionis ausu nefario mortem intulerat. Dumque instant protervius, videns aliam salutis non superesse viam, thesauros aperiens, aurum, gemmas, et quæcunque habebat desiderabilia per fenestras vociferanti projicit populo, ut, dum in colligendo esset sollicitior, ipse quocunque modo ad iter se præpararet. Quid plura? Egressus cum honesto filiorum ac nepotum comitatu, invitis eis qui cum obsederant, iter arripit versus solitudinem, Damascum, ut dicebatur, profecturus; illi autem nihilo segnius eum insectantes, impedire laborabant. At vero filius ejus primogenitus, et alii de familia viri prudentes et in armis strenui, eos a se longius arcentes, sustinebant impetus et ad suos propius accedere non permittebant. Interdum etiam et vasa aurea sive argentea, vestesque pretiosas, et holoserica æstimationis non modicæ, post se relinquebant ex industria, ut eis properantibus moras innecterent, et pro dividendis quæ colligebant, materiam inferrent contentionis. Tandem videntes Ægyptii se non posse proficere, infecto negotio, domum sunt reversi; ille vero profectus, dum fatorum se putat subductum esse insidiis, dum securo graditur itinere, nihil superesse difficultatis arbitrans, dum Scyllam fugit, decidit in Charybdim. Nostri enim, audito ejus transitu, casu præstruentes insidias, in eis more nocere volentium, absque strepitu latebant:

Digitized by Google

ille ex improviso in prædictas irruens insidias, primis congressionibus est confossus lethaliter, ibique statim gladio vitam finivit. Erat autem nobili viro nomen Habeis, filius vero ejus Noseredinus, et omnis omnino familia, et universæ illæ divitiæ, quas secum ex Ægypto detulerant, in manus hostium tradita sunt. Sic ergo opimis onusti spoliis, et qualia orbis noster prius non audierat, subfarcinati, prædam more solito dividentes, ad propria sunt reversi. Accidit autem quod inter cæteros qui eidem negotio interfuerant, fratres militiæ Templi plures habuerunt milites; et potiores reportaverunt, pro numero militum, manubiarum et prædæ portiones. Cecidit enim eis in sortem præter cætera in funiculo distributionis, prædicti nobilis viri filius Noseradinus, vir audacissimus, rei militaris singularem apud Ægyptios habens experientiam; cujus etiam nomen populis illius regionis esset formidabile, aspectus vero terrorem incutiens, sine consolatione. Hunc porro, cum diebus multis prædicti fratres habuissent in vinculis, et avidissime petens in Christo regenerari, litteras jam didicisset Romanas, prima fidei Christianæ rudimenta edoctus, pro sexaginta millibus aureorum Ægyptiis eum ad mortem postulantibus vendiderunt. Traditum autem vinctum manibus et pedibus catenis ferreis, in cavea ferrea camelis imponentes, in Ægyptum deduxerunt, ubi inhumanis desideriis suis satisfacientes, eum mordicitus decerpentes, in frusta minutissima conciderunt.

A

B

C

CAPUT X.

Princeps Rainaldus insulam Cyprum occupat, et ejus habitatores spoliat violenter.

Anno sequente idem Rainaldus de Castellione, princeps Antiochenus, consilio perversorum, quorum maxime studio regebatur, piaculare iterum committens flagitium, Cyprum insulam nobis vicinam, populis refertam fidelibus, regno nostro utilem, et amicam semper, immissis hostiliter legionibus, violenter occupavit. Causa autem hujus tam abominandæ invasionis videbatur hæc esse: in partibus Ciliciæ circa Tarsum, erat quidam nobilis et potentissimus Armenus, nomine Toros, qui domini imperatoris gratiam, ejus efficiente inconstantia, frequentius demerebatur et incurrebat offensam. Confisus enim de eo quod ab imperio remotus erat plurimum, et quod in montibus arduis habebat domicilia, per plana Ciliciæ prædam agebat et manubias, non veritus terram domini sui, modis quibus poterat, damnificare et imperii fidelibus cujuscunque conditionis graves et indebitas inferre molestias. Audiens hoc imperator, scripsit prædicto Rainaldo, quatenus convocata militia, prædictum Toros a suis arceret finibus, et Cilicum sibi subjectorum possessiones ab ejus incursionibus redderet securas; quod si ad opus complendum pecunia esset necessaria, ipse de thesauris suis tempore opportuno mitteret sufficientem. Factum est ergo quod, congregatis militaribus copiis, ut imperialibus deservire mandatis, in Ciliciam ingressus, prædictum Toros expulit et exercitum ejus usque ad supremam internecionem delevit. Exspectans ergo honestam Rainaldus pro tanto facto retributionem, videbatur ei differri plurimum, unde moræ impatiens, ad prædictum maleficium convolavit. Erant autem insulani a quibusdam de nostris diligenter præmoniti: unde et de tota insula vires contraxerant, qualesquales; sed ingrediens prædictus princeps Rainaldus, eorum statim fudit exercitum; et universas eorum eatenus contrivit copias, ut deinceps nec unus inveniretur, qui contra eum manum auderet erigere. Habens igitur liberos per totam insulam discursus, urbes contrivit, dejecit oppida, monasteria tam virorum quam feminarum impudenter confregit, expositis ludibrio sanctimonialibus et virginibus tenellis; nam auri et argenti, et vestium pretiosarum non erat numerus, neque finis; sed amittendi hæc populo, comparatione læsæ pudicitiæ, quasi stercora reputabantur. Sic ergo per dies aliquot per totam debacchantes regionem, dum non esset qui resisteret, ætati non parcunt, vel sexui, conditionum quoque nullam habentes differentiam. Tandem comportatis undecunque spoliis et manubiarum infinitate omnimodarum, ad mare se recipiunt, et inde præparatis navigiis, in partes descenderunt Antiochenas, profligatis intra modicum tempus, quas male acquisierant divitiis, juxta id quod proverbialiter dici solet:

Non habet eventus sordida præda bonos.

CAPUT XI.

Rex contra pacta et pacis fœdus, quod cum eis pepigerat, Turcos et Arabes in silva capit Paneadense.

Per idem tempus, convenerat præter solitum multitudo inaudita Arabum et Turcomannorum, qui nihilominus in tentoriis habitant, et de fructu animalium vitam solent, sicut Arabes, propagare, in silva quæ Paneadensi adjacet civitati, et ab ea hodie cognomen ducit vulgare; nam antiquitus, tam quæ ad septentrionem quam quæ ad austrum protenditur, quæque ipsum Libanum protegit, omnis silva saltus Libani dicebatur, unde et de Salomone legitur, quod in ea sumptuosi operis et mirabilis ædificii domum construxit, quæ dicta est domus saltus Libani. Nunc autem ab urbe, ut prædiximus, proxima, silva cognominatur universa. In hanc prænominati populi, impetrata tamen prius domini regis gratia et pace solemniter concessa, animalia introduxerant, equosque maxime, ad numerum infinitum, pascuorum sequentes commoditatem. Accesserunt porro ad dominum regem viri impii, filii Belial, Domini timorem præ oculis non habentes; suggesserunteque ei, et in malitia sua facilius involverunt, persuadentes ut prodigus fidei, et immemor fœderis quod cum eis pepigerat, subito in prædictos viros, qui pabulandi gratia tam greges in silvam, quam armenta induxerant, irruptionem faceret; et tam eos quam eorum pecualia, suis daret ad prædam: quod

D

Digitized by Google

et factum est. Rex enim ære gravatus alieno et multis obligatus debitis, cum non haberet unde creditoribus satisfacere posset, proclivius, ad hoc ut quocunque modo se expediret, patulam pravis incentoribus aurem præbuit, et eorum acquievit suggestionibus; nam post consilium abiens impiorum, convocata militia, repente irruit super eos, incautosque et nihil tale verentes reperiens, hostiliter circa eos versatus, suis exposuit in direptionem; qui enim ex eis aut equorum usi velocitate, fuga saluti consulere potuerunt; aut silvarum latebris hostem declinare, ipsa necessitate docente, satagerunt, vitæ reservati sunt: reliquis omnibus aut occisis gladio, aut duræ servituti mancipatis. Facta est igitur manubiarum et prædæ tanta et tam inaudita multitudo, ut par ei in nostris regionibus non dicatur fuisse. Cuivis de popularibus et de plebeis, equorum in sortem ceciderat numerus maximus; nec tamen nostris ad aliquem gloriæ vel laudis propagandæ titulum ascribi potest, cum pacis violatores et effractores fœderis, homines incautos, de regis gratia præsumentes, dum non esset qui eis resisteret, male pro arbitrio tractaverunt. Sed justus retributor Dominus, Deus ultionum, non diu passus est nos tam turpibus emolumentis lætari; sed significans quod etiam infidelibus fidei tenor observandus sit illibatus, in nostram confusionem, et commissi criminis pœnam adducens cum eo ultionem, pro omnibus peccatis nostris reddidit duplicia, et multiplicato fenore, intulit confusionem, sicuti in sequentibus dicetur.

CAPUT XII.

Henfredus constabularius urbem Paneadensem pro parte dimidia, Hospitalariis concedit; capitur a Noradino subsidium quod inferebatur, et civitas obsidetur.

Nihilominus etiam per eosdem dies, Henfredus de Torono, regius constabularius, cum sæpe dictam urbem Paneadem, quæ ejus erat hæreditaria possessio, sumptibus et cura continua fatigatus, jam solus commode regere et conservare non posset, de consensu domini regis, cum fratribus Hospitalis ex æquo dividit, ita ut totius civitatis et suburbanorum omnium fratres prædicti habentes dimidium, impensas tam utiles quam necessarias ex dimidio ministrarent, civitatis pro parte altera debitam gerentes sollicitudinem. Erat autem civitas in confinio hostium posita, eisque valde contermina, ita ut nulli, nisi in manu forti, aut clandestino nimis itinere accedenti, accessus vel discessus inde posset esse, nisi cum periculo. Factum est autem, postquam prædicti fratres civitatem inde suam pro parte susceperunt, ut congregatis alimentorum, armorum, virorum copiis, locum certa die diligentius communire curarent: collectoque maximo ad propositum sufficiente camelorum, et omnimodorum animalium ad sarcinas deputandorum comitatu, simul et militia, quæ omnem illam expeditionem violenter in urbem introducerent, ad locum accedebant, urbem ad multa sequentia tempora necessariis communituri. Dumque proficiscendo cum omnibus impedimentis suis urbi appropinquarent, ecce hostes, eorum adventu præcognito, eis occurrentes, instantes gladiis, cæsis ex eis quam pluribus, agmen dissolvunt, cæteris autem fuga vitæ et saluti consulentibus, sarcinas occupant; qui effugere nequeunt, hostium instantia præventi, aut gladiis intereunt, aut vinculis mancipantur. Sicque quæ pro instruenda civitate congesta fuerant, in ejus læsionem hostibus sunt concessa. Sæpe autem nominati fratres, similium casuum formidantes dispendia, a pactis resilientes prius placitis, urbem cum suis tam oneribus quam emolumentis, domino constabulario resignaverunt. Nec mora, sumpta ex tempore opportunitate, Noradinus, ex prædicto successu factus elatior, apposuit eamdem urbem, casu prædicto consternatam, obsidere: convocataque militia et machinis comportatis, ex improviso ante urbem consistens, locatis agminibus per gyrum, eam vallat obsidione. Erat autem in parte civitatis præsidium, munitum admodum armis, viris, et pro temporis articulo, victualibus; in quo poterat esse civibus secundum capta urbe refugium. Tamen præsumentes de civitatis munimine, et quod similia sæpius fuerant in ea perpessi, urbem tueri, atque pro ea viriliter stare decreverunt; potuissentque, votis consone, eam conservasse intemeratam, nisi de se præsumentes, cœpissent incautius negotiari. At vero Noradinus machinis et tormentis instans jaculatoriis, sagittariorum quoque continua et indeficiente utens opera, obsessis requiem negat, et fatigatos multipliciter diu noctuque sine intermissione compellit ad defectum. Interemptis enim pluribus, sauciis quoque lethaliter nonnullis, pauci erant, qui defensionis officium exsequerentur; quod nisi ipse constabularius cum filio, paternæ probitatis æmulatore præcipuo, quorum uterque tanquam pro hæreditate propria familiarius et certatim stare parati, alios suo exemplo ad resistendum animarent, laboris immensitate superati, et impugnantium viribus impares procul dubio defecissent; sed revocabat eos, ut prædiximus, dominorum præsentia; et eorum virtus indeficiens, ad animandum alios efficax, vires reparabat labentes et ad dimicandum reddebat fortiores. Dumque die quadam hostes solito instarent acrius, accidit ut qui in urbe erant, aperta porta, ut cum hostibus committerent, egrederentur; dumque incircumspecte se congressionibus offerunt, hostium in se irritant multitudinem; quos, dum in se irruunt, ferre non valentes, in urbem se tentant recipere. Factumque est ut, cum præ ingredientium tumultu porta claudi non posset, hostes promiscue cum civibus ingressi sint, cum tanto numero ut, obtenta violenter civitate, non sine periculo et multorum strage, nostros in præsidium ingredi cogerent violenter. Nuntiatur interea domino regi, quod prædicta civitas tantas a Noradino patiebatur angustias, et quod ad supre-

Digitized by Google

mum pene sit inclinata defectum: unde collectis, quas pro tempore habere potuit militaribus tam equitum quam peditum copiis, ad partes illas cum suis legionibus impiger convolat: propositum habens, aut obsidione urbem prædictam absolvere, aut Martios eventus, et belli fortunam cum Noradino experiri.

CAPUT XIII.

Rex illuc properans, obsidionem solvit; sed incaute rediens noster exercitus, hostium insidias in itinere patitur periculosas.

Audiens igitur præfatus princeps quod ea intentione dominus rex adveniret, nolens se dubiis bellorum submittere casibus, soluta obsidione, prius tamen urbe, quam violenter expugnaverat, igni succensa et suffossa, ad propria reversus est; suam tamen, quam semel collegerat, non passus ab invicem discedere militiam, sed eam secum detinens et ampliorem convocans, in nemoribus finitimis (quasi mentem habens præsagam) latebat in insidiis, rei exitum præstolaturus. Rex vero ad urbem accedens, et optatum obsessis præstitit solatium, et tam diu præsentem se exhibuit, quoadusque lapsa erigerentur, consolidarentur fracta, et civitas in pristinum, reparatis mœnibus, reformaretur statum. Convocatis enim ex urbibus finitimis, et de regno universo cæmentariis, et quicunque architecturæ aliquam habere videbantur experientiam, instantia diligenti turres ac mœnia reparant, renovant antemuralia; et intra muorum ambitum civibus instaurant ex integro domicilia, et publicis ædificiis statum restituunt pristinum; quæ omnia Noradinus eo tempore, quo eam obtinuerat, funditus dejecerat studiose, ut prædiximus. His ita peractis, arbitratus rex cum suis principibus, moram suam in urbe prædicta, civibus non multum deinceps esse necessariam; quippe restitutis jam in integrum universis, municipio quoque, armis, victu, hominibus quoque diligenter satis pro tempore communito: dimissis peditum manipulis, ipse cum solis equitum turmis Tiberiadem redire proposuit. Egressus ergo ex eadem urbe et in austrum iter dirigens, secus lacum, cui nomen Meleha, castrametatus est, ubi nocte illa longe aliter quam disciplina militaris exigeret, et imprudenter se habens, non observata castrorum lege, requievit exercitus. *Solet enim usu inter homines evenire, ut in prosperis et pro voto successibus circumspecte minus se consueverint habere. Nam miseris regulariter solet adesse solertia rebus.* Unde fortasse dictum est: *Cadent a latere tuo mille*, sinistro videlicet; *et decem millia a dextris tuis* (*Psal.* xc, 7); plures enim, acti prosperis et successibus elati, solent in præceps ruere: e diverso vero dispendiis et adversis casibus defatigati, propriis edocti periculis, didicerunt se in dubiis habere circumspectius; et semper timere fortunam, quam sæpius experti sunt in suis negotiis amaram. Rex igitur mente recolens, quod tantum principem ab impugnatione urbis obsessæ dimoverat, ratusque eum cum suis expeditionibus longius abiisse, nec facile in suam aut suorum injuriam iterum tot nationes in unum convenire posse arbitratus, imprudentius aliquantulum, et pro singulorum arbitrio indulgentius cœpit se, ut prædiximus, habere. Nuntiatur porro hostibus in insidiis commorantibus, quod dimissis pedestribus alis domini regis exercitus, circa lacum Meleha secure nimis et imprudentius se haberet; quodque de principibus ejus nonnulli, Philippus videlicet Neapolitanus, et quidam alii cum suis comitatibus discessissent: videntes rem pro votis accidere, castra movent subito; et eorum prudentissimo principe rem (prout expedire noverat) accelerante, ad partes illas contendunt, et ad Jordanem, qui medius erat inter eos, usque perveniunt; quo transito, in eo loco qui vulgari appellatione vadum Jacob appellatur, cis Jordanem, qua regius exercitus crastina transiturus erat die, se locant in insidiis. At vero luce terris reddita, iterum ad proficiscendum noster exercitus, nocturnarum insidiarum nescius, et eorum quæ ab hostibus interim præstructa fuerant ignarus, versus eas partes quas Turci clam occupaverant, iter arripiunt; dumque securi, et nihil prorsus sinistri formidantes proficiscuntur, ecce subito ex insidiis prodeunt, qui ad hoc specialiter convenerant, ut incautos aggrederentur; securisque, et nihil tale verentibus, strictis se offerunt gladiis, more hostium vulnera et mortem ministraturi. Nostri porro, licet sero, expergefacti, dimissis diversis consalutationibus, videntes rem agi serio, equos armaque corripiunt; sed antequam ad resistendum præparari et convenire possent, ex ordine, dissoluta sunt (hostibus importune instantibus, et gladiis cominus strenue decertantibus) agmina, ita ut nusquam de nostris nisi paucissimi cohærerent.

CAPUT XIV.

Rex apud castrum Saphet, fugiens de prælio, se recipit; prosternitur exercitus, et de principibus plurimis capiuntur.

Rex autem cum paucis qui ei adhæserant, videns acies dissolutas, confusum exercitum hostibus undique patere ad prædam; hostes undique invalescere, nostros vero jam non deficere, sed ab initio potius defecisse; ut saluti consuleret, prudenter subiit in montem qui vicinus erat: unde cum summis periculis hostes nunc a dextris nunc a sinistris, equi cui insidebat beneficio, declinans, in castrum cui Sephet nomen, quod in eodem monte situm erat, vix et cum multa difficultate se recepit. Capta est illa die de principibus nostris maxima multitudo, cæsi vero pauci; nam omnes indifferenter, tam qui rei militaris dicebantur habere prudentiam, et usum præcipuum, quam gregarii, hostibus tanquam vilia mancipia ignominiosæ servitutis jugum, et perpetuæ infamiæ notam non abhorrentes, ut miseræ vitæ consulerent, sine contradictione se tradebant. Captus est inter cæteros ibi vir nobilis et inclytus, dominus Hugo de Ibelin; Oddo quoque

Digitized by Google

de Sancto Amando, regius marescalcus, Joannes Gotmanus, Rohardus Jopensis, et Ballianus frater ejus : Bertrandus de Blanquefort, magister militiæ Templi, vir religiosus et timens Deum, et alii multi, quorum nomina non tenemus. Refudit nobis Dominus juxta meritum viarum nostrarum fructum; et qui innocentes et de nostra præsumentes fide, spretis humanitatis legibus, oppresseramus indebite, æqua lance pensam reportavimus confusionem. *Dati sunt enim inclyti nostri, gentibus in opprobrium; et hostium expositi ludibrio, peccatis nostris exigentibus, traditi sunt in commotionem capitis in populis* (*Psal.* XLIII, 16); *zelus Domini exercituum fecit hæc* (*Isa.* IX, 7). Bene tamen et misericorditer, non oblitus misereri, nec continens in ira sua misericordias suas, nobiscum fecit; providens ut regem salvum faceret, qui si illa die defecisset, regnum omne procul dubio in supremum, quod Deus avertit, descendisset periculum. In milite enim, quantumvis eximio, unius sors est; in rege vero, universorum periculum; quod satis attendit diligenter qui pro rege sollicitus erat, David fidelis, dicens: *Domine, salvum fac regem* (*Psal.* XIX, 10). Rumor interim de rege varius longe lateque regionem pro ea sollicitam afficiebat, dicentibus aliis, quia gladiis confossus interierat; aliis, quod inter concaptivos vinctus, hostibus id ignorantibus, abductus erat; aliis, quod divina eum protegente clementia illæsum, bellicis tumultibus se subduxerat. Anxie ergo nimis, et quasi mater unicum habens filium, piam pro eo gerit plebs universa sollicitudinem; et dum ignorat quid circa eum geratur, quidquid deterius accidere potest, id eum passum affectuosissime compatiens suspicatur. Ipse vero, regione ab hostibus aliquantulum expedita, cum paucis admodum, qui cum eo in prædictum oppidum se contulerant, adjunctis sibi nonnullis qui casu de hesternis evaserant periculis, ad Acconensem properans urbem, cum plausu populi et exsultatione non modica, quasi redivivus exceptus est. Factum est hoc anno regni domini Balduini quarto decimo, mense Junio, XIII Kal. Julii.

CAPUT XV.

Noradinus iterum Paneadem obsidet, sed rege rursum occurrente non proficit.

Noradinus vero, sicut erat vir strenuus, et successus suos continuare impiger, transcursis universis regionibus, et prædis hinc inde comportatis, factus locupletior; convocatis iterum militaribus copiis; et lege edictali ex Damasco et omnibus finibus ejus, accitis amplioribus, adjicit iterum ut Paneadem obsideret; nihil minus suspicans quam quod per regem vel ejus principes, quorum vires attriverat, obsessis ministraretur subsidium. Locata igitur secundum propositum, circa sæpedictam urbem obsidione, more iterum hostili, machinis frequentibus et ordine congruo dispositis, turres concutit, mœnia debilitat, et crebra sagittariorum opera, et telorum instar grandinis immissione, eos qui intus se receperant, vices prohibet exercere resistentis. Cives autem loci illius, memores quomodo in proxime præterita obsidione, civitatem tueri cupientes, in proposito defecerant, prævenire cupientes, in præsidium sponte se receperant universi. Præfecerat autem eidem loco et curam supremam tradiderat constabularius, abiens, et aliis tractus negotiis, cuidam consanguineo suo, Guidoni videlicet de Scandalione, rei militaris experientissimo; sed modicæ fidei, et Deum prorsus ignoranti. Is cum mandantis intuitu, tum prætextu propriæ existimationis, ne quos in rebus bellicis egregie gestis titulos offuscaret, verbo simul et exemplo alios ad resistendum animabat; nec defuturum in proximo subsidium, et perennem gloriam bene merentibus certius promittens : unde erat, quod omnes quasi pro re propria dimicantes, stupendos se et admirabiles, pro indeficientibus vigiliis et continuis laboribus, hostibus darent. Qui nihilominus, omnino resistentibus omnino adversari parati, sine intermissione molestias inferunt; et majores habentes numeros, qui alternatim sibi succedere præcipiebantur, eos qui unde vires repararent, penitus non habebant, ad defectum, anxietatibus quotidianis compellebant. Nuntiatur interea domino regi, sed et principes qui residui erant in regno non latebat quantis anxietatibus, qui in civitate obsessi erant, premerentur. Unde missis legationibus tam ad principem Antiochenum, quam ad Tripolitanum comitem, ut, mora postposita, ad subveniendum maturarent; rex vero, quod residuum erat in regno militiæ missis convocat præconibus; et accidit, Divinitate propitia, ut intra paucos dies, et exspectato citius, uterque prædictorum illustrium, cum honesto comitatu, regiis se castris, sub Castello novo, in loco qui dicitur Nigraguarda, unde civitatem obsessam erat cominus intueri se intulerint. Audiens ergo Noradinus, quod principes prædicti cum domino rege convenerant et in procinctu erant, ut ad urbem accedere; sicuti vir providus erat et in negotiis suis circumspectissimus, licet oppidum jam ex partibus pluribus effregisset, et jam obsessis nulla spes esset resistendi, tamen bellorum declinans insidias et casus præliorum ancipites obsidione soluta, in ulteriores sui regni partes se contulit.

CAPUT XVI.

Comes Flandrensium Theodericus applicat. Mittuntur nuntii Constantinopolim, qui domino regi uxorem petant.

Cum hæc igitur in regno ita varie multipliciterque geruntur, et captivatis nostris ex maxima parte principibus, regnum in desolatione jaceret, accidit, divina nos respiciente clementia, comitem Flandrensium, dominum Theodoricum, inclytum et magnificum virum, cujus introitus in regno sæpe fuerat utilis et necessarius, cum uxore Sibylla, quæ domini regis ex patre soror erat, in portu Berytensium applicuisse; cujus adventum, tanta mentis

Digitized by Google

exsultatione universus suscepit populus, ut jam quasi præsagire videretur, regni pressuras importabiles, ejus et suorum introitu, ex parte plurima relevandas fore; nec fraudati sunt a desiderio suo, qui pro regni tranquillitate erant pie solliciti. Nam statim post ejus ingressum, adfuit magni consilii Angelus, qui nostrorum vias dirigens ad regni compendia et Christiani gloriam nominis, eos misericorditer præcessit, sicut consequenter dicetur. Interea tamen videntes regni principes, tam ecclesiastici quam sæculares, quod rex virilem jam nactus ætatem, sine conjuge hactenus fuerat, et pro liberis solliciti, prout oportebat, ut ei filius tanquam hæres legitimus in regnum succederet, consuluerunt in medium, ut regi liberos non habenti, in honesto matrimonio provideatur. Tandem post multas deliberationum partes, multiplici concurrente ratione visum est omnibus expedientius esse, cum domino Constantinopolitano imperatore, super hujusmodi negotio verbum tentare; tum quia nobilium virginum et proxima consanguinitate junctarum, in palatio suo non deerat ei copia; tum quia princeps potentissimus et inter mortales locupletior, de suis copiis, nostram, qua regnum maxime laborabat, poterat relevare inopiam et tenuitatem mutata conditione reddere superabundantem. Missi sunt ergo de communi consensu, ad explendum, auctore Domino, quod conceperant, Attardus Nazarænus episcopus, dominus quoque Henfredus de Torono, regius constabularius; qui dispositis pro tempore rebus mare ingressi, navigio illuc iter arripuerunt,

CAPUT XVII.

Rex cum universis regni viribus et comite Flandrensium Antiochiam properat. Noradinus desperatam incurrit ægritudinem.

Interea ne tanti principis totque nobilium fortiumque qui cum eo venerant, deses et sine fructu jaceret adventus, adjiciunt de communi consilio, divina eis aspirante gratia, cum omnibus militaribus copiis ad partes se transferre Antiochenas; significatoque eo ipso, tam domino principi quam domino comiti Tripolitano, suggeritur utrique familiarius, ut certa die præparatam habeat uterque eorum militiam, ut subitus in terras hostium, die condicta, eorum possit esse introitus. Factum est autem, prævio cœlesti favore, quod in Tripolitanis partibus, in eo loco qui vulgo appellatur La Boquea, licet ex partibus diversis, convenerunt unanimes. Inde hostium fines ordinatis agminibus violenter sunt ingressi. Sed tamen prima fronte, non multo lætati sunt successu; nam hostium oppidum, cui vulgaris appellatio est castrum Rugium, multa expugnantes instantia, penitus non profecerunt. Sed debile principium melior fortuna secuta est; suggerente enim domino Rainaldo Antiochenorum principe, et ad id obtinendum plurimum pro viribus elaborante, universi principes qui convenerant, cum suis expeditionibus ad partes Antiochenas auspiciis se dirigunt felicioribus. Quo cum pervenissent, eis in civitate prædicta, dum deliberant quid pro tempore sit expedientius, moram facientibus: ecce gratissimi rumoris nuntius regem adit et principes, certo certius asserens quod Noradinus hostium nostrorum potentissimus, qui juxta castrum Nepam cum multa militia castra locaverat, aut mortuus erat, aut in incurabilem et desperatam deciderat ægritudinem. In argumentum autem suæ assertionis allegabat, quod pridie castra ejus adeo turbata viderat, ut servos ejus et maxime familiares, resque domesticas passim et sine delectu diripere volentibus, data esse ad prædam assereret; et cum ejulatu et fletu maximo, et cum intimi doloris evidentibus argumentis, soluta agmina, et confusum exercitum, ad partes diversas secessisse. Erat autem vero consentaneum, quod prædictus nuntius attulerat; nam in ægritudinem inciderat desperatissimam, ita ut extra ordinem solutis agminibus rapinæ in exercitu impune fierent, et nullius cohiberetur violentia, sicut apud eos, defuncto domino, solet accidere. Ipse autem in lectica, quasi membris officia negantibus, corpore impotens, per manus fidelium suorum usque Halapiam delatus est. Comperto igitur nostri rerum statu, videntesque omnia ad propositum cooperari, communi voto et approbato consilio, nuntios ad potentissimum Armenicorum principem dominum Toros dirigunt, rogantes intime, et modis quibus possunt id persuadere laborantes ut, omni excusatione postposita, cum militaribus auxiliis, Antiochiæ cum eis adesse procuret et tam fructuosi laboris tantis principibus se dignetur adhibere consortem. Ille vero suscepta legatione gavisus, sicut vir impiger erat et strenuus, convocatis suorum ingentibus copiis, maturato itinere, Antiochiam pervenit; quo recepto, nostri gaudentes plurimum, eductis expeditionibus urbem egressi, versus Cæsaram castra dirigunt.

CAPUT XVIII.

Obsidetur Cæsarea, et post modicum violenter effringitur.

Est autem Cæsara civitas, super Orontem fluvium, qui Antiochiam præterlabitur, sita; hanc vulgari appellatione quidam Cæsaream appellant et putant eam esse, quæ est Cappadociæ metropolis eximia; cui beatus et egregius doctor præfuit Basilius; sed a vero, qui hoc credunt, exorbitant. Nam prædicta metropolis ab Antiochia distat plus quam itinere dierum quindecim, vel circa id. Hæc autem est in Syria Celes, quæ alia provincia est, a Cappadociana diœcesi multis mediis provinciis disjuncta; nec Cæsarea dicitur, sed potius Cæsara; una de suffraganeis urbibus Antiocheni patriarchatus. Est autem civitas satis commode sita, cujus pars inferior in plano jacet, superior vero in sui fastigio præsidium habet munitissimum, longum satis, sed angustum admodum; cui ex altera parte civitas, ex altera fluvius, præter naturalem munitionem, robur præstant et accessum reddunt impervium.

Digitized by Google

Ad quam nostri, ordinatis juxta rei militaris disciplinam agminibus, accedentes, urbem primo adventu, locatis ordine congruo singulorum principum agminibus, obsidione claudunt. Obsessa igitur civitate et civibus hostium metu infra urbem collectis, rex et qui deforis castra locaverant, locatis machinis et jaculatoriis instrumentis, urbem non cessant molestiis quibus possunt, opera continua et continuis laboribus fatigare. Certant principes quisque pro sua portione, quæ ab initio sorte obtigerat, suos invitando et pellicendo præmia, urbem vehementius impugnare; dumque certatim priores urbem effringere cupiunt; dum quisque sibi palmam de prima irruptione vindicare quærit, tantam civibus inferunt molestiam, ut ex parte qualibet, mortem sibi arbitrentur imminere. Erant enim cives loci illius rerum militarium expertes, negotiationi dantes operam; præterea et præsentis casus ignari, nihil minus unquam quam obsidionem formidabant, præsumentes et de domini sui, quem sospitem arbitrabantur, potentia, et de loci munitione. Erant ergo ad hujusmodi portanda onera, propter prædicta, impares; et assultus continuos simul et Martios congressus ferre non valentes. Factum est igitur ut, post dies aliquot deficientibus omnino civibus, ad impugnantium jugem instantiam effractis mœnibus irruerint nostri in urbem mediam; et capta violenter civitate, oppidanis in præsidium se recipientibus, tradita sunt eis quæcunque in inferioris civitatis parte erant residua et omnia indifferenter sunt ad prædam concessa; usi ergo pro arbitrio et civium domiciliis, et quæ in eis reperta sunt per dies aliquot. Cum satis in expedito videretur esse, ut et præsidium nihilominus cum omnibus qui evadendi gratia in illud se receperant, si debita adhiberetur instantia, facilius occuparetur, orta est inter principes nostros, frivola satis, sed tamen multum noxia contentio. Dominus enim rex, volens patriæ saluti consulere, videns quia dominus comes Flandrensium cum militibus, tum pecunia sufficienter instructus, locum poterat contra hostium vires et insidias indemnem conservare, ei civitatem ab initio destinaverat; eaque intentione et præsidium instantius decreverat impugnare, ut utrumque receptum domino comiti traderet conservandum et jure perpetuo hæreditarioque nihilominus possidendum assignaret. Hoc autem cum cæteris principibus valde videretur idoneum, et ad hoc gratuito unanimiter convenirent assensu, princeps Rainaldus ambages intexuit, dicens : *Urbem illam cum suis pertinentiis ab initio hæreditatis Antiocheni principis portionem esse; ideoque oportere ut quicunque eam possideat, Antiocheno principi fidelitatem exhibeat.* Comes autem supradictus pro eadem possessione domino regi fidelitatem devote paratus erat exhibere; principi autem Antiocheno, sive domino Rainaldo, qui in præsenti administrabat principatum, sive adolescenti Boamundo, qui in proximo sperabatur princeps futurus, omnino se exhibiturum negabat, asserens *Se nunquam nisi regibus fidelitatem exhibuisse.* Orta ergo, peccatis nostris exigentibus, super hujusmodi quæstione, inter principes controversia, neglecto negotio, quod utile plurimum, et ad obtinendum facile imminebat, suffarcinati spoliis et præda usque ad satietatem onusti, Antiochiam cum suis legionibus reversi sunt.

CAPUT XIX.

Noradini frater ad nos transit. Hierosolymitanus patriarcha Fulcherus moritur. Spelunca trans Jordanem nostris restituitur. Rex in partibus Antiochenis castrum Harenc obsidet; et obsessum occupat.

Eodem tempore Noradini frater, Mirmiram, audito fratris defectu, credensque eum in fata concessisse, Halapiam pervenit, eamque tradentibus civibus, sine difficultate obtinuit; dumque circa præsidium vehementius instaret ut ei traderetur, cognito quia frater ejus adhuc viveret, solutis agminibus ab urbe discessit. Per idem tempus, dominus Fulcherus Hierosolymitanus patriarcha, Latinorum octavus, religiosus ac timens Deum, patriarchatus ejus anno duodecimo, XII Kal. Decembris, viam universæ carnis ingressus est. Eodem nihilominus tempore, studio et industria dominæ Milisendis reginæ, et opera eorum qui in regno residui erant, et maxime Balduini de Insula, cui dominus rex abiens curam regni commiserat, sollicitudine et vigilantia receptum est a nostris præsidium, trans Jordanem in finibus Galaad situm, spelunca videlicet munitissima, quam a nostris incaute se habentibus, paucis ante annis hostes fraudulenter subripuerant. Super quo missus ad dominum regem nuntius universas lætificavit cohortes, et audito successu, reddiderat hiariores.

Interea principes nostri qui Antiochiæ demorabantur, etsi prius apud Cæsaram aliquantulum dissoni, ut præmisimus, inventi fuerant, habentes tandem, Domino largiente, unanimitatem spiritus, in vinculo pacis, iterum adjiciunt erigere se ad opus insigne aliquod et memoria dignum perpetua. Placuit enim omnibus et de communi processum est conniventia, ut castrum urbi Antiochiæ vicinum, vix ab ea distans milliaribus duodecim, prædictæ urbi damnosum valde, et cujus larga in suburbanis, quæ vulgo casalia appellant, potestas et jurisdictio erat, obsideant. Factumque est ut in die Nativitatis Dominicæ, universus circa prædictum municipium unanimiter se locaret exercitus. Noradinus autem ea quæ eum occupaverat adhuc detinebatur ægritudine, ita ut ex omni Orientali tractu convocati prudentiores physici, adhibitis remediis quæ illius infirmitas minus exaudire videbatur, de vita ejus desperarent penitus. Hoc autem nostris, favorabili cœlestis numinis dispensatione, ad propositum maxime cooperari videbatur. Nam vix esse poterat ut, sospite prædicto principe et incolumitatis prærogativa gaudente, noster exercitus in regionibus ei subditis ita liberas ageret ferias. Rex vero, et qui cum eo erant

Digitized by Google

in prædicto exercitu, occasionem temporis ad suum trahentes compendium, tanto ferventius propositum urgent et cœpto simul instant operi, quanto prædictum magnificum virum certo certius norunt non posse suis superesse negotiis. Municipio igitur prædicto in gyrum obsidione vallato, machinas erigunt, et ea parant instrumenta, quibus solent in præsidiis obsessi amplius molestari. Erat autem prædictum castrum in colle non multum sublimi situm, ita ut videretur agger, cui superpositum erat, comportaticius et manufactus. Unde maximam dabant, qui in exercitu erant prudentiores, operam, ut scrophas materia competenti intexerent, in quibus libere delitescerent, qui ad suffodiendum aggerem introducerentur. Videbatur enim eis, nec erat a vero dissimile, quod aggere per occultos suffosso cuniculos, ædificiorum quæ superposita erant, partem nonnullam corruere oporteret: crates quoque vimineas, scalas etiam mediæ quantitatis, et omnia quæ in hujusmodi solent usum præstare, maturato accelerant studio. Quibus cum omni diligentia præparatis, manipulorum quoque pedestrium, turmarum primiceriis, equitumque magistratibus voce præconia et secretioribus suggestionibus indicunt, omnes ut prompta opera et vigilantiore studio, ad molestandum obsessos operam darent. Sic igitur certis partibus singulis principibus designatis, quisque cum domesticis et familiaribus, tanquam sibi soli universum incumberet negotium, instabat vehementius, et dum quisque optimos ostentare curat se habere satellites, tanto opus continuis assultibus et quotidianis congressionibus prosequuntur instantia, ut multorum opus dierum infra duos menses vigili sollicitudine complerent. Accidit sane quadam die quod machina jaculatoria, quæ in præsidium diebus pene ac noctibus molares immittebat, casu in castri primicerium, et cui omnis commissa erat cura, decidit, subitoque oppressum, in fragmenta contrivit: quo defuncto, tanquam pastore percusso, dispersæ sunt oves, et tanquam arena sine calce, sibi invicem non cohærentes, destiterunt ab illa quam prius habuerant resistendi pertinacia. Nostri autem eo cognito, tanto cœperunt instare vehementius, quanto interiores eis videbantur ad resistendum esse remissiores; nec mora, paucis interjectis diebus missa ad dominum regem legatione, sub conditione ut liberum et tranquillum habeant exitum et cum rebus suis ad propria reditum, municipium domino regi restituunt, datis eis ducibus, qui eos sine molestia usque ad locum quem ipsi expetierant, securos perducerent. Sic ergo expugnato castro et domino principi, cujus jurisdictionis fuerat, resignato, felici clausula consummatis negotiis, Antiochiam sunt reversi, ubi valedicentes ab invicem, dominus rex, cum magnifico Flandrensium comite, in regnum est reversus, domino comite Tripolitano usque Tripolim eos officiosissime prosequente.

CAPUT XX.

Hierosolymis Amalricus prior ecclesiæ Dominici Sepulcri in patriarcham eligitur; de ejus electione inter episcopos oritur contentio.

Per idem tempus, cum Hierosolymitana, mortuo domino Fulchero bonæ memoriæ, vacaret Ecclesia, contigit ecclesiarum prælatos Hierosolymam convenire, ut de substituendo tantæ sedis antistite, secundum statuta canonum tractaretur. Factum est autem, ut dicitur, quod contra juris regulas, tam per interventum dominæ, Milisendis sororе quam domina Flandrensium comitissa Sibylla, domini regis itidem sorore, electus est dominus Amalricus, ecclesiæ Dominici Sepulcri prior, natione Francus, de episcopatu Noviomensi, de oppido Neella, vir commode litteratus, sed simplex nimium et pene inutilis; promotus est autem, contradicentibus domino Hernesio Cæsariensi archiepiscopo et domino Radulpho Bethlehemita episcopo, et appellationum voces exhibentibus. Tandem ille sede potitus, domino Frederico Acconensi episcopo negotium committit, qui ad Romanam accedens Ecclesiam, apud dominum Adrianum, qui tunc præerat, absentibus adversariis, multa, ut dicitur, interveniente munificentia, eidem gratiam Romanæ sedis obtinuit; et pallium, plenitudinem videlicet pontificalis officii, secum tulit rediens.

CAPUT XXI.

Noradinus in regione Suitæ, speluncam obsidet nostram; rex occurrens obsidionem solvit; pugnat cum nostris Noradinus, et vincitur.

Convaluit interim medicorum diligentissima Noradinus cura, et domino rege in regnum reverso, ipse quoque sospitatem plenam adeptus, in partes se contulit Damascenas; ubi, ne otium tereret et a consueta diceretur destitisse vigilantia, æstate sequenti præsidium quoddam nostrum, in regione, quæ dicitur Sueta, situm, congregato exercitu et ingentibus convocatis auxiliis repente obsidet. Erat autem præsidium spelunca, in latere cujusdam montis arduo et admodum devexo sita; ad quam non erat vel a superioribus vel ab inferioribus partibus accessus; sed ex solo latere, calle nimis angusto, et propter præcipitium imminens periculoso, ad eam veniebatur. Habebat autem interius mansiones et diversoria, quibus suis habitatoribus necessarias poterat præbere commoditates; sed nec etiam aquæ vivæ et indeficientis eis vena deerat, ut quantum loci patiebatur angustia, locus satis aptus et regioni plurimum utilis haberetur. Quod postquam domino regi fida relatione compertum est, assumpto sibi domino comite Flandrensium et convocatis regni viribus, illuc cum omni celeritate contendit; jam enim qui intus erant, obsidionis onera ferre non valentes, conditiones interposuerant, quales necessitas extorquere solet; videlicet, quod nisi intra decem dies eis subsidium ministraretur, municipium pro certo deinceps resignarent.

Digitized by Google

Porro id ipsum domino regi notum erat; unde et quantum poterat maturans subsidium, juxta Tiberiadem secus pontem, unde de lacu Genezar Jordanis fluenta se dividunt, cum exercitu suo castra locat. Audito igitur Noradinus nostrorum adventu, consilio tractus Syracuni principis militiæ suæ, viri strenui et de se plurimum præsumentis, soluta obsidione, cum suis expeditionibus nostris obviam se facit. Rex vero audiens quod Noradinus occurrere proposuerat, in castra convocatis summe diluculo principibus, adorato suppliciter vivificæ crucis ligno, quod dominus Petrus prædecessor noster, Tyrensis archiepiscopus, piæ in Domino recordationis gestabat, de communi consensu, concurrente omnium favore gratissimo, bellum indicitur. Motis igitur expeditionibus et arrepto itinere, exsultantes animo, tanquam de victoria securi, ad locum properant, ubi hostium dicebatur esse exercitus; tandemque pro votis eos habentes in proximo, armati ad unguem, et instructis ordine militari cuneis, quos acies vocant, irruunt in hostes unanimiter, et gladiis instant atrocius, rem pro capite gerentes. Hostes vero nihilominus nostrorum impetus constantissime et imperterrite sustinentes, gladiis vices referunt; et resistendo viriliter, illatas injurias a se repellere contendunt animosius. Tandem vero post varios eventus, nostris est divinitus concessa victoria, et hostibus non sine multa suorum strage in fugam conversis, rex cum suis victor campum obtinuit. Factum est autem hoc Idibus Juliis, anno regni ejus decimo quinto, in loco cui nomen Puthaha. Inde progressus, sicut necessarium videbatur, ad præsidium quod obsessum fuerat, cum universo contendit exercitu, ubi lapsa reparans, et locum armis, victu et viris prudentibus diligenter communiens, feliciter impleto proposito, soluto exercitu et ad propria dimisso, reversus est.

CAPUT XXII.

Redeunt nuntii, qui Constantinopolim pro regio matrimonio missi fuerant; et regi uxorem ducunt, neptem imperatoris.

Porro de nuntiis, unde superius fecimus mentionem, qui gratia conjugii domini regis Constantinopolim ierant, mortuus est dominus Attardus Nazarenus archiepiscopus, corpusque ejus ad propriam, studio et vigilantia suorum fidelium, delatum est ecclesiam. Cui successit dominus Letardus, ejusdem ecclesiæ prior, vir mansuetus admodum, affabilis et benignus, qui hodie etiam eidem præest Ecclesiæ, vicesimum tertium habens in pontificatu annum. Qui autem de prædictis nuntiis superfuerunt, dominus videlicet Henfredus constabularius, Joscelinus quoque Piselius, et Willelmus de Barris, inclyti et nobiles viri, et in sæcularibus exercitati admodum, pro injuncto sibi verbo, apud dominum imperatorem debita instantes diligentia, tandem post innumeras dilationes, et verborum ænigmata, qualia Græci quælibet cavillantes, perplexis ambagibus respondere solent, pro votis impetrant: et conditionibus interpositis, tam de dote quam de donatione propter nuptias, destinatur regi uxor virginum illustrissima, quæ in sacris imperii penetralibus nutriebatur. Erat autem ejusdem domini imperatoris neptis, domini Isaaci fratris ejus natu se prioris filia, Theodora nomine, annum agens tertium decimum, formæ venustate singulariter conspicua, vultus elegantia, et totius corporis habitudine intuentibus favorabilis. Dotis autem quantitas erat in centum millibus Hyperperorum, justi ponderis, exceptis decem aliis ejusdem monetæ millibus, quos dominus imperator ad opus nuptialium expensarum liberaliter concessit: et excepto mundo virginali, in quo tam in auro quam in gemmis, vestibus et margaritis, tapetis et holosericis, vasis quoque pretiosis, quadraginta millia justa æstimatione poterant computari. Rex autem proprio scripto apud dominum imperatorem se obligans, quod quidquid ejus nuntii cum eo præcise firmarent, ratum esset habiturus, per legatos spondet firmissime, quatenus post ejus obitum urbem Acconensem cum omnibus ejus pertinentiis, tota vita sua nomine donationis propter nuptias cum omni tranquillitate, sine contradictione esset habitura. Peractis itaque et ad consonantiam redactis utrinque pactis, designatis eidem illustri puellæ de majoribus imperii principibus paranymphis, qui ejus iter usque ad dominum regem comitarentur, cum regiis legatis iter arripit, in Syriam, ad maritum profectura. Accidit autem ut, Septembre proximo, cum omni comitatu suo sospes et incolumis apud Tyrum applicans, infra paucos dies Hierosolymis (ut regni obtinuerat consuetudo) consecrata, et regio insignita diademate, peractis solemniter nuptiis, viro tradita est. Et quoniam per idem tempus Hierosolymitanus electus consecrationis suæ munus nondum obtinuerat, nec missi ab eo propriæ causæ patroni, a sede apostolica fuerant reversi: asciscitur de mandato regio Antiochenus patriarcha Aimericus, qui et reginæ unctionis gratiam regiæ conferret et conjugii usitata solemnia celebraret. Illic demum uxore traducta, omnem illam levitatem, qua usque ad illum diem justo amplius dicebatur laborasse, ita penitus deposuit, ut cum Apostolo videretur posse dicere: *Cum essem parvulus, sapiebam ut parvulus, loquebar ut parvulus; ex quo autem factus sum vir, evacuavi quæ sunt parvuli* (*I Cor.* XIII, 11). Nam et uxorem postmodum commendabili dilexisse dicitur affectu, et tori fidem usque ad extremum ei creditur conservasse illibatam: postpositis itaque levibus actibus quasi mutatus ab illo, seria cœpit amplecti, et attentius tractare salubria.

CAPUT XXIII.

Imperator Constantinopolitanus Antiochiam venit; princeps Raynaldus de eo quod in Cyprios commiserat satisfaciens, ei reconciliatur.

Eodem anno, dominus imperator Constantino-

Digitized by Google

politanus, convocatis pro imperiali magnificentia ex omnibus imperii finibus, militaribus copiis; et ingenti exercitu ex omnibus tribubus et populis et linguis et nationibus congregato, transito Hellesponto, in Syriam descendere proposuit; transcursisque mediis cum omni celeritate provinciis, ex improviso, ita ut vix cuipiam credibile videretur, cum exercitibus suis in Ciliciam, circa Decembris initium, subitus advenit. Hujus autem tam maturati itineris causa erat præcipua, quod quidam Armenorum potentissimus princeps, Toros nomine, de quo superius fecimus mentionem, universam Ciliciam, quæ montibus, in quibus ille habebat castra munitissima, subjacebat, ab urbe murata usque ad extremum suburbium violenter occupavit, Tarsum videlicet primæ et Anavarzan secundæ Ciliciæ metropoles; et alias civitates, Mamistram, Adamam, Sisium, ejectis inde imperialium negotiorum procuratoribus, in suam redegerat potestatem. Ut autem eum incautum posset opprimere, et iter acceleraverat, et occultaverat intentionem. Moverat eum etiam nihilominus et Cypriorum causa lugubris, et favore digna, in quos tanquam in hostes fidei et detestabiles parricidas, princeps Antiochenus, ut præmisimus, tam inhumane suam exercuerat tyrannidem. Tam subitus autem, ut prædiximus, fuit imperialium exercituum adventus, ut prædictus Toros, qui Tarsi tunc morabatur, vix liberas ferias habuerit, ut ad montes vicinos, gratia salutis, se conferret, cum ecce legiones, et primi de exercitu campis jam infuderant se patentibus. Quo audito, princeps Antiochenus Rainaldus stimulis conscientiæ agitatus, eo quod non multo ante ejus adventum tempore, in Cyprios innocentes et inmeritos tanta desævisset insania, et tam eis, eorumque uxoribus et liberis, Deo et hominibus abominabilem intulisset injuriam; timens ejus adventum, ne forte prædictorum vociferantium querulis vocibus excitus ad ulciscendas eorum injurias descendisset, cœpit anxius deliberare, nunc secum, nunc si quos habebat magis familiares adhibitis, quid eum facere oporteret; et quo satisfactionis genere imperiali se posset de tanta offensa reconciliare amplitudini. Tantaque eum, ut dicitur, de domini imperatoris adventu formido corripuerat, ut nec domini regis, quem tamen in proximo venturum sperabat, vellet exspectare, præsentiam; cum tamen cento certius nosse potuerat, ejus interventione et studio, et maxime novæ affinitatis gratia, in causa prædicta, longe meliores se inventurum conditiones. Usus ergo domesticorum consilio, assumptis ex eis pro arbitrio nonnullis, domino quoque Girardo venerabili Laodicensium episcopo, sibi facto itineris consorte, in Ciliciam, ubi dominus imperator erat cum suis expeditionibus, obtenta tamen prius quorumdam familiarium domini imperatoris gratia, qui verbi hujus interpretes discurrebant, ad urbem Mamistram pervenit: ubi post multos circuitus, cum summa ignominia et populi nostri confusione imperiali reconciliatus est excellentiæ. Nudis enim, ut dicitur, pedibus, indutus laneis manicis usque ad cubitum decurtatis, fune circa collum religato, gladium habens in manu nudum, quem mucrone tenens, cujus capulum domino imperatori porrigeret, coram universis legionibus, domino imperatori præsentatus est: ibique ante pedes ejus ad terram prostratus, tradito domino imperatori gladio, tam diu jacuit, quousque cunctis verteretur in nauseam, et Latinitatis gloriam verteret in opprobrium, et in delinquendo et satisfaciendo vehementissimus.

CAPUT XXIV.

Rex ad partes illas properans, ab eodem imperatore honeste suscipitur, et infinita reportat munera.

Dominus quoque Hierosolymorum rex, audito domini imperatoris adventu, assumpto sibi fratre et de regni principibus electissimo comitatu, relicto domino comite Flandriæ, qui in proxime futuro transitu ad propria decreverat redire, versus Antiochiam festinus contendit: quo perveniens, nuntios ad dominum imperatorem, dominum videlicet Gaufridum abbatem Templi Domini, Græcæ linguæ habentem commercium, et nobilem virum dominum Joscelinum Pessel dirigit, debitæ salutationis affatum per eos officiosissime dependens, et de ejus sciscitans beneplacito, utrum eum ad se velit accedere, et domini regis sibi habere præsentiam. Quibus datum est in responsis, ut regem moneant et invitent, ut ad eum venire non pigritetur. Insuper et de imperiali latere mittitur illustris apocrisiarius, qui et litteris et viva voce, tanquam imperii dilectissimum filium, regem sollicitet, ut ad eum accedere non recuset. Statuta ergo die, assumpto sibi egregiorum equitum selecto comitatu, illuc perveniens, honestissime susceptus est; nam statim in occursum ei ab eo diriguntur duo nepotes ejus, fratres uterini, Joannes videlicet Protosevasto et Alexius Protostrator, qui inter illustres sacri palatii primum obtinebant locum, cum maximo nobilium comitatu. Deinde ipsis eum ducentibus usque ad ostium tentorii, ubi dominus imperator cum suis illustribus residebat, cum multa gloria introductus, humanissime ab eo salutatus, et ad osculum pacis erectus, secus eum in sede honesta, humiliore tamen, locatus est. Ubi et ejus consortibus tam delitæ salutationis affatu, quam pacis osculo ab eo humanissime honoratis, de incolumitate tam domini regis quam suorum, qui cum eo advenerant, diligenter quærit; et vultum exhibens solito lætiorem, verbo et toto corporis gestu significat eorum se adventum gratissime suscepisse, et oblata tanti principis et suorum delectari præsentia. Crebris itaque collocutionibus tam secretis quam in cœtu procerum, et grata circa dominum imperatorem conversatione per dies decem, quibus apud eum jugem se exhibuit, sicuti vir gratiosus erat, tantum domini imperatoris et principum suorum favorem meruit, et tanto charitatis vinculo eorum cordibus conglutinatus est, ut et viventem unice de cætero tanquam

Digitized by Google

filium dilexerint, et defuncti, apud eos ejus memoria usque hodie non desinat esse in benedictione. Et ne apud dominum imperatorem mora ejus esset infructuosa, sicuti vir argumentosus erat, et oculum in sæcularibus habens perspicacem; videns quod dominus imperator extra urbem castra locari præceperat, ut contra prædictum Toros, quem odio persequebatur insatiabili, dirigeret exercitus, impetrata prius licentia, cœpit tractare diligentius, quomodo prædictum principem domino imperatori reconciliare posset. Vocatoque eo et præsente constituto, resignatis præsidiis quæ dominus imperator reposcebat, in gratiam eum restituit pleniorem; ita ut fidelitatem ligiam, per ejusdem domini regis interventionem, antequam ad propria reverteretur, manualiter eidem exhiberet. Tandem a domino imperatore, prout magnificentiam decebat imperatoriam, cum suis principibus donis uberioribus, et immensa munerum liberalitate cumulatus, prosequente eum universorum gratia, Antiochiam reversus est. Audivimus a quibusdam, omni exceptione majoribus et fide dignis, quod exceptis illis, quæ ejus consortibus prodiga liberalitate contulerat, quæ infinita credebantur, soli domino regi viginti duo millia hyperperorum, et tria millia marcarum argenti examinatissimi, exceptis vestibus et holosericis, et vasis pretiosis, dicebatur largitus. Antiochiam vero veniens, fratrem suum dominum Amalricum Joppensem et Ascalonitanum comitem, cum domino Hugone de Jebelino, qui nuperrime de hostium vinculis redemptus, postliminio reversus fuerat, ibidem reperit. Qui et ipsi dominum imperatorem adire cupientes, illucque postmodum profecti, ab eodem domino imperatore benigne suscepti, tractati honestius, de more imperiali, donis uberioribus honorati, gaudentes ad dominum regem remissi sunt.

CAPUT XXV.

Imperator Antiochiam ingreditur, in cives multam liberalitatem exercens; unde postmodum ad propria revertitur.

Peracta igitur in Cilicia Dominicæ Paschæ solemnitate, transcursis diebus celebribus, versus Antiochiam exercitus dirigit, et legionibus usque ad urbem applicatis, pro foribus ejus astitit in infinita multitudine formidabilis; ubi dominus patriarcha cum universo clero et populo, cum textibus Evangeliorum et omnimodo ecclesiarum ornatu, obvius adfuit. Rex quoque, cum principe ejusdem loci, et Ascalonitano comite, cum universis tam regni quam Antiocheni principatus proceribus ei obviam exiens, cum summa gloria, imperiali diademate laureatum et Augustalibus decoratum insignibus, cum tubarum stridore et tympanorum strepitu, cum hymnis et canticis in urbem introducunt, et usque ad cathedralem ecclesiam, ad basilicam videlicet apostolorum principis, deinde ad palatium cum eadem patrum et plebis prosecutione deducunt. Ubi cum per aliquot dies balneis et cæteris corporalibus deliciis operam dedisset, effusa in populum civitatis, more solito, roga liberalissima, proposuit venandi gratia urbe exire; et ad loca venatui apta, gratia tollendi exire fastidii, dominum regem secum trahens, ejusdem operis consortem. Accidit autem ut, prædicto studio insistentes, die solemni Ascensionis Dominicæ, dum saltus more circumeunt venatorio, rex equi cui insederat raptus impetu, per loca humilibus frutetis et sentibus obsita, casu raptus in præceps et ad terram cum equo provolutus, brachium fregit; quod ut domino imperatori innotuit, ei multa humanitate compatiens, chirurgicorum implens officium, flexo ante eum genu, tanquam unus de popularibus operam ministrabat diligentem; ita ut cum indignatione stuperent et mirarentur ejus principes et consanguinei, quod majestatis oblitus imperatoriæ, et Augustalem negligens dignitatem, regi se exhiberet ita devotum et familiarem, quod etiam eorum cuilibet videretur indignum. Redeuntes ergo inde ob casum qui acciderat Antiochiam, per dies singulos visitationis gratia dominum regem adibat, et cataplasmatibus innovatis cum unguentis necessariis fascia iterum diligenter involvebat; tanta circa eum cura sollicitus, qua majorem vix posset ægrotanti adhibere filio. Domino igitur rege plenam convalescentiam assecuto, præcipit imperator, et voce præconia notum fieri mandat primiceriis legionum, ut certa die versus Halapiam acies dirigant et machinas cum bellicis instrumentis ante se faciant deportari; ipse vero cum domino rege et utriusque principibus, cum tubis et tympanis, et præliorum incentoribus lituis, urbe postmodum egressus, in eo loco qui vulgo appellatur vadum Balenæ, substitit, et exercitus universus. Inde missis nuntiis ad Noradinum, qui forte Halapiæ tunc erat, obtinet per legatos, quemdam Bertrandum comitis Sancti Ægidii naturalem filium, cum quibusdam aliis concaptivis sibi dari. Ipse vero postmodum non multo interjecto temporis intervallo, revocantibus eum curis domesticis, ad propria reversus est. Rex etiam post domini imperatoris discessum, cum suis quos secum eduxerat, in regnum se recepit.

CAPUT XXVI.

Adriano defuncto, in Ecclesia Romana schisma oritur periculosum.

Per idem tempus, domino Adriano papa apud Anagniam, urbem Campaniæ, morbo squinanciæ defuncto, corporeque ejus Romam translato et in basilica Beati Petri apostolorum principis honorifice sepulto, dum de substituendo pastore inter cardinales haberetur tractatus, sicut in talibus solet frequenter contingere, divisa sunt eligentium desideria; ita ut pars eligeret dominum Rolandum ejusdem ecclesiæ presbyterum cardinalem, tituli Beati Marci, qui idem erat sedis apostolicæ cancellarius, cui manus imponentes et ordinantes episcopum, Alexandrum appellaverunt. Alii vero dominum Octavianum, virum secundum carnem nobilem, ejus-

Digitized by Google

dem Ecclesiæ presbyterum cardinalem tituli Sanctæ Ceciliæ trans Tiberim; cui etiam nihilominus manus imponentes, episcopum constituerunt, vocantes eum Victorem. Cujus schismatis occasione, universa Latinorum Ecclesia, peccatis nostris exigentibus, paulo minus habuit dividi et irrevocabiliter ab invicem separari, majoribus orbis principibus certatim partibus gratiam suam et favorem ministrantibus. Tandem anno nono decimo, redeunte ad unitatem Ecclesiæ domino Frederico Romanorum imperatore, qui parti oppositæ auxilium suggerebat, et consilium; et domino Alexandro papæ plena charitate reconciliato, reddita est pax Ecclesiæ, et depulsis errorum tenebris, resplenduit tranquillitas, quasi stella matutina in medio nebulæ.

CAPUT XXVII.

Noradinus Iconiensis soldani fines ingressus, partem ejus violenter occupat. Rex Damascenorum fines depopulatur.

Interea Noradinus lætus admodum de imperatoris discessu, cujus adventus magnum, præsentia majorem ei terrorem incusserat, securus jam de cætero de tanti principis suspecta nimis potentia, videns etiam dominum regem ad propria reversum, occasionem se arbitratus reperisse, qualem a multis retro temporibus desideraverat; convocata ex universis finibus suis militia in terram soldani Iconiensis, quam sibi habebat conterminam, expeditiones dirigit, et urbem Mares, simul et oppida Cressum et Behetselin, in suam satagit redigere potestatem. Soldanus autem, ab illis remotus partibus, non facile suis poterat ministrare subsidium; unde et ea fiducia contra fortiorem se, hoc præsumpserat aggredi Noradinus. Cognito autem dominus rex, quod circa partes illas cum omnibus viribus suis detineretur occupatus, volens illius occupationes ad suum trahere compendium, sciens Damascenorum fines absque militarium virorum robore, hostium facile patere insidiis, congregato exercitu, regionem Damascenorum ingreditur, et cuncta pro arbitrio incendiis tradens et prædæ, ab Offro, primæ Arabiæ famosa metropoli usque Damascum, nemine contradicente, libere contraducebat exercitum. Erat autem Damasci quidam nobilis Negemedinus nomine, cui ob plurimam rerum sæcularium quam habere dicebatur experientiam, negotiorum suorum curam commiserat, et urbem cum suis pertinentiis pro ejus arbitrio eidem tradiderat gubernandam. Hic videns dominum suum in regione remota magis occupatum negotiis, seque virorum militarium copias non habere, quibus regiis viribus posset resistere, tanquam vir providus, et instantia pericula a se quærens propellere, oblatis quatuor millibus aureorum, pacem trium mensium postulat, et multiplicatis sibi data pecunia intercessoribus, impetrat postulatam, datis insuper sex gregariis militibus, quos in vinculis detinebat. Sic ergo regem cum suo exercitu a patria sua prudenter amovit. Interea domina Milisendis regina, mulier provida, et supra sexum discreta femineum, quæ regnum tam vivente marito, quam regnante filio, congruo moderamine annis triginta, et amplius, vires transcendens femineas rexerat, ægritudinem incidit incurabilem, de qua usque ad obitum salutem non recepit, licet utraque sororum ejus tam domina Tripolitana comitissa, quam domina abbatissa Sancti Lazari de Bethania, omnem circa eam impenderent diligentiam; et accitis medicorum undecunque peritissimis, remedia qualia videbantur necessaria, non cessarent ministrare; ipsa vero aliquantisper læsa memoria, corpore quasi consumpto, lecto decumbens, multo tempore, paucissimis ad eam reserato accessu, jacebat quasi dissoluta. Rex autem interim effluxo tempore, quod Negemendino Damascenorum procuratori constituerat, temporeque fœderis quod initum fuerat decurso, Noradino adhuc circa partes prædictas, nondum completis negotiis occupato, hostium fines violenter ingreditur, et pro arbitrio regionem discurrens, prædas trahit libere, incendia procurat, manubias agit sine contradictore; et depopulata regione, effractis suburbanis, captivatis locorum incolis, iterum sospes ad propria reversus est.

CAPUT XXVIII.

Princeps Antiochenus Rainaldus ab hostibus capitur, et apud Halapiam vinculis mancipatur.

Non multo autem interjecto tempore, accidit quod princeps Antiochenus Rainaldus, cognito per exploratores, quod in partibus illis, quæ et aliquando fuerant comitis Edessani, inter Maresiam et Tulupam absque militaribus viris, terra armentis et gregibus referta, locorum incolis armorum usum nescientibus, facile posset patere ad prædam; credulus aurem præbet dictis eorum facilem, et collecta ingenti militia, infaustis avibus iter aggreditur. Perveniensque ad loca prædicta, dictorum plenam invenit fidem; nam procul dubio armentorum et gregum stupendam reperit multitudinem; sed populus cujus hæc erant, populus fidelis erat. Tota enim illa regio non nisi in præsidiis Turcos habet, paucos admodum, qui et præsidia tuentur, et rusticorum præstationes colligunt, dominis majoribus quorum procuratores sunt, conservandas. Suburbana autem soli Christiani, Suriani et Armeni inhabitant, et agriculturæ operam dant, et rura colunt. Collecta igitur ex diversis partibus præda et manubiis nemine prohibente comportatis, onusti spoliis et multimoda supellectile locupletati, sospites et cum omni tranquillitate revertebantur; cum ecce Megedin præfectus Halapiensis, Noradino familiaris, et fidei sinceritate conjunctissimus, assumpta sibi universæ regionis expeditiore militia, ejus præcognito reditu, maturat ei exire obviam, ut sarcinis et præda oneratos, aliquibus locorum angustiis, aut impeditos opprimeret, aut saltem impedimenta relinquere compelleret violenter. Factumque est, ut juxta prudentis viri conceptum, properantes illi obviam, ducibus itineris qui de exercitu

Digitized by Google

principis advenerant, ad locum perveniunt destinatum, proximum satis regioni, ubi princeps cum universa præda castra locaverat. Qui cognito hostium adventu, cum suis deliberat, quid eum in præsenti necessitate oporteat facere; relictoque saniore consilio, videlicet ut præda dimissa, expeditiores sine multa difficultate redirent ad propria; elegerunt ut, prædam et spolia non deserentes, cum hostibus, nisi per eos staret, strenue decertarent. Mane itaque facto et die jam aliquantulum adulta, concurrentibus agminibus pugna committitur, instantibus hostibus arcubus et gladiis, studio valde pertinaci. Nostri autem, etsi prima facie animum resistendi visi sunt habuisse, novissime tamen mente consternati, terga dederunt, fugam dimissis spoliis eligentes. Princeps autem, peccatis suis exigentibus, omnes quas commiserat impietates corporaliter luiturus, captus est et compedibus religatus, Halapiam cum aliis conceptivis, spectaculum factus populis infidelibus, cum summa ignominia deductus est. Factum est autem hoc anno regni domini Balduini decimo octavo, mense Novembre, IX Kal. Decembris, inter Cressum et Mares, in loco qui dicitur Commi.

CAPUT XXIX.

Joannes quidam Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis, in Syriam descendit legatus; de ejus susceptione inter episcopos oritur dissonantia. Amalrico Joppensi comiti, fratri regis, filius nascitur Balduinus.

Per eosdem dies, quidam Joannes, vir admodum litteratus, Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis, tituli Sanctorum Joannis et Pauli, missus a domino Alexandro papa ad partes orientales legatus, apud Biblium, cum quibusdam Januensibus applicuit. Volens igitur, impetrata licentia, tanquam legatus in regnum introire, prætentavit domini regis et aliorum regni principum, tam ecclesiasticorum quam sæcularium mentes, quidnam de ejus ingressu sentirent. Divisus enim erat, ut prædiximus, occasione schismatis oborti, pene orbis universus: aliis domino papæ Alexandro, aliis parti oppositæ faventibus. Unde post multam deliberationem, mandatum est ei ex parte, ut subsisteret, nec in regnum præsumeret ingredi, quousque habita cum prælatis ecclesiarum et regni principibus pleniore deliberatione, ei de communi consilio mandaretur quid eum facere oporteret. Interim ergo convocatis apud Nazareth, tam domino patriarcha quam reliquis ecclesiarum prælatis, de principibus quoque nonnullis cum domino rege assistentibus, cœperunt deliberare quid in tanta ambiguitate facto esset expedientius. Omnes enim Orientis pontifices, de utroque patriarchatu, in neutram partium manifeste declinaverant, in occulto tamen, aliis huic, aliis illi suum favorem præstantibus. Factum est autem, sicut in talibus solet contingere, quod dissentientes ab invicem, et votis eorum in plura distractis, alii dicerent quod dominus Alexander et ejus legatus suscipere-

A tur, utpote causam fovens potiorem; quorum princeps erat dominus Petrus, piæ in Domino recordationis, prædecessor noster, Tyrensis archiepiscopus; alii e converso domini Victoris causam præferentes, et eum semper regno amicum et tutorem fuisse asserentes, legatum nullo modo recipiendum esse censebant. Rex autem mediam quamdam viam sequens, cum suis principibus et de ecclesiarum prælatis quibusdam, timens ne episcopi inter se dividerentur et scinderetur Ecclesia, persuadebat neutram partium recipiendam esse; legato vero, si tanquam peregrinus, orationis gratia, absque insignibus legationis, ad loca sancta vellet accedere, dandam esse licentiam et concedendam libertatem moram in regno faciendi, usque ad primum transitum, extunc redeundum ei esse. Allegabat etiam, et dictorum suorum causam subjungebat et rationem, dicens: *Schisma recens est; necdum orbi innotuit, uter eorum causam foveat potiorem; periculosum autem esse, in re dubia partem sibi ex sententia deligere, et de re incerta diffinitivam præcipitare sententiam. Præterea, nec legato opus esse in regno, qui ecclesias et monasteria gravet impensis, extorsionibus attenuet.* Hæc erat domini regis sententia; quæ, licet utilior videretur, tamen prævaluit eorum sententia, qui legatum esse recipiendum asserebant. Vocatus igitur in regnum venit, multis quibus adventus ejus placuerat, postmodum onerosus. Per illud tempus natus est domino Amalrico, Joppensium comiti, ex Agnete filia comitis Edessani, filius, quem patris rogatu, rex de sacro fonte suscipiens, suum ei nomen imposuit; cumque ab eo jocose quæreretur *Quidnam nepoti, et filio de sacro fonte suscepto donaret?* respondit, sicuti homo jucundi et urbani sermonis, erat: *Regnum Hierosolymorum.* Quod verbum quibusdam prudentibus, qui hoc audierant, altius descendit in pectus, notantes quod licet juvenis esset admodum, et uxor ejus adolescentula, præsagire videbatur, quod absque liberis foret ex hac luce subtrahendus: quod et factum est.

CAPUT XXX.

Rex ab Antiochenis vocatus, illuc properat; imperiales legati adsunt, uxorem domino suo, unam de consanguineis domini regis postulantes.

Capto igitur principe et Antiochena provincia rectoris solatio destituta, populus iterum regionis, timore et anxietate corripitur; et diebus singulis regionis desolationem, nisi Dominus eos custodiat, animis suspensis exspectat; tandemque visum est ad solitum recurrere auxilium, et ab eo contra mala imminentia petere solatium, unde sine repulsa sæpius obtinuerant postulatum. Missa igitur legatione et adjunctis precibus lacrymosis, dominum Hierosolymorum regem suppliciter invitant, ut ad subveniendum genti desperatæ, populo pereunti, honorem et gloriam ab hominibus, et a Domino præmia relaturus æterna, venire non moretur. Rex autem miserabili regionis illius casu cognito, præ-

Digitized by Google

decessorum suorum vestigiis inhærens, eorum anxietatibus compatiens, laborem devotus amplectitur; et assumpta secum honesta militia, ad partes accelerat Antiochenas, ubi cum omni gaudio et animorum exsultatione, ejus a patribus et plebe susceptus est adventus. Residens ergo in eadem civitate quantum temporis et loci deposcebat necessitas, negotiis principatus tanquam suis propriis exactissimam adhibet diligentiam; et regionis procuratione domino patriarchæ ad tempus, usque dum redeat commissa, honestisque sumptibus dominæ principissæ constitutis, rerum domesticarum sollicitudine revocatus, reversus est ad propria. Porro domino rege in regnum reverso, ecce adsunt domini imperatoris Constantinopolitani, viri spectabiles, et in sacro palatio præclari, legati imperiales, litteras cum aurea bulla, simul et verba secretiora ad dominum regem deferentes. Horum autem primus erat, vir illustris Gundostephanus, ejusdem domini imperatoris consanguineus: secundus erat maximus palatinorum interpretum, Triffillus, homo vafer et pro negotiis imperialibus valde sollicitus; qui, ut prædiximus, sacros apices detulerunt, quorum tenor erat, ut in summa dicatur, talis: *Noveris, nobis dilectissime et imperio nostro acceptissime, quod felix et inclytæ in Domino recordationis Hirene, sacri imperii nostri consors, diem vitæ clausit extremum, electis spiritibus socianda, unica nobis filia communis imperii hæredе relicta. Nos autem de imperii successione solliciti et melioris sexus sobolem non habentes, de secundis votis cum illustribus sacri palatii diligentem sæpius habuimus tractatum. Tandem de universorum principum favore et consensu placuit, ut de sanguine tuo, quem unice diligit nostrum imperium, nobis in consortium jungamus imperii; et utram consobrinarum tuarum seu illustris viri comitis Tripolitani sororem, seu magnifici viri principis Antiocheni germanam juniorem nobis elegeris, nos pro tua optione, sinceritati tuæ omnem fidem habentes, eam nobis in tori sociam et imperii participem, auctore Domino, assumemus.*

Cognita ergo rex domini imperatoris, tum ex ejus litteris, tum ex nuntiorum viva voce, intentione, spondet obsequium, operam promittit, et gratias multiplices imperatoriæ solvit majestati, tum quia de sanguine ejus in tantam eminentiam sibi associare proposuit; tum quia ejus fidem commendans, in ejus ponit arbitrio, utram ipse delegerit, eam in tori participem et imperii consortem assumpturum.

CAPUT XXXI.

Rex sororem comitis Tripolitani, virginem illustrem Milisendem nomine, ei deputat; sed post annum eam repudiat imperator, et uxorem ducit Mariam, principis Raimundi filiam.

Rex ergo habita deliberatione cum suis familiaribus, quid sibi et imperiali celsitudini, in præsenti facto magis conveniat, convocatis imperialibus nuntiis persuadet, et præcipit, quatenus Milisendem bonæ indolis adolescentulam, domini comitis Tripolitani sororem, domino suo suscipiant in uxorem. Illi vero cum summa reverentia domini regis amplectentes verbum, præstiterunt assensum; contestantes tamen quod hoc ipsum domino imperatori per nuntios et litteras significari oporteret. Præparantur interea virgini tanto culmini destinatæ, a matre et amita, fratre et amicis omnibus, immensorum sumptuum ornamenta, et modum nescientia, supra vires regias; murenulæ, inaures, spinteres et periscelidæ, annuli, torques et coronæ ex auro purissimo; vasa quoque argentea, immensi ponderis et magnitudinis; inauditæ ad usum coquinæ, escarum et potuum, et lavacrorum obsequium præparantur, exceptis frenis, sellis, et ut breviter dicatur, omnimoda supellectile; quæ omnia tam infinitis præparabantur impensis, et tanto studio procurabantur, ut ipsa etiam opera suum prædicarent excessum et regium luxum facile superarent. Interea, dum Græci singula ad unguem perscrutantur et rimantur interius de moribus puellæ, de occultarum corporis partium dispositione, dum nuntios frequentes ad imperatorem dirigunt et eorum præstolantur recursum, annus effluxit: quod valde moleste ferentes tam dominus rex et comes, quam reliqui ejusdem virginis cognati et amici, imperiales nuntios publice conveniunt, alterutrum duum proponentes. Ut aut præcise a verbo diu tractati desistant matrimonii, et expensas resarciant; aut desinant morarum perplexitates intexere, et consummato negotio juxta conventiones initas finem imponant. Comes autem multiplicibus gravabatur impendiis; nam et duodecim galeas fieri jusserat, et eas instruxerat usque ad plenum, quibus sororem usque ad maritum prosequi decreverat, et tam de principatu quam de regno omnes majores apud Tripolim convenerant, exspectantes dominæ in proximo futurum exitum; quibus comes ex toto, aut ex parte plurima, providebat necessaria. Græci autem more suo amphibologice respondentes, rem adhuc protrahere nitebantur; verum dominus rex eorum sophisticis occurrens moliminibus, specialem super eo negotio, ad dominum imperatorem, dominum Ottonem de Risbergis, dirigit nuntium, obnixe postulans ut ei per eumdem voluntatem suam præcise declaret; qui sperato citius ad dominum regem rediens, et viva voce et litteris edocet domino imperatori quæ tractata erant, de prædicto matrimonio, omnia displicere: quod intelligens rex, a verbo destitit, pro multa ducens ignominia, quod id quod ejus interventu credebatur esse tractatum et partibus suis absolutum, in irritum devenisset; et procul dubio in suam videbatur redundare injuriam. Porro domini imperatoris nuntii, comitis Tripolitani indignationem formidantes, inventa casu navicula, in Cyprum se fecerunt deportare. Soluto itaque cœtu optimatum, qui apud Tripolim convenerant, dominus rex in partes secessit Antiochenas, quarum curam, ut prædiximus, a populo regionis diligenter expetitus, sibi assumpserat; ad quas cum perve-

Digitized by Google

nisset, eosdem imperatoris nuntios reperit, quos a Tripoli credebat abiisse. Hi cum domina principissa pro filiarum ejus novissima, Maria nomine, quotidianum et familiarem habebant tractatum. Insuper et domini imperatoris auro signatas in præsenti habebant litteras, quibus ratum se habiturum, quod per eorum manum de præsenti matrimonio, cum domina principissa vel amicis ejus firmaretur, promittebat. Præsens ergo factus rex, communicato ei verbo, etsi in priore facto læsus videretur, eatenus ut merito in præsenti operam, et studium domino imperatori posset subtrahere, tamen gratia consanguineæ, quæ pupilla erat, et patris destituta solatio, partes interponit suas; et post multas dilationes, effectui satagit mancipari. Completo itaque negotio, galæis in faucibus Orontis fluminis, in loco qui dicitur portus Sancti Simeonis, præparatis, tradita puella, prosequentibus eam de magnatibus regionis, qui ad hoc videbantur idonei, et usque ad maritum viæ consortibus, iter arripiunt.

CAPUT XXXII.

Rex circa Antiochiam castrum reædificat, quod dicitur Pons Ferri. Regina Milisendis mater ejus moritur.

Interea dum rex in partibus illis moram faceret, ut ejus præsentia regioni esset utilis, castrum quod super pontem fluminis Orontis (qui vulgo dicitur Pons Ferri) aliquando fuerat, ab urbe Antiochena quasi sex aut septem distans milliaribus, reædificavit, utiliter satis, ad cohibendum hostium discursus et latrocinantium introitus occultos. Occupato ergo eo circa partium illarum negotia, pia mater ejus longo macerata languore et continuis exhausta cruciatibus, in Idus Septembris viam universæ carnis ingressa est; quod postquam ad ejus pervenit notitiam, veris contestans argumentis quanta eam sinceritate dilexisset, in lamenta se dedit, et per dies multos nullam prorsus recepit consolationem. Sepulta est autem inclytæ recordationis domina Milisendis, angelorum choris inferenda, in valle Josaphat, descendentibus ad sepulcrum beatæ et intemeratæ Dei genitricis et virginis Mariæ ad dexteram, in crypta lapidea, januis ferreis præsepta, altare habens vicinum, ubi tam pro remedio animæ ejus, quam pro spiritibus omnium fidelium defunctorum, acceptabiles Creatori quotidie offeruntur hostiæ.

CAPUT XXXIII.

Comes Tripolitanus pro repudio sororis iratus, imperatori quantas potest irrogat injurias.

Interea comes Tripolitanus dolore cordis tactus intrinsecus, et ægre ferens, quod ab imperatore sic erat delusus, videns se occasione imperatoris enormes fecisse impensas, sororem suam, tanquam gregarii alicujus filiam, ab eo sine causæ cognitione repudiatam esse, anxius apud se gemit, et ex corde ducit suspiria, cogitans si qua via posset imperatori reddere vices, et pro illata injuria eadem mensura reddere talionem. Hæc ei cogitanti, ex diverso occurrebat, quod princeps inter mortales erat potentissimus, nec ejus vires sufficere poterant, ut eum vel in aliquo lædere posset; tamen ne illatam injuriam aut non sentire videretur, aut negligentius dissimulare, galeas quas ad alium usum præparaverat, dolore compulsus, armari præcipit; et vocatis piratis, et nefandorum scelerum artificibus eas tradit, præcipiens, ut prædicti imperatoris terras obambulantes, omnino nec ætati parcerent, nec sexui, et conditionum etiam nullam haberent differentiam; sed passim et sine delectu tam monasteria quam ecclesias, omnia traderent incendiis, et rapinas ubique, sive homicidia libere perpetrarent, pro justa causa arma et vires illaturi. Illi autem dicto parentes, mare ingressi, regiones imperatoris, tam quæ in insulis erant quam quæ in terra mari contermina perlustrantes, verbum comitis interpretantes largius, ubique rapinas, ubique incendia, ubique homicidia procurant; ecclesias violant, effringunt monasteria, locorum venerabilium omnino nullam habentes differentiam. Sed et peregrinis loca sancta adeuntibus, vel inde reversis, viaticula sua diripientes, nudos et inopes, aut mori, aut in mendicitate vitam protrahere compellebant; negotiatoribus, nihilominus victum eo commercii genere sibi, uxoribus et liberis propagantibus, bona quæ congesserant diripientes, vacuos domum redire, sorte cum lucro deperdita, cogebant.

CAPUT XXXIV.

Rex apud Antiochiam pharmacum bibit; unde in supremam deductus ægritudinem, quærebat ad propria reverti, sed invalescente ægritudine, in itinere apud Berithum vitam finit.

Dum hæc comes Tripolitanus, zelo propriæ ductus injuriæ procurat, rex apud Antiochiam ante ingruentem hiemem, prout consueverat, pharmaco uti volens, per manum Barac, medici Tripolitani comitis, pillulas accepit, et quas in instanti sumeret, et quas postmodum modico interjecto tempore esset accepturus: *Nostri enim Orientales principes, maxime id efficientibus mulieribus, spreta nostrorum Latinorum physica et medendi modo, solis Judæis, Samaritanis, Syris et Saracenis fidem habentes, eorum curæ se subjiciunt imprudenter, et eis se commendant, physicarum rationum prorsus ignaris.* Dicebantur autem prædictæ pillulæ veneno infectæ, nec erat a vero multum dissimile; nam residuum quod regi secundo sumere mandatum fuerat, postea experimento apud Tripolim in pane infuso, cuidam datum canículæ, mortem sibi infra paucos dies propinaverunt. Ab ea igitur die, qua prædictam rex bibit medicinam, cum dysenteria febriculam incurrit, quæ postea in hecticam versa est, nec ab ea, usque in diem obitus, remedium sensit, aut convalescentiam. Sentiens igitur apud se doloris instantiam et ægritudinis augmentum, ab Antiochia discedens usque Tripolim pervenit. Ubi mensibus

Digitized by Google

aliquot decubuit, de die in diem exspectans remedium. Ubi autem ægritudinem cognoscens invalescere, et salutis nullam superesse fiduciam, Berythum deportatus, ecclesiarum prælatos, simul et regni principes ad se cum omni celeritate præcipit evocari; quibus in præsentia sua constitutis, fidem suam pie ac religiose articulatim aperiens, in spiritu contrito et humiliato, præsentibus pontificibus peccata confitens, carnis solutus ergastulo, animam cœlis intulit, cum electis principibus, auctore Domino, coronam immarcessibilem percepturus. Obiit autem anno ab Incarnatione Domini 1162, regni ejus anno vicesimo, IV Idus Februarii, ætatis vero tricesimo tertio; liberis non exstantibus, fratre regni hærede instituto. Inde Hierosolymam cum summa reverentia et regalibus exsequiis, cum universorum gemitu et lacrymis deportatus, occurrente ei clero et universo populo civitatis, in ecclesia Dominici Sepulcri ante Calvariæ locum, ubi pro salute nostra crucifixus est Dominus, honorifice inter suos prædecessores sepulturæ traditus est. Tantam autem mœstitiam et tot doloris intimi argumenta in nostro vel in alio regno, pro defectu alicujus principis exstitisse, nulla tradit historia; nulla præsentium hominum tenet memoria; nam exceptis civibus, in quorum urbes funus introducebatur regium, quorum luctus et dolor sine exemplo videbatur, descendebat de montibus fidelium multitudo, cum ejulatu prosequens præcedentes exsequias. Sicque a Berytensi urbe Hierosolymam diebus quasi octo continuis, non defuit lamentum juge, et luctus horis pene singulis renovatus. Dicuntur nihilominus et hostes de ejus morte doluisse; ita ut quibusdam suggerentibus Noradino, quod fines nostros ingrediens interim dum exsequiis operam daremus, terram depopularetur, dicatur respondisse: *Compatiendum est, et humane indulgendum justo eorum dolori: eo quod principem amiserint, qualem reliquus hodie non habet orbis.* Nos autem de operibus ejus hunc librum consummantes, oramus, ut cum piis et electis, ejus anima sancta requie perfruatur. Amen.

INCIPIT LIBER NONUS DECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Domino Balduino fratri Amalricus succedit in regno.

Domino igitur Balduino tertio, Latinorum Hierosolymis rege quarto, absque liberis, ut dictum est, defuncto, successit ei in eadem civitate sancta, Latinorum rex quintus, dominus Amalricus, frater ejus unicus, comes Joppensis et Ascalonitanus, anno ab Incarnatione Domini 1162; a liberatione vero ejusdem Deo amabilis civitatis, sexagesimo secundo; præsidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ domino Alexandro, pontificatus ejus anno tertio; sanctæ vero Resurrectionis Ecclesiæ, domino Amalrico, Latinorum patriarcha nono, pontificatus ejus anno quarto; sanctæ autem Antiochenæ Ecclesiæ, domino Aimerico, Latinorum in eadem civitate patriarcha tertio, anno pontificatus ejus vicesimo; sanctæ vero Tyrensi Ecclesiæ, domino Petro, Latinorum in eadem civitate post urbem captam, archiepiscopo tertio, pontificatus ejus anno tertio decimo. Post fratris tamen obitum dissonantibus inter se regni principibus, et de regis substitutione aliter et aliter affectis, paulo minus se interposuit ingens, cum periculo ex schismate ortum scandalum. Sed optato adfuit divina clementia, quæ rebus periclitantibus competentia novit aptare remedia; subito enim, favente sibi potissimum clero et populo, paucisque de magnatibus, evacuatis aliter affectorum molimini bus, in ecclesia Dominici Sepulcri, a supradicto domino Amalrico patriarcha, præsentibus et cooperantibus archiepiscopis, episcopis et universis ecclesiarum prælatis, regiæ unctionis gratiam, et diadematis insigne adeptus, et in regni solium hæreditario sibi jure debitum, XII Kal. Martii sublimatus est, die octava post fratris obitum. Hic statim, ex quo miles factus, arma cœpit gestare militaria, factus est comes Joppensis, cui postea frater ejus inclytæ recordationis dominus Balduinus, eximiam Philistinorum metropolim Ascalonam, diebus suis expugnatam, et Christiano post longa tempora nomini restitutam, regia liberalitate concessit; sicut superius, dum de regno ejusdem domini Balduini dissereremus, diligentius comprehensum est. Viginti septem annorum erat dominus Amalricus, cum regnare cœpisset. Regnavit autem annis undecim, mensibus quinque.

CAPUT II.

Describitur qualis moribus fuerit; et de vita et conversatione ejus.

Fuit igitur vir experientia præditus sæculari, prudens admodum, et in agendis circumspectus: linguæ aliquantulum impeditioris, non adeo tamen, ut ei multum pro vitio posset imputari; sed ita, ut illam sponte fluentis eloquii non haberet elegantiam. Consiliis longe melior, quam verborum affluentia, vel ornatu. In jure consuetudinario, quo regebatur regnum, subtilis plurimum, et nulli secundus; imo qui regni principes et mentis acumine et discretionis præiret sinceritate universos. In periculis et summis necessitatibus, quas frequenter incurrit, dum pro regno ampliando viriliter et sine intermissione decertat, fortis et providus; et ani

Digitized by Google

num regia quadam constantia conservans imperterritum. Modice litteratus erat, et fratre multo minus; sed ingenii vivacitate, et tenacis memoriæ beneficio, interrogatione frequenti, legendi studio, cum aliquid otii regni occupationes indulgebant, juxta id quod regibus solet contingere, satis commode erat instructus; in quæstionibus argutior, in earum solutionibus plurimum recreabatur. Historiarum, præ cæteris lectionibus, erat avidus auditor, memor perpetuo, promptus et fidelissimus recitator. Totus erat in scriis; in mimicis vel alea nunquam. Accipitrum et herodiorum volatu et præda, libentius delectabatur. Patiens erat laboris; sicut erat corpulentior et pinguis nimium, algoris calorisque inclementia non multum angebatur. Decimas, in ea parte vir evangelicus, cum omni integritate, et sine molestia Ecclesiæ dari præcipiebat. Missam omni die (nisi ægritudo aut ingruens prædiret necessitas) audiebat devotus. Maledictorum conviciorumque quæ in eum et publice sæpius, et clam ferebantur, etiam a vilibus et contemptibilibus personis, patientissimus exceptor et dissimulator erat egregius, ut nec quæ audierat, ea audisse videretur. In cibo potuque sobrius, in utroque ebrietatem abominabatur. Procuratoribus etiam suis tantam dicebatur habere fidem, ut ex quo eos negotiis præfecerat suis, nec rationem ab eis exigeret, nec de eorum infidelitate suggerentibus aurem præberet; quod tamen quidam ducebant pro vitio; quidam virtuti ascribentes, argumentum sinceræ fidei asserebant esse. His animi dotibus et bonis potioribus, detrahebant quædam in eo notabilia, quæ prius dictis nubem quamdam inducere videbantur. Taciturnus enim erat ultra decens, et eximiæ urbanitatis expers. Affabilitatis gratiam, quæ maxime principibus subjectorum corda conciliat, penitus non habebat. Raro unquam quempiam alloquebatur, nisi compulsus necessitate, aut sermone prius lacessitus; tantoque in eo notabilior occurrebat iste defectus, quanto in fratre fuerat sermonis jucundi et amplectendæ affabilitatis gratia cumulatior. Lubrico etiam carnis, ut dicitur, impatienter laborans (quod ei clementer indulgeat Dominus) aliena attentare matrimonia dicebatur. Libertatis quoque Ecclesiarum vehemens impugnator, earum patrimonia crebris et indebitis exactionibus, diebus suis, usque ad supremam exinanitionem attrivit, ita quod ære alieno gravari compelleret loca venerabilia, supra suarum obventionum vires. Pecuniæ cupidus supra quam regiam deceret honestatem. Interventu munerum auferebat sæpe, differebat sæpius, aliter quam censuræ rigor, et juris modestia pateretur. Avaritiæ tamen suæ excusationem prætendens, mihi etiam familiarius colloquenti, causas nitebatur assignare, dicens: *Principem quemlibet, et maxime regem, semper hanc debere penes se providentiam habere, ne egeat, propter duo: tum quia tuta est opulentia subjectorum, ubi non eget imperator; tum quidem ut præ manibus habeat, unde necessitatibus regni sui, si forte inopinatæ occurrant, consulat; et in eo casu, regem providum, oportere esse abunde munificum, et sumptibus omnino non parcere, ut non sibi, sed regni usibus, quidquid id est, videatur possidere.* Horum alterum in eo fuisse, nec invidi ejus possunt negare. Nam in regni necessitatibus nec expensis parcebat, nec proprii corporis fatigatione revocabatur. Sed non erat tuta omnino subjectorum opulentia; ad quorum exhaurienda patrimonia, sumpta qualibet levi occasione, frequentius recurrebat.

CAPUT III.

De corporis habitudine; et de quadam quæstione, quam cuidam suo familiari solvendam obtulit.

Corporis autem quadam favorabili statura quasi proportionaliter erat modificatus, ut mediocribus major, et longissimis minor esset. Facie venusta, et quæ ignotis etiam reverendi principis merito prætenderet dignitatem. Oculis fulgentibus, mediæ quantitatis; naso instar fratris aquilo decenter; capillo flavo, refugoque pusillum. Barba, genas mentumque grata quadam plenitudine vestitus. Risum tamen habebat incompositum, et quo totus in ridendo concutiebatur. Prudentibus et discretis viris, et remotorum locorum peritiam habentibus, et externarum consuetudinum tenentibus experientiam, libentissime confabulabatur. Memini me semel, ab eo familiariter evocatum, dum in castello Tyrensi, febricula lenta, non multum periculose laboraret, horis quietis et lucido intervallo, sicut in interpolatis febribus solet contingere, secretius cum eo multa contulisse; et ad quasdam ejus quæstiones, quantum pro tempore occurrebat, adhibuisse solutiones; multum enim nostra collatione recreabatur. Inter quas unam nobis obtulit quæstionem, unde me multum movit interius: tum quia insuetatum erat illud quæri, quia nec quæstione dignum videbatur, quod fides universalis edocebat, et firmissime tradiderat credendum; tum quia animo graviter vulnus imprimebat, si princeps orthodoxus et orthodoxorum filius, in re tam certa pateretur scrupulum, et in conscientia dubitaret. Quæsivit sane: *Si præter doctrinam Salvatoris et sanctorum qui Christum secuti sunt, de qua non dubitabat, posset ratio inveniri, qua posset probari argumentis evidentibus et necessariis, resurrectionem futuram?* Ad quod novitate permotus verbi, respondi: *Sufficere Domini ac Redemptoris nostri doctrinam, qua manifestissime multis locis in Evangelio, carnis resurrectionem futuram edocet; venturum se judicem, judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem promittit; daturum se electis regnum, præparatum a constitutione mundi; impiis autem ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, pollicetur. Sanctorum quoque apostolorum, et Patrum etiam Veteris Testamenti sufficere piam assertionem.* Ad quod ille: *Hæc omnia firmissime teneo; sed rationem quæro, qua alicui hæc neganti, et doctrinam Christi non recipienti, futuram resurrectionem et aliam vitam*

Digitized by Google

post istam mortem, probari possit. Cui ego : *Assumite ergo vobis hujus hominis sic affecti personam, et tentemus aliquid circa hoc invenire. Placet*, inquit, Tum ego : *Deum justum confiteris esse?* Tum ille : *Nihil verius, confiteor.* Tum ego : *Justi autem est, pro bonis bona, pro malis mala retribuere?* Tum ille : *Verum est.* Ego : *In præsenti vita autem non fit istud. Nam et boni quidam, in præsenti sæculo, nonnisi molestias patiuntur, et adversa; mali vero quidam felicitate gaudent continua, sicut rerum quotidianarum exempla nos edocent.* Tum ille : *Certum est.* Ego vero processi : *Ergo in alia vita fiet; quia non potest Deus non esse justus retributor; ergo alia vita erit et hujus carnis resurrectio; in qua meruit quis bonum vel malum, in ea debet recipere præmium et remunerari.* Tum ille : *Placet supra modum; et omnem detersisti de corde meo dubitationem.* Ilis et similibus plurimum recreabatur collationibus. Sed ad propositum redeamus. Pinguis erat supra modum, ita ut more femineo mamillas haberet, cingulo tenus prominentes : cæteras autem corporis partes, manu traxerat natura lætior benigniore, ut non solum mediam prætenderent venustatem, verum quadam gauderent formæ prærogativa. In sumenda quoque corporis refectione sobrium, vinique abstinentissimum, nec inimici negare possunt.

CAPUT IV.

Quod antequam coronaretur, coactus est ab uxore sua, quam contra sacros duxerat canones, discedere.

Denique dum adhuc frater ejus in rebus ageret humanis, et regnum feliciter administraret, uxorem duxit Agnetem, Joscelini junioris comitis Edessani filiam, ex qua vivente fratre, prolem suscepit geminam, filium videlicet Balduinum, quem patruus de sacro fonte suscepit, et filiam natu priorem, nomine Sybillam, comitissæ Flandrensis, sororis utriusque, æquivocam. Hanc tamen uxorem, defuncto jam fratre, dum regnum ad se jure hæreditario devolutum vindicaret, coactus est abjurare. Nam et in initio dum eam duxisset, invito domino patriarcha Fulchero bonæ memoriæ, et contradicente, sibi eam matrimonio copulavit; eo quod quarto consanguinitatis gradu se dicebantur contingere, sicut postea in facie Ecclesiæ per communes consanguineos solemniter est probatum. Præsentibus enim domino Amalrico, bonæ memoriæ patriarcha, domino quoque Joanne, sanctorum Joannis et Pauli presbytero cardinale, et apostolicæ sedis legato, juxta juris ecclesiastici solemnitatem, consanguineis utriusque corporaliter juramenta præstantibus et asseverantibus sic esse, ut dicebatur, interveniente divortio, solutum est matrimonium. Hoc addito tamen, ut qui ex ambobus nati erant, legitimi haberentur et in bona paterna successionis plenum jus obtinerent. Quæsivimus sane nos postea diligenter, tanquam circa talia curiosi, quoto consanguinitatis gradu se contingerent; quia nondum de scholis redieramus, sed trans mare adhuc, circa liberalium artium detinebamur studia, quando Hierosolymis hæc facta sunt. Et tandem invenimus per dominam Stephaniam, abbatissam ecclesiæ Mariæ majoris quæ Hierosolymis ante Sepulcrum Domini sita est, quæ domini Joscelini senioris, comitis Edessani filia fuit, ex sorore domini Rogerii, filii Richardi Antiocheni principis, religiosam et nobilem carne et moribus feminam, jam natu grandævam, sed memoriter hæc tenentem, quod eorum generatio sic erat. Dominus Balduinus de Burgo, secundus Hierosolymorum rex, vir per omnia magnificus (de cujus vita et moribus, et tam dextris quam sinistris eventibus, latius disseruimus, dum de regno ejus tractaremus) et dominus Joscelinus senior, duarum sororum filii fuerant: De domino Balduino nata fuit Milisendis regina : ex Milisende vero nati sunt dominus Balduinus tertius, et dominus Amalricus reges. Item ex domino Joscelino seniore Joscelinus junior, ex quo prædicta Agnes comitissa, domini Amalrici de facto, non de jure, uxor; et tertius Joscelinus, nunc regius senescalcus, et domini regis Balduini, qui hodie regnat, avunculus, nati sunt. Porro, domino Amalrico rege absque conjugio adhuc perseverante, illa statim nobili et magnifico viro domino Hugoni de Ibelin, senioris Baliani filio, Balduini Ramatensis (qui nunc prædictam urbem, post fratrem sine liberis defunctum, possidet) et Baliani junioris, qui viduam domini Amalrici regis hodie habet uxorem, fratri, copula conjuncta est maritali. Eoque defuncto, domino Amalrico adhuc superstite, apud dominum Rainaldum Sidoniensem, domini Gerardi filium, eadem affectione se contulit; cum quo minus licitum, quam cum domino Amalrico prius, dicitur habere contubernium. Nam prædictus pater ejus dominus Gerardus, tanquam utriusque consanguineus (sicut et pro certo erat) consanguinitatem inter prædictas personas esse, sicut a majoribus suis audierat, proprio jure jurando firmavit : unde et secutum fuit divortium, ut prælibatum est.

CAPUT V.

Rex in Ægyptum descendit; cum Dargan soldano pugna committitur. Savar Syraconum introducit in Ægyptum; Dargan ad regem, pacem postulans, legatos dirigit.

Confirmato igitur domino Amalrico in regni solio, primo ejus regni anno, negantibus Ægyptiis annuam tributi pensionem persolvere, quam cum fratre suo pepigerant; congregatis militaribus copiis, et exercitu copioso, Kal. Septembris manu forti descendit in Ægyptum; ubi cum innumera multitudine occurrens ei regni illius procurator, qui lingua eorum soldanus dicitur, Dargan nomine, circa Ægyptum in solitudine cum eo congredi non est veritus; verumtamen nostrorum impetus non valens sustinere, plurimis suorum interfectis, captis nonnullis, in fugam compulsus, in urbem proximam, quæ lingua eorum Belbeis dicitur, cum residuo coactus est se recipere. Timentes autem Ægyptii, ne dominus rex eo con-

Digitized by Google

fecto. ad ulteriora regni cum exercitu suo vellet contendere, nullum aliud arbitrati se habere contra impetus nostrorum remedium, ruptis aggeribus, qui fluvium restagnantem usque ad certa tempora cohibere solent, Nilum, qui jam consueta susceperat incrementa, exuberantem inducunt; ut saltem vel his repagulis nostrorum cohiberent incursus, et se fluminis beneficio restagnantis tuerentur. Dominus vero rex, habito ex hostibus triumpho, rebus feliciter compositis, inde victor in regnum suum cum gloria reversus est. Porro Dargan iste, quem totius Ægypti procuratorem diximus, et soldanum, quemdam alium potentem admodum, Savar nomine, paucis ante diebus ab eadem administratione partim dolo, partim viribus expulerat; qui cum amicis et familiaribus et copiis quas secum potuit deportare, fuga elapsus, ad Arabes contribules suos, auxilium ab eis postulaturus, se contulit. Exspectans igitur rei exitum, et eventum bellorum operiens, latebat apud suos, ut diximus, tempore opportuno aliquid contra æmulum moliturus. Audiens ergo, quod dominus rex in regnum suum redierat, et quod suus adversarius, in sua administratione solito insolentior, et quasi gloriosior, eo quod tantum principem in prælio sustinuerat, quodque regno non multum læso abierat, in eodem principatu potens et fortis perseveraret; ad Noradinum potentissimum principem, Damascenorum regem, properat, implorans ab eo auxilium, quo fretus in Ægyptum rediens, excluso æmulo regnum resumere posset. Cui Noradinus, muneribus et promissis illectus, sperans quod si semel exercitus ejus Ægypti fines posset introire, regnum sibi posset comparare violenter, facilem præbuit assensum; tradensque ei principem militiæ suæ, virum industrium, et in armis strenuum, liberalem supra vires patrimonii sui, gloriæ cupidum, et in re militari admodum exercitatum, militibus charum efficiente munificentia et acceptum, Siraconum nomine, cum ingenti militia direxit in Ægyptum. Erat autem homo jam senior, pusillus statura, pinguis multum et corpulentior, ex humili locupletior factus, et suffragantibus meritis, ex servili conditione princeps constitutus; in altero oculorum habens albuginem; laboris patientissimus, sed et sitim et famem æquanimiter tolerans, supra id quod ætas illa soleat sustinere. Verum intercurrentibus nuntiis, et fama publica soldanus Dargan edoctus, hostem quem prius expulerat, cum infinitis Turcorum millibus adventare, diffidens rebus propriis, ad emendicata recurrit suffragia. Legatos enim cum verbis pacificis, ad dominum regem dirigit, orans et petens contra ingruentes hostes auxilium; tributum autem non solum, quale cum domino Balduino rege fuerat constitutum, verum multo majus, et pro domini regis arbitrio præstandum, pollicens subjectionem perpetuam, fœdusque perenne, firmare datis paratus obsidibus.

CAPUT VI.

Petrus archiepiscopus Tyrensis defungitur; succedit ei dominus Fredericus Acconensis episcopus.

Per idem tempus dominus Petrus, venerabilis Tyrensium archiepiscopus piæ in Domino recordationis, anno prædicti domini regis secundo, mense Martio, prima die mensis, viam universæ carnis ingressus est. Cui intra paucos dies, eodem mense substitutus est, domino rege plurimum ad id aspirante, ejusdem ecclesiæ suffragaueus, dominus videlicet Fredericus, Acconensis episcopus; vir secundum carnem nobilis, corpore procerus admodum, natione Lotharingus, modice litteratus, sed militaris ultra modum.

CAPUT VII.

Dargan soldanus in Ægypto, dolo suorum occiditur. Savar soldanus efficitur. Regem invitat; rex in Ægyptum descendit; Siraconus violenter expellitur.

Dum hæc cum domino rege prædicti legati tractarent, peneque eorum desideriis esset satisfactum, antequam ad propria redirent, prænominati Savar et Siraconus, in Ægyptum cum suis auxiliis jam descenderant; et cum soldano Dargan hostiliter congressi, primo conflictu inferiores, et graviter prostrati; antequam secundo eadem lege convenirent, sæpedictus Dargan, a quodam ex suis clam sagitta percussus, suis lugendus interiit. Quo mortuo, Savar tanquam victor, voti compos, Cahere ingressus, quoscunque de amicis, consanguineis, et familiaribus illius reperire potuit, gladio confossis, iterum sua potitus est dignitate. Nam summo eorum principi pro minimo est, uter de contendentibus aut succumbat, aut obtineat, dummodo non desit, qui sua et regni negotia procuret, et se illius mancipet servituti. Siraconus vero civitatem invadens finitimam, Belbeis nomine, eam sibi quasi propriam cœpit constanter vindicare, significans opere, et fortasse sermone id ipsum contestans, quod reliquas ejusdem regni partes suæ ditioni, si ita daretur, invito soldano et calipha, vellet mancipare. Timens ergo Savar, ne hospitem talem introducendo, suam et domini sui conditionem fecisset deteriorem; neve talem suscepisset, qui tanquam mus in pera, et serpens in gremio, male remuneraret hospites suos; cum omni festinantia legatos et verbum pacis dirigit ad dominum regem in Syriam, qui juxta conventiones inter dominum regem et Dargan soldanum, prius initas, non solum verbo, sed et opere statim adimplerent, et si opus esset, supererogarent ampliora. Pactis igitur hinc inde firmatis, rex cum universo suorum exercitu, anno regni ejus secundo, iter arripiens, descendit denuo in Ægyptum. Ubi occurrens ei Savar cum Ægyptiis, sæpedictum Siraconum in civitate Belbeis, quasi in proprium præsidium se receptantem, obsederunt, diutinaque obsidione et alimentorum inopia fatigatum, ad deditionem compulerunt, interpositis conditionibus, quod cum suis omnibus liberum et

Digitized by Google

sine molestia haberet exitum et reditum ad propria : quod ei concessum est : quo obtento, civitatem deserens, per solitudinem reversus est Damascum.

CAPUT VIII.

Noradinus circa partes Tripolitanas vincitur, et fuga vix nostrorum manus effugit.

Noradinus interea circa partes Tripolitanas, in eo loco qui vulgo appellatur La Bochea, moram faciens, dum prosperis elatus, aliquantulum se gerit incautius, damnum incurrit pene irreparabile. Advenerant illa tempestate quidam nobiles, de partibus Aquitanicis, Gaufridus videlicet, qui cognominatus est Martel, domini comitis Engolismensis frater, et Hugo de Liniziaco senior, qui cognominatus est Brunus, orationis gratia. Hi completis de more orationibus, ad partes se contulerunt Antiochenas. Cognito ergo quod Noradinus circa partes Tripolitanas, in loco supradicto, cum suo exercitu moram faceret, nimisque secure et sine sollicitudine, otio resolutus quiesceret, convocatis militaribus auxiliis, super ejus exercitum irruentes subito, multis captis, pluribus gladio peremptis, exercitum ejus pene usque ad supremam exinanitionem deleverunt. Ille vero relicto gladio et omissis impedimentis universis, nudus altero pede, jumento insidens, confusus nimium et de vita desperans, vix fuga elapsus, nostrorum manus evasit. Nostri vero spoliis et multiplicibus locupletati divitiis, victores, ad propria redierunt. Fuerunt autem hujus expeditionis duces, Gilbertus de Laci, vir nobilis et in armis exercitatus, præceptor fratrum militiæ Templi in partibus illis ; et duo magni prædicti viri, et Robertus Mansel, qui Galensibus in eadem expeditione præerat, et alii pauci.

CAPUT IX.

Noradinus in partibus Antiochenis castrum Harenc obsidet ; princeps Antiochenus, comes Tripolitanus, Calamannus Ciliciæ procurator, capiuntur.

Noradinus autem casu consternatus sinistro, ira succensus, indutus confusione et reverentia, infamiam abolere cupiens, ad ulciscendam suam suorumque injuriam, proximos et amicos sollicitat, universos pene Orientis principes nunc prece nunc pretio supplex invitat, vires reparat, militaria suffragia colligit undecunque. Collectis igitur immensis copiis et innumeris millibus conglobatis, oppidum quoddam nostrum in finibus obsidet Antiochenis, Harenc nomine ; et ordinatis per gyrum, ut mos est, machinis, oppidanos cœpit acriter, nullaque data requie incessanter urgere. Quod factum, postquam principibus nostris innotuit, dominus Boamundus tertius, Raymundi filius, Antiochenus princeps ; dominus quoque Raimundus junior, comes Tripolitanus, Raimundi comitis filius ; Calamannus etiam præses Ciliciæ, domini imperatoris consanguineus, et imperialium in illa provincia procurator negotiorum ; Toros quoque Armeniorum princeps potentissimus, sociatis sibi quæ undecunque potuerunt peditum equitumque suffragiis, ordinatis agminibus et in aciem dispositis, obviam ire festinant, et obsidionem solvere invitis hostibus aggrediuntur. Sane Noradinus, et qui cum eo erant Parthorum principes, communicato consilio, tutius opinantes, obsidione sponte soluta discedere, quam cum hostibus pene jam instantibus incaute congredi, compositis sarcinis, recedere moliebantur : nostri vero nihilominus eis instantes, dato successu et prosperis abutentes, dum eis non sufficit, quod oppidanos obsidione tantorum principum expedierant, dum incautius insequuntur, dissolutisque agminibus, et contra militarem disciplinam passim discurrentibus evagantur, recurrentibus subito, animumque et vires resumentibus Turcis, quibusdam locorum palustrium angustiis comprehensi, primo franguntur impetu ; quibusque prius fuerant formidini, ludibrio satis miserabiliter exponuntur. Profligati enim et fracti, turpiter hostium gladiis, victimarum more, cæduntur. Non est qui vigoris meminerit præteriti, qui paternæ memor virtutis, aut propriæ, propulsare studeat injuriam, aut pro merenda libertate et honore patrio gloriosus decertare ; præcipites ergo, et suæ dignitatis immemores, armis depositis, vitam indigna supplicatione merentur, quam pro patria viriliter decertando, excellentius fuerat impendisse, et exempli ad posteros favorabilis. Porro Toros Armenius videns hostium prævalere cuneos, nostrorum vero e converso acies corruisse, fuga saluti consulens, bellicis se exemit tumultibus. Displicuerat sane ab initio sibi, quod hostes ab obsidione discedentes, fuerant insecuti ; et dissuadere adorsus fuerat, sed prævaluit inutilior aliorum sententia. Dominus autem Boamundus princeps Antiochenus, dominus quoque Raimundus comes Tripolitanus, Calamanus etiam Ciliciæ procurator, Hugo quoque de Liniziaco, de quo superius fecimus mentionem ; Joscelinus etiam tertius, comitis Edessani secundi Joscelini filius, et multi alii nobiles, ut vitæ cum probro et ignominia consulerent, hostibus se tradentes, vinculis tanquam vilia mancipia, miserabiliter alligantur ; et Halapiam traducti, spectaculum facti sunt populis infidelibus et carceribus mancipati. Successibus tandem et prospera nimium fortuna, Noradinus, et qui cum eo erant, erecti castrum quod prius obsederant, confidentius repetunt, et obsidione iterum vallantes, infra paucos dies expugnant et potenter occupant violenter expugnatum. Factum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1165, regni vero domini Amalrici anno secundo, IV Idus Augusti, dum ipse adhuc in Ægypto detineretur propriis negotiis occupatus.

CAPUT X.

Comes Flandrensium Theodoricus in Syriam descendit. Noradinus Paneadem obsidet, et occupat obsessam.

Rebus interea nostris tanta rerum mutatione tamque sinistris eventibus usque ad supremam exinani-

Digitized by Google

tionem pene afflictis, cum neque saltem spei residuum superesset, jam animo consternati, per singulos dies deteriora formidarent universi, ecce comes Flandrensis Theodoricus, domini regis sororius, cum uxore religiosa et Deum timente femina, et aliquanta militum manu applicuit; cujus tanta lætitia suscepit adventum omnis populus, ut quasi post immoderatum solis ardorem, auram gratissimam et præsens remedium videretur suscepisse; sperabant enim, quod ejus freti auxilio, domini regis et Christiani exercitus possent adventum præstolari. Sed hoc qualequale serenum, orta subito nubes caliginosa, mutilavit miserabiliter, et convertit in tenebras. Noradinus enim rebus secundis et casu prosperiore factus sublimior, videns regnum solitis carere solatiis et majoribus regni principibus, quos ipse captivos tenebat, destitutum; ad hoc et dominum regem et militiæ robur abesse universum sumpta ex tempore occasione opportuna, apposuit ut Paneadensem obsideret civitatem. Est autem Paneas urbs antiquissima, ad radicem Libani famosissimi promontorii sita, antiquissimis temporibus et Israelitici populi diebus, Dan dicta; terminus a septentrionali plaga possessionis eorum, sicut et Bersabee ab austro. Unde quoties longitudo terræ promissionis describitur, ducitur *a Dan usque ad Bersabee* (*I Reg.* III, 20). Diebus autem Philippi, senioris Herodis filii, qui erat Tetrarcha Iturææ et Traconitidis regionis, sicut in Luca legitur (cap. III,) qui eam ampliavit in honorem Tiberii Cæsaris, et in perpetuam sui nominis memoriam, Cæsarea Philippi dicta est. Dicitur autem et Paneas; sed nostri Latini corrumpentes nomen, sicut pene omnium aliarum urbium, Belinas vocant. Est autem ab Oriente agro Damasceno contermina, juxta quem fluentorum suorum Jordanis habet originem. Hæc est illa civitas de qua in Evangelio legitur : *Quod venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogavit discipulos suos* (*Matth.* XVI, 13). Ubi et Petrus apostolorum princeps, ob egregiæ confessionis meritum, regni claves cœlestis Domino tradente, suscepit (*ibid.*, 19). Hanc obsidens et immunitam reperiens, absente domino Henfredo regio constabulario et cum domino rege moram in Ægypto faciente, cujus erat hæreditaria possessio, episcopo quoque ejusdem loci absente, populo quoque imminuto, machinis et tormentis bellicis in gyrum collocatis, suffosso muro, turribus assiduo lapidum jactu ex parte maxima debilitatis, intra paucos dies expugnat; eos qui intus erant, ad deditionem compellens, pactis intervenientibus, quod cum rebus suis omnibus egredientes, liberum haberent et pacificum exitum; civitatem recepit, anno ab Incarnatione Domini 1167. Regni vero domini regis Amalrici anno secundo, XV Kal. Novembris. Commiserat autem eamdem civitatem, in Ægyptum proficiscens dominus constabularius, cuidam militi fideli suo, qui dicebatur Galterus de Quaisneto, quem in custodia loci quidam dicunt negligentem fuisse. Addunt etiam, et in dedi-

A tione cum quodam sacerdote Rogerio nomine, qui canonicus erat illius ecclesiæ, sumpta pecunia, malitiose versatum; unde et in reditu domini regis ex Ægypto, timuerunt admodum, verentes ne imputaretur eis ad mortem. Nos autem horum nihil pro certo compertum habemus, nisi hoc, quod civitas illa hostibus tradita est.

CAPUT XI

Rex ab Ægypto rediens, Antiochiam proficiscitur. Princeps data pro se pecunia restituitur libertati. Spelunca Sidoniensis hostibus traditur. Item transJordanem aliam speluncam hostes accipiunt.

B His interea sic gestis in Syria, dominus rex, Siracono de Ægypti finibus excluso, Savar vero soldano in administratione sua confirmato, ad propria cum gloria victoriosus remeavit : ubi, etsi ita prius audierat, compertis quæ in regno acciderant tristibus, et calamitatibus ex integro cognitis, vocatus ab Antiochenis ut rebus eorum pene desperatis subveniret, vocantibus eis fraterna miseratione compatiens, assumpto secum comite Flandrense, maturatis itineribus Antiochiam properat, eorum afflictioni optata solatia præstiturus. Adveniens ergo, præsensque factus, negotia domini principis tanta diligentia, tantaque sollicitudine, quanta vix propria tractare consueverat, fideliter prudenterque administrans, nobiles et plebeios multa mansuetudine providoque moderamine regens; dispositisque per urbes singulas prudentibus viris, qui res ad dominicalia principis pertinentes, bona fide sanoque consilio C procurarent; ad propria reversus, non desinens tamen, sed cum ejusdem fidelibus et amicis satagens, de ejusdem redemptione tractare. Effectum est autem per ejus industriam, quod in eadem æstate, multo tamen interveniente pretio, vix per annum integrum apud hostes detentus, libertati simul et honori pristino restitutus est; qui Antiochiam reversus, non quievit deses, sed vivacitate qua potuit, ut obsides quos dederat soluto pro eis pretio, recipere non moraretur, ad imperatorem Constantinopolitanum festinat, qui paucis ante diebus sororem ejus juniorem Mariam uxorem duxerat. Unde ab eo honorifice susceptus, benigne tractatus, munificentissime donis imperialibus cumulatus, in- D tra paucos dies Antiochiam est reversus. Videtur autem mirum, quod Noradinus tam prudens, tamque providus princeps; et qui captivos nostros tam invitus a suis dimittebat carceribus, et in hoc maxime gloriabatur, quod multos ex nostris, et præsertim nobilibus, suis haberet vinculis mancipatos, cui Antiochenum principem tam cito permisit libertati restitui. Super quo duæ nobis occurrunt solutiones : vel quia domini imperatoris preces timebat, ne forte gratis ab eo dominus imperator vellet eum habere, cui aliquid tale negare verecundaretur; vel quia cum esset juvenis, nihilque bonæ spei de se promitteret, verebatur ne si diutius eum teneret, Antiocheni fortiorem subrogando, sibi consulerent, et ei durior objiceretur adversarius; tutius enim

Digitized by Google

videbatur viro discreto, et circumspecto plurimum, quod hic, de quo non multum bene sperabatur, Antiochenæ præesset provinciæ, quam vice ejus aliquis prudentior robustiorque eamdem administraret regionem, cum quo periculosius esset negotia partiri. Hæc nobis videtur viri vigilantissimi mens fuisse.

Eadem tempestate, Siraconus, unde sæpius fecimus mentionem, vir in nostram argumentosus perniciem, municipium quoddam nostrum in territorio Sidoniensi situm, speluncam videlicet inexpugnabilem quæ vulgo dicitur Cavea de Tyrum, corruptis, ut dicitur, pretio custodibus, subitis et improvisis occupat machinationibus. Argumentum est, quod per consensum illorum quibus custodienda tradita fuerat, in manus hostium devenisset, quia statim tradito municipio, qui intus erant, omnes ad hostium fines declinaverunt, excepto eorum domino, qui casu fortuito comprehensus, suspendio apud Sidonem, vitam infelicem finivit.

Eodem anno, dominus Willelmus inclytæ recordationis, Siciliæ rex, domini Rogeri regis filius, extremum clausit diem, morte præventus.

Per idem quoque tempus, ejusdem generis præsidium, spelunca iterum inexpugnabilis, ultra Jordanem in finibus Arabiæ situm, fratrum militiæ Templi diligentiæ deputatum, eidem Siracono traditur; ad quam eripiendam dominus rex properans cum multa militia, dum supra Jordanem castrametatus esset, recepit nuntium, quod præsidium in manus jam devenerat inimicorum; quo audito, dominus rex confusus et ira succensus, de fratribus Templi, qui hostibus castrum tradiderant, patibulo fecit suspendi circa duodecim. Sicque rebus nostris eo anno, qui erat regni domini Amalrici tertius, peccatis nostris exigentibus, plurimum accessit detrimenti; ita ut regnum universum in arcto nimis esset constitutum.

CAPUT XII.

Describitur compositoris hujus historiæ in patriam reditus; et de ejus processu aperiuntur nonnulla. Siraconus in Ægyptum descendit, multam secum trahens militiam.

Dum hæc circa nos aguntur, rumor frequens personuit, et fama celebri divulgabatur, quod sæpe dictus Siraconus cum magnifico apparatu, convocatis infinitis militibus, ab orientali et septentrionali tractu, in Ægyptum denuo parabat descensum; nec erat vana opinio. Adierat enim illum maximum Saracenorum principem, qui quasi singularis monarcha, cunctis excellentior, omnibus præesse intelligitur, *calipham*, videlicet de Baldac; ad quem perveniens, exhibita solita reverentia, cœpit exponere diligenter, innumerabiles Ægypti divitias, bonorum omnium, et singularium commoditatum copias admirabiles; principis illius inæstimabiles thesauros, census, vectigalia, de terrestribus et maritimis urbibus, annuas obventiones quantitatis infinitæ; ad hæc populum deliciis deditum, rei militaris expertem, longa quiete dissolutum; adjiciens et inculcans et ad memoriam frequenter revocans, quomodo tam hic, qui modo regno illi præerat, quam ejus progenitores, contra eum suosque prædecessores sedem sibi erexerant æmulam, singulari eorum excellentiæ imprudenter se parificantes; quod etiam legem aliam, contradictoriasque traditiones docere præsumpserant. Ilis et aliis caliphæ animæ reverberans, quæ intendebat persuasit. Scripsit ergo universis erroris sui principibus, districte præcipiens, ut vires conferant, impendant auxilium, eumque sequantur. Audiens hæc dominus Amalricus, volens illius molimina prævenire, curiam apud Neapolim convocat generalem; ubi præsentibus domino patriarcha, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum prælatis, principibus et populo, necessitates regni docet ex ordine, omnium suppliciter implorans auxilium. Decretum est ergo, et communi voto susceptum, ut omnes generaliter, nemine excepto, ad regni subsidium, universarum rerum mobilium decimas darent; quod et factum est. Rumor interim erat non remissior, quod procul dubio Siraconus, sumptis necessariis ad dies multos alimoniis, utribusque aquam deferens, per solitudinem, *qua populus* Israel ad terram venerat promissionis, iter arripuerat. Rex autem collectis, quos habere poterat, militibus, obviam exiens, usque ad Cadesbarne, quæ est in solitudine, cum omni celeritate properat, ut euntem impediret; eoque non invento, celerius revertitur.

CAPUT XIII.

Rex Siraconum subsequens, similiter descendit in Ægyptum, Ægyptiis auxilium ministraturus.

Convocatis ergo ex urbibus singulis per vocem præconiam, tam equitum quam peditum viribus universis, et apud Ascalonam unanimiter congregatis, III Kal. Februarii, cœptum aggredientes iter, assumptis sibi ad dies constitutos necessariis alimentis, vastitatem solitudinis, quæ interjecta est media inter Gazam, ultimam regni nostri civitatem, et Ægyptiacam diœcesim, recensito suorum numero, et novissimis exspectatis, apud Laris, antiquissimum ejusdem solitudinis oppidum, maturatis transeunt itineribus; tandem apud eam quæ hodie dicitur Belbeis civitatem, unde frequentem fecimus mentionem, quæ olim dicta est Pelusium, cujus frequens memoria est in prophetis, universus applicat exercitus. Cognito ergo domini regis adventu, Savar soldanus, de subito nostrorum stupefactus occursu, timens ne adversus eum strueretur omnis apparatus et de fide nostrorum dubitans, formidine nimia corripitur; nam, licet alias vir prudens et industrius, providusque plurimum haberetur, in ea tamen parte tam supinus, tamque crassa laborans ignorantia repertus est, ut viæ causam nostrorum edoctus, vix crederet; peneque sero, lentusque miserit exploratores per solitudinem, qui ei certa de hostium exercitu nuntiarent. Redeuntes autem qui missi fuerant, Turcorum expeditiones, ad eum lo-

Digitized by Google

cum qui dicitur Attasi, pervenisse denuntiant. Tunc vero soldanus fidei nostræ admirans, et laudibus attollens sinceritatem, diligenter considerans, quantam pro amicis sollicitudinem Christianus impendisset exercitus, universas regni et caliphæ, regis obsequiis exponit divitias, universorumque mandatorum ejus sedulum ab illa die se præbuit exsecutorem; ejusque dominus rex, ad omnia necessariis utebatur ministeriis.

CAPUT XIV.

Describitur Cahere; et quis ejus loci primus fundator fuerit, aperitur.

Transeuntes igitur Pelusium et Cahere, ubi regni solium et totius Ægypti culmen magnificis decoratum ædificiis monstratur, ad lævam habentes nobilem et egregiam metropolim, quæ vulgo Babylonia dicitur, lingua vero Arabica Macer appellatur, supra ripam fluminis castra locaverant. Hujus civitatis nomen non potuimus reperire antiquius; nam Babylon, sive Babylonia, civitas fuit antiquissima in Oriente. Juxta enim veteres et vetustissimas etiam historias, nulla unquam in Ægypto hujus nominis audita est civitas. Unde verisimile est, post tempora Pharaonum, qui primi in Ægypto regnaverunt, et Ptolemæorum qui posteriores; sed etiam post Romanorum tempora, qui regnum Ægypti in provinciam redegerunt, hanc urbem conditam, sicut de Cahere constat, quod Johar princeps militiæ Mehezedinalla, qui tunc in Africa regnabat postquam domino suo Ægyptiacam omnem diœcesim acquisivit, fundasse dignoscitur : quod qualiter acciderit, in sequentibus dicemus. Aliqui tamen confidenter asserunt, quod ista sit illa antiqua et nobilis et famosissima Memphis, cujus in veteribus historiis et in prophetis multa est memoria, quæ totius regni illius, et multarum finitimarum provinciarum caput et moderatrix dicitur fuisse. Usque hodie tamen, ultra Nilum, qui hanc, de qua loquimur, urbem præterfluit, quasi ad decem milliaria apparet urbs annosa, infinita, vetustæ nobilitatis et eximiæ magnitudinis argumenta præferens; quam etiam incolæ regionis Memphim veterem fuisse, pro certo asseverant. Probabile est ergo, aut necessitate compulsum, aut majoribus commoditatibus tractum, Mempheos populum, citra flumen domicilia transtulisse, nomenque vel tunc, vel postea, mutasse priscinum. Cæterum fixum tenemus, quod Johar, ut supra diximus, qui exercitibus magni principis Mehezedinalla, ad expugnandam Ægyptum ab Africa missus fuerat, juxta hanc eamdem civitatem, subacta universa regione et populis tributariis constitutis, Cahere construxit, quasi dominio suo præcipuum futurum et familiare domicilium, anno a regno Mehemet trecentesimo quinquagesimo octavo; quem Mehezedinalla tertio postea anno, relicta Carea, ubi regni sui sedes per aliquot annos fuerat, secutus, juxta principis sui dispositionem, prædictum locum regni solium constituit, et domestica inhabitatione reddidit gloriosum, anno a regno Mehemet trecentesimo sexagesimo primo, regni vero sui vicesimo; sicut alibi in historia, quam de principibus Orientalibus contexuimus, diligentius est digestum.

CAPUT XV.

Accedenti Siracono, rex occurrit obviam; ille regem præveniendo, transit flumen.

Locatis igitur nostris super ripam fluminis, vix a prædicta urbe stadiis duobus, communicato consilio libratisque multa deliberatione partibus, potissimum ducunt Siracono suisque antequam fluvium transeant, occurrere; eumque regni finibus arcere, quam flumine transmisso cum eis conserere, quos postea ipsa remeandi difficultas redderet acerbiores. Solutis igitur castris, ad locum ubi hostes esse dicebantur, festinant. Is autem ab eo, ubi nostri prius castrametati fuerant, quasi milliaribus decem dicebatur distare. Postquam vero ad prædictum conveniunt locum ipse jam tanquam dux vigilantissimus, cum universo pene exercitu flumen transierat, paucis relictis, quos nostri capientes, vinculis alligarunt. Interrogati tamen de transitu ejus, de militum numero, de multis necessariis nostros instruxerunt : quiddam sane quod nostris erat incognitum, eorum patuit relatione; videlicet, quod in solitudine, postquam Syriam Sobal transierant, oborto subito ventorum turbine immanissimo, tantus ex arena pulvis in modum nubium et densæ caliginis per aera dispersus est, ut oculos, vel ora, ut sibi colloquerentur, qui in exercitu erant, aperire omnino non auderent, de equis descendentes, ad terram prostrati, manibus quanto altius arenæ imprimere poterant adhærentes solo, ne vi turbinis raperentur in sublime, iterum ad terram recasuri. Solent enim in illa solitudine instar maris, arenarum quasi quidam fluctus attolli deponique, in modum procellarum; ita ut non minus quam per aquas navigantibus, periculosum sit, per illa et importuna loca transire. Amissis ergo camelis et alimentorum parte maxima, vix de vita sperantes, exstinctis pluribus, multis etiam per vastitatem late patentium arenarum dispersis, reddita demum aeris clementia, incertis itineribus, magis deviantes quam de via certi, post dies aliquot, ut prædictum est, pervenerunt in Ægyptum. Porro videns exercitus noster, quod ille cum suis flumen transierat, recursa per quam venerant via, juxta eamdem urbem, quam prius dimiserant, super fluminis ripam castra iterum locaverunt.

CAPUT XVI.

Savar soldanus, ut regem detineat, pactis innovatis, elaborat.

Videns igitur soldanus, quod hostem infra regni præcordia susceperat, quem nullatenus aut sustinere, aut a regni finibus nisi per dominum regem poterat expellere sollicitus erat, quo pacto dominum regem posset in Ægypto detinere; verebatur enim, ne laboris immensitate fatigatus, redire ad propria disponeret; nec alia ratione, quod dominus

Digitized by Google

rex in terra moram faceret, posse fieri penitus illi videbatur, nisi major ei tributorum summa statueretur, et sufficientes sibi et suis principibus designarentur impensæ. Placuit ergo sibi, et id ipsum nostris visum est expedire, vetera innovare pacta, pacisque perpetuæ fœdera inviolabili stabilitate inter dominum regem et calipham firmare; annua quoque, tributi ampliata possessione, domino regi certa stipendia de ærario caliphæ constituere. Videbatur enim res non facile finem habitura, sed laboris exigere diuturnitatem, et temporis plurimum postulare. Conventionum autem et facti hujus mediatores, prætentatis hinc inde partium desideriis et voluntate prægnita, decernunt domino regi quadringenta aureorum millia; ducenta millia statim solventes, reliqua ducenta millia, placitis temporibus sine difficultate soluturos se spondentes, ea conditione, eoque tenore: *Quod dominus rex bona fide, sine fraude et malo ingenio, propria manu firmaret, quod regno Ægypti non egrederetur, nisi prius Siracono, omni ejus exercitu penitus exstincto, aut de omnibus Ægypti finibus expulso.* Placuit autem partibus conditio. Dominus rex his qui a calipha missi fuerant, super placitis conventionibus dexteram dedit. Missus est autem dominus Hugo Cæsariensis, miræ prudentiæ juvenis, et supra id quod solet ætas illa ministrare, circumspectus, et cum eo quidam alii, in cujus manu calipha, juxta consonantiam placitam pacta firmaret; non enim sufficiens videbatur, si in eo soldanus se solus obligaret.

CAPUT XVII.

Mittuntur ad caliphæm qui fœdus innovent; et describitur regiæ domus magnificentia.

Et quoniam singularem, et sæculis nostris incognitam habet illa principis domus consuetudinem, libet diligenter adnotare, quæ fida relatione eorum qui ad illum tantum principem sunt ingressi, de statu et magnificentia, et immensitate divitiarum, et gloriæ multiplicitate, comperimus; non enim erit minimum profecisse, hæc intellexisse diligentius. Prædictus ergo Hugo Cæsariensis, et cum eo Gaufridus Fulcherii frater militiæ Templi, in principio obeundæ legationis, ducente soldano, Cahere ingressi, ad palatium, quod lingua eorum Cascere dicitur, ascendentes cum apparitorum numerositate maxima, qui cum gladiis et strepitu præcedebant, per angiportus, et loca luminibus egentia ducti, ad singulos introitus armatorum Æthiopum cohortes crebræ salutationis officium certatim soldano exhibentes, repererunt. Transeuntes autem primam et secundam custodiam ad quædam diffusa et magis spatiosa loca, soli pervia et divo exposita, intromissi, deambulatoria inveniunt, columnis subnixa marmoreis, auratis laquearibus et prominentibus celata operibus, pavimento strata vario, ita ut omni suo ambitu, regiam prætenderent dignitatem; quibus tanta inerat materiæ et operis elegantia, ut transeuntium etiam invitos detinerent oculos, et quadam videndi aviditate, invitante operum eximia novitate, intuentium aspectus non sinerent satiari. Erant ibi piscinæ marmoreæ, aquis redundantes limpidioribus; erant avium multimodarum, quas noster non novit orbis, varii garritus, formæ incognitæ et coloris peregrini, figurarum quantum ad nos prodigiosarum, cuique gustus juxta speciem suam, et edulium cuique varietati eorum consentaneum. Inde ad ulteriora, prævis eunuchorum principibus, admissi, iterum ædificia tanto prioribus elegantiora inveniunt, quanto quæ prius viderant vulgaribus et usitatis præstantiora videbantur. Hic quadrupedum stupenda varietas, qualem pictorum solet manus lasciva depingere; qualem solet poetica licentia mentiri, aut somniantis animus visionibus imaginari nocturnis: qualem orientis, et austri solent diœceses ministrare; occidens autem videre nunquam, audire vero rarius consuevit. Videbatur procul dubio, quod ex iis locis, Solinus noster Pulystoris sui deduxerit historiam.

CAPUT XVIII.

Complentur pacta; et in eorum confirmationem calipha dexteram dat Hugoni Cæsariensi.

Et jam per multos anfractus et varia diverticula, quæ etiam negotiosos poterant sui contemplatione detinere, ventum est ad ipsam regiam, ubi majores armatorum cunei, satellitum quoque stipatus numerosior, habitu et frequentia domini gloriam incomparabilem fatebantur; ipsa quoque locorum facies domini opulentiam, et supereminentes divitias prætendebant. Ingressis porro eis et in interiorem partem palatii admissis, soldanus de more consuetam domino exhibens reverentiam, semel et secundo humi prostratus, quasi nemini debitum cultum, et quoddam adorationis genus cœpit supplex impendere; tertio iterum prostratus ad terram, gladium quem de collo gerebat suspensum, deposuit. Et ecce subito contractis mira velocitate velariis, margaritarum varietate auroque contextis, quæ media dependebant, et obumbrant solium, revelata facie, throno sedens aureo, habitu plus quam regio, paucis circa eum de domesticis et familiaribus eunuchis, apparuit calipha. Tunc accedens cum omni reverentia soldanus, sedentis pedibus osculum humiliter imprimens, adventus legatorum causam et tenorem pactorum, regni etiam urgentissimam necessitatem, hostes imminentissimos in mediis astare visceribus; quid etiam ab eo exigatur, quidve ei a domino rege impendatur, sub verborum compendio aperit. Ad hæc ille benigne multum et placida tranquilli vultus hilaritate respondit: se juxta initas et utrinque admissas conventiones, dilecto suo domino regi, larga interpretatione cuncta adimplere paratum esse. Petentibus nostris, ut hæc propria manu firmaret, sicut dominus rex fecerat; prima facie visi sunt, qui ei familiarius astabant, auriculares et cubicularii, penes quos consiliorum regiorum erat auctoritas, rem nimis tanquam in sæculis inauditam, abhorrere; tandem vero, post multam deliberationem, et soldani diligentem instantiam,

Digitized by Google

manum porrigit, invitus nimium, sed velatam; cui prædictus Hugo de Cæsarea, multum admirantibus et stupentibus Ægyptiis, quod tam libere summo principi loqueretur, dixit: *Domine, fides angulos non habet; sed in fide media, per quam se solent obligare principes, omnia debent esse nuda; et aperta cum sinceritate, et colligari, et solvi convenit universa; quæ fidei interpositione, pactis quibuslibet inseruntur. Propterea aut nudam dabis, aut fictum aliquid, et minus puritatis habens, ex parte tua cogemur opinari.* Tunc demum invitus plurimum, et quasi majestati detrahens, subridens tamen, quod multum ægre tulerunt Ægyptii, dexteram suam in manum domini Hugonis nudam præbuit, eumdem Hugonem, pactorum formam determinantem, eisdem pene syllabis sequens tenorem conventorum bona fide, sine fraude et malo ingenio se observaturum contestans. Erat autem, sicut dominus Hugo nobis retulit, juvenis prima pubescens lanugine, fuscus, procerus corpore, facie venusta, liberalis plurimum, innumeras habens uxores; nomen ejus Elhadech, filius Elfeis. Quibus dimissis, regiæ liberalitatis insigne, munera legatis dirigit, quæ tantum principem sua quantitate et specie commendarent; ut a facie tanti principis jucundum haberent egressum et ad suos remitteret lætiores.

CAPUT XIX.

Dicitur quare princeps Ægyptius dicatur Mulene.

Et quoniam de magnificentia ejus, secundum quod audivimus ab his qui viderunt et oculata fide inspexerunt, dictum est, de nomine quoque dignitatis, et ortu et processu ejus, quantum nobis nosse datum est, tum ex lectione veterum historiarum, tum ex multorum veridica relatione, in medium proferamus; non enim erit absque historiæ compendio, in hac parte lectorem reddidisse doctiorem. Princeps igitur Ægyptius, apud suos duobus appellatur nominibus; dicitur enim calipha, quod interpretatur *successor* vel *hæres*; eo quod summi eorum prophetæ vicem et successionem, jure teneat hæreditario. Dicitur et Mulene, quod interpretatur *Dominus noster*. Posterioris nominis ratio inde videtur traxisse initium, ex quo Joseph noster, tempore Pharaonis omnem Ægypti regionem, vendentibus Ægyptiis præ angustia famis possessiones suas, emit; subjecitque eas Pharaoni, et cunctos populos eos a novissimis terminis Ægypti, ad extremos fines ejus, dicens agrorum cultoribus: *Quintam partem regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in sementem, et in cibos familiis vestris et liberis.* Emit ergo prius possessiones, deinde personas; unde est quod arctiore vinculo tenentur Ægyptii domino suo, et amplius sunt ei obligati, quam aliarum habitatores regionum magistratibus suis. Quippe qui et eos et eorum possessiones pretio interveniente comparavit: unde et servili nexu, et extrema conditione ei tenentur annexi. Ita ergo per optimi procuratoris sui egregiam sollicitudinem temporibus Pharaonum, deinde Ptolemæorum, et postea temporibus Romanorum, qui eam more aliorum regnorum redegerunt in provinciam, consuetudo hæc obtinuit, ut servi sint Ægyptii et ea reverentia consueverint appellare. Nihilominus autem et veteris consuetudinis portio est, quod idem princeps otio vacans perpetuo, et deliciis deditus, tumultuum ignarus, et sollicitudinis expers, procuratorem habet, qui universa administrat regni negotia, tanquam alter Joseph; et potestatem gladii, et omne vice-domini jus implet. Hic soldanus dicitur, et in hac administratione erat Savar, unde nobis verbum est tam frequens.

CAPUT XX.

Subjungitur quare idem ipse dicatur calipha; et quo modo sit adversarius Baldacensi caliphæ.

Prioris autem nominis hæc est ratio: Mehemeth propheta eorum, imo subversor, qui primus Orientales populos ad hujusmodi traxit superstitionem, successorem habuit statim post se quemdam de cooperatoribus suis, Bebecre nomine. Post quem successit in regno Homar, filius Chata; post hunc Vhemen; post quem Hali, filius Bithaleb. Hi omnes dicti sunt caliphæ, sicut et deinceps omnes qui eis successerunt; eo quod eorum magistro præcipuo successerunt, et ejus erant hæredes. Iste tamen ab eo quintus, Hali videlicet, cum esset cæteris qui eum præcesserant, magis in armis strenuus et in re militari supra homines illius temporis exercitatus, et ipsius Mehemet patruelis, indignari cœpit plurimum, quod illius diceretur successor; et non magis propheta eximius, et multo major illo haberetur. Nec satis visum est ei ita de se, vel se, vel alios opinari, nisi et id ipsum publice prædicaret; adjecit etiam illud blasphemiæ plenum dicere et per vulgus disseminare, quod angelus legis lator Gabriel, ad se missus fuerat divinitus; sed errore deceptus eam Mehemet contulisset: unde fuit graviter a Domino correptus. Hæc, etsi absona quibusdam eorum et ab eorum traditionibus multum dissentire videbantur, invenit tamen populum qui sibi crederet; sicque in gente illa, exortum est schisma, quod postea non defecit usque in præsentem diem, aliis dicentibus Mehemet majorem esse, et omnium eximium prophetarum, et hi lingua eorum dicuntur Summi; aliis dicentibus, Hali solum esse prophetam Domini, et isti dicuntur Ssia. Occisus est autem prædictus Hali, et obtinuit pars adversa principatum, et fuit penes sequaces Mehemet monarchia in Oriente; et alios contrariæ opinionis viros opprimebant, tanquam potestatem habentes. Anno igitur 286 a regno sæpedicti seductoris, surrexit vir quidam nobilis, nomine Abdalla, filius Mehemet filii Japhar, filii Mehemet, filii Hali, filii Hussen, filii Hali majoris, de quo præmisimus. Hic egressus de Selemia civitate, quæ est in Oriente, transivit in Africam, et occupatis universarum illarum partium regnis, vocavit se Mehedi, quod interpretatur *complanans*; quasi qui universa ad quietem dirigit, et sine offendiculo vias populo effecit planiores. Ædificavitque civitatem de nomine suo maximam, Mehediam,

Digitized by Google

quam regnorum suorum voluit esse caput et supereminentem metropolim. Hic, classe ordinata, cepit Siciliam, et quasdam Italiæ partes depopulatus est. Hic primus omnium post Hali atavum suum, ausus est dicere et se nominare calipham; non quod Mehemeth se diceret successorem, quem exsecrabatur; sed maximi et eximii prophetæ Hali, de cujus stirpe descenderat, ut præmisimus. Ausus est etiam nihilo minus in Mehemeth et sequaces ejus, maledicta publice jaculari, et alium ritum, aliumque modum orandi tradidisse. Hujus abnepos Ebuthemin, cognomento Elmehedinalla, subjugata sibi Ægypto, per Johar principem militiæ suæ, constructoque Cahere, quod interpretatur *vincens*, eo quod domini eorum præcipui et summi principis omnia vincentis, futurum erat domicilium; egressus de Caroea, quæ est in diœcesi Africana, in qua prædecessores ejus quatuor habitaverant, descendit in Ægyptum et prædictum locum constituit regni solium. Ab illa igitur die usque in præsens, non defuit caliphæ Orientali, qui tot annis fuerat monarcha, æmulus in Ægypto regnans, cum eo de paritate contendens, imo etiam se præferens. Hæc si quis plenius scire voluerit, illam legat historiam, quam de Orientalibus principibus et eorum actibus, a temporibus prædicti seductoris Mehemet, videlicet per annos quingentos septuaginta septem, usque in præsentem diem, qui est annus ab Incarnatione Domini 1182, cum multa scripsimus diligentia, instante et rogante domino Amalrico inclytæ memoriæ et exemplaria Arabica ministrante.

CAPUT XXI.

Rex super Nilum pontem ædificat. Siraconus in Insulam descendit; rex eum insequitur.

Pactis igitur, ut prædiximus, renovatis, et utrinque ad consonantiam redactis, ad opus conceptum unanimiter se accingunt, parati hostem insequi, et de regno expellere universo. Nox interim irruens, causam porrexerat quietis; mane facto, rerum inveniunt aliquam mutationem. Nam Siraconus illa nocte veniens, supra ripam fluminis ejusdem oppositam, e regione nostri exercitus castra posuerat. Comportatis igitur navibus et trabibus palmaceis, quales illa regio consuevit habere, dominus rex pontem præcipit ordinari; jungebantur naves binæ, defixisque anchoris, reddebantur stabiles; desuperque trabibus ordinatis terra supponebatur; demum turribus ligneis, machinis supererectis, armabantur. Sicque per dies aliquot, usque amnis medium, productum est opus; nam reliquum exsequi, et ad ulteriorem ripam procedere, hostium formido vetabat. Hic jam per mensem et eo amplius omnis belli eventus, suspensus tenebatur, nostris non valentibus amnem transire; hostibus non audentibus, ne nostri a tergo irruerent, ulterius evagari. Dum hæc circa Cahere aguntur, misit Siraconus partem de suis qui insulam, quæ vicina erat, omnibus referta copiis, si possent occuparent, et nostros aliquando illuc descensuros prævenirent; quod et factum est. Sed postquam domino regi innotuit, hostes in insulam descendisse, misit illuc dominum Milonem de Planci, et Chemel soldani filium, cum parte militiæ; qui ad insulam tandem pervenientes, Turcos in ea reperiunt, in loci illius habitatores immanissime sævientes; quibus tandem facti obviam, conmisso inter eos prælio, viriliter hinc inde pugnatum est. Sed tandem nostri, juvante Domino, superiores facti, compulerunt eos in flumen proximum se dare præcipites; ubi qui gladios evaserant, submersi sunt in aquis vehementibus. Perierunt ergo ex eis illa die variis casibus equites quingenti. Quod postquam Siracono nuntiatum est, cœpit de proposito amplius diffidere, animo plurimum consternatus. His ita se habentibus, quidam de nostri regni principibus, Henfredus videlicet de Torono, regius constabularius, item Philippus de Neapoli, qui cum domino rege ex causis familiaribus, moram domi facientes, egressi non fuerant, cum multa velocitate exercitum secuti, castris nostris se applicant; quorum adventum cum multa hilaritate et plausu nostræ susceperunt cohortes. Erant enim viri fortes et in armis strenui, in re quoque militari a primis annis plurimum exercitati. Inito ergo consilio, deliberant quid facto sit opus; tandemque communi voto decernunt, classem universam intempestæ noctis silentio, clam hostibus in insulam, quæ inferius erat, vix octo milliaribus ab eo loco, in quo castra erant, remota, deducere; exercitumque omnem, circa primam noctis vigiliam, illuc transfretare; eo videlicet intuitu, ut hostibus ignorantibus, flumine transito, de nocte super incautos irruerent, damna quanta possent irrogaturi. Mandatur ergo exsecutioni consilium, et classis, nescientibus adversariis, ad prædestinatum locum descendit. Exercitus vero cum summo silentio sequens, et navibus subito transvectus, insulam occupat; et dum alteram fluminis partem, eodem modo, juxta condictum exsuperare nituntur, exorto repente ventorum turbine, opus implere prohibiti sunt; unde et in ea parte, quæ ulteriorem ripam respicit, castrametari coacti sunt. Reliquerunt tamen de nostris, qui pontem cœptum perficiant, et perfectum tueantur; eisque præficiunt dominum Hugonem de Ibelin, virum magnificum et potentem qui, ut prædiximus, relictam domini regis uxorem duxerat.

CAPUT XXII.

Describitur insula, et quot et quibus ostiis mare ingrediatur Nilus. Nostri ejectis hostibus insulam occupant; fugit Siraconus in solitudinem.

Insula hæc, unde nobis sermo est, apud eos Maheleth dicitur, bonis omnibus copiosior, et gleba uberi lætissima, ex divisione fluentorum Nili fit; ibi enim dividitur fluvius, partes, quas ab invicem separat, usque ad mare iterum non recepturus; sed tamen iterum non conveniens, quatuor ostiis mari se immiscet. Prima pars quæ nostram Syriam respicit, inter duas antiquissimas urbes maritimas mare ingreditur, inter Tafnim et Pharamiam; sed

Digitized by Google

alterius ædificiis vicinior, locum præterfluendo alluit; ab altera aliquantulum, quasi milliaribus tribus aut quatuor, distat; secunda apud Damiatam, urbem antiquam et nobilem, fretis adjungitur; tertia apud Sturionem; quarta apud Ressith (qui locus Alexandriæ conterminus est, vix ab ea distans milliaribus quatuor aut circa id) marinis fluctibus excipiuntur. Quærentibus sane nobis et investigantibus diligenter, nulla alia amnis hujus occurrunt ostia; unde miramur plurimum, antiquos Nilum septemfluum dixisse, quasi septem ostiis mare ingrediatur. Nec aliud nobis pro solutione occurrit, nisi aut serie sæculorum antiquissima locorum faciem alteratam, fluviumque, sicut aliis etiam amnibus solet crebrius accidere, alveum mutasse; aut pristinæ ætatis viros, rei veritatem non esse assecutos; aut fortasse exuberante flumine, et solitis incrementis facto redundantiore, vias præter ista quatuor, tumoris sui tempore, aquarum decursus reperit, per quas postmodum infra alveum receptus, pelagus desinit introire; quas si quæ sunt, quia juges non habent aquas, sed more torrentium, certis tantum temporibus defluunt, inter ostia non computavimus. Occupata igitur insula, minor pars fluminis restabat; jamjamque inclarescente die, hostes sommo soluti, nostros videntes abiisse, classe abducta, ad arma convolant, subitum nostrorum timentes incursum. Inde cum celeritate secuti, secus fluvium agmina trahentes, nostros conspiciunt insulam occupasse, eamque quæ transeunda restabat fluminis portionem, classe immissa quasi propriam vindicare. Castra igitur locant ex adverso, longe tamen a crepidine alvei aliquantulum, unde non habebant prorsus liberum ad aquas accessum; unde etiam equos adaquatum trahentes, inferius descendebant. Sequenti igitur die, propositum fuerat modis omnibus fortunam tentare et aperire ferro viam; cum ecce nocte illa, nobis ignorantibus, hostes descendunt; mane autem facto, videntes eos abiisse, flumine celerius transmisso, hostes insequi nostri festinant. Hic sane, accelerandi gratia, quo expeditius equites proficiscerentur, relictis pedestribus auxiliis, dominus rex cum solis equitibus ad iter accingitur. Dimisit tamen dominum Hugonem de Ibelim, et Chemel soldani filium cum multa tum nostrorum tum Ægyptiorum militia, qui Cahere, pontemque quem nostri perfecerant, a subitis hostium incursibus tuerentur. Hic traditæ sunt nostris turres et universæ nobilis illius urbis munitiones, domusque caliphæ nostris hactenus incognita, eis pervia facta est, ita ut et ipse dominus et omnis ejus familia, salutis spem omnem in nostris tantum haberent. Tunc revelata sunt nostris illa Sancta sanctorum a sæculis abscondita; et stupenda prius, et paucis familiaria patuerunt arcana. Misit etiam dominus rex Gerardum de Pugi, et alterum soldani filium, Mahadam nomine, in ulteriorem fluminis ripam, iterum, cum utriusque gentis expeditione; qui si forte hostes amnem transire tentarent, ipsi eorum conatibus reniterentur. Depositis igitur, ut prædiximus, ex maxima parte impedimentis, dominus rex hostem insequitur, contra decursus aquarum; ipsa enim regionis forma, certum dabat insequentibus de hostium itinere argumentum.

CAPUT XXIII.

Describitur Ægypti regio, et qualis sit aperitur.

Omnis enim Ægyptiacus tractus, a prioribus auspiciis suis, quibus Æthiopum regioni continuari dicitur, inter duas solitudines jacet arenosas, perpetua sterilitate damnatas; nec aliquando sentit aut præstat fructuarios proventus, cujuscunque generis, nisi quantum de beneficio exuberantis Nili, certis temporibus fecundatur. Fluvius autem non nisi quantum locorum adjacentium opportunitas permittit, sua reddit irrigatione frugibus aptam regionem; nam ubi circa se planiorem reperit superficiem, liberius effusus, latius etiam terram cultui præbet habiliorem, et factus diffusior diffusiorem glebæ porrigit ubertatem. A Cahere ergo inferius, versus mare, planiora penitus inveniens loca, excursus habet liberos; unde et fecunditatem liberius latiusque procurat, et regno maximum dans incrementum, fines ejus dilatat. Nam ab eo oppido quod dicitur Facus, quod Syriam respicit, usque Alexandriam, quæ novissima illius regni civitas, arentem contingit Lybiam, centum et amplius milliaribus culti fecundique commoditas diffunditur. A Cahere vero supra, usque quo perveniatur Chus, Ægyptiæ diœcesis ultimam civitatem, quæ regno Æthiopiæ dicitur esse contermina, tantas patitur collium arenosorum objectu angustias, ut raro septem aut octo milliaribus, frequentius quatuor aut quinque, aut altrinsecus, aut ex una tantum parte diffusus, ad suæ exundationis modum, regni fines laterales vel contrahat, vel producat; nam quæ loca non irrigat fluvius, solis ardoribus et perpetuæ, ut diximus, sterilitati deputantur. Superior igitur regio lingua eorum Seith appellatur. Cujus neminis nullam aliam adhuc potuimus invenire rationem, nisi quod priscis temporibus in superioribus Ægypti partibus legitur fuisse civitas una antiquissima Sais nomine, cujus mentionem Plato noster in *Timæo*, sub persona Critiæ discipuli sui, Solonem præcipuæ auctoritatis virum introducentis facit; cujus verba ad majorem evidentiam ponenda judicavimus, ne quid deesse auctoritati videatur. *Est*, inquit, *regio Ægypti, Delta nomine, cujus e vertice Nili scinduntur fluenta, juxta quam Sais nomine, civitas magna fuit, quam regit mos vetus, qui lex Satyra nuncupatur. Ex hac urbe Amasis fuit imperator*, etc. Est tamen quædam alia regio ad eamdem pertinens Ægyptum, a Cahere distans itinere diei unius, per terram inhabitabilem, quæ ejusdem fluminis beneficii per quosdam meatus visitata, opimum et fertile nimis habet solum, agrorum et vinearum multa gaudens opulentia. Hanc Ægyptii lingua sua Phium vocant; hanc, ut veterum tenet traditio, pru-

Digitized by Google

dentissimus procurator Ægypti, et optimus utilium provisor Joseph, cum prius solum inutile, aratri prorsus ignarum, et culturæ et curæ expers omnino a mundi jacuisset initio, sicut ejusdem solitudinis partes aliæ, considerato loci situ : quia circumadjacentibus locis finitimis humilior videbatur, et quod solutis quibusdam aggeribus, qui medii erant inter habitabilem tractum et eamdem solitudinis partem, facile posset fluminis recipere beneficium ; positis aggeribus et media quæ interjacebat superficie complanata, Nilum restagnantem, paratis aquæ ductibus introduxit, et a sæculis solo incognitam familiarem fecit fecunditatem. Nos autem antiquum ejus vocabulum non tenentes, opinamur, priscis temporibus Thebaidam dictam, unde sanctorum Thebæorum legio (quæ sub Diocletiano et Maximiano Augustis apud Agauno martyrio coronata est) fuisse dicitur, cujus primicerius magnus martyr Mauritius legitur fuisse. Et aliud argumentum accedit, quod optimum opium quod usquam invenitur, quod medici Thebaicum vocant, ibi nascitur. Nam terra Gessen, quæ fratribus Joseph data fuisse legitur, in ea parte Ægypti est, quæ Syriam respicit, sicut ex lectione libri Geneseos esse deprehenditur, quod diligens facile lector inveniet ; hæc autem, oppositam Ægypti partem et ulteriorem fluminis ripam habet viciniorem quæ Lybiam respicit. Est autem regio non modica ; imo trecentas sexaginta sex tam urbes quam suburbana, finibus suis dicitur coercere. Hac igitur, ut diximus, lege loci, quia regnum erat ita angustum, nec ad dexteram, nec ad lævam poterant declinare ; et etiam crebris exploratorum internuntiis edoctus dominus rex et soldanus de itinere hostium, per triduum continuum secuti, quarta demum die, Sabbato videlicet, quæ illam Dominicam præcedit, qua in Ecclesia Dei cantatur *Lætare, Hierusalem*, nuntiatur hostes esse in proximo.

CAPUT XXIV.

Inter regem et Siraconum pugna committitur in solitudine, maximo utriusque partis periculo.

Communicato itaque ad debitum compendium consilio (nam ferias liberiores, instans non patiebatur necessitas) prudenti consilio et animositate provida opus esse dicunt ; omniumque desideriis bellum decernitur, gladiis conserendum acclamatur. Verum impar nimis erat accinctorum ad prælium distributio. Siraconus enim habebat Turcorum duodecim millia, ex quibus novem millia loricis galeisque tegebantur, reliqua tria millia arcubus tantum et sagittis utebantur ; præterea Arabum aut decem aut undecim millia lanceis pro more utentium. Nostri vero equites vix erant CCCLXXIV absque Ægyptiis vilibus et effeminatis, qui potius impedimento et oneri essent quam utilitati. Erant præterea nobis equites levis armaturæ, quos Turcopulos vocant, sed nescimus ad quem numerum ; multorum quoque relatione audivimus, quod illa die in tanto conflictu ex majore parte, prorsus fuerunt inutiles. Compertum ergo habentes tam nostri de hostium vicinitate, quam ipsi de nostrorum adventu, prout res exigere videbatur, acies ordinant, cuneos disponunt, arma exerunt ; qui rei militaris exercitatione pristina erant prudentiores, alios hortantur, rudes instruunt, sermonibus exhortatoriis inflammant animos, promittunt victoriam, victoriæ fructum, laudem immortalem. Erat autem locus in quo committendum erat, in confinio cultæ terræ et solitudinis, locus inæqualis, arenarum collibus vallibusque mediis interpolatus, ita ut neque advenientes de remoto videre, nec abeuntes longius liceret intueri. Nomen loco Beben, quod interpretatur *portæ* ; eo quod inter colles oppositos transitus arcetur. Nam Lamonia, unde quidam hujus diei prælium solent denominare, ab eo loco decem milliaribus erat remota. At vero hostes sollicitudine non pigri, nihilominus instructis aciebus a dextris et a sinistris colles occupaverant, ad quas tum propter clivum, tum propter arenarum mollitiem nostris durum erat cum impetu accedere ; eamque cui Siraconus præerat, mediam posuerant cohortem, cæteris utrinque collocatis. Et jam ventum erat ad hoc, ut cominus rem agi oporteret ; egressique nostri qui in acie regis erant, unanimiter cohortem cui Siraconus præerat, viriliter prosternunt ; prostratos, gladiis obtruncant ; ipsum etiam in fugam versum insequuntur. Porro Hugo Cæsariensis in eam aciem cui præerat Salahadinus, Siraconi nepos, impetum faciens, a suis destitutus deficit, deficiens capitur ; multi etiam cum eo capti, plures interfecti. Ibi cecidit vir nobilis, et in armis strenuus, Eustachius Cholet de regione Ponti. Hoc successu elatæ cohortes aliæ, convenientes ad invicem, et undique vallantes, aciem illam quæ impedimentis et sarcinis conservandis deputata erat, aggrediuntur, statimque dissolutam prosternunt ; ibi occubuisse dicitur vir nobilis, Siculus natione, probus et honestus juvenis Hugo de Creona. Dissipata igitur acie, mortuis pluribus, qui gladios evadere potuerunt, fuga saluti consulunt. Hostes vero impedimenta et sarcinas libere occupant, et secum trahunt occupata. Interim dissolutis hinc inde agminibus, et per dictas valliculas dispersis, variis eventibus pugna committitur, testibus his solis qui conserebant ; nam aliis non dabatur id videre ; erat autem anceps prælium, et nunc ii, nunc illi fiebant superiores, ignari quid alibi ageretur. Utrique alibi reputant se victores, alibi victos. Venerabilis quoque frater noster, dominus Radulphus Bethlehemita episcopus, domini regis cancellarius, cui postmodum nos in eodem officio successimus, graviter vulneratus, universa impedimenta sua in eodem tumultu amisit. Anceps diu prælium, certum de victoribus judicium differebat ; donec inclinata jam dies, dispersos ad signa hortabatur redire ; tunc demum noctis irruentis metu, jam incipiunt, qui liberi erant, ad suos festinare ; regemque studiose quærendo, ex variis partibus prodeuntes, iterum se colligunt. Dominus

Digitized by Google

autem rex, in eo loco in quo pugnaverat, victor, feliciter rem gesserat; alii autem sorte varia in diversis partibus Martem experti sunt, hic prospera, ibi adversa usi fortuna; unde neutram partem certa coronavit victoria. Rediens vero cum paucis admodum, collem quemdam occupans, aliquantulum sublimem, erecto vexillo, ut ad eum recolligerentur qui dispersi erant, socios operiebatur. Quibus pro parte revocatis, hostes ante se in collibus geminis, qui impedimentorum dissolverant aciem, et partim occiderant, partim occupaverant, conspiciunt dissolutos. Nec aliunde nostris patebat ad redeundum via, nisi inter medium collium prædictorum pertransirent. Habentes igitur redeundi propositum, in aciem ordinati per hostes medios, quos a dextra lævaque contuebantur, iter agunt, gradu lento; contra quos cum tanta constantia proficiscentes, nil ausi sunt adversitatis hostes moliri; sed juncto agmine, viris fortioribus et armatis optime per gyrum locatis, ad quamdam fluminis portionem pervenerunt, et eam vado pertransierunt incolumes nostri. Ea igitur nocte tota abeuntes nostri, per viam unde prius venerant, redeunt. Pervenientibus autem Lamoniam, occurrit eis Gerardus de Pugi, qui cum quinquaginta equitibus et Turcopolis centum, et Mahadan filio soldani, oppositam fluminis partem tenuerat, ut hostes si forte fluvium transire vellent, impediret. Venit autem optato; nam plurimum eis dominus rex timebat, ne seorsum inventos, sive ultra sive citra fluvium hostes aggrederentur. Sed et pro pedestribus turbis, quas post se dimiserat, ut prædiximus, nihilominus erat sollicitus, timens ne hostibus subito et incaute occurrerent. Unde apud prædictum oppidum per triduum, eos sustinens operiebatur, quibus præerat nobilis homo et prudens Joscelinus de Samosato. Quarta vix die receptis paulatim nostris, et peditum manu iterum sibi sociata, continuatis itineribus, Cabere pervenientes, ante Babylonem secus pontem castra metantur. Recensito igitur militum numero, centum ex eis deesse reperiunt; de hostibus vero mille quingentos asserunt cecidisse.

CAPUT XXV.

Siraconus infra Alexandriam se recipit. Rex illuc properans, urbem obsidet.

At vero Siraconus, suis nihilominus qui supererant, in corpus unum revocatis, per solitudinem, nostris ignorantibus, Alexandriam tendit, cui protinus Alexandrini civitatem tradunt. Rex autem ut primum rumorem comperit, vocatis ad se principibus, soldano quoque et filiis ejus, et nobilibus Ægyptiorum, quid facto opus sit, studiosius quærit. Ubi post multas disceptationes, sicut in rebus dubiis solet contingere, quoniam Alexandria ex se alimentorum non habet copiam, nec frugum quidpiam, nisi quantum sibi de superioribus Ægypti partibus navigio ministratur, placuit classem in flumine ad custodiam locari, ut inde Alexandrinis commerciorum omnino nihil possit inferri. Quo facto, ipse cum universo exercitu ad partes illas descendens, inter locum qui dicitur Toroge et Demenehut, castra componit; qui locus ab Alexandria octo distat milliaribus; inde loca finitima et etiam remota per solitudinem, missis excursoribus, penetrans et discutiens, ne forte aliquis aut opem ferat obsessis, aut inde veniens aliquos exteriores ad eorum adminiculum sollicitet. Nihilominus et classis, quoslibet transire volentes, aut transitum prorsus inhibet; aut cognitum non nisi diligenter quæsitum, descendere permittit. Evoluto igitur unius mensis spatio, cum civitas illa nihil omnino alimentorum medio tempore aliunde suscepisset, cœpit conqueri populus quod defecerat panis in cistartiis, et quod victum non haberent; quod intelligens Siraconus, timens ne cum aliis ipse cum suis inedia tabefieri compelleretur, relicto nepote Salahadino, quasi cum mille equitibus in civitate, ipse nocturnis itineribus per solitudinem, prope tamen nostram expeditionem, evadit in superiores Ægypti partes, unde paulo ante descenderat; quod, postquam regi innotuit, impigre subsequitur, quousque Babylonem pervenit. Hic jam cum in procinctu universus esset exercitus, compositisque sarcinis sequi decrevisset, repente nobilis et potens Ægyptius Benecarselle, regem adiit; Alexandriam summa inopia laborare docet; consanguineos in eadem se urbe asserit habere potentissimos et civitatis moderatores, qui facile possint populum fame afflictum, in quam partem velint trahere, et civitatem cum omnibus Turcis qui in ea relicti erant, in manu domini regis dare. Motus itaque rex ad hoc verbum, quærit a principibus, quid eis videatur; tandemque consonantibus omnium desideriis, approbante etiam soldano, Alexandriam redeunt, eamque gemino circumdant exercitu.

CAPUT XXVI.

Describitur Alexandriæ situs.

Alexandria totius Ægyptiæ diœcesis, in ea parte quæ Lybiam respicit et in occidentem protenditur, omnium civitatum est novissima, in confinio culti soli et arentis solitudinis sita, ita ut extra civitatis mœnia versus solis occasum, vasta protinus eremus adjaceat, culturæ et curæ omnino non sentiens beneficium. Hanc, ut antiquæ tradunt historiæ, Alexander Macedo, Philippi filius, cujus etiam nomen appellatione sua prætendit, condidisse dicitur. Condita est autem, ut ait Julius Solinus, duodecima centesima Olympiade, Lucio Papyrio L. filio et Caio Petilio, Gai F. Coss. quam metatus Dinocrates architectus, secundum post conditorem inter memorabilia locum obtinet. Sita est autem non longe ab ostio Nili, quod Heracleoticon quidam, alii Canopicon appellant. Hodie vero locus a quo denominatur ostium illi conterminum civitati, deletis antiquis nominibus, Ressith appellatur; distat autem a fluminis alveo quinque aut sex milliaribus; sed tamen quibusdam meatibus, tempore soliti incrementi, fluvii pars urbem influit; quam aquarum

Digitized by Google

influxionem cisternis amplissimis, ad hoc specialiter deputatis, ad usus proprios toto anno diligenter servant; sed et ad pomeria, quæ sunt extra urbem procuranda, occultis traconibus portionem ex ea dirigunt necessariam. Sita est autem, quantum ad celebranda commercia, commodissime. Portus habet duos, lingua quadam interjacente, valde angusta, disjunctos. In capite autem illius interstitii, turris est miræ altitudinis, quæ Pharos appellatur, quam Julius Cæsar ad usus necessarios dicitur erexisse et illuc deduxisse coloniam. De superioribus autem Ægypti partibus per fluenta Nili, omnimodorum alimentorum copiam, et rerum pene omnium suscipit ubertatem. Verum et de regionibus transmarinis, si qua sunt quæ Ægyptus non habet, navigio omnis opulentia ministratur; unde amplius qualibet urbe maritima omnibus commoditatibus dicitur abundare. Ad hæc ex utraque India, Saba, Arabia, ex utraque etiam nihilominus Æthiopia, sed et de Perside et aliis circumadjacentibus provinciis, quidquid aromatum, margaritarum, Orientalium gazarum et peregrinarum mercium, quibus noster indiget orbis, per mare Rubrum, unde gentibus illis ad nos iter est, in superiores partes Ægypti, ad eam urbem quæ Aideb dicitur, super ripam ejusdem maris sitam infertur, id totum ad flumen, et inde Alexandriam descendit. Sic ergo Orientalium et Occidentalium illuc fit concursus populorum; estque eadem civitas forum publicum utrique orbi. Clara sane, et antiquis titulis et modernis; sed et beati Marci, Principis apostolorum spiritualis filii, divinitus ad eamdem ecclesiam missi, illustrata prædicatione et verbo; et sanctorum Patrum Athanasii et Cyrilli prælatione, et tumulis decorata, secundum inter patriarchas locum obtinens; Ægypti, Lybiæ, Pentapolis et multarum provinciarum reverenda metropolis. Deducitur illuc classis universa, portasque et omnem aditum obsidentes, nemini accedendi licentiam permittunt.

CAPUT XXVII.

Rex obsidionem continuans, cives Alexandrinos molestat gravissime.

Interea qui in Syria remanserant, audientes quia dominus rex Alexandriam obsederat, et quod navigatione continua infra paucos dies illuc possent pervenire, certatim iter arripiunt, et correptis armis, navibus victui imponunt necessaria, et se ipsos invitantes læti nimium proficiscuntur. Inter quos et dominus Fredericus Tyrensis archiepiscopus, prædecessor noster, zelo motus aliorum et speciali erga dominum regem tractus affectu, cum honesto satis comitatu, navigio descendit in Ægyptum; sed aquis Niliacis causam præstantibus, dysenteria cœpit periculosissime laborare; unde antequam domino regi traderetur [Alexandria], coactus est, invalescente ægritudine, domum redire. Hic demum sumptis navium malis immensæ quantitatis, vocati artifices, lignorum cæsores, castellum erigunt miræ altitudinis, unde totam erat despicere civitatem; machinæ quoque, quas vulgo petrarias vocant, unde immissi molares graves et magni, muros cædebant, congruis stationibus locatæ, intolerabilem civibus, horis pene omnibus inferebant terrorem. Erant circa eamdem civitatem, ad instar silvarum et frondosi nemoris, grata amœnitate et plena fertilitate arboribus consita fructiferis, et herbis referta salutaribus pomeria, quæ et sui contemplatione transeuntes, merito invitarent ad ingressum, et ingressos hortarentur ad requiem. In hæc ingressus nostri ex magna parte exercitus, prius occasione colligendæ erigendis machinis materiæ, deinde solo nocendi affectu, et damni inferendi consideratione, aromaticas et multis usibus aptas, tanto studio ad terram prosternunt arbores, quanto vix labore ab initio fuerant procuratæ. Fitque subito ut solo complanato, prioris status prorsus nulla remanerent vestigia; idque fuit, in quo se maxime læsa civitas, et ejus damnificatos habitatores, post adepta pacis fœdera conquerebantur. Instabant ergo nostri, et artes quibus obsessis possent officere, satagentes invenire, omnem attentabant nocendi aditum; et argumentis quibus poterant, in eorum læsionem se instruebant. Assultus quoque assidui requiem negabant fatigatis. Erant sane cives negotiationibus assueti, rerum militarium expertes, quique usum præliandi non haberent; unde molestus insuetum laborem poterant portare. Turci autem qui illic remanserant, tum quia pauci erant, tum quia civibus varii et inconstantis animi non cum multa fiducia se committebant, rari ad conflictus, et in congressionibus remissiores, non multum alios animabant. Quid plura? Quotidiani conflictus, cædes suorum continuæ, vigiliæ perennes, nocturni timores, alimentorum super omnia defectus, populum attriverant, dejecerant animos, ut jam urbem deserere et libertatis immemores, quibuslibet populis mancipare magis eligerent, quam in domesticis lacrimis cum parvulis et uxoribus famis acerbitate consumi. Serpebat ergo murmur in populis, jamjam ad plures sermo manifestus diffundebatur: *urbe pellendos esse hospites pestilentes, qui tantam civibus intulerant afflictionem; quærendum quocunque pacto esse, quomodo civitas, depulsis ingruentibus molestiis, obsidione soluta, pristinis commoditatibus, et solitæ restitueretur libertati.* Sensit hoc Salahadinus, et occultis citatisque nuntiis, statum urbis miserum, populi a se deficientis propositum, alimentorum supremam inopiam, patruo suo ex ordine pandit; utque rebus desperatis præsens remedium satagat invenire, et pereuntibus consulere, modis omnibus, implorat. Interim populum simul cum Patribus alloquitur; monet *pro uxoribus et liberis usque ad mortem decertandum; hortatur ut legis et paternarum traditionum sint æmulatores, pro foribus salutem adesse; Siraconum quoque patruum suum, pro eorum liberatione et pro amovendis hostibus Ægyptum circuire, in proximo cum infinitis copiis adfuturum.* At dominus rex cognito quod inter cives esset dissensio, civitatem urgeri monet incessanter;

Digitized by Google

quantoque eos amplius novit afflictos, tanto acrius instare præcipit. Soldanus quoque succinctus, ad omnia impiger, sedulus, plena sollicitudine circuit principes universos; manu profusa, impensas porrigit ad construendas machinas, et sumptus ad omnem belli usum liberales; artificibus competentia salaria largitur; pauperibus et egenis, præsertim sauciis, ut sui curam haberent, munera donat; bellicosis quoque, et quos in prælio novit strenuos, aliquid distribuit.

CAPUT XXVIII.

Siraconus hæc audiens, cum Hugone Cæsariensi de pace loquitur.

Dum hæc apud Alexandriam aguntur, superiores Ægypti Siraconus peragrat regiones; perveniensque usque Chus, tentat expugnare civitatem; vidensque quod non proficeret, et prolixiora hujusmodi exposcerent tempora, ipsum autem ad alia nepotis necessitas urgeret negotia, sumpta ab urbibus illis pecunia, maturat reditum et ad inferiora revocat exercitum quem trahebat. Cumque regrediens Babylonem pervenisset, videns quod rex Cahere et ponti Hugonem de Ibelim dimisisset tutorem, et longe secus quam arbitratus esset, omnia se haberent, Hugonem Cæsariensem, quem captivum tenebat, familiari compellat alloquio; utque vir eloquens et urbane facundus, sermone composito cœpit eum convenire: *Magnus princeps es, nobilis, apud tuos clarissimus, nec est de vestris principibus quispiam, si libera mihi daretur optio, cui magis hoc meum communicare secretum cupiam, et verbi hujus participem constituere. Oblulit sponte fortuna, et eventus donavit bellicus, quod alias multis conatibus esset quærendum, ut tuæ experientiæ mihi ad opus præsens fieret copia. Fateor sane, quod gloriæ cupidus, sicut mortalibus solet contingere, et regni tractus opulentia, de indigenarum quoque imbecillitate confisus, spem aliquando concepi, ut in manus meas regnum hoc aliquando traderetur. Ideo cum sumptibus et laboribus infinitis, infructuosis tamen, ut video, cum equitatu copioso nobilium, qui omnes eadem trahebantur, per tot pericula descendi in Ægyptum, aliter ratus de rerum eventu quam occurrit. Adversa enim, ut video, fortuna ingressus sum; utinam prospera vel redire liceat! Homo nobilis es, ut dixi, regi charus, sermone potens et opere; esto inter nos pacis mediator; prosperum fiat in manu tua verbum; dic domino regi:* Otium terimus, et effluunt tempora sine fructu, domi multa restant; *ipsius etiam regno suo plurimum esset necessaria regis præsentia; nunc aliis consumit operam; nam postquam nos repulerit, miseris civibus, et vix vita dignis, hujus regni relinquit opulentiam. Recipiat suos, quos in vinculis habeo; ipse quoque obsidione soluta et quos in vinculis habet, et quos in civitate cohibet Alexandrina, restituat; et ego suscepta prius ab eo securitate, quod in itinere per suos nihil nobis difficultatis occurrat, paratus sum exire.*

CAPUT XXIX.

Hugo cum rege et principibus fœderis complet tenorem.

Audito hoc verbo, dominus Hugo sicut erat vir providus et discretus, multo apud se libramine verba oblata compensans, licet utilem nostris pacis formam et tenorem fœderis non dubitaret, tamen ne videretur plus libertatis propriæ rapi desiderio quam utilitati publicæ hoc verborum tractatu providere, honestius judicat per alium primos tentari aditus. Hanc suam intentionem ipse nobis postmodum familiariter exposuit. Missus est verbi bajulus, qui similiter captivus tenebatur, quidam regis familiaris, Arnulfus de Turuassel, qui cum domino Hugone, de quo prædiximus, in eodem prælio captus fuerat; qui, suscepto verbo, ad regem properat; legationis causam diligenter aperit; convocato cœtu, in principum consistorio, præsente soldano et filiis ejus, conceptum verbum et compositionis formam proponit. Placet omnibus pacis tenor, et sufficere videtur ad gloriam, et ad plenam pactorum inter regem et caliphum initorum fidem, ut civitas per deditionem in domini regis transeat potestatem; et tam hi de hostibus, qui obsidione claudebantur, quam qui Siraconum secuti, per Ægypti fines erant dispersi, solutis quoque captivis, quos de nostris trahebant in vinculis, suis etiam nihilominus receptis, de universis Ægypti finibus compellantur exire. Savar soldanus cum universis Ægyptiorum satrapis pactum approbat, fœderis consonantiam libens amplectitur; dummodo hostis suspectissimus et regni æmulus excludatur, sibi plenius dicit esse satisfactum. Tandem dominus Hugo, suam exhibens præsentiam, verbis hinc inde tractatis, novissimam manum et placitum finem apposuit.

CAPUT XXX.

Resignatur regi civitas, et pax indicitur Alexandrinis.

Indicitur ergo voce præconia cohortibus singulis et omnibus generaliter præliandi finis, et per legem edictalem ne Alexandrinis inferatur molestia interdicitur. Egrediuntur igitur concessa pace, lætantes, qui diuturna fuerant obsidione macerati; angustias quas pertulerant fastidientes, deambulationes tædii relevandi gratia, amant et appetunt liberiores. Inventa etiam alimentorum copia, et commerciorum libertate permissa, inedia tabefactorum corporum ruinam restaurare satagunt, et refocillare animas jam labentes. Juvat agmina videre pacata, quæ paulo ante horruerant et oderant; et eorum colloquiis perfrui, quos ante modicum timuerant, periculorum suorum ministros et mortis procuratores. Nostri quoque, non segnius urbem ingrediuntur optatam; et liberis discursibus, vias, portus, mœnia lustrantes, diligenter videndo colligunt, unde ad propria reversi, suis aliquando texere possint historias, et audientium animos gratis confabulationibus recreare. Huic splendidæ civitati turris imminet

Digitized by Google

miræ altitudinis, Pharos dicta; ad quam facibus accensis, et igne copioso, more sideris micantem, ignari locorum, nocturnas navigationes dirigunt. Nam Alexandria cæco mari, et periculoso nimis accessu, et vadis fallacibus aditur; quo antequam ingrediantur navigantes, ignibus, qui continuo fomite et sumptibus publicis super eum nutriuntur, edocti, imminentia vitant naufragia, et ad cursus se erigunt salutares. Super hanc victoriæ signum, domini regis vexillum erigitur; et quod prius paucis innotuerat, fit omnibus signo contuito manifestum. Quo viso, qui cautius se habentes ad prima tracti fœderis verba, nostris se committere pertimuerant, jam de pace facti certiores, non timent se nostris adjungere et de fidei nostræ præsumere sincerite; unum præ omnibus admirantes, quod tantam civium multitudinem, tantamque advenarum numerositatem, qui omnes ad tutelam civitatis fideliter operam ministrabant, tam modicus exercitus intra urbis mœnia facile coercuerat et ad ignominiosam juxta libitum compulerant deditionem; vix enim de nostris equites erant quingenti, peditum quatuor aut quinque millia; obsessorum autem, qui arma poterant educere, supra quinquaginta millia.

A quousque iter ad redeundum arripuit, in castris mansit, dato sibi custode, qui eum tractaret honeste et temerariorum ab eo propulsaret injurias. At vero soldanus cum tubarum clangore, et tympanis, et choris, et omni genere musicorum instrumentorum, stipatus agminibus, præcurrente innumera apparitorum manu, vociferantibus armatorum turmis, per portas civitatis, cum triumpho tanquam victor ingressus, terrore cives concutit; hos damnat, illos absolvit; et delicta discutiens potenter, omnibus distribuit præmia meritorum. Tandem in certa pecuniæ quantitate civibus condemnatis, procuratores tributorum ordinat, vectigalium et civilium functionum instituit exactores. Exacta itaque infinita pecunia, fidelibus suis curam injungens civitatis, in castra gloriosus se recepit. At vero nostri ad reditum aspirantes, qui navigio venerant, sumptis ad iter necessariis, naves conscendunt, et se flatibus committentes, ad propria cum gaudio revertuntur. Rex quoque incensis machinis, et compositis sarcinis, versus Babylonem iter dirigit. Adjunctis-ergo sibi quos ibi dimiserat, soldano in sua administratione confirmato, exclusis hostibus, suis qui capti fuerant receptis, XII Kal. Septembris Ascalonam ingressus est, anno regni ejus quarto; ab Incarnatione Domini vero 1167.

B

CAPUT XXXI.

Rex victoria potitus, receptis suis universis, ad propria revertitur.

Egressus igitur Salahadinus ad dominum regem,

INCIPIT LIBER VIGESIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Dominus Hernesius Cæsariensis archiepiscopus, et Odo de Sancto Amando, regius pincerna, a Constantinopoli redeunt, uxorem futuram regi secum ducentes. Rex in ecclesia Tyrensi coronatur, et uxorem ducit.

Interea dominus Hernesius, bonæ memoriæ, Cæsariensis archiepiscopus, Odo quoque de Sancto Amando, tunc regius pincerna, procurata tam prudenter quam fideliter domini regis legatione, pro qua missi fuerant, apud dominum Manuelem imperatorem Constantinopolitanum, impetrato quod petierant post actum biennium, navigio redeuntes, domini imperatoris Protosevasto filiam, domino regi uxorem futuram ducentes, apud Tyrum applicant. Quo cognito, dominus rex cum celeritate Tyrum pervenit, convocatisque ecclesiarum prælatis, et regni principibus, eamdem Mariam, regiæ unctionis et consecrationis munus adeptam, ipse quoque habitu regio insignis et avito diademate laureatus, per manum domini patriarchæ Amalrici, bonæ memoriæ, in ecclesia Tyrensi, cum debita magnificentia IV Kal. Septembris uxorem duxit. Hic Joannes Protosevasto, cujus filiam, ut diximus, rex duxit, ejusdem domini imperatoris ex fratre natu priore, ortus est nepos. Misit autem dominus imperator

C

cum prædicta nepte sua, viros illustres et magnificos, imperialis eminentiæ familiares, dominum Palæologum et Manuelem Sevaston, consanguineum suum, cum multis aliis, qui magnifice eam domino regi traderent, et de injunctis solemnitatibus nihil sinerent præteriri. Tyrensi autem Ecclesiæ præerat, in qua hæc facta sunt, dominus Fredericus, qui ex Acconense Ecclesia ad illam fuerat translatus. Hic, triduo postquam rex in eadem civitate coronatus fuerat et nuptias celebraverat, præsente et rogante domino rege, et aliis multis honestis viris, archidiaconatum ejusdem Ecclesiæ, unde dominus Willelmus ad Acconensem Ecclesiam fuerat vocatus, nobis liberaliter contulit.

D

CAPUT II.

Andronicus quidam imperatoris consanguineus, Theodoram, Balduini regis viduam, secum per terras hostium abducit.

Per idem tempus, Andronicus quidam nobilis Græcus et potens, domini imperatoris Constantinopolitani consanguineus, de partibus Ciliciæ adveniens, cum multa militia, dum dominus rex in Ægypto adhuc detineretur, usque ad ejus adventum apud nos moram fecit nobis consolatoriam; sed

Digitized by Google

more serpentis in gremio, et muris in pera, male remuneravit hospites suos, verum esse docens, quod a Marone dictum fuerat :

Timeo Danaos et dona ferentes.

Cui dominus rex statim post reditum suum urbem dedit Berythensem; ad quam gratia videndi civitatis, dum dominam Theodoram, domini Balduini regis viduam, quæ urbem Acconensem nomine donationis propter nuptias possidebat, nepotis sui filiam, apud quem diu fuerat hospitatus, invitasset, fraudulenter, ut dicitur, abduxit, et in terram hostium, Damascum prius, deinde in Persidem, favente Noradino, transvexit.

CAPUT III.

Petracensis Ecclesia et Ebronensis, episcopis datis ordinantur. Stephanus regis Siciliæ cancellarius, et Panormitanæ Ecclesiæ electus, in Syrium descendunt. Comes Nevernensis Willelmus apud nos defungitur.

Eodem anno nihil pene memoria dignum in regno accidit, nisi quod circa quadragesimale tempus duæ Ecclesiæ in regno, susceptis episcopis, ordinatæ sunt: quarum altera ab ingressu Latinorum in terram promissionis, Latinum non habuerat pontificem, videlicet Petracensis, quæ ultra Jordanem in finibus Moab sita est, secundæ Arabiæ metropolis; altera vero, Ebronensis videlicet, ut dicitur, nunquam; sed tempore Græcorum prioratus fuerat, sicut et Bethlehemitica fuisse dignoscitur Ecclesia. Sed Bethlehemitica ob nativitatis Dominicæ reverentiam prius meruit, statim post sanctæ et Deo amabilis civitatis liberationem, tempore domini Balduini regis primi, cathedrali gaudere prærogativa. Ebronensis quoque intuitu servorum Dei, quorum memoria in benedictione est, Abraham videlicet, Isaac et Jacob, eadem tunc dignitate primum meruit insigniri. Præficitur ergo Petracensi Ecclesiæ, et secundæ Arabiæ metropolitanus efficitur dominus Guerricus, canonicus regularis in templo Domini; Ebronensi vero, dominus Rainaldus, domini Fulcherii piæ recordationis patriarchæ nepos. Æstate igitur sequente, vir nobilis dominus Stephanus, domini regis Siciliæ cancellarius, et Panormitanæ electus Ecclesiæ, adolescens bonæ indolis, et egregius forma, domini Rotoldi comitis de Percio frater, agitantibus eum et adversus eum conspiratis regionis illius principibus, invito rege puero, et matre ejus reniti non valente, regno expulsus, cum paucis vix eorum evasit insidias, et ad nos navigio pervenit; qui non multum postea, valida correptus ægritudine, mortuus est, et Hierosolymis in templi Domini capitulo honorifice sepultus est. Per idem quoque tempus, dominus Willelmus Nevernensis comes, magnus princeps, nobilis et potens, de regno Francorum, cum honesta militia Hierosolymam venit, propositum habens, in servitio Christianitatis contra hostes fidei nostræ, suis expensis militare; sed ejus pia et honesta studia, mors immatura, felicibus ejus invidens actibus, miserabiliter prævenit; nam subito et diuturno languore correptus, post longas corporis molestias, in primo gratissimæ juventutis flore cum multis omnium suspiriis et gemitu vitam finivit.

CAPUT IV.

Imperatoris legati ad regem accedunt, pacta quædam a domino rege postulantes. Mittitur Tyrensis archidiaconus, et pacta proposita cum imperatore complet.

Eadem æstate, comes Alexander de Gravina, et quidam Michael Hydrontinus, domini imperatoris Constantinopolitani familiares et legati, ad dominum regem missi, Tyrum pervenientes, dominum regem, adhibitis quos rex de suis verbis participes voluit fieri, secretius conveniunt, viæ causas exponunt, et super his omnibus scripta porrigunt imperialia. Summa autem legationis hæc erat : *Senserat dominus imperator, quod Ægypti regnum, potens admodum hactenus, et opulentum valde, in manus pervenerat debilium et effeminatorum ; et quod finitimis populis in notitiam venerat, tam domini quam principum suorum impotentia, infirmitas et insufficientia. Unde quia non videbatur quod posset diu in statu se continuare præsenti, quin ad gentes alienas ejus dominium et moderamen oporteret transire, concepit apud se, quod auxilio domini regis facile posset illud in suam jurisdictionem recipere.* Unde super hoc prædictos miserat legatos. Sunt nonnulli qui dicunt, quod super eodem facto prius fuerat a domino rege per nuntios et frequentes epistolas sollicitatus, quod verisimilius est, ut militaribus copiis, classe quoque et impensis eum juvaret, certas partes tum regni tum manubiarum sub interpositis conditionibus recepturus. Hac ergo gratia, memorati legati regem adeuntes, firmatis conventionibus ad placitam utrinque consonantiam, adjunctus sum ego comes de regio mandato, ut regis et regni universi consilium, cum eorum litteris ad dominum imperatorem, properans deferrem; et pactis mediis, quale a me exigeretur, sub certa tamen forma, robur imponerem. Assumptis igitur præfatis domini imperatoris apocrisiariis, qui apud Tripolim, ut eis rex litteris suis signaverat, nostrum præstolabantur adventum, ad urbem regiam profecti sumus. Detinebatur porro eo temporis articulo imperator in Servia quæ regio montosa et nemoribus obsita, difficiles habens aditus, inter Dalmatiam et Hungariam et Illyricum media jacet, rebellantibus Serviis et confidentibus de introituum ad se angustiis et de impervia eorum regione. Habent vetustæ traditiones hunc omnem populum, ex deportatis et deputatis exsilio, qui in partibus illis ad secanda marmora et effodienda metalla damnati fuerant, originem habuisse, et inde etiam nomen traxisse servitutis. Est autem populus incultus, absque disciplina, montium et silvarum habitator, agriculturæ ignarus: gregibus et armentis copiosi, lacte, caseo, butyro, carnibus, melle et cera uberius abundantes. Hi magistratus habent, quos suppanos vocant; et domino imperatori aliquando serviunt; aliquando de montibus et silvi-

Digitized by Google

egredientes, omnem circa se regionem, ut sunt audaces et bellicosi viri, depopulantur. Ob hæc ergo intolerabilia vicinis eorum maleficia, ingressus erat adeos in virtute multa et innumera manu dominus imperator. Quibus subactis et præcipuo eorum principe mancipato, redeunti domino imperatori, post multiplices viarum labores, in provincia Pelagonia, in civitate quæ vulgo dicitur Butella, occurrimus, juxta illam antiquam et domini felicissimi et invictissimi et prudentis Augusti patriam, domini Justiniani civitatem, videlicet Justiniam primam, quæ vulgo hodie dicitur Acreda; ubi a domino imperatore honorifice suscepti, benigne et imperiali clementia tractati, legationis et viæ causam, formamque pactorum diligenter exposuimus; quæ omnia læta mente suscipiens et gratanter amplectens, quod prædordinatum, fuerat approbavit Præbitis ergo corporaliter hinc inde juramentis, ejus auctoritate interposita, confirmata sunt quæ prius per nuntios fuerunt ordinata. Receptis ergo imperialibus litteris, pactorum formam ex integro continentibus et consummata feliciter legatione, munificentissime de more solito dimissi, Kal. Octobr. iter ad reditum arripuimus.

CAPUT V.

Rex in Ægyptum cum suis descendit; et contra fœderis formam, quam cum Ægyptiis peregerat, eis bellum infert.

Interea statim post exitum nostrum, antequam reverteremur ad propria, antequam de auxilio domini imperatoris per nostram legationem certus fieret rex, fama publica personuit, ut dicitur, quod Savar soldanus Ægyptius, frequentes ad Noradinum dirigebat legationes et ejus occulte implorabat subsidium, dicens: *Quod a pactis quæ cum rege pepigerat, vellet recedere; et quod invitus cum inimico populo, aliquo pacis fœdere jungeretur; quod si de ejus auxilio certus foret, pacta frangeret, ab eo penitus recedens.* Unde rex, ut dicitur, justa indignatione motus, convocato regno universo, collectis equitum peditumque copiis, in Ægyptum festinat descendere. Sunt qui dicant, prædicta omnia ficta fuisse, et quod Savar soldano innocenti, et nihil tale merenti, pacta et conventionum tenorem bona fide servanti, contra fas et pium, illatum sit bellum; sed ut factum tam notabile aliquam haberet excusationem, hic color videtur quæsitus; unde et Dominum, justum secretorum et conscientiarum arbitrum, omnem nostris conatibus subtraxisse favorem, asserunt, et prædictis molliminibus, justitia vacuis, prosperos negasse successus. Causam porro et incentivum hujus mali, ut aiunt, ministrabat Gerbertus, cognomento Assallit, magister domus Hospitalis, quæ est Hierosolymis, vir magnanimus et quadam liberalitate donandi profusus; tamen instabilis et mente vagus. Hic omnes ejusdem domus thesauros exponens, insuper et infinitæ quantitatis pecuniam mutuam sumens, omnia militibus erogavit, quoscunque invenire potuit sibi alliciens; unde A prædictam domum tanta æris alieni mole gravavit, quod non erat spes solutum iri. Ipse etiam postmodum desperans, officium suum deserens et administrationi renuntians, in centum millibus aureorum dimisit domum obligatam. Ea tamen consideratione tot et tantas misisse dicitur expensas, quod capta et subjugata Ægypto, Belbeis, quæ olim dicta est Pelusium, cum universo territorio suo, juri ejusdem domus, ex pacto prius cum rege inito, cederet in perpetuum. Fratres autem militiæ Templi, eidem se subducentes facto, aut quia eis contra conscientiam suam videbatur; aut quia magister, æmulæ domus, hujus rei auctor et princeps videbatur, vires penitus ministrare, aut regem sequi negaverunt. Durum enim videbatur eis, amico B regno et de nostra fide præsumenti, contra tenorem pactorum et contra juris religionem, immeritis et fidem servantibus bellum indicere.

CAPUT VI.

Obsidetur civitas Belbeis; et expugnatur obsessa. Soldanus regem infinita promissa decipit pecunia.

Accinctus igitur et præliari instructus apparatu, regni viribus convocatis, anno regni *ejus quinto*, mense Octobri, descendit in Ægyptum; et transcursa eremo, quæ media jacet, quasi itinere dierum decem, Pelusium applicat, quam mox obsidione cingens, infra triduum violenter expugnat, expugnatamque ferro aperit, et suos immittit incunctanter. Accidit autem hoc, tertio Nonas Novembris. Capta igitur civitate, civibus ejus ex parte C maxima gladio peremptis, non parcitur ætati, aut sexui; et qui mortem quocunque casu inveniebantur declinasse, jacturam libertatis, quæ honestis viris omni genere mortis suspectior est, incurrentes, miseræ servituti subjugabantur. Capti sunt inter cæteros ejusdem conditionis Mahazam, filius soldani et quidam ejus nepos, qui urbi præerant, exercitus illic congregati curam habentes. Effracta igitur civitate, irruentibus passim et sine delectu cuneis, penitiores domiciliorum penetrant aditus, reserant penetralia, et eos qui mortem delitescendo effugisse videbantur, compeditos educentes, ignominiose ad necem protrahunt, quos ætatis integræ, et armorum potentes reperiunt, gladiis transverberant: vix senibus parcitur et pueris, et secundæ D sorti non plenius indulgetur. Facta sunt desiderabilia eorum, hostium præda; et quæque speciosa in sortem, dum sibi dividunt spolia. His igitur rumoribus Savar mente consternatus, quid faciat ignorat, deliberat prout temporis et rerum in arcto positarum patiebatur angustia, an regem muneribus tentet expugnare, et indignationem ejus data emolliat pecunia, an finitimos superstitionis suæ principes, ad sui auxilium precibus pretioque sollicitet. Tandem placet, utrumque maturata provisione tentare. Missa ergo legatione ad Noradinum, implorat subsidium et impetrat imploratum; vocato enim Siracono, cujus sæpius fecimus mentionem, partem exercitus, et nobilium suorum partem non modicam cum sa-

Digitized by Google

trapis qui partem sollicitudinis portarent, tradit ; sumptisque alimentis ad iter necessariis, et camelis ad devehenda onera sufficientibus, eos in Ægyptum dirigit.

CAPUT VII.

Rex ante Cahere castra locat, exspectans promissam a soldano pecuniam.

Rex interim eversa Pelusio, cum universis agminibus versus Cahere cohortes dirigit, sed lento nimis gradu, vix unius iter diei decem diebus conficiens ; tandemque ante urbem castrametatus, machinas parat, crates erigit, et cætera ad tales usus profutura disponit. Videntur quæ foris struuntur promittere impetus proxime futuros, et obsessis incutere formidinem, et quamdam mortis imaginem intentare. Qui autem facti illius arcana norunt, hujus moræ causam fuisse asserunt, quod soldanus interea advenientis exercitus terrore concussus, prolixiores deliberandi haberet inducias, et pro amovendo exercitu pecuniam pacisceretur : tota enim illuc properabat regis intentio, ut a soldano pecuniam emungeret ; malebat enim pretio redemptus abire, quam urbes illas, sicut de Pelusio contigerat, popularibus ad rapinam exponere, sicut manifestius infra dicetur. Soldanus vero interea per suos et regis familiares omnem prætentat aditum, omnem explorat subintrandi viam ; tandem regis animum pecuniarum cupidum, promissionibus enervat, infinitam spondet pecuniam, quam vix universum regnum, corrasis undique copiis persolvere posset. Promittit enim, ut aiunt, aureorum vigesies centena millia, ut redditis sibi filio ac nepote, amotisque expeditionibus, rediret ad propria. Hoc autem, ut postea patuit, non eo moliebatur intuitu, ut promissorum summam spes esset aliquando solutum iri ; sed ne subito incursu accedens ad Cahere, imparatum immunitumque reperiens, repentinis irruptionibus expugnaret, quod procul dubio, ut constanter asserunt qui interfuerunt, si citatis itineribus capta Pelusio, dejectis adhuc et stupidis a recenti clade et insperata tantæ urbis calamitate, Ægyptiorum animis, illuc noster pervenisset exercitus, accidisset. Verisimile enim videtur, quod viri molles et effeminati, deliciis a multo retro tempore diditi, rerum militarium expertes, adhuc fumante vicinæ urbis incendio, et innumero suorum interitu consternati, sibi timentes quod aliis videbant accidisse, nec inde animos vel vires habuisse resistendi.

CAPUT VIII.

Classis nostra per Nilum immissa, nostro se adjungere exercitui conatur ; sed re infecta, domum revertitur.

Dum hæc circa Cahere aguntur, ecce nostra quam rex de nostris finibus exiens maturare præcepit classis, per mare ventis usa prosperis, applicuisse dicitur, per illius fluminis ostium, quod vulgo dicitur Carabes, ingressa. Civitatem antiquissimam supra illam fluminis ripam, Tapnim nomine, sitam, violenter occupant ; quæ statim nostris in direptionem data est et prædam. Dum ergo nostri per fluminis alveum ad regem festinare contendunt, Ægyptii navibus suis alveum fluminis obsidentes, transitum negabant. Misit ergo rex Henfredum de Torono constabularium suum, ut illuc cum lecta veniens militia, alteram saltem fluminis ripam, ut eis ex illa liber fieret transitus, violenter occuparet ; quod satis expedite factum esset, nisi quod interim rumor de adventu Siraconi consilium mutari compulit. Mandatum est ergo eis, ut ad mare descendentes, reditum maturarent ad propria ; quod et factum est : unam tamen galeam imprudenter amiserunt.

CAPUT IX.

Rex obsessa Cahere urbe, pecuniam a soldano promissam exspectat. Soldanus vero a pactis resilire tentat, et Turcorum implorat auxilium.

At soldanus et sui interea moliri non cessant, quomodo regem a se repellant, dolisque peragunt, quod virtuti sentiunt deesse et fraudis commercio redimunt virium defectus. Promissa igitur pecunia, inducias pro solutione postulant ; allegant quantitatem multam nimis esse, nec in uno loco posse totam reperiri ; tempus auctius indulgendum, ut pactis pareatur ; datis tamen in continenti centum millibus, filium recipit et nepotem soldanus : pro summa reliqua duos nepotulos suos adhuc impuberes, obsides exhibet. Rex vero obsidione soluta, quasi per milliare recedens, circa hortum Balsami castra componit ; ubi per dies octo, crebris sed inutilibus soldani legationibus usus, tandem ad eum locum qui cognominatur Syriacus, transfert exercitus. Soldanus interim frequentibus nuntiis universum regnum sollicitat, quidquid armorum ubique est congerit, undecunque auxilia convocat, alimenta inducit, infirma urbis circuit et consolidat, omnem resistendi viam percurrit ; ad pugnam pro cervicibus, pro libertate, pro uxoribus et liberis, sermonibus suasoriis invitat ; casum proximæ civitatis lamentabilem ante oculos ponit : captivitatis acerbitatem, dominorum jugum importabile, servitutis extremam omnium conditionem exponit.

CAPUT X.

Milo de Planci sinistro consilio regis mentem subvertit. Siraconus ab Ægyptiis vocatus accedit ; rex ei occurrit in solitudine ; sed eo non invento, infecto negotio redit ad propria.

Erat in eodem domini regis exercitu vir quidam secundum carnem nobilis, sed moribus degener, neque Deum timens, neque ad hominem habens reverentiam, Milo videlicet de Planci, homo inverecundus, clamosus, detractor, seditiosus. Hic immoderatam domini regis cognoscens avaritiam, volens potiùs ei morem gerere quam salutaribus eum monere consiliis, consilium dederat ab initio, et obstinate seduloque persuadebat, ut ad hoc potissimum daret operam, ut regno in prædicta quantitate mulctato, cum calipha et soldano tentaret componere, quam Cahere et Babyloniam violenter effrin-

Digitized by Google

gere ; non quia, ut dicitur, posse fieri desperaret, sed ut elusis militibus, et cæteris qui ad prædam manus et animos intenderant, universum tanti laboris emolumentum, in regis fiscum videretur introducere. Expugnatis enim violenter urbibus, longe uberiores solent exercitus de spoliis reportare fructus, quam ubi regibus et principibus sub quodam fœderis nexu, certis conditionibus, ipsis tantum dominis utilibus, mancipantur. Ibi enim, utpote in tanto tumultu et depopulatione confusa, quod cuique quocunque casu occurrit, jure belli occupanti conceditur, et victoris auget peculium ; ibi vero solis regibus tractantur utilia ; et quæ sic accedunt, fisci juribus vindicantur. Et licet regibus et sublimioribus potestatibus accedens incrementum, in subditorum videatur redundare divitias, et omnium opulentiam cumulare, tamen avidius quæruntur, quæ familiares ditant lares et domesticis inseruntur rationibus. His itaque altercationibus dissidebant : pars maxima, diripi cuncta, et ferro decerni petebat ; rex autem cum suis partem amplectebatur oppositam ; prævaluit tamen sententia posterior, et regiæ satisfactum est voluntati. Locatis igitur nostris in vico prænominato, qui a Cahere quinque aut sex distat milliaribus, pene continuus et pro cujusque erat interpretum et nuntiorum discursus. Dum igitur quasi succedentes sibi ad regem dirigit legationes, et quam sedulus sit in colligenda pecunia significat, orat etiam ne moram causetur, sed patienter exspectet ; monet etiam et consulit, ne propius accedendo, calipham vel populum de contracto pacis fœdere plenius confidentem deterreat : subito futurum, ut censu tradito, felicibus auspiciis redire valeat. Dumque hujusmodi, quasi delusoriis præstigiis, nostros deludit apparatus, et recta persuadentium consilia, et salubriores monitus potiora suggerentium evacuat ; ecce rumor insonuit, quod Siraconus adveniens, innumeram Turcorum secum trahebat multitudinem ; quo compento, solutis castris, compositisque sarcinis, rex Pelusium redit. Ubi sumptis ad iter victualibus, relictis qui civitatem tuerentur, tam equitum quam peditum copiis, VIII Kal. Januarias, Siraeono in solitudinem obviam exit ; cumque jam aliquantulum esset in eremo processum, significatur regi per exploratores locorum guaros, et quibus erat fides habenda, quod cum suis legionibus Siraconus jam transierat. Hic jam opus erat novo consilio. Nam duplicatis hostium viribus, non erat tutum diuturniorem moram facere. Mora enim enorme secum trahebat periculum ; nam neque cum eis sane tutum videbatur conserere ; nec soldanus de cætero pactorum finibus stare volebat ; nec nos eum ad legem placidorum observandam compellere poteramus. Ad hoc enim de industria, et studiose dilatoriis ambagibus videbatur rem protraxisse, ut sic Turcis supervenientibus exire compelleremur. Redeunt igitur nostri Pelusium, ibique recepta parte exercitus, quæ ad urbis illius tuitionem relicta fuerat, altera post Kal. Januarias die, ordinatis agminibus, redeundi in Syriam iter arripiunt.

CAPUT XI.

Siraconus Ægyptum occupat ; soldanum interficit : et ipse paulo post vita defungitur.

Porro Siraconus videns temporum opportunitatem votis suis consonare, et rege abscedente jam non esse quidpiam, quod ejus desideriis præstet impedimentum, quod prius mente conceperat, mandat effectui. Castra igitur locat ante Cahere ; et quasi pacificus esset ejus introitus, patienter per aliquot dies sustinet, tanquam vir prudentissimus, nihil spirans asperum, nihil prætendens amarum, versutia, qua plurimum callebat, celans propositum. Egrediebatur ad eum Savar soldanus in castra quotidie, cum multa gloria et maximo comitatu ; et impenso quotidianæ visitationis officio et devotæ salutationis affatu, datis etiam muneribus, revertebatur. Jamque prosperi ingressus et regressus assiduitas securitatem videbatur polliceri ; et quod heri et nudiustertius cum reverentia fuerat susceptus, consuetudinem inducebat fidentiorem. Securum igitur et nimis de Turcorum fide præsumentem sceleris minister prævenit ; occulte suis præcipit, quod dum die sequenti, summo mane, quasi deambulaturus ad aquas egreditur, ea hora qua soldanus visitationis consuetudinem fecerat, venientem confoderent. Savar vero, diei parte solita, ut consuetæ visitationis et debitæ salutationis dependat alloquium, egreditur ad castra ; cui occurrentes mortis ejus ministri, exsecutioni mancipant quod fuerat imperatum. Dejectum enim ad terram, capite minuunt, gladiis obtruncant. Quod videntes ejus filii, citatis equis in Cahere se recipiunt, ante calipham consternati, et genibus provoluti pro vita supplicant. Quibus ille dicitur respondisse, ea conditione de vita sperandum, si nihil occulte cum Turcis molirentur : qui pactorum formam statim violantes, clam per internuntios cœperunt cum Siracono de pace tractare ; quod audiens calipha, utrumque jussit gladio interire. Sic ergo rege absente, Savar de medio sublato, Siraconus votis satisfacit suis ; regnum occupat ; et ingressus ad calipham, reverentiam impendit debitam. Ipse quoque versa vice plurimum honoratus, dignitate et officio soldanatus insignitur ; et gladii recipiens potestatem, Ægyptum sibi vindicat universam. *O cæca hominum cupiditas, et omni crimine major ! O nefanda cupidæ mentis et insatiabilis animi rabies ! Ecce, a quam quieto et tranquillo penitus statu, in quam turbulentum et anxietatibus plenum nos dejecit immoderatus habendi ardor ? Ægypti copiæ, opulentiarum immensitas nostris usibus famulabantur ; ex ea parte nostrum regnum tuta habebat latera ; non erat quem ab Austro formidaremus. Mare volentibus adire vias præstabat pacatiores ; nostri quoque negotiationis et commerciorum gratia, sine formidine, bonis conditionibus in Ægypti fines poterant introire. Ipsi quoque versa vice peregrinas inferentes divitias,*

Digitized by Google

commercia nostris incognita secum trahentes, utilitati simul et honori nobis erant, dum ad nos ingrediuntur. Præterea census annui immensa præstatio, tam fisco regio, quam domesticis singulorum peculiis vires præstabat, inferebat incrementum. At nunc e converso, cuncta calculum sunt sortita deteriorem; mutatus est color optimus, et versa est in luctum cithara nostra. Quocunque me vertam, suspectas invenio partes. Mare pacatos negat aditus, omnis vicina per circuitum regio hostibus paret, et in nostram se accingunt perniciem regna contermina. Hæc omnia hominis unius invexit cupiditas, et avaritia vitiorum radix nostra obnubilavit data divinitus serena. Sed ad historiam redeamus.

CAPUT XII.

Salahadinus ejus ex fratre nepos, defuncto succedit et regnum obtinet Ægypti.

Mortuo soldano et filiis ejus, quibus contra pietatis formam, necis indebitæ causas præbuimus, Siraconus voti compos obtinuit principatum; verum hoc successu non diu est lætatus; nam vix anno potitus imperio, rebus humanis exemptus est: cui successit Salahadinus fratris ejus Negemedini filius, vir acris ingenii, armis strenuus et supra modum liberalis. Hic primis auspiciis sui principatus ad caliphæ dominum suum, ut solitam illi exhiberet reverentiam, ingressus, clava quam gestabat in manibus, dicitur eum ad terram prostratum occidisse, omnemque ejus gladio transverberasse progeniem, ut ad nullum superiorem habens respectum, ipse sibi et caliphæ et soldanus esset: timebat enim, ne ad se ingredientem aliquando, quia jam Turci populo invisi habebantur, jugulari præciperet. Prævenit ergo eum, et sibi more domini nihil tale verenti mortem intulit, quam eidem ille, ut dicitur, parabat intentare. Mortuo igitur caliphæ, regiam gazam et thesauros et cuncta illius domus desiderabilia, pro libero diripiens arbitrio, cuncta liberaliter nimis, militibus erogavit, ita ut intra paucos dies evacuatis vestiariis, ipse mutuam sumens pecuniam, gravi pondere se obligaret æris alieni. Non defuerunt tamen, ut dicitur, qui de filiis caliphæ occulte quosdam eriperent, ea intentione, ut, reddita Ægyptiis aliquando regni administratione, non deesset qui prædecessoribus suis, nominis, dignitatis et sanguinis hæres existeret.

CAPUT XIII.

Bernardus monasterii montis Thabor abbas, Liddensi Ecclesiæ præficitur. Fredericus Tyrensis archiepiscopus ab Occidentalibus principibus petiturus auxilium, ad partes dirigitur occiduas.

Domino rege in regnum reverso, nil memoria dignum prima illius anni parte gestum est, nisi quod defuncto Raynero, bonæ memoriæ Liddensi episcopo, Bernardus abbas ecclesiæ montis Thabor, in eadem ecclesia inthronizatus est. Vere tamen sequente, quod erat sexti anni domini Amalrici initium, videntes regni prudentiores, quod in subjugata Turcis Ægypto, plurimum nobis decesserat, et multo deterior facta erat nostra conditio: nam violentissimus hostis noster, Noradinus per mare poterat, classe numerosa ex Ægypto proficiscente, regnum nostrum arctare non modicum, et quamlibet ex maritimis urbibus utroque vallare exercitu; et quod formidabilius erat, peregrinis ad nos transitum impedire aut negare penitus; consulunt opus esse, ut de prælatis ecclesiarum viri venerabiles, prudentes et eloquentia præditi, ad Occidentis principes dirigerentur, qui doceant et diligenter insinuent regni pressuras importabiles; et populi Christiani afflictionem, et casus asperos fratribus imminentes. Electi sunt ergo de communi consilio in opus ministerii hujus dominus patriarcha, dominus Ernesius Cæsariensis archiepiscopus, dominus Willelmus Acconensis episcopus; sumptisque tam domini regis quam universorum episcoporum litteris, ad dominum Fredericum Romanorum imperatorem, ad dominum Ludovicum Francorum regem, ad dominum Henricum regem Anglorum, ad dominum Willelmum Siciliæ regem; ad comites quoque, nobiles et inclytos Philippum Flandrensem, Henricum Trecensem, Theobaldum Carnotensem, et ad reliquos Occidentalium partium principes, navem conscendunt. Sed subito sequenti nocte oborta tempestate maxima, nave quassata, fractis remigiis, malis depositis, plurimum turbati, post triduum, vix evadentes naufragium, reversi sunt. Successit eis in eadem legatione dominus Fredericus Tyrensis archiepiscopus, multa precum domini regis et principum devictus instantia, ducens secum dominum Joannem Paneadensem episcopum, ejusdem ecclesiæ suffraganeum; qui melioribus auspiciis navem ingressi, feliciter ad optatum portum navigaverunt; parum tamen in negotio quod eis injunctum fuerat, proficientes. Nam prædictus episcopus, postquam in Franciam pervenit, statim apud Parisios ultimum clausit diem; dominus vero archiepiscopus completo biennio, omnino vacuus reversus est.

CAPUT XIV.

Imperator pactis volens satisfacere, classem in Syriam dirigit, et quosdam de suis principibus.

Transcursa illa æstate, absque factis memorabilibus, circa prima autumni sequentis initia, fidei memor, et pacta memoriter tenens, quæ cum domino rege per nostram mediationem et per interpositum studium dominus imperator firmaverat, classem dirigit promissam, in eo facto plurimum commendabilis; nam imperiali magnificentia placidorum legem plenius interpretatus, promissum uberiore cumulavit solutione. Erant sane in præfato exercitu naves longæ, rostratæ, geminis remorum instructæ ordinibus, bellicis usibus habiliores, quæ vulgo galeæ dicuntur, centum quinquaginta. Item his majores ad deportandos equos deputatæ, ostia habentes in puppibus, ad inducendos educendosque eos patentia, pontibus etiam quibus ad ingressum et exitum, tam hominum quam equorum, procura-

Digitized by Google

batur commoditas, communitæ, sexaginta. Item harum maximæ, quæ dromones dicuntur, alimentis varii generis armisque multiplicibus, machinis quoque et tormentis bellicis usque ad summum refertæ, decem aut duodecim. Misit autem cum classe de suis principibus Megalducas consanguineum suum, quem universis præfecit, et quemdam alium Mauresium nomine, sibi valde familiarem, de cujus experientia (sicut postea plenius patuit) plurimum confidebat; nam eumdem postmodum universo suo præfecit imperio. Comitem quoque Alexandrum de Conversana, nobilem de Apulia virum; quem ob insignem fidem, et multam erga se devotionem, dominus imperator charum habebat et acceptum. His curam sui committens exercitus, in nostrum dirigit Orientem; qui prospera usi navigatione, circa finem Septembris portum ingrediuntur Tyrense n: inde Accon profecti, inter fluvium et portum placida statione componunt.

CAPUT XV.

Rex in Ægyptum descendit cum suis expeditionibus; Græcis quoque, tam navigio quam per terram eum sequentibus.

Anno igitur ab Incarnatione Domini 1169, a liberatione vero urbis sexagesimo octavo, regni vero domini Amalrici anno sexto, Idibus Octobris: compositis regni negotiis, relicta etiam militia, quæ in regis absentia ab insidiis et incursionibus Noradini, quem circa partes Damascenas commorantem reliquerat, regnum tueretur; congregatus est universus exercitus tam Latinorum quam Græcorum apud Ascalonam, classe jam a portu Acconensi per dies aliquot egressa, et iter contra fines Ægyptios agente *. Septimo igitur decimo Kal. Septembris, ab urbe prædicta egredientes, per mansiones competentes, ubi aquarum non deesset commoditas, et ne peditum phalanges supra vires gravarentur, itineribus moderatis, Pharamiam urbem antiquissimam, nona demum die perveniunt. Mediam autem hanc viam, maritimam oram sequi volentibus, fortuitus quidam casus nuper reddiderat productiorem. Evictis namque verbere assueto et pene continuo assultu quibusdam arenarum aggeribus, qui medii inter planiora quædam loca et fretum vicinum interponebantur, mare violenter fractis obicibus, viam sibi evicerat, et liberum sibi introitum ad illam ulteriorem vindicaverat planitiem; quo licentia influens liberiore, stagnum effecerat ore quidem angusto, sed intus campos obtinens patentiores. Ubi ab illa die marinis influxionibus tanta solet piscium includi multitudo, ut non solum finitimis, verum etiam remotis urbibus uberiores et inauditas piscium præstet commoditates. Occupatis igitur salo restagnante locis mari vicinioribus, volentibus secus æquorea transire littora et in Ægyptum descendere, objectum est dispendium, quod stagnum circumire, et milliaribus decem, vel eo amplius digredi, antequam ad littus iterum redeatur, quadam necessitate compellat. Hæc autem gratia miraculi, et de novo factæ irruptionis interceruimus; et quod pars solitudinis prius obnoxia solis ardoribus, nunc subjecta fluctibus, et natantium facta familiaris, navigiis patens, piscatorum implet retia, et præter solitum facta fecundior, fructus reddit prius incognitos. Pharamia vero, unde supra fecimus mentionem, civitas deserta, olim multo frequentata habitatore, juxta primum Nili ostium, quo marinis excipitur fluctibus, sita est, quod vulgo Carabes dicitur, eremo juncta, inter fluvium, mare et solitudinem posita; distat tamen ab ostio fluminis milliaribus tribus: ad quam nostri pervenientes, classem nostram reperiunt advenisse. Ubi aptatis navibus cum remige necessario, universus in ulteriorem ripam deportatur exercitus. Relinquentes igitur a læva Tapnim, eximiam olim metropolim, nunc autem parvissimi ad instar redactam oppidi, inter loca palustria et maris littus viam carpentes mediam, quasi milliaribus viginti, duobus diebus Damiatam perveniunt.

CAPUT XVI.

Rex Damiatam obsidet; et in ejus expugnatione tam Latinorum quam Græcorum inutiliter desudat exercitus.

Est autem Damiata inter Ægypti metropoles antiqua et nobilis plurimum, secus ripam Nili sita citeriorem, ubi secundo ostio prædictus fluvius mare ingreditur, inter fluminis alveum et mare, situ valde commodo posita; a mari tamen, quasi milliario distans; ad quam VI Kal. Novembris noster perveniens exercitus, inter urbem et mare castrametati sunt, classem exspectantes, quæ maris inclementia et ventorum adversis flatibus detinebatur; quæ post triduum, pacata maris unda et ventis usa secundis alveum amnis ingressa, inter civitatem et mare, secus ripam, placita se statione locavit. Porro in ulteriore fluminis ripa erat turris singulariter erecta, armatis sufficienter ad sui præsidium munita. Ab hac usque ad civitatem catena protendebatur ferrea, quæ nostris maximum dabat impedimentum, ita ut ad superiora nullus omnino pateret transitus. Ad eos vero de superioribus, a Babylonia et Cahere, libere et absque impedimento, poterant naves quælibet introire. Classe igitur composita, nostri quoque pomœria quæ inter castra et urbem media jacebant, transeuntes, urbi viciniora figunt tentoria, unde liber ad mœnia erat discursus. Ubi dum per triduum assultus differunt, experimento discunt quam verum sit:

Nocuit differre paratis.

Advenientes enim de superioribus Ægypti partibus Turcorum infinitæ multitudines, et armatis naves onustæ, nostris videntibus, nec impedire valentibus, urbem prius pene vacuam, replebant. Et quam primo accessu vix primos impetus sustinere posse judicaverant, nunc non nisi machinis et tormentis bellicis expugnandam asserunt. Eliguntur ergo artifices, et pro votis subjecta materia, sumptu numerosiore et labore maximo erigitur castellum miræ altitudinis,

Digitized by Google

septem habens solia, unde civitas tota videri poterat. Construuntur et aliæ varii generis machinæ quædam, quibus magnis molaribus cædantur mœnia; quædam, quibus quasi caveis occultis, fossores muros urbis suffodiant, et subterraneis meatibus suffossos compellant ad ruinam. Fabrefactis interim machinis, et per itinera complanata secus murum collocatis, qui in castello erant, urbanos sagittis, saxis pugillaribus et armis qualia furor et loci angustia ministrabat, urgebant cum instantia; qui vero sub jaculatoriis tormentis, missis molaribus, certatim mœnia, et juncta mœnibus domicilia dejicere adoriuntur. Hoc videntes oppidani, ut arte artem deludant, et nostris moliminibus eadem subtilitate obvient, e regione nostri castellum educunt in sublime; armatos imponunt, qui nostris renitantur a pari, et eis æquipollenti conatu respondeant: tormenta nihilominus tormentis objiciunt; et ad nostra confringenda argumentis quibus possunt, tota sollicitudine se suspendunt. Fiunt ad sui tuitionem solertes, et ingenium a necessitate vires sumit. Quique prius arbitrabantur se ad hoc non sufficere, necessitatis pressi articulo, vias inveniunt prius incognitas, et ad propriæ salutis tutelam fiunt ex obtusis subtiliores. Ibi erat experimento cognoscere, quam verum sit illud proverbialiter dictum:

Miserisque venit solertia rebus.
(Ovid.)

Nostri vero cum instare acrius debuissent, timide gelideque cœperunt cuncta ministrare; erant qui fraudi, erant et qui incuriæ et negligentiæ imputarent. Ibi profecto patuit statim, nostros aut minus experientiæ habuisse, aut a solita defecisse prudentia, aut exercitus moderatores malitiose versatos; cum castellum quod erectum fuerat, per loca clivosa et pene invia muris applicari jusserunt. Nam cum essent in eadem parte civitatis mœnia in multis locis humiliora et infirma nimis et loca multa assultibus et expugnationi facilius pervia, castellum erexerunt in ea parte civitatis, quæ firmior et magis munita habebatur, et ubi cum tanta difficultate mœnibus est applicatum, quanta alibi nusquam occurrisset; nec ibi civibus quidquam inferebat molestiæ, aut eorum ædificiis, sed soli basilicæ sanctæ Dei Genitricis, quæ juxta muros sita est. Illud sane nihil habet ambigui, qui de malitia, more processerit, quod primo nostrorum adventu dilata est urbis impugnatio; nam vacuam reperientes eam, dum non nisi domesticos haberet suos, viros imbelles, effeminatos, præliorum ignaros, si pro debito animosius institissent, primis congressionibus eam occupassent violenter. Concessæ namque feriæ tantum virium obsessis intulerunt, tantaque medio tempore virorum fortium et egregie armatorum accessit numerositas, ut non solum intra mœnia, sed etiam in campestribus nostrorum impetus possent sustinere.

CAPUT XVII.

Oritur in castris fames, et nostra classis pene tota incenditur, tandem solvitur obsidio, opera consumpta inutiliter.

Accessit præterea miserabile quiddam, quod omnis illa quæ in classe venerat Græcorum multitudo tanta cœpit alimentorum inopia laborare, ut omnino panis eis omnibus deficeret, nec ciborum quidpiam apud eos inveniretur. Cædebatur ad usus varios silva palmarum castris contermina; dejectisque ad terram certatim arboribus, in summo earum, unde rami habent originem, Græci fame laborantes, quærebant multo studio quamdam teneritudinem, unde ramis humor vivalis ministratur, esui quodammodo habilem; unde suam, licet misere, consolabantur esuriem. *Quærendi victus artem fames auxerat; et ventris appetitus rugientis, solertiam induxerat ampliorem.* Hoc sane per dies aliquot edulio vitam misere protrahentes, famem laborabant depellere. Quibusdam tamen, qui non penitus erant alimonia destituti, avellanæ, passæ et siccæ castaneæ contra famis importunitatem solatia ministrabant. Nostris autem panis, et varii generis alimentorum non deerat sufficientia; sed cogitantes de crastino, sacculis parcebant, timentes ne si ipsi cibos non habentibus incaute dividerent, aliquando et ipsis deficeret; iterum et de mora incerti, tempus prolixius habebant suspectum. Præterea tanta imbrium abundantia, tanta pluviarum intemperies per idem tempus incubuit, ut neque tuguriis pauperiores, nec papilionibus divites arte qualibet arcere possent stillicidia, imo nimborum redundantiam. Vallo igitur cingentes tentoria, ut illuc pluviarum defluere impetus, vix in tuto se poterant collocare. Accidit quoque per eosdem dies grande nimis infortunium. Nam cum galeas, et cæteras diversi generis naves, a mari eductas, in fluminis alveum introduxissent, et juxta civitatem tuta, ut videbatur, statione ordinassent; videntes oppidani quod ventus a superioribus descenderet, et quasi Nili fluenta sequeretur aliquantulum vehementior, quod conceperant, in opus trahere nituntur. Accipientes enim mediæ quantitatis cymbam, lignis aridis, pice et liquamine, et omnibus his quæ solent ignibus incentivum ministrare, eam usque ad summum ejus replentes, ignem subjiciunt; et accensam, in classem nostram, flumine eam gratis deferente, dirigunt; nec deerat austri flatus, qui suppositis ignibus ministrabat irrumentum, sumpta occasione ex subjecta materia. Descendens igitur incensa navicula in classem, reperiensque eam quasi contiguam, transire non valens, hæsit inter rates; præbitoque quod gestabat incendio, sex ex rostratis navibus, quas galeas vocant, usque in favillas exussit: universamque classem ignis invalescens penitus occupasset, nisi domini regis sollicitudo, qui comperto incendio, nudis adhuc pedibus, equum velociter conscendens, nautas ad resistendum ignibus, manu multisque clamoribus excitasset. Dividentes itaque eas ab invicem,

Digitized by Google

late vagantis incendii furorem, declinaverunt. Si quæ vero vicini odore incendii conflagrare cœperant, ignis fomitem, vel in favilla, vel alio modo secum trahentes, beneficio fluminis et vicinarum aspergine aquarum, remedium consequebantur. Fiebant præterea, sed diebus interpolatis, in urbem assultus, in quibus, secundum hoc quod bellorum dubius solet esse eventus, nunc nostri, nunc hostes deteriorem calculum reportabant; frequentius tamen nostri pugnandi occasionem ministrabant. Nam hostes raro, nisi lacessiti, ad congressum provocabant; nonnunquam tamen per adulterinam portam, quæ Græcorum respiciebat castra, in eos irruptiones subitas faciebant oppidani, nescimus qua fiducia adducti; aut quod nostris eos audierant naturaliter invalidiores, aut quia fame periclitantes, ad sustinendos impetus minus reputabant idoneos. Eorum tamen magistratus Megaducas, et alii viriliter et satis strenue, quoties opus erat, in acie decertabant. Unde eorum exemplo inferiores animati, plerumque etiam præter solitum, et instabant acrius, et animosius resistebant. Augebantur porro civibus, tam per terras quam navigio, turbæ militares, ut jam de cætero nostris, magis essent formidini qui infra mœnia tenebantur, quam molestiæ aliquid pati, qui dicebantur obsessi. Murmur ergo jam serpebat in populo, et erat omnium pene una sententia, nostros operam inutiliter consumere: irata Divinitate se hoc opus cœpisse; tutius esse redire ad propria, quam in Ægypto fame tabescere, vel hostium gladiis deputari. Mediantibus ergo nostris, et de satrapis Turcorum nonnullis, et maxime quodam eorum principe, fideliter operam dante, Jevelino videlicet, consonantibus in id ipsum Græcis, occultis quibusdam conditionibus fœdus initur; mox voce præconia pax indicitur.

CAPUT XVIII.

Revocatis expeditionibus, rex ad propria revertitur. Græcorum classis in redeundo pene tota deperit, sinistris acta flatibus.

Egrediuntur ergo tam de civibus, quam de his qui in eorum subsidium venerant, ad nostrorum castra, pro libero arbitrio; nostris quoque volentibus urbem introire, liber introitus et egressus sine difficultate patebat. Hic tandem mutuorum data est facultas commerciorum, et quod cuique libitum erat emere vel permutare, facta est licentia. Sic ergo quasi per triduum nostri communi cum hostibus usi rerum venalium foro, ad iter se accingunt. Depositis igitur machinis et igne succensis, qui terrestri venerant itinere, dominum regem secuti, eadem qua venerant via in Syriam revertentes maturatis gressibus, XII Kal. Januarias Ascalonam pervenerunt. Dominus vero rex, gratia vicinæ festivitatis, Accon properans, in vigilia Nativitatis Dominicæ, eamdem attigit civitatem. Qui autem navigio venerant, omine sinistro et infaustis avibus naves conscendunt; nam statim in primo obeundi itineris initio, exorta subito validissima tempestate, fretorum experti insuperabilem malitiam, confractis navibus et collisis ad littora, omnes pene passi sunt naufragium. Sic itaque de tanta classe, quæ ad nos descenderat, tam de majoribus, quam de minoribus, paucæ naves reservatæ sunt incolumes, quæ ad redeundum ex se ipsis præstarent habilitatem. Infecto igitur negotio, omni tamen diligentia, qua compleri debebat, a nuntiis domini imperatoris impensa, et debita sollicitudine procurandis negotiis exhibita, domum redeunt, dejecti animo, fati adversitate consternati; timentes ne sibi, præter meritum, imperialis excellentia sinistrum imputaret eventum; et quod casus attulerat inevitabilis, ira succensus eorum dominus, indebite eorum ascriberet aut malitiæ, aut neglectui. Meminimus tamen, post reditum nostrum, tam a domino rege, quam a quibusdam regni principibus, sollicite et diligenter quæsisse, quænam causa fuerit quod tantus exercitus, tantorum principum studio procuratus, ita in proposito defecerit. Nam nos eo anno, familiaribus tracti negotiis, et domini archiepiscopi nostri declinantes indignationem immeritam, ad Ecclesiam nos contuleramus Romanam; reversi autem, prædictæ quæstionis solutionem quærentes, variis multorum relationibus de rei veritate cupiebamus edoceri; nam longe a spe nostra dicebatur accidisse; qua sollicitudine nostra nos trahente, hæc omnia scripto mandare jam conceperamus. Invenimus Græcos etiam in prædicto negotio, non sine lata culpa fuisse. Nam cum pecuniam ad alendum tantum exercitum sufficientem, se missurum firmissime promisisset dominus imperator, in ea parte inventus est sermo ejus minus soliditatis habuisse. Ex quo enim in Ægyptum descenderant ejus archontes, ubi etiam aliis indigentibus, de imperiali magnificentia subvenire debuissent, cœperunt ipsi primitus indigere et mutuam quærere pecuniam, unde suis legionibus tam ad victum quam ad stipendia providerent; et nemo illis dabat.

CAPUT XIX.

Terræmotus maximus pene universum concutit Orientem, et urbes dejicit antiquissimas.

Æstate vero sequente, anno videlicet domini Amalrici septimo, mense Junio, tantus tamque vehemens circa partes Orientales terræmotus factus est, quantus qualisque memoria sæculi præsentis hominum, nunquam legitur accidisse. Hic universi Orientalis tractus urbes antiquissimas et munitissimas, funditus diruens, habitatores earum ruina involvens, ædificiorum casu contrivit, ut ad exiguam redigeret paucitatem. Non erat usque ad extremum terræ locus quem familiaris jactura, dolor domesticus non angeret: ubique luctus, ubique funebria tractabantur. Inter quas et provinciarum nostrarum, Syriæ et Phœnicis urbes quam maximas, et serie sæculorum antiquitate nobiles, solotenus dejecit. In Cœlesyria, multarum provin-

Digitized by Google

ciarum metropolim, olimque multorum moderatricem regnorum, Antiochiam, cum populo in ea commorante, stravit funditus; mœnia, et in eorum circuitu turres validissimas, incomparabilis soliditatis opera, ecclesias, et quælibet ædificia tanto subvertit impetu, quod usque hodie multis laboribus et sumptibus immensis, continua sollicitudine et indefesso studio vix possunt saltem ad statum mediocrem reparari. Ceciderunt in eadem provincia urbes egregiæ de maritimis quidem, Gabulum et Laodicia; de mediterraneis vero, licet ab hostibus detinerentur, Nerea, quæ alio nomine dicitur Halapia, Cæsara, Hamum, Emissa et aliæ multæ; municipiorum autem non erat numerus. In Phœnicia autem, Tripolis, civitas nobilis et populosa, III Kal. Julii, tanto terræmotus impetu, circa primam diei horam, subito concussa est, ut vix uni de omnibus, qui infra ejus ambitum reperti sunt, salutis via pateret. Facta est tota civitas quasi agger lapidum, et oppressorum civium tumulus, et sepulcrum publicum. Sed et Tyri, quæ est ejusdem provinciæ metropolis famosissima, terræmotus violenter, absque tamen civium periculo, turres quasdam robustissimas dejecit. Inveniebantur, tam apud nos quam apud hostes, oppida semiruta, et insidiis et hostium viribus late patentia. Sed dum quisque districti judicis iram sibi metuit, alium molestare pertimescit. Sufficit cuique dolor suus, et dum quemlibet cura fatigat domestica, alii differt inferre molestias. Facta est, sed brevis, pax, hominum studio procurata; et fœdus compositum, divinorum judiciorum timore conscriptum; et dum indignationem peccatis suis debitam exspectat quisque desuper, ab iis quæ solent hostiliter inferri, manum revocat et impetus moderatur. Nec ad horam, ut plerumque solet, fuit ista iræ Dei revelatio; sed tribus aut quatuor mensibus, vel etiam eo amplius, ter aut quater vel plerumque sæpius, vel in die vel in nocte, sentiebatur motus ille tam formidabilis. Omnis motus jam suspectus erat, et nusquam tuta inveniebatur quies. Sed et dormientis animus plerumque, quod vigilans timuerat, perhorrescens, in subitum saltum, rupta quiete, corpus agitari compellebat. Superiores tamen nostræ provinciæ, Palestinæ videlicet, horum omnium, Domino protegente, fuerunt expertes malorum.

CAPUT XX.

Salahadinus nostros fines ingreditur, et castrum cui est nomen Darum obsidet.

Eodem anno, mense Decembri, anno videlicet domini Amalrici septimo, frequens fama circumvolat, et crebris nuntiis divulgabatur, quod Salahadinus convocatis ex universa Ægypto, et finibus Damascenorum militaribus copiis, ampliatoque ex plebeis et secundæ classis hominibus militum numero, regnum nostrum depopulaturus, ad partes Palæstinas moliebatur accedere. Quo audito, dominus rex sub omni celeritate in fines ascendit Ascalonitanas. Ubi fida suorum relatione, pro certo cognovit, quod prædictus magnus et potentissimus princeps cum exercitu copioso valde, et solito ampliore, castrum, cui nomen Darum, per biduum obsederat; tantamque illo biduo, obsessis nulla data requie, intulerat molestiam, tantis tamque frequentibus sagittarum immissionibus eos, qui in præsidio erant, lacessiverat, ut omnibus, pene sauciis, pauci pro loci defensione arma possent corripere. Muro etiam suffosso et effracto violentius, partem municipii jam occupaverat, oppidanis in arcem, quæ munitior videbatur, de necessitate se recipientibus: ejus quoque turris in partem inferiorem, effracto et incenso ostio, violenter irruperant, militibus, qui intus erant, ejus partes superiores, adhuc tuentibus: ita domino regi nuntiabatur; et vere sic erat. Erat autem eidem præsidio dux et custos datus, vir nobilis et in armis strenuus, religiosus ac timens Deum, dominus Ansellus de Pass; cujus si forte præsentiam illa die prædictum castrum non habuisset, procul omni dubio in manus hostium devenisset. Quo comperto, rex, tactus dolore cordis intrinsecus et succensus ira, quantum angustia temporis et hostium vicinitas patiebantur, convocatis undecunque tam equitum quam peditum suffragiis, urbe Ascalona egressus, octava decima die mensis prædicti, Gazam contendit. Adfuit ibi cum eo dominus patriarcha, cum venerabili et pretioso vivificæ crucis ligno. Adfuerunt et viri venerabiles, dominus Radulphus Bethlehemita episcopus et regni cancellarius: item dominus Bernardus Liddensis episcopus, et de regni principibus pauci admodum. Recensitoque suorum numero, vix inveniunt equites ducentos quinquaginta, de peditibus vero ad duo millia. Illam ergo noctem in prædicto loco præ sollicitudinis et curarum pondere insomnem trahentes, assumptis sibi fratribus Templi, qui illuc pro tuitione loci convenerant, circa ortum solis urbe unanimiter egrediuntur, iter suum ad prædictum castrum dirigentes. Est autem, ut credimus, prædictum castrum in Idumæa (ipsa est Edom) situm, trans torrentem illum qui dicitur Ægypti, qui etiam terminus est Palæstinæ et prædictæ regionis. Hoc ipsum idem dominus Amalricus paucis ante annis, in loco aliquantulum eminente fundaverat, occasione vetustiorum ædificiorum, quorum ibi aliqua adhuc supererant vestigia. Traditur autem a senioribus illarum partium incolis, quod priscis temporibus ibi fuerat monasterium, Græcorum unde et adhuc nomen tenet, Darum; quod interpretatur *domus Græcorum*. Fundaverat autem, ut prædiximus, dominus rex illic castrum modicæ quantitatis, vix tantum spatium intra se continens, quantum est jactus lapidis, formæ quadræ, quatuor turres habens angulares, quarum una grossior et munitior erat aliis: sed tamen absque vallo erat et sine antemurali. Distat autem a mari quasi stadiis quinque, a Gaza vero milliaribus quatuor. Convenerant autem aliqui ex locis finitimis agrorum cultores, et negotiationibus quidam ope-

Digitized by Google

ram dantes; ædificaverant ibi suburbium et ecclesiam non longe a præsidio, facti illius loci habitatores. Erat enim locus commodus, et ubi tenuiores homines facilius proficerent quam in urbibus. Condiderat autem rex ea intentione prædictum municipium, ut et fines suos dilataret, et suburbanorum adjacentium, quæ nostri casalia dicunt, et annuos redditus, et de transeuntibus statutas consuetudines plenius et facilius sibi posset habere.

CAPUT XXI.

Rex cum modica militum manu illi occurrit; plures ex nostris tam in urbe Gaza, quam in itinere, ab hostibus obtruncantur.

Egressus ergo Gaza noster exercitus, et in edito quodam loco, qui in ipso itinere erat, constitutus, castra videt hostium; et præ nimia multitudine territi, cœperunt se solito arctius comprimere, ita ut præ turbæ densitate vix possent incedere. Illi statim in nostros irruentes, tentabant, si unquam eos possent ab invicem separare; sed nostri, propitia Divinitate, solidius inter se conglobati, et hostium sustinebant impetus, et iter maturatis gressibus conficiebant. Tandem ventum est ad locum destinatum, ibique defixis tentoriis, stetit universus exercitus; dominoque patriarcha in arce locato, reliqui omnes extra et juxta suburbium castrametati sunt. Erat autem hora diei, quasi sexta. Habitis ergo illa die singularibus conflictibus et per turmas nonnullis, nostri et audacter institerunt, et restiterunt viriliter. Nocte autem accedente, Salahadinus, ordinatis agminibus, versus Gazam suos dirigit exercitus; nocteque illa secus torrentem quieverunt: facto mane, ante Gazam constituti, urbi cœperunt approximare. Fuit autem Gaza urbs antiquissima, Philisthiim metropolis egregia, cujus in historiis tam ecclesiasticis quam sæcularibus, multa fit mentio; cujus etiam hodie, vetustæ nobilitatis, in nobilibus ædificiis, multa exstant argumenta. Jacuit autem multis temporibus deserta, ita ut nec uno incoleretur habitatore, quousque dominus Balduinus, illustris memoriæ Hierosolymorum rex quartus, ante captam Ascalonam, collectis regni viribus et publicis sumptibus, castrum in quadam parte civitatis munitum satis, ædificavit, constructumque statim fratribus militiæ Templi donavit, jure perpetuo possidendum. Castrum ergo totum collem, supra quem civitas fundata fuerat, ut prædiximus, non potuit occupare; sed convenientes quidam ad loci illius habitationem, ut tutius ibi morarentur, reliquam partem collis, portis et muro, sed humili et infirmo, tentaverant munire. Audito ergo hostium adventu, loci illius habitatores, cum uxoribus et parvulis, decreverant in præsidium introire; erant enim homines inermes, agrorum cultores, talibus inassueti; reliquam vero civitatis partem, tanquam immunitam hostibus exponere. Sed Milo de Planci, quidam de regni magnatibus, sed vir nequam, volens quasi populum animare, introire penitus prohibebat, et ad tuendam urbis partem invalidiorem hortabatur. Erant porro ibi juvenes expediti et ad arma prompti, sexaginta quinque, de partibus Hierosolymitanis, de vico qui dicitur Macomeria. Illi ad exercitum properantes, casu nocte illa in eamdem urbem devenerant; qui dum de mandato prædicti Milonis, secus portam exterioris civitatis, pro libertate et patria strenue decertant, et hostibus viam ferro aperire volentibus fortiter resistunt, hostes ex alia parte in civitatem irruentes, inter præsidium et dictam portam, adhuc introitum hostibus negantes, reperiunt; irruentesque a tergo, incautos vallant undique, et jam resistere non valentes, gladiis obtruncant. Sed tamen multis ex eis peremptis, vulneratisque pluribus, cruentam de eis victoriam retulerunt. Volentes autem loci habitatores iterum in præsidium introire, receptis jam hostibus infra mœnia, et eos passim et sine delectu neci tradentibus, non est permissum; nec ulla alia salutis occurrebat via. Irruentes igitur Turci ubi civitatem occupaverunt, nec ætati parcunt, nec sexui; et vagientes saxis allidentes, iram vix poterant satiare. Qui autem in præsidio erant, hostes a turribus et muris lapidum jactu et crebra telorum immissione longius arcentes, castrum, propitio Domino, servaverunt incolume. Sic ergo occupata civitate, civibus interemptis, quasi palmam tenentes, versus Darum revertuntur; dumque proficiscuntur, inveniunt de peditibus nostris quasi quinquaginta, qui ad exercitum nostrum incaute properabant. Hos satis viriliter se tuentes et resistentes fortiter gladiis enecant et interficiunt universos.

CAPUT XXII.

Salahadinus ad propria revertitur. Rex quoque, reparato castro, quod ex parte dirutum fuerat, rediit Ascalonam.

Compositis igitur agminibus, et in aciem prout rei militaris exigit disciplina, digestis, quadraginta duas instruunt cohortes, quarum viginti duas littus jubent sequi marinum, ut inter Darum et mare proficiscantur; reliquas autem iter mediterraneum tenere præcipiunt, quousque castro præteritc, omnes in unum corpus iterum se recipiant. Videntes ergo nostri, hostes instructis redire ordinibus, ad conflictum se præparant; et licet pauci sunt, confidunt tamen de Domini clementia; invocatoque de supernis auxilio, accinguntur ad prælium, Domino ministrante vires et animorum constantiam, nihil putantes certius, quam eos ad hoc redire, ut cum nostris congrediantur: at illi longe aliud habentes propositum, nec ad dextram nec ad lævam declinantes, in Ægyptum redire festinabant. Quod postquam domino regi per certos constitit nuntios, quod iter arripuerant non redituri, relictis qui castrum semirutum reædificent, reædificatum muniant amplius, et munitum fideliter custodiant, Ascalonam cum suis, Domino ducente, iterum reversus est. Dicebatur ab iis qui frequentius in regno expeditiones viderant, quod nulla ætate tantam Turcorum multitudinem collectam audierant; reputabaturque

Digitized by Google

hostium numerus, in quibus nonnisi equites erant, ad millia quadraginta.

CAPUT XXIII.

Eodem quoque anno gloriosus Christi martyr, Thomas Cantuariensis archiepiscopus, in propria occiditur ecclesia.

Per idem tempus, IV Kal. Januarias, in Anglia apud Cantuariam, nobilem et eximiam ejusdem provinciæ metropolim, celebrata est passio beatissimi et gloriosissimi martyris Thomæ, ejusdem civitatis archiepiscopi. Hic fuit natione Londoniensis, et sub bonæ memoriæ Theobaldo Cantuariensis civitatis antistite, meruit in archidiaconum ejusdem ecclesiæ promoveri. Unde ab Henrico secundo, ejusdem provinciæ rege, in partem regiæ sollicitudinis vocatus, factus est ejus cancellarius, et universi regni fidelis et prudens, et maximus procurator. Tandem, suffragantibus meritis, et post prædicti beati patris obitum, ad Cantuariensem, ordinante Domino, vocatus ecclesiam, dum pro ecclesiæ suæ justitia viriliter et constantissime contra tyrannicas decertat impietates, eumdem regem persecutorem fugiens, exsilium compulsus est subire, quod in Francia, septennio continuo, mirabili et prædicanda tulit patientia. A quo dum pacem promissam exspectat, rediens, impiorum gladiis, intra eamdem ecclesiam, cui auctore Domino præsidebat, contumeliis affectus, pro persecutoribus orans, capite cæsus, proprio sanguine laureatus, felici commercio, martyrio coronatus est; per quem pius et misericors Dominus, in sæpedicta ecclesia et universa provincia, tot et tanta diebus pene singulis operari dignatur miracula, ut apostolorum videantur innovata tempora

CAPUT XXIV.

Rex assumptis secum aliquot de principibus suis, Constantinopolim proficiscitur: imperator eum multiplici honore prævenire satagit.

Sequenti anno, qui erat regni domini Amalrici septimus, videns sæpedictus rex, quantis molestiis regnum quotidie fatigabatur, et quod hostium incessanter augebatur numerus, virtus suscipiebat incrementum, in immensum quoque facultates eorum multiplicabantur et divitiæ; regni nostri autem providi principes et discreti jam penitus defecerant, et in eorum loco soboles succrescebat perniciosa, quæ locum tantorum virorum inutiliter occupabat, et bona paterna in usus dilapidabat detestabiles: unde regnum in tantam devenerat debilitatem, quantam cognoscere poterant, etiam qui sensus habebant minus exercitatos: convocat universos regni principes, ibique eis præsentibus, regni necessitates aperit, expetit ab eis consilium: *quomodo his malis, ne regnum depereat, possit obviari.* At illi ex præsente, deliberatione habita, quasi ex sententia unanimiter responderunt: *Regnum peccatis nostris exigentibus, in hunc devenisse articulum, quod neque ad impugnandum adversarios, neque ad sustinendos eorum impetus sufficiebat. Opus esse dicunt, ut, implorato Occidentalium principum auxilio, tentet his malis resistere; aliam autem salutis viam asserunt se omnino invenire non posse.* Visum est demum, et id de communi consilio placuit, ut electas honestas personas ad sollicitandos, et de regni anxietatibus edocendos, dominum papam, et illustres dominos Romanorum imperatorem, Francorum, Anglorum, Siciliæ et Hispaniarum reges, et inclytos duces et comites dirigant, qui ab eis contra imminentia pericula auxilium implorent. Decretum est etiam, ut domino quoque imperatori Constantinopolitano, quia nobis vicinior, et cæteris longe opulentior, facilius optata nobis posset ministrare suffragia, regni status anceps et periculosus significetur. Addunt etiam, ut talis ad eum persona dirigatur, quæ prudentia, facundia et auctoritate tanti principis animum ad nostra sciat et possit inclinare desideria. Dumque super hoc, quis ad tantam legationem implendam idoneus esset, deliberaretur, rex habito cum paucis et familiaribus consilio, propositum pandit et coram omnibus mentis revelat conceptum, dicens: *Istud per neminem posse fieri, nisi per eum;* adjecit etiam: *Se paratum esse pro regni necessitatibus sublevandis, et labores, et quælibet subire pericula.* Illi cum stupidi et admiratione pleni majores regni dicerent: *Durum est nimis, ut absque regis præsentia, regnum quasi desolatum inveniatur;* respondit: *Regat Dominus regnum suum, cujus minister ego sum; apud me fixum est ut vadam; non est qui ab hoc proposito me possit revocare.* Assumpto ergo domino Willelmo Acconense episcopo, et de regni magnatibus, Guarmundo Tyberiadense, et Joanne de Arsur, Gerardo de Pugi marescalco, Roardo Hierosolymitano castellano, Reinuardo de Nephins (nam Philippum Neapolitanum, qui jam militiæ Templi deposuerat magistratum, per terras præmiserat), cum maximo comitatu, qualis regiam decebat majestatem, VI Idus Martii iter aggreditur in galeis decem. Unde propitio Domino, prospera usus navigatione, fauces Abydenas et ostia Bosphori, quod vulgari appellatione Brachium Sancti Georgii dicitur, feliciter ingressus est. Audiens ergo dominus imperator, vir magnificentissimus, providus et discretus, et per omnia commendabilis, quod tantus princeps, et tam famosi et Deo amabilis regni moderator, imperium suum præter solitum ingrederetur, primum vehementer admirans, quænam tanti laboris et insueti itineris causa posset esse; deinde gloriæ suæ considerans incrementum, honoris amplitudinem, gratiæ cœlestis donum incomparabile, quod sibi gratis videretur oblatum divinitus, quod nulli prædecessorum suorum legitur accidisse, videlicet quod rex Hierosolymorum, locorum venerabilium Dominicæ passionis et resurrectionis defensor et advocatus ad se veniat, plurimum exhilaratur, et advenientem eum multiplici dispouit honore prævenire. Accersitoque Joanne Protosevasto nepote suo, et inter sacri palatii principes eminentissimo, cujus filiam idem do-

Digitized by Google

minus rex uxorem habebat, ei dirigit in occursum, ut, juxta pristinam et inviolabilem imperii disciplinam et incomparabilem magnificentiam, in urbibus et locis ad quæ perveniret, eum faceret haberi honestissime; et instrueret tanquam filium, ut de introitu ejus in urbem regiam domini imperatoris nuntios exspectaret. Tunc idem magnificus princeps cum honesto comitatu domino regi occurrens, usque Caliopolim pervenit, quæ est civitas in littore Bosphori sita, a faucibus non multum distans Abydenis. Inde quoniam ventus ad urbem regiam volentibus properare, non multum erat idoneus, descendens de galeis usque Heracleam, quæ in eodem maris est sita littore, cum suo familiari comitatu eques pervenit, ubi et classem suam, quæ recepta aura secundiore, prosperis usa flatibus, ejus iter prævenerat, in portu reperit. Unde iterum classem conscendens, vento prosequente favorabili, Constantinopolim usque pervenit.

CAPUT XXV.

Introductus ante imperatorem, honeste tractatur; et frequentia cum eo de rebus necessariis miscet colloquia.

Est autem in ipsa urbe super littus maris, ad orientem prospiciens, imperiale palatium, quod Constantinianum appellatur; introitum habens ad mare, miro et magnifico tabulatu; gradus habens marmoreos, usque in idipsum mare; leones habens et columnas, fastu erectas regio, ex eadem materia. Hinc soli Augusto solet introitus patere ad superiora palatii; sed domino regi honoris intuitu præcipui, præter communes regulas aliquid indultum est, ut ea parte ingredi permitteretur. Ibi vero occurrentibus ei magni sacri palatii principibus, cum maximo curialium numero, in summa honorificentia receptus est: unde per angiportus et miræ varietatis diversoria, multis tam suorum quam palatinorum stipatus ordinibus, usque ad supereminentem regiam, ubi dominus imperator cum suis illustribus residebat, deductus est. Dependebant ante consistorium velaria pretiosæ materiæ et operis non inferioris, imo quibus illud Nasonis merito posset aptari:

Materiam superabat opus.

Extra quas majores principes domino regi occurrentes, introduxerunt eum intra prædicta velaria. Hoc autem dicitur factum esse, conservandæ imperialis gloriæ causa et pro reconcilianda sibi domini regis gratia; nam in cœtu procerum suorum, solis astantibus inclytis, dicitur ei familiariter assurrexisse: quod si præsente generali curia factum fuisset, nimis visus esset dominus imperator suæ derogasse majestati. Ingresso ergo domino rege, contractis subito velariis, his qui extra vela fuerant relictis, apparuit dominus imperator throno sedens aureo, imperiali vestitus schemate; et juxta eum dominus rex throno sedens honesto, humiliore tamen. Hic nostris principibus et pacis osculum et debitæ salutationis cum multa humanitate dependens affatum; de salute domini regis et principum suorum quærens diligentius, verbo et vultu significat cum multa mentis hilaritate eorum adventum suscepisse. Præceperat autem dominus imperator domesticis suis et sacri palatii sui procuratoribus, quædam miræ excellentiæ diversoria infra palatii ambitum, domino regi suisque familiaribus apiari; suis autem principibus singulis singula, honesta multum in urbe, non tamen longe a se, hospitia præparari. Sumpta igitur licentia a facie domini imperatoris, dominum regem secuti, recesserunt ad tempus; statutaque hora, qua ad eum redeant, dominus rex principes suos jubet ad propria descendere hospitia. Singulis ergo diebus, horis ad hoc specialiter deputatis, tum cum domino imperatore, tum secum de negotiis pro quibus venerant, sollicitos habentes tractatus, omnimodam dabant operam, quomodo consummata tanti laboris et itineris causa, cum fine optato redire possent ad propria. Habitis ergo frequenter cum domino imperatore tum seorsum, tum in cœtu illustrium suorum familiaribus colloquiis, viæ causam aperit, regni necessitates edocet, immortalitatem famæ, quam dominus imperator in subjugando sibi Ægypti regno comparare posset, diligentius exponit; facilitatem quoque obtinendi propositi evidentibus astruit argumentis. Quibus persuasus, aurem benignam dominus imperator ejus assertionibus accommodat, et desideriis plenum et optatum pollicetur effectum. Interim munerum immensitate, juxta imperialem magnificentiam tam dominum regem, quam ejus principes honorat multipliciter; frequentibus visitationibus de eorum statu et incolumitate sollicitum se ostendit. Interiores etiam palatii partes, penetralia non nisi domesticis suis pervia, lares quoque secretioribus usibus dedicatos, basilicas vulgaribus inaccessas, thesauros et universorum desiderabilium repositiones avitas, eis tanquam familiaribus suis præcipit reserari. Sanctorum etiam reliquias, dispensationis quoque Domini nostri Jesu Christi pretiosissima argumenta, crucem videlicet, et clavos, lanceam, spongiam, arundinem, coronam spineam, sindonem, sandalia, exponi jubet: non est arcanum, non est mysticum a temporibus beatorum augustorum Constantini, Theodosii, Justiniani, in abditis sacri cubiculi repositum, quod eis non reveletur familiariter. Interdum etiam feriis intermissis, dominum regem cum suis ad recreationes et ludorum novitates quæ utriusque non dedeceant honestatem, aliquoties invitat; ubi et musicorum genera instrumentorum varia, et cantus admirandæ suavitatis, consonantiis distinctos artificialibus; choreas quoque virginum et histrionum gesticulationes admiratione dignas, servata tamen morum disciplina, præcipit exhiberi. Sed et spectacula quoque publica, quæ nos ludos theatrales, vel Circenses consuevimus appellare, urbanis, domini regis gratia, cum multis sumptibus et solita magnificentia præcipit exhiberi.

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

Completis negotiis et muneribus cumulati, tam rex quam ejus principes, ad propria revertuntur.

Facta autem per dies aliquot in palatio Constantiniano mora, causa inducendæ varietatis, quæ maxime solet relevare fastidium, ad palatium novum, quod Blachernas dicitur, se et dominum regem transtulit: ubi etiam plenis humanitatis legibus infra palatium suum honestis conclavibus deputatis, in ipsis penetralibus patrum suorum, eum per dies aliquot benigne habuit. Sed et suis nihilominus, non longe ab eodem palatio, honesta simul et commoda fecit hospitia præparari. Ubi etiam, sicut et prius, impensas non solum necessarias et voluptuarias supereffluentes, vestiaritæ, et hi quibus id officii deputatum erat, magnifice et superabundanter non cessabant ministrare. Sed et urbem totam, tum interius, tum exterius, simul et ecclesias et monasteria, quorum pene infinitus est numerus, columnas etiam tropæorum argumenta, arcus quoque triumphales, ducentibus eum magnis proceribus et locorum gnaris, dominus rex peragravit, et singulorum rationem et causam inquirens a viris antiquissimis et prudentibus, plenius edoctus est. Descendit etiam per eosdem dies idem dominus rex per Bosphorum, usque ad ostia maris Pontici, unde est introitus et initium hujus influxionis, quæ Bosphorus dicitur, in mare Mediterraneum. Circuibat itaque loca incognita, tanquam vir curiosus et causas rerum scire desiderans: quibus ad plenum cognitis, in urbem rediens, iterum ad familiares domini imperatoris recurrit affatus, negotiis quæ viæ causam præbuerant, finem cupiens optatum imponere. Habitis ergo feriis competentibus, tractatis necessariis, completo feliciter et pro votis negotio, pactis hinc inde ad placitam utrinque consonantiam redactis, et scripto traditis utriusque bulla signato, sumpta licentia, et universorum gratia prosequente, ad iter se accingit. Ibi tunc primum in dominum regem et suos imperialis quasi prodiga, sed plane commendabilis, claruit munificentia; nam immensa domino regi conferens auri pondera, holosericorumque multitudinem, simul et peregrinarum eximia dona divitiarum, suos etiam usque ad puerorum novissimum donis ingentibus cumulavit. Sic et Protosevasto in omnes, tanquam vir inclytus, suam effudit liberalitatem. Sed et reliqui principes eodem zelo accensi, certatim se mutuo munificentia vincere cupientes, munera domino regi offerunt; quibus et materiæ dignitas, et operis elegantia, et favor non deerat in utroque. Composita ergo classe, negotio feliciter consummato, descendens in Bosphorum, qui Europæ Asiæque terminus esse dignoscitur, ducentis ab urbe milliaribus per illud fretum navigans, inter Sestos et Abydon urbes famosissimas, Leandri Heroque domicilia, mare ingreditur Mediterraneum; inde secundis actus flatibus, XVII Kal. Julii, ad urbem applicat Sidonensem.

CAPUT XXVII.

Rex apud Sephorim exercitus convocat. Fredericus Tyrensis archiepiscopus ab ultramontanis partibus redit. Dominus Willelmus Acconensis episcopus in Romania occiditur.

Ingressus itaque in regnum, audiens quod Noradinus in finibus Paneadensibus cum exercitu copioso resideret, timens ne in regnum irruptiones inde moliretur, sollicitudinem contra hoc, quantam expedire videbatur, objiciens, in Galilæam descendit; et convocatis regni principibus, juxta fontem illum celeberrimum, qui inter Nazareth et Sephorim est, castrametatus est, ut quasi in centro regni constitutus, commodius inde ad quaslibet regni partes, si vocaret necessitas, se transferret. Illuc enim tam ipse quam sui prædecessores convocare exercitus eodem intuitu consueverant. Eisdem diebus dominus Fredericus Tyrensis archiepiscopus, prædecessor noster, missus ad hoc, ut a principibus Occidentalibus nobis consilium et auxilium imploraret, completo biennio, spe frustratus, nihil obtinens eorum quæ nostro nomine petierat, vacuus rediit. Comitem tamen Stephanum, virum quidem carne nobilem, moribus vero non ita, domini Theobaldi senioris Blesensium, Carnotensium, Trecensium comitis filium, præmiserat, quem dominus rex per eumdem archiepiscopum ad hoc, ut ei filiam suam uxorem daret, evocaverat; qui in regnum perveniens, et super eodem verbo a domino rege benigne commonitus, oblatas et prius placitas renuit conventiones; et turpiter et immunde in regno conversatus per menses aliquot, per terras redire disposuit. Cumque Antiochiam pervenisset, et inde in Ciliciam, ut per terram soldani Iconiensis, impetrato prius ejus ducatu, Constantinopolim properaret, contigit quod juxta Mamistram urbem Ciliciæ in insidiis, quæ ei prætenderat Milo Armeniorum princeps potentissimus, frater Toros, casu incidit. Et irruentibus in eum qui latebant in insidiis, universa quæ secum asportabat pretiosa et desiderabilia multum, prædæ datus, amisit; vixque a prædonibus, equum vilem quo deferretur, multa obtinuit precum instantia. Inde cum paucis multo labore Constantinopolim, universorum Orientalium eum odio prosequente, ignominiosus pervenit. Eodem anno, comes quoque Stephanus æquivocus ejus, sed morum honestate longe dissimilis, vir modestus, et plane commendabilis, filius comitis Willelmi de Sauna, et dux Burgundiæ Henricus junior, superioris Stephani ex sorore nepos, in regnum orationis gratia et devotionis intuitu ingressi, et moram modicam facientes, per imperatorem Constantinopolitanum ad propria reversi sunt, ab eo suscepti honorifice et cum multis muneribus dimissi. Sequenti anno, qui erat regni domini Amalrici octavus, dominus Willelmus bonæ memoriæ, Acconensis episcopus, ab urbe Constantinopolitana, a domino rege in Italiam directus, peragratis ejus partibus, et omni via ad obtinendum, quod petebat, prudenter fideliterque præ-

Digitized by Google

tentata, dum in redeundo ad propria remenso itinere ad dominum imperatorem ex condicto rediturus, apud Adrianopolim secundæ Thraciæ claram metropolim pervenisset, casu sinistro mortem immeritus subiit inauditam. Nam dum hora meridiana, longo fatigatus itinere, post sumptum cibum membra sopori concessisset, quidam Robertus de comitatu ejus, quem ipse ad sacerdotium provexerat et inter familiares receperat, in eodem in quo dominus episcopus conclavi jacens, jam de longa ægritudine, qua plurimum laboraverat, convalescens, furia invectus, dominum episcopum dormientem, arrepto gladio, pluribus inflictis vulneribus, lethaliter confodit. Quem cum sui qui exterius erant clamantem audirent, et præ mortis angustia gemitus edentem et suspiria intelligerent, volentes irruere, ut laboranti ferrent opem domino, ostio ab intus firmiter obserato ingredi non potuerunt. Tandem, effracto violenter ostio, dominum semianimem et adhuc circa præcordia modicum spiritus habentem, repererunt. Volentes igitur prædictum maleficum vinculis mancipare, et homicidarum lege ad pœnas rapere debitas, voce et manu prohibuit, orans et petens, ut pro remedio animæ suæ ei plenior fieret indulgentia; nec ad mortem ei præsens factum imputaretur, postulans enixius, ultimum Domino tradidit spiritum III Kal. Julii. Hujus autem tanti maleficii causam hactenus non potuimus certam deprehendere. Quidam enim dicunt, prædictum Robertum, tanti sceleris perpetratorem, longa ægritudine laborasse, et in convalescentia positum, phrenesis raptum violentia, in tam piaculare flagitium descendisse nescienter. Alii dicunt, odio cujusdam cubicularii ejus, qui de domini episcopi nimis præsumens gratia, tam enm quam reliquos male dicebatur tractare, tam immane scelus perpetrasse. Eodem anno quidam Joscius ejusdem ecclesiæ canonicus et subdiaconus, IX Kal. Decembris, in eadem ecclesia substitutus est.

CAPUT XXVIII.

Milo Armenius, frater domini Toros, Noradino, conjunctus, partes vexat Antiochenas; rex illud properat, ut ejus compescat malitiam.

Per idem tempus, defuncto magnifico et nobili viro, de quo frequenter fecimus mentionem, Armeniorum principe maximo domino Toros, quidam frater ejus Melier nomine, vir nequissimus, ut fratris hæreditatem sibi posset vindicare, accessit ad Noradinum, petens ab eo, et cum omni instantia postulans, ut militares ei concederet copias, quibus fratris hæreditatem violenter sibi posset occupare; ejus autem fratre defuncto, quidam Thomas, communis ex utriusque sorore nepos, vocantibus eum regionis principibus, omnem avunculi principatum tranquille possidebat. Erat autem vir Latinus, sed minus habens industriæ, nec multum prudens eis qui se vocaverant liberalem et conformem se exhibere. Interpositis itaque conditionibus, quales Noradino videbantur posse placere, obtinuit, ut partem militiæ suæ non modicam ei concederet; cujus fretus auxilio, præter morem patrum suorum, in paternam et avitam hæreditatem primus infideles introduxit. Ingressus itaque violenter in terram patris, nepotem expulit, et sibi regionem vindicavit universam; statimque potestatem consecutus, quidquid fratres militiæ Templi in partibus habebant Ciliciæ, licet eorum frater aliquando fuisset, primis auspiciis sui principatus funditus abstulit, tanto fœdere deinceps Noradino et Turcis conjunctus, quanto vix inter se solent fratres convenire. Factus ergo tanquam infidelis, lege Domini neglecta, Christianis quanta poterat, inferebat dispendia, captosque casu sive in prælio, sive in expugnatis municipiis, vinculis mancipatos, in terras hostium inferebat venales. Princeps ergo Antiochenus et de regione illius majores, videntes quolibet hostium protervius prædictum nequam hominem in Christianos desævire, arma contra eum corripiunt, licet exemplum sit periculosum, fideles contra eos qui eadem professione censentur, arma corripere, instarque belli civilis videatur habere; mala tamen confratribus illata, non audent dissimulare; sed bellum inferunt et hostem publicum denuntiant. Interea dominus rex audiens, quod in partibus illis exortum erat scandalum, partes suas in his quæ ad pacem sunt, interponere cupiens, cum familiari comitatu ad partes descendit Antiochenas; inde domesticos nuntios ad prædictum immanissimum et a Deo destitutum Melier dirigit, petens ab eo et obnixe postulans quatenus cum eo in loco sibi beneplacito, die competente ad colloquium descenderet. Quod verbum cum ille quasi gratanter videretur accepisse, corde tamen longe erat ab eo. Cumque ter vel quater dominus rex id ipsum per nuntios tentasset efficere, in fine tamen malitiosi hominis deceptus versutiis, in ea parte non profecit. Tandem, collectis de universa provincia militaribus copiis, in terram ejus omnis illarum partium Christianus descendit exercitus; ubi in campestribus Ciliciæ (nam conscendere in montes durum erat, et difficile) regionem obambulant, fruges incendunt, municipia contendunt expugnare, ecce nuntius verbi sinistri bajulus ad dominum regem accedit, significans, quod et verum erat, quod Noradinus secundæ Arabiæ metropolim Petram, quæ alio nomine Crac appellatur, obsederat. Quo audito, dominus rex anxius plurimum, cum suo familiari comitatu, sumpta a domino principe licentia, cum omni celeritate revertitur; sed, antequam in regnum se reciperet, principes regionis prudenter et strenue regni robur collegerant universum; domino quoque Radulpho episcopo Bethlehemita crucem Dominicam deportante, domino Henfredo constabulario exercitus curam committunt. Dumque impigre et sine dilatione ad locum properant destinatum, ecce nuntius proficiscentibus occurrit, dicens (sicut et verum erat) Noradinum salva urbe, obsidione soluta, ad propria reversum. Adveniens ergo

Digitized by Google

rex in regnum, præter spem, votis tamen consonam, invenit tranquillitatem.

CAPUT XXIX.

Salahadinus trans Jordanem castrum, cui nomen mons Regalis est, obsidet; sed nihil proficiens, ad propria revertitur.

Anno sequenti, Salahadinus cum ingentibus copiis et infinito equitatu circa initium autumni, in regiones nostras introitum parat, ex omni Ægypto copias educens innumerabiles; transcursaque solitudine, ad eum locum pervenerat, qui dicitur Cannetum Turcorum. Rex autem ejus adventum præsentiens, exercitus suos collegerat; et assumpto sibi domino patriarcha, cum vivifico et venerabili Dominicæ crucis ligno, circa Bersabee castra locaverat, ut de vicino advenientibus hostibus commodius posset occurrere. Distabat autem locus, ubi ille cum suis expeditionibus dicebatur esse, a castris regiis vix milliaribus sexdecim; nondum tamen apud dominum regem pro constanti habebatur, quod ad illum pervenisset locum. Verumtamen erat, quod aquarum commoditatem secutus, ibi castrametatus erat. Habita igitur deliberatione cum principibus suis, quasi de industria ejus occursum declinarent, diversas studiose ingrediuntur vias. Expeditiones igitur, et omnem populum versus Ascalonam dirigunt, ejus occursum verbo quærentes, quem in proximo positum declinaverant studiose. Deinde Darum venientes, indeque ad locum supra nominatum reducentes exercitum, inutiliter impensas et operam consumpserunt. Ille enim Idumææ campestria secutus, in Syriam Sobal cum suis cohortibus ascendens, castrum, quod universæ regionis caput est, et singulare præsidium, obsidet; et quantum loci patitur opportunitas, studiis impugnat ardentibus. Erat autem municipium in colle situm edito, turribus, muris et antemuralibus egregie munitum; eratque ei suburbium extra præsidium situm in declivo collis, in loco tamen adeo sublimi et arduo, ita ut neque assultus, neque arcuum vel machinarum formidarent ictus; erantque loci illius habitatores fideles universi; quo amplior eis fides haberi poterat. Præterea armis et victu, et viris, pro captu loci sufficientibus, diligenter satis erat instructum. Ubi cum per dies aliquot inutiliter consumpsisset operam, videns quod non proficeret, indicto suis reditu, viam solitudinis ingressus, in Ægyptum reversus est.

CAPUT XXX.

Salahadinus terram trans Jordanem universam depopulatur. Rex in loco cui nomen Carmelus, exercitum detinet. Comes Raimundus Tripolitanus de carcere revertitur.

Sequenti anno, qui erat regni domini Amalrici decimus, videns idem Salahadinus quod anno præcedente contra nostros non multum profecerat, volens præteritos redimere defectus, congregata ex universis Ægypti finibus infinita militia et ingentibus copiis, in regnum iterum introire disponit. Et ingressus solitudinem, ut magis occultus accedat, tantoque majorem nocendi inveniat habilitatem, eamdem regionem, in quam anno proxime præterito ascenderat cum suis exercitibus, mense Julio, ingressus est. Rex autem, ejus adventu præcognito, universæ regni militiæ robur secum trahens, illi usque in solitudinem occurrit; ubi cum ei nuntiatum esset, quod in Syriam Sobal, sicut anno prædicto, declinasset, timens eum illuc sequi, ne forte regem audiens post se venientem, ex opposita parte regnum depopulaturus ingrederetur, ascendit in montem et locum sibi deligens ad stationem congruum, secessit in Carmelum. Est autem hic Carmelus non ille mons, qui in maritimis situs est, Eliæ familiaris; sed viculus quidam, ubi olim stulti Nabal domicilium legitur fuisse. Hunc ergo locum sibi prudenter delegit, propter aquarum commoditatem; erat enim ibi vetus et ingentis magnitudinis piscina, quæ ad usum universi exercitus aquarum ministrabat copias. Sed et vicinus erat ei regioni quæ est trans Jordanem, locus prædictus, ita ut sola vallis Illustris, in qua mare jacet Mortuum, media utramque disterminet regionem. Facilius ergo et crebrius erat nostris, de factis hostium audire nova, et eorum statum cognoscere. Interea Salahadinus, dum rex propter prædictam causam ad prædictas partes dubitat accedere, quidquid extra præsidia reperit, tradens incendiis, arbusta succidens et vineas, suburbana confringens, in regionem totam pro arbitrio desævit. Tandem pro votis tyrannide potitus, in Ægyptum circa finem Septembris reversus est.

Per idem tempus, dominus Raimundus junior, Raimundi senioris filius, comes Tripolitanus, octavo anno captivitatis suæ, quibus in mendicitate et ferro apud hostes detentus fuerat, datis pro se aureorum millibus octoginta, pristinæ se restituit libertati, ad avitum rediens comitatum; quem dominus rex benigne suscepit redeuntem; et terram suam, quam medio conservaverat tempore, sine difficultate restituit. Insuper etiam, ut ad persolvendum redemptionis suæ pretium esset idoneus, regia liberalitate in eum plurima contulit. Sed et principes suos et Ecclesiarum prælatos, exemplo sui itidem facere, cum effectu persuasit.

CAPUT XXXI.

Describitur Assissinorum secta, et missio legati eorum ad dominum regem.

Accidit eisdem diebus apud nos res periculosa nimis, et detestabilis, regno et Ecclesiæ, usque in presens tempus, et fortasse in perpetuum lugenda. Quod ut plenius innotescat, sumendum est altius narrationis exordium. In provincia Tyrensi, quæ Phœnicis dicitur, circa episcopatum Antaradensem, est quidam populus, castella decem habens cum suburbanis suis; estque numerus eorum, ut sæpius audivimus, quasi ad sexaginta millia, vel amplior. Hi non hæreditaria successione, sed meritorum prærogativa magistrum solent sibi præficere et cli-

Digitized by Google

gere præceptorem, quem spretis aliis dignitatibus nominibus, Senem vocant; cui tantæ subjectionis et obedientiæ vinculo solent obligari, ut nihil sit tam durum, tam difficile tamque periculosum, quod ad magistri imperium, animis ardentibus non aggrediantur implere. Nam inter cætera, si quos habent principes odiosos aut genti suæ suspectos, data uni de suis, vel pluribus, sica, non considerato rei exitu, utrum evadere possit, illuc contendit, cui mandatum est; et tam diu pro complendo anxius imperio, circuit et laborat, quousque casu injunctum peragat officium, præceptoris mandato satisfaciens. Hos tam nostri quam Sarraceni (nescimus unde deducto nomine) Assissinos vocant. Hi etiam annis quadringentis Sarracenorum legem et eorum traditiones tanto zelo coluerunt, ut respectu eorum omnes alii quasi prævaricatores judicarentur, ipsi autem legem viderentur implere. Contigit autem diebus nostris, quod magistrum sibi præfecerunt virum facundissimum, subtilem, et acris valde ingenii. Hic, præter morem majorum suorum, cœpit habere penes se Evangeliorum libros et codicem apostolicum; quibus continuato incumbens studio, miraculorum Christi et præceptorum seriem, sed et Apostoli doctrinam, multo labore, aliquantisper assecutus erat. Inde confesens Christi et suorum suavem et honestam doctrinam, cum iis quæ miser et seductor Mahemet complicibus suis et deceptis ab eo tradiderat, cœpit sordere quidquid cum lacte biberat, et prædicti seductoris immunditias abominare. Eodem quoque modo populum suum erudiens, ab observantia illius superstitionis cessare fecit, oratoria quibus antea usi fuerant dejiciens, eorum jejunia solvens, vinum et suillas carnes suis indulgens. Tandem ad interiora legis Dei volens procedere, virum prudentem, in consiliis providum, eloquentem et magistri sui doctrinam redolentem, nomine Boaldelle, ad dominum regem dirigit, verba secreta deferentem; quorum præcipuus et maximus erat articulus, quod si fratres militiæ Templi, qui castella regioni eorum habebant contermina, duo millia aureorum, quæ singulis annis de hominibus eorum quasi pro tributo solebant assumere, eis vellent remittere, et fraternam deinceps observare charitatem, ipsi ad fidem Christi et baptisma convolarent.

CAPUT XXXII.

Occiditur a fratribus militiæ Templi, Assissinorum legatus; et ingens in regno excitatur tumultus. Radulphus Bethlehemita episcopus vita decedit.

Rex autem, eorum legationem læto animo et gratanter suscipiens, petitioni eorum sicut vir discretissimus erat, plenius annuens, aureorum duo millia, quorum ipsi annuam præstationem relaxari postulabant, de suis propriis redditibus, prædictis fratribus refundere, ut dicitur, paratus erat; nuntiumque quem apud se pro verborum consummatione diu detinuerat, ad proprium magistrum, dato sibi duce itineris, et proprii custode corporis, ut oblatum verbum penitus absolveretur, remisit. Qui dum cum itineris consorte et dato duce Tripolim pertransisset, fines suos ingressurus in proximo, subito de fratribus supradictis, ex improviso strictis gladiis irruentes, hominem de regio ducatu, et nostræ gentis fidei sinceritate præsumentem, incautum et nihil verentem tale, læsæ majestatis crimen incurrentes, occiderunt. Quod audiens rex, præ facti atrocitate, ira et quasi insania succensus vehementer, convocatis regni principibus, in injuriam suam quidquid acciderat, asserens redundare, instrui quærit, quid eum oporteat facere. Tandemque de communi principum consilio, consulitur, verbum quod acciderat non esse negligendum; nam in eo et auctoritas regia videbatur deperire; et Christiani nominis fides et constantia immeritam contrahere infamiam, et Orientalis Ecclesia, Deo placitum, et jam paratum incrementum amittere. Mittuntur ergo de communi consilio nobiles quidam, Seiher de Mamedune et Godescalcus de Turholt, ad hoc specialiter selecti, qui a magistro prædictorum fratrum, Odone de Sancto Amando, exigant, ut tanti excessus et tam piacularis flagitii, regi et regno universo satisfactionem exhibeant. Dicebatur autem quidam frater eorum, Galterus videlicet de Maisnilio, vir nequam et monoculus, cujus spiritus in naribus ejus, omnino penes se nihil discretionis habens, de conscientia tamen fratrum, hoc fecisse. Unde, ut dicitur, ei præter debitum parcendo, domino regi per nuntios significavit, fratri qui hoc commiserat, se pœnitentiam injunxisse, et ita cum injuncta pœnitentia, ad dominum papam se eum directurum; inhibere autem ex parte domini papæ, ne in prædictum fratrem manus quis auderet injicere violentas. Adjecit etiam et alia a spiritu superbiæ, quo ipse plurimum abundabat, dictata, quæ præsenti narrationi non multum necessarium est interserere. Rex autem pro eodem negotio apud Sidonem constitutus, eumdem magistrum cum multis ex fratribus ejus, et eodem malefactore reperit; habitoque consilio, cum iis qui ejus viam illuc comitabantur, prædictum majestatis reum, de domo eorum violenter educi fecit, et Tyrum in vinculis traductum, carceri fecit mancipari. Tandem hujus verbi occasione paulo minus universum regnum habuit ruinam irreparabilem sustinere. Rex tamen et apud Assissinorum magistrum, cujus tam sinistro casu legatus deperierat, de sua allegans innocentia, immunis apparuit; et cum prædictis fratribus, temperato satis usus moderamine, usque ad obitus diem rem dimisit indiscussam. Dicitur tamen, quod si de suprema illa convaluisset ægritudine, cum regibus et principibus orbis terrarum, quæstionem illam proposuerat per honestissimos nuntios diligentius pertractare. Vere autem proxime subsecuto, venerabilis frater dominus Radulphus felicis memoriæ Bethlehemita episcopus et regius cancellarius, vir liberalis et benignus admodum, diem fatalem ingressus est, in ca-

Digitized by Google

pitulo ecclesiæ suæ honorifice sepultus; post cujus obitum, dum in eadem ecclesia de pastore substituendo tractatus haberetur, votis dissonis decideruntin quæstiones difficiles, quæ domini Balduini, successoris domini Amalrici et filii ejus, vix terminatæ sunt anno secundo; quæ prædictam ecclesiam ad multa traxerunt dispendia.

CAPUT XXXIII.

Moritur Noradinus. Rex Paneadem obsidet : et facta treuga recedit; collecta ægritudine Hierosolymam proficiscitur, ubi et infra paucos dies vita decedit.

Eodem quoque tempore, vix unius mensis elapso spatio, Noradinus maximus nominis et fidei Christianæ persecutor, princeps tamen justus, vafer et providus, et secundum gentis suæ traditiones religiosus, regni ejus anno vicesimo nono, mense Maio defunctus est. Hujus defectum rex audiens, confestim sine dilatione universas convocans regni vires, urbem obsidet Paneadensem. Quod audiens prædicti uxor principis, vires transcendens femineas, missa legatione ad dominum regem, ut ab obsidione discedat, eique pacem concedat temporalem, certam pecuniæ in multa quantitate summam promittit; quam rex, ut ampliorem extorqueret, prima fronte visus est respuisse, obsidionem nihilominus continuans. Cumque ibi per dies quasi quindecim, vigili opera et studio diligenti obsessos impugnasset, et tam machinis quam modis aliis, multiplices eis molestias intulisset, videns eos ad resistendum, singulis diebus animosiores, et plenius cognoscens quod non proficeret, et prædictæ nobilis matronæ legati pro pace impetranda instarent vehementius, suscepta pacta pecunia et viginti captivis equitibus de nostro populo libertati restitutis, animo majora concipiens, soluta obsidione reversus est, apud familiares conquerens, quod non satis sanus esset, nec in bona corporis habitudine. Inde dimissis expeditionibus, cum familiari comitatu Tiberiadem pervenit, ubi dysenteria cœpit periculosissime laborare. Inde morbum metuens, per Nazareth et Neapolim, eques tamen, nec ita prorsus invalidus, Hierosolymam ingressus est. Ubi ingravescente valetudine, febre etiam cœpit vehementissime laborare, cessante physicorum artificio, dysenteria. Cumque per dies aliquot ea febre supra vires affligeretur, præcepit ad se accersiri medicos Græcos, Syros et illarum nationum homines, petens instantissime ab eis, ut aliqua decoctiuncula alvum ejus solverent; quod cum ab eis impetrare non posset, fecit ad se consequenter vocari Latinos, a quibus id ipsum exigens, adjiciens etiam, ut sibi omnis rei imputaretur eventus; dederunt ergo ei decoctiunculam unam, qua sumpta, sine difficultate assellavit aliquoties, ita ut sibi videretur quod ei esset melius; antequam tamen corpus medicinæ violentia exhaustum, sumpto cibo posset reficere, febre solita recurrente, in fata concessit. Mortuus est autem anno ab Incarnatione Domini 1173, v Idus Julii; regni vero duodecimo, mense quinto; ætatis vero tricesimo octavo. Sepultus est autem inter prædecessores suos, secus fratrem, in eadem linea, ante locum Calvariæ; vir prudens et discretus, et ad regni gubernacula prorsus idoneus; cujus precibus et instantia, gesta tam prædecessorum suorum, quam sua, scripto mandare proposuimus præsenti.

INCIPIT LIBER VIGESIMUS PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De primis auspiciis Balduini quarti, Hierosolymorum regis sexti; de moribus, ætate et forma corporis.

Sextus Hierosolymis Latinorum rex fuit dominus Balduinus quartus, domini Amalrici, illustris memoriæ regis, de quo prædiximus, filius, ex Agnete comitissa, Joscelini junioris Edessani comitis filia, cujus sæpe in superioribus fecimus mentionem. Hanc, ut prædictum est, dum ad regnum avitum et jure hæreditario debitum vocaretur, compellente domino Amalrico, bonæ memoriæ, tunc Hierosolymorum patriarcha, domini Fulcherii prædecessoris sui vestigiis inhærendo, coercitione ecclesiastica coactus est dimittere. Dicebantur enim, sicuti vere sic erat, proxima consanguinitatis linea se contingere, sicuti diligentius comprehensum est a nobis, dum de regno domini Amalrici in ordine tractaremus. Hunc, puerum adhuc, annorum circiter novem, dum nos archidiaconatum administraremus Tyrensem, pater multum pro ejus eruditione sollicitus, multis precibus, et sub obtentu gratiæ suæ, nobis erudiendum tradidit, et liberalibus studiis imbuendum. Dumque apud nos esset, et ei vigilem curam, et quantam regio puero convenit, tum in morum disciplina, tum litterarum studio sollicitudinem impenderemus, accidit quod colludentibus pueris nobilium qui secum erant, et se invicem, ut mos est pueris lascivientibus, unguibus per manus et brachia vellicantibus, alii sensum doloris clamoribus significabant; ipse autem quasi doloris expers patienter nimis, quamvis ei coætanei ejus non parcerent, supportabat. Hoc autem cum semel et sæpius accidisset, mihique nuntiatum esset, credidi prius, de virtute patientiæ, et non ex insensibilitatis vitio procedere; vocansque eum, percun-

Digitized by Google

clari cœpi, quidnam esset; tandemque comperi brachium ejus dexterum manumque eamdem, pro parte dimidia, obstupuisse, ita ut penitus vellicationes, aut etiam morsus non sentiret. Dubitare cœpi, reputans mecum illud Sapientis verbum : *Certum est a salute plurimum abstinere membrum quod obstupuit; et ægrum se non sentientem, periculosius laborare.* Nuntiatum est hoc patri; consultisque medicis, crebris fomentis, unctionibus, pharmacis etiam, ut ei subveniretur, diligenter, sed frustra, procuratum est. Erat enim, ut processu temporis, ipso rerum experimento postea plenius cognovimus, amplioris et penitus incurabilis doloris initium, quod præmittebatur; quodque siccis oculis dicere non possumus, cum ad pubertatis annos cœpit exsurgere, morbo elephantioso visus est periculosissime laborare; quo per dies singulos ingraveseente nimium, extremitatibus maxime læsis et facie, fidelium suorum corda, quoties eum intuebantur, compassionis affectu molestabat. Proficiebat tamen in studio litterarum; singulisque diebus magis et magis, bonæ spei et amplectendæ indolis succrescebat. Erat autem juxta illius conditionem ætatis, forma venusta, et præter morem majorum suorum, equis admittendis regendisque aptissimus; memoriæ tenacis et confabulationum amator; parcus tamen; sed et beneficiorum pariter et injuriarum valde recolens; patri per omnia, non solum facie, verum toto corpore, incessu quoque et verborum modificatione similis; ingenii velocis, sed verbi impeditioris; historiarum more patris avidus auditor, et salubribus monitis valde obtemperans.

CAPUT II.

Quo tempore injunctus et coronatus fuerit.

Hic, defuncto patre, vix erat annorum tredecim, habens sororem Sibyllam nomine, natu se priorem, ex eadem matre, quæ in claustro Sancti Lazari in Bethania, apud dominam Ivetam, ejusdem loci abbatissam, patris ejus materteram, nutriebatur. Defuncto igitur patre, convenientibus in unum universis regni principibus, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, consonante omnium desiderio, in ecclesia Dominici Sepulcri solemniter et ex more, a domino Amalrico, bonæ memoriæ, Hierosolymorum patriarcha, cum ministrantibus archiepiscopis, episcopis et aliis Ecclesiarum prælatis, Idibus Julii, quarta die post patris obitum, inunctus est et coronatus : præsidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ domino Alexandro, papa tertio, sanctæ vero Antiochenæ Ecclesiæ, domino Aimerico, Hierosolymitanæ domino Amalrico, Tyrensi vero domino Frederico; imperante apud Constantinopolim, inclytæ recordationis et piæ memoriæ domino Manuele; apud Romanos domino Frederico, apud Francos domino Ludovico, in Anglia domino Henrico Gaufredi comitis Andegaviensium filio; in Sicilia vero domino Willelmo secundo, domini item Willelmi senioris filio; Antiochiæ autem præerat dominus Boamundus, Raimundi principis filius; Tripoli vero, dominus Raimundus junior, senioris Raimundi comitis filius.

CAPUT III.

Anno regni ejus primo, classis Siculorum regis, Alexandriam veniens, damnum incurrit enorme. Comes Tripolitanus regni procurationem, et regis tutelam, tanquam agnatorum proximus, poscit.

Hujus domini Balduini, anno primo, circa Augusti initium, ducentarum navium classis a domino Willelmo Siculorum rege, ad impugnandam Alexandriam missa, honestas tam peditum quam equitum copias deferens, descendit in Ægyptum. Ubi dum ejus procuratores et primicerii incautius se habent, amissis ex utroque ordine quampluribus, tam captivatis quam peremptis gladio, per moram quinque aut sex dierum, quam circa urbem fecerant, confusi recesserunt. In regno vero nostro, procurante Milone de Planci regni negotia, obortæ sunt graves inimicitiæ inter eum et quosdam regni principes; invidebant enim et anxie movebantur, quod, ipsis ignorantibus nec vocatis, ipse solus, nimium de se præsumens, spretis aliis, regi semper assisteret; et cæteris a regia familiaritate seclusis, eis inconsultis, regni negotia procuraret. Interea comes Tripolitanus, ad dominum regem accedens, apud principes, qui tunc forte aderant, regni procurationem petit, allegans domini regis adhuc infra pubertatis annos degentis, tutelam legitimam, jure agnationis sibi deberi. Et hanc multiplici ratione sibi dicebat competere, *tum quia consanguineorum suorum omnium erat proximus; tum quia dilissimus et potentissimus erat omnium regis fidelium; tertiam quoque adnectebat rationem validissimam, quod dum ipse captus fuisset, ex ipso carcere, fidelibus suis, sub obtentu fidelitatis, præcepit, quatenus domino regi Amalrico patri hujus, universam terram suam, arces et castella traderent; et ejus mandatis et omnimodæ ditioni supponerent universa;* hoc adjiciens etiam, in calce verborum, quod *si eum humanitus in carcere vitam finire contingeret, prædictum dominum regem, quia consanguineorum suorum omnium esset proximus, ex asse constituerat hæredem.* Pro iis omnibus, hanc sibi rependi vicissitudinem magis honoris gratia, quam spe futuræ alicujus utilitatis, postulabat. Dilata est ad has domini comitis allegationes responsio, eo prætextu, quod paucos haberet dominus rex de regni majoribus secum, quorum consilio in præsenti uteretur; promisit tamen, quod tempore opportuno eos citius et generalius convocaret; habitoque eorum consilio, congruum, auxiliante Domino, super his omnibus daret responsum. His ita gestis, comes ad sua se contulit, favebat autem comiti populus pene omnis; de baronibus vero Henfredus de Torono, regius constabularius, Balduinus Ramatensis, Balianus frater ejus, Rainaldus Sidoniensis; episcopi vero omnes.

CAPUT IV.

Milo de Planci apud Accon occiditur. Tyrensis archiepiscopus Fredericus moritur.

Prædictus vero Milo de Planci, unde prædiximus,

Digitized by Google

nobilis homo erat de Campania ultramontana, de terra Henrici comitis Trecensis: fueratque domino Amalrico regi nimium familiaris et consanguineus, ita ut regni sui eum senescalcum constitueret; tandem mortuo Henfredo juniore, senioris Henfredi filio, Stephaniam ejus viduam, Philippi Neapolitani filiam, uxorem ei dedit. Erat autem ex parte uxoris dominus Syriæ Sobal, illius videlicet regionis quæ est trans Jordanem, quæ vulgo dicitur montis Regalis. Susceperat tamen ex priore marito sobolem geminam prædicta vidua, filium videlicet et filiam. Hic, ut prædiximus, confisus de nimia familiaritate, quam apud dominum regem hujus patrem habuerat, regni principes, etiam se majores, despectui habebat. Erat autem homo incircumspectus, superbus quoque et arrogans, verborum inutilium prodigus, et de se plus æquo præsumens. Hic ut videretur aliorum quodammodo lenire invidiam, arte quadam, sed nimium manifesta, ad colorem quæsitum, alium quemdam Roardum nomine, arcis Hierosolymitanæ custodem, gregarium hominem et minus sufficientem, subornaverat, tanquam is præesset, Milo vero obsequeretur ejus mandatis. Erat autem versa vice; unus, nomen magis splendidum quam solidum gestabat; ille autem, sub hoc colore, de regni negotiis pro sua voluntate tractabat. Dum ergo incaute se gerit, dum imprudentius loquitur, et omnia regni negotia, invitis aliis, ad suam revocat sollicitudinem, omnia disponit, omnia pro arbitrio dispensat, conflato adversus eum odio pertinaci, subornati sunt quidam, qui vitæ ejus insidias molirentur; quod cum ei nuntiatum esset, quasi frivolum pro nihilo duxit. Dumque more solito incaute se habens, in Acconensi civitate moram faceret, circa primum noctis crepusculum, in via publica gladiis confossus, turpiter et ignominiose tractatus, interiit. Porro de ejus nece variæ sententiæ ferebantur in populo; dicentibus aliis, quia pro sua fidelitate, quam domino regi devotus exhibebat, hoc ei acciderat; aliis econtra, quod sibi regnum occulte parabat, missis nuntiis ad amicos et notos suos in Franciam, ut ad eum properarent, quorum suffragiis regnum sibi videbatur posse obtinere. Nobis autem neutrum horum pro certo compertum est. Notorium tamen erat, Balianum Joppensem, Roardi prædicti fratrem, ad partes transmontanas missum, cum regiis epistolis et muneribus, cujus in dies præstolabatur adventum. Per idem tempus, eodem mense, dominus Fredericus Tyrensis archiepiscopus, prædecessor noster, vir secundum carnem nobilis admodum, cujus supra fecimus mentionem, dum apud Neapolim ægritudine aliquandiu esset gravissima detentus, III Kal. Novembr. viam universæ carnis ingressus est. Cujus funus cum decentibus exsequiis et debita honorificentia Hierosolyma delatum est, et in capitulo Templi Domini, unde prius canonicus fuerat regularis, sepultum est.

CAPUT V.

Describitur comes Tripolitanus; quis moribus, et ex quibus majoribus fuerit; quomodo regni procurationem susceperit. Hujus historiæ conscriptor, cancellarius regis efficitur.

Eodem quoque tempore, convocatis regni principibus et Ecclesiarum prælatis, dum rex esset Hierosolymis, comes Tripolitanus iterum rediit, auditurus super petitionibus suis de obtinenda regni procuratione, quas porrexerat prius, responsum. Iteratoque verbo, dum eisdem insisteret, habita rex per continuum biduum deliberatione, novissime de communi omnium conniventia, in capitulo Dominici Sepulcri tradita est ei universa regni, post dominum regem, populo acclamante, procuratio et potestas. Et quoniam de comite nobis sermo, rerum serie sic exigente, se obtulit, dignum est ut de eo quæ pro certo comperimus, posteris memoriæ mandemus; non quod panegyricos propositum sit scribere, sed ut quantum compendiosæ historiæ sermo patitur succinctus, quis qualisque fuerit edoceamus. Hic de quo nobis sermo est, Raimundus comes, a domino seniore Raimundo, sementivam traxit carnis originem, qui in exercitu Domini, cujus opera et studio et laboribus, regnum orientale Christi servitio restitutum est, tantus princeps fuit, quemadmodum superius diligenter edocuimus, dum de primis principibus, qui in prima expeditione venerant, tractaremus. Prædictus igitur dominus comes senior Raimundus, bonæ memoriæ, filium habuit Bertrannum nomine, qui post mortem patris, et Guillelmi Jordani necem, qui prædicti comitis nepos erat, Tripolitanum obtinuit comitatum. Hic filium habuit Pontium nomine, qui eumdem comitatum post mortem patris hæreditario jure possedit, qui Ceciliam Philippi regis Francorum filiam, Tancredi viduam, duxit uxorem; ex qua suscepit filium Raimundum nomine, qui eidem in comitatu successit. Hic Hodiernam, domini Balduini Hierosolymorum regis secundi filiam, duxit uxorem, ex quibus iste Raimundus, de quo nobis in præsenti est sermo, natus est; qui patri in porta urbis Tripolitanæ, ab Assissinis repentinis invasionibus occiso, in eodem comitatu successit. Erat ergo prædictus comes domini Amalrici et domini Balduini regum, ex parte matris, consobrinus; erant enim duarum sororum filii: ex parte patris erat uno gradu inferior; ejus namque avia, mater patris, videlicet, Cecilia, de qua prædiximus, soror fuit domini regis Fulconis, patris dominorum Balduini et Amalrici regum, ex eadem matre, non ex eodem patre. Nam utriusque mater, soror domini Amalrici de Muntfort, Fulconi seniori Andegavensium comiti in uxorem tradita fuit; quæ postmodum Fulcone juniore jam edito, maritum deserens, ad Francorum regem, dominum Philippum, se conferens, hanc Ceciliam cum quibusdam aliis filiis edidit. Rex autem nihilominus reginam uxorem legitimam, unde jam Ludovicum et Constantiam susceperat,

Digitized by Google

contra legem ecclesiasticam amore prædictæ comitissæ infatuatus, expulerat. Ita ergo ex utroque parente, vinculis consanguinitatis sibi invicem erant connexi, dominus comes et prædicti reges duo. Erat autem prædictus comes vir carne tenuis, submacilentus, statura modeste procerus, facie aquilus, capillo plano mediocriter fusco, acutis luminibus, erectus humeris, mente compositus, providus multum, et in actibus suis strenuus, cibo et potu quasi supra hominem sobrius, alienis munificus, suis vero non ita affabilis admodum; et quod in hostium vinculis summo labore collegerat, litteratus modice, sed magis tamen, naturali mentis vivacitate, Scripturarum intelligentiam, more domini Amalrici regis, nitebatur apprehendere. Frequens in quæstionibus, si præsentem haberet quem ad earum solutionem arbitraretur sufficere. Is eodem anno quo regni procurationem suscepit, dominam Eschivam, domini Galterii principis Galileæ viduam, locupletem valde, filiis fecundam ex priore marito, duxit uxorem; sed, postquam ad eum pervenit, causa occulta parere desiit; quam cum filiis ita tenere dicitur diligere, tanquam ei universos illos peperisset. Verum decursa breviter hac digressione, ad historiæ seriem redeamus. Per idem tempus, quia præcedente æstate dominus Radulphus bonæ memoriæ, Bethlehemita episcopus, regni cancellarius, ex hac luce migraverat, ut esset qui regiarum epistolarum curam haberet, de consilio principum suorum, nos ad prædictum vocavit officium et cancellarii nobis tradidit dignitatem.

CAPUT VI.

Salahadinus, vocantibus eum Damascenis, Damascum obtinet, et reliquas regionis partes. Dirigitur contra eum Tripolitanus comes, qui ejus obsistat moliminibus.

Eodem anno Salahadinus Negemendi filius, Syraconi ex fratre nepos, qui patruo suo Syracono in Ægypti regno successerat, vocantibus occulte eum Damascenis optimatibus, legitimo eorum domino Mehele Salah, filio videlicet Noradini adhuc impubere, apud Halapiam commorante, commissa Ægypti cura cuidam fratri suo Seifedin nomine, ut regnum Damascenorum occuparet, per vastitatem solitudinis in Syriam festinans, Damascum pervenit. Unde non post multos dies, civitate, tradentibus civibus, recepta, versus Cœlesyriam properat, sperans quod omnes illius urbes in suam, sine bello, ditionem reciperet; nec spe frustratus est. Nam intra modicum tempus, tradentibus locorum incolis, et ultro reserantibus aditus, contra fidelitatem domini sui, cujus servus fuerat, omnes illius provinciæ urbes recepit; Heliopolim Græce videlicet, quæ hodie Malbec dicitur, Arabice dictam Baalbeth; Emissam, quæ vulgo Camela dicitur; Hamam; Cæsar, quæ vulgo dicitur Casarea magna. Præsumebat autem præterea Halapiam, et ipsum puerum, per quorumdam proditorum operam sibi tradi; sed illud casu quodam impeditum est. Nam dum hæc in partibus illis aguntur, dominus rex, communicato consilio, quid in tam subito eventu et in tanta rerum permutatione opus esset facto, dum diu cum principibus suis deliberat, placuit demum universis, quod dominus comes cum exercitu tam de regno quam de suo comitatu, ad partes Cœlesyriæ quantocius properet. Additur etiam in mandatis, quatenus omni conamine profectibus Salahadini contrarium se objiciat, et merito. Suspectum enim nobis erat omne ejus incrementum; et quidquid ei accedebat, nobis totum decedere videbatur. Erat enim vir consilio providus, armis strenuus, supra modum liberalis; in quo prudentioribus nostris maxime erat suspectus. *Nam nullo alio hodie visco subjectorum, et etiam quorumlibet aliorum hominum corda magis solent principibus conciliari, nihilque alienos animos magis obligat, quam munificentia, maxime principalis.* Suspectus ergo nimirum nobis erat, ne geminatis possessionibus, duplicato cum viribus imperio, acrior in nos insurgeret et fatigaret vehementius. Quod tamen evacuatis nostris moliminibus et frustra cohibere volentibus, lacrymosis hodie inspicimus oculis; quod tantus terra marique in nos insurgit; quod, nisi nos misericorditer visitaverit *Oriens ex alto* (*Luc.* I, 78), nulla sit spes resistendi. *Tutius sane videbatur puero, adhuc infra annos constituto, ministrare subsidium; non ut gratia ejus, aliquid humanitatis videretur ei præstandum; sed ut suspectiori æmulo nutriretur adversarius, quo remorante ejus proposita, in nos fierent ejus impetus infirmiores.*

CAPUT VII.

Assignantur causæ, quare contingat quod super populum nostrum solito amplius hostes invalescant.

Libet paulisper ab historiæ textu, non evagandi inutiliter gratia, sed ut inferatur aliquid non absque fructu, discedere. Solet quæri, et vere merito quærendum videtur, *quid causæ sit, quod patres nostri in numero pauciore majores hostium copias in conflictu sæpe sustinuerunt fortius; et frequentius, propria divinitate, in manu modica majores eorum cuneos et innumeram plerumque multitudinem contriverunt; ita etiam, quod ipsum nomen Christianum, gentibus Deum ignorantibus, esset formidini, et in operibus patrum nostrorum glorificaretur Dominus. Nostri autem temporis homines, versa vice, a pauciori bus sæpius devicti; et cum pluribus nonnunquam adversus pauciores frustra aliquid tentasse, et succubuisse aliquoties reperiuntur.* Considerantibus ergo nobis et statum nostrum diligenter discutientibus, prima occurrit causa, in Deum auctorem respiciens; quod pro patribus nostris, qui fuerunt viri religiosi et timentes Deum, nati sunt filii perditissimi, filii scelerati, fidei Christianæ prævaricatores, passim et sine delectu per omnia currentes illicita; tales aut talibus pejores, qui dixerunt Domino Deo suo: *Recede a nobis; scientiam viarum tuarum nolimus* (*Job* XXI, 14); quibus merito, peccatis eorum exigentibus, gratiam subtrahat Dominus, tanquam ad

Digitized by Google

iracundiam provocatus. Tales sunt præsentis sæculi et maxime Orientalis tractus homines; quorum mores, imo vitiorum monstra, si quis diligentiori stylo prosequi tentet, materiæ immensitate succumbat, et potius satyram movere videatur, quam historiam texere. Secunda nobis causa ex latere occurrit; quod tempore præterito, cum illi viri venerabiles, zelo ducti divino, ardore fidei interius succensi, primum ad orientales partes descenderunt, erant hellicis assueti disciplinis, præliis exercitati, usum habentes armorum familiarem. Populus vero orientalis econtrario, longa pace dissolutus, rei militaris expers, inexercitatus legibus præliorum, vacatione gaudebat. Unde non erat admiratione dignum, si pauci plures sustinerent levius, aut eis devictis in bellicis eventibus meliorem calculum, et cum palma victoriam reportarent. In talibus enim (ut melius me norunt, qui sensus circa talia habent plenius exercitatos) *experientia usu comparata longævo et continuo, adversus indoctas vires et carentes industria, solet sæpius obtinere.* Tertia quoque causa non inferior, nec minus efficax, iterum nobis se ingerit: quod priscis temporibus singulæ pene civitates dominos habebant diversos, ut more Aristotelis nostri loquamur; non subalternatim positos qui raro, paribus; frequentius, contrariis studiis agebantur. Contra quos diversa sapientes, vel sæpius adversa; sibique suspectos invicem, minore periculo decertabatur; quippe qui nec ad communes injurias propulsandas facile possent aut vellent convenire; nec in nostram leviter perniciem armarentur, qui suos nimirum non minus quam nostros formidini haberent. At nunc omnia regna nobis conterminia, in unius potestatem, Domino ita sustinente, redacta sunt; nam proxime præteritis temporibus, vir immanissimus, et nomen Christianum abhorrens, quasi pestem aliquam, Sanguinus, hujus qui nuper obiit Noradini pater, post alia quæ violenter occupavit regna, nostra memoria nobilem et egregiam Medorum metropolim Rages, alio nomine Edessam dictam, fidelibus qui in ea erant, neci datis, cum omnibus finibus suis occupavit violenter. Item Noradinus ejus filius, expulso Damascenorum rege, magis fraude suorum quam viribus propriis, regnum illius sibi vindicavit, atque ad paternam adjecit hæreditatem. Novissime idem Noradinus per ministerium et industriam Siraconi, regnum Ægypti antiquissimum et opulentum nimis, sibi mancipavit; sicut superius, dum de regno domini Amalrici tractaremus, latius disseruimus. Sic ergo, ut diximus, omnia vicina nobis regna, unius parent imperio, unius nutibus serviunt vel inviti, ad unius vocem, quasi vir unus, in nostram armantur læsionem; non est qui dispari rapiatur studio; non est qui domini mandata impune prætereat. Hæc sane omnia Salahadinus, de quæ sæpius mentionem fecimus, vir genere quidem humilis, extremæ conditionis homo, secunda nimis arridente fortuna, possidet: ex Ægypto et finibus adjacentibus auri primi et purissimi, quod obryzum dicitur, inæstimabilem habens copiam; ex aliis provinciis equitum, pugnatorum, et aurum sitientium turmas habens innumeras; quas auri habentibus copiam, facile est satis congregare. Sed nunc ad historiam redeamus. Placuit igitur, ut præmisimus, omnibus qui aderant, quod huic viro tam magnifico, et ita per successus continuos ad supremum culmen acceleranti, modis omnibus resisteretur; ne cum amplius posset, in nos durior insurgeret adversarius. Assumptis igitur regni principibus, congregatisque undique militaribus auxiliis, ad partes Tripolitanas dominus comes festinans contendit; ibique circa fines Archenses castrametatus, in ea regionis parte quæ dicitur Galila, consedit.

CAPUT VIII.

Mussulæ dominus in nepotis subsidium properat. Salahadinus proficit; regionem occupat universam. Comes cum eo paciscitur; obsides recipit.

Dum hæc apud nos geruntur, audiens filii Noradini patruus, princeps maximus et inter Orientales gentis Parthorum potentissimus, nomine Cotobedi, quod fratre mortuo, Salahadinus spretis humanitatis legibus, immemor factus suæ conditionis et beneficiorum sibi a patre pueri collatorum ingratus, ita contra dominum suum adhuc impuberem insurrexisse, congregata equitum numerosa manu, quorum maxima dicitur esse illi copia, Euphrate transmisso, contra proditores suos, nepoti opem laturus advenit. Erat autem hic maximus princeps, dominus illius antiquissimæ et famosissimæ civitatis Ninive, quæ olim Jonæ prophetæ exhortationis verbo, in cinere et cilicio dicitur egisse pœnitentiam; nunc autem mutato nomine, loco etiam non multum longe ab illa antiquiore remota, ex residuis ædificiorum et populi restituta, Musula dicitur; retenta adhuc metropoleos dignitate, in omni Assyria. Hic, postquam advenit, in campestribus circa Halapiam castra locavit. Salahadinus interea nihilo segnius Bostro primæ Arabiæ metropoli maxima, Heliopoli quoque, quæ hodie vulgo dicitur Malbec, spontanea civium traditione sine bello receptis, urbem Emissenam, quæ dicitur Camela, obsederat; et absque cunctatione aliqua tradita est ei a civibus ejusdem urbis pars inferior; nam in colle quodam aliquantulum edito erat civitatis præsidium, satis munitum, in quod fideles prædicti pueri se contulerant, quod tamen et armis, et alimentis prius satis et attentius communierant. Susceperat etiam nihilominus ejusdem provinciæ urbes illi conterminas, tradentibus locorum incolis, Hamam, Cæsaream et regionem universam usque ad ipsam Halapiam. Hi ergo qui in arce erant civitatis Emissenæ, missis nuntiis ad comitem Tripolitanum, et nostros qui erant in castris, ut prædiximus, exspectantes ut ab alterutra parte, in tanto tumultu optatis conditionibus, evocarentur, rogant, ut ad eos venire non pigritentur, polliceu-

Digitized by Google

tes non esse absque emolumento et condigno fructu, si sibi contra hujusmodi pestilentem hominem subsidia ministrarent. Porro domini comitis obsides in eodem municipio servabantur, quos pro sua redemptione et certa pecunia usque ad sexaginta millia aureorum, Noradino patri pueri dum a carcere solutus egrederetur, obligaverat. Erant etiam ibidem et domini Rainaldi Sidoniensis, pro fratre suo Eustachio obsides nonnulli. Sperantes ergo, quod aliquo pacto eos pro spe subsidii, quod postulabant, a principe arcis, in qua erant, possent recipere, illuc celerrime cum omni militia contendunt; ubi cum nihil ponderis in eorum verbis reperissent, erat enim spes eis, per supradictum principem suum posse obsidionem solvi, post multas tamen deliberationis varietates, in castra unde prius exierant, revertuntur. Salahadinus interea videns, quod nostri quasi indignati recesserant, factus inde erectior et de eorum absentia præsumens plurimum, Halapiæ vicinius approximans, exercitum prædicti principis cœpit ad pugnam lacessere crebrisque irritare incursionibus; quo sæpius instigante, commissum est cominus et graviter inter eos. Tandem deficientibus Ninivitis, proditione suorum, ut dicitur, pecunia corruptorum, victoriam obtinuit Salahadinus. Inde Emissam rediens, sicut prius civitatem, ita demum et civitatis præsidium recepit. Inde ad comitem legationem dirigens, dominum comitem orat, ne suis successibus se opponat, sed permittat se cum filio Noradini, et aliis qui in auxilium ejus venerant, experiri; ne autem et hoc ipsum sine condigna retributione contemnat, obsides suos et domini Rainaldi gratis offert restituendos. Placuit hoc verbum domino comiti, receptisque obsidibus, prout pactis fuerat insertum, cæteris quoque nobilibus qui in eadem expeditione erant, non sine decenti munificentia dimissis, solutis castris, ad propria remearunt. Dicebatur horum omnium verborum dominus Henfredus de Torono, regius constabularius, mediator fuisse, qui prædicto Salahadino nimiæ familiaritatis affectu devinctus arguebatur. Factum est igitur contra propositum nostrum, *ut cui penitus fuerat obviandum, ne contra nos factus potentior, solito vehementius insolesceret, eidem favor noster accederet; et de nobis auderet sperare, qui in nostrum continue ampliabatur detrimentum.* Egressi itaque a nobis circa Kal. Januarias, Kal. iterum Maii domum reversi sunt.

CAPUT IX.

Mainardus Berythensis episcopus moritur. Hujus conscriptor historiæ ad Tyronensem metropolim promovetur.

Iisdem diebus dominus Mainardus, bonæ memoriæ, Berythensis episcopus, dum in urbe Tyrensi languore correptus aliquantulum ægrotasset, morte præventus est VII Kal. Maii, cujus anima requiescat in pace. Eodem mense, cum Tyrensis Ecclesia septem vacasset mensibus continuis, consonante cleri et populi voto, regis quoque, ut moris est, conveniente assensu, Dei patientia potius quam meritis nostris, ad regimen illius Ecclesiæ vocati sumus, et infra decem dies in ecclesia Dominici Sepulcri, per manus domini Amalrici Hierosolymitani patriarchæ, munus consecrationis, VI Idus Junii, auctore Domino, suscepimus, licet indigni.

CAPUT X.

Rex Damascenorum regionem ingreditur: et eam depopulatur. Hernesius Cæsariensis archiepiscopus defungitur.

Per idem tempus Salahadino circa partes illas arctius occupato, nuntiatum est domino regi, Damascenorum fines, absque militia et sine rectore, patere satis aperte ad prædam et ad alia incommoda sustinenda, quæ hostibus jure belli possunt inferri. Quo comperto, congregatis militaribus copiis, Jordanem transiens, per silvam quæ Panadensi adjacet civitati, et ab ea nomen ducit, Libanum famosissimum promontorium habens ad lævam, agrum Damascenum attingit. Erat autem tempore messis. Discurrentes ergo nostri, et totam regionem obambulantes libere, fruges sive in areis comportatas, sive solo hærentes, sive per agros manipulatim congestas, incendiis tradunt. Homines autem, præcognito eorum adventu, ad loca munitiora cum uxoribus et parvulis se contulerant. Sicque pro arbitrio nostri regionem habentes, pervenerunt usque Dariam. Is locus suburbanus est, Damasco conterminus, vix ab ea distans milliaribus quatuor; inde etiam Bedegene, qui locus ad radicem Libani situs, perspicuas emanat aquas, unde Domus voluptatis dicitur, perveniunt; et invitis, et multum renitentibus incolis, occupant locum violenter; spoliis inde ditati, prædam et manubias secum trahentes, cernentibus nec contradicere valentibus Damascenis, sani et incolumes post dies aliquot domum reversi sunt. Per idem tempus, dominus Hernesius bonæ memoriæ, Cæsariensis archiepiscopus defunctus est; inque loco ejus dominus Eracleus Hierosolymitanus archidiaconus electus et consecratus est.

CAPUT XI.

Rex iterum fines hostium Damascenorum ingressus, vallem cui cognomentum est Bachar, depræ datur. Rainaldus de Castellione et Joscelinus reg is patruus, a vinculis hostium solvuntur.

Anno secundo regni domini Balduini quarti, Salahadino adhuc circa partes Halapiæ negotiis occupato, mense Augusto, prima die mensis, convocatis regni magnatibus et collecta militia, iterum dominus rex hostium fines ingreditur, pertransiensque agrum Sidoniensem, et montana, quæ media sunt inter nostros et hostium terminos conscendens, pervenit ad locum bonis temporalibus commodum pene omnibus, glebam uberem, fontibus irriguum, cui nomen Messaara; inde in vallem quæ dicitur Bacar, descendens, terram reperit, ut legitur, lacte

Digitized by Google

et melle manantem. Hanc regionem existimant quidam dictam fuisse olim Ituream, cujus in Evangelio Lucæ (cap. III) Philippus Herodis senioris filius, tetrarcha dicitur, simul et Traconitidis regionis; antiquius autem, videlicet tempore regum Israel Saltum Libani nuncupatam, eo quod ad radices Libani porrecta distenditur vallis opimo solo, aquis salubribus, populorum numerositate, suburbanorum frequentia et aeris grata temperie commendabilis. In hujus partibus submissioribus civitas ostenditur usque hodie validis mœnibus circumsepta, multa prætendens nobilitatis pristinis in ædificiis argumenta, cui nomen est modernum Amegarra. Hanc quidam antiquitatis perscrutatores, arbitrantur esse Palmyream, nobilem quondam in Phœnice coloniam; cujus memoriam facit Ulpianus Tyrius in *Digesto novo* titulo 10, *De censibus*. Huc pervenientes nostri, cœperunt omnem regionem libere, nemine contradicente, perlustrare incendiisque vastare universa; incolæ autem regionis ad montes confugerant, ad quos non erat facile iter nostris pervium; greges vero et armenta pro maxima parte in paludibus, quæ erant in vallis medio, ubi pascua erant uberrima, adventu nostrorum prægnito, collocaverant. Interea comes Tripolitanus, ex condicto per agrum Bibliensem, juxta castrum quod Manethera dicitur, subito in fines Heliopolitanos ingressus, in eadem valle, cum suis, cuncta incendiis cremare nuntiatur. Quod audientes nostri, obviam illis properantes, illi quoque nihilominus occurrere nobis optantes, convenerunt quasi in vallis medio; quod audiens Semsedolus, Salahadini frater, qui Damasci residebat procurator, congregata militia, locorum etiam incolis convenientibus, resistere tentat, acies instruit, nostris obviam ire parat. Nostri quoque ordinatis agminibus, animo promiore occurrunt; decertatur utrinque viriliter; sed Divinitate propitia multis interfectis, captis innumeris, hostis in fugam versus est. Semsedolus cum paucis evadens, ad montis ardua se contulit. Nostri vero hostilibus onusti spoliis, cum armentis et præda maxima redeunt; paucis tamen, imprudenter, qui paludes præliandi gratia fuerant ingressi, dum vias ignorant, et nostrorum ita subitum non opinantur regressum, amissis. Reversus ergo dominus rex, et sui, cum omni sospitate, trahentes boum armenta oviumque greges et supellectilem omnimodam, victoriæ argumenta et felicitatis insignia, Tyrum auctore Domino pervenerunt. Comes quoque Tripolitanus, eodem quo venerat itinere, secum etiam prædam referens innumeram, ad propria feliciter cum suis omnibus se contulit. Eodem anno dominus Rainaldus de Castellione, qui domino Raimundo principi Antiocheno, in eodem principatu successerat, uxorem ejus, Constantiam nomine, ducens, post multos annos captivitatis suæ, quam apud Halapiam duram nimis passus fuerat, intervenientibus amicis suis, et multa quantitatis pro eo numerata pecunia, libertati restitutus, simulque cum eo Joscelinus, Joscelini comitis Edessani filius, domini regis avunculus, studio et industria Agnetis comitissæ, uxoris Rainaldi Sidoniensis, sororis suæ, matris videlicet regis, ereptus a vinculis, in pristinam libertatem se recepit.

Eodem anno, mense Maio, secunda mensis die, per nostrum ministerium, in ecclesia Tyrensi, munus consecrationis susceperunt, dominus Odo Sidoniensis electus, qui ejusdem ecclesiæ Tyrensis fuerat præcentor, et dominus Rainaldus, Berythensis electus.

CAPUT XII.

Dominus imperator Constantinopolitanus apud Iconium ignominiose conficitur.

Eodem quoque tempore dominus Manuel imperator Constantinopolitanus, illustris memoriæ et amplectendæ in Christo recordationis, cujus beneficia et liberalitatem eximiam universus pene sentit mundus, dum contra immanissimam Turcorum gentem, et impium eorum ducem, Iconii soldanum, pro ampliando Christiano nomine, pietatis commendabili motu decertat, peccatis nostris exigentibus, suorum stragem infinitam, et copiarum imperialium, quas secum supra hominum etiam opinionem trahebat, enormia circa Iconium passus est dispendia: ubi etiam de consanguineis ejus, viri illustres, et inclyta recordatione digni, in acie occubuerunt; inter quos et Joannes Protosebasto, ejusdem domini imperatoris ex fratre nepos, vir egregiæ liberalitatis et memorandæ magnificentiæ, cujus filiam Mariam dominus Amalricus uxorem duxerat, dum strenue resistit hostibus, multis confossus vulneribus interiit. Ipse tamen ex plurima parte receptis exercitibus, sed sinistro casu, mente supra modum consternatus, in suos fines corpore incolumis se recepit. Dicitur autem suorum ducum qui præibant agmina, magis imprudentia, quam hostium viribus id accidisse. Nam, cum patentes amplæque viæ, ad producendas acies, et sarcinarum moles commodius trahendas, et impedimentorum omne genus subvehendum, quod et numerum excedere dicebatur et mensuram, non deessent, incaute nimis in periculosas locorum angustias præcipites se dederunt, ubi nec hostibus, qui loca eadem jam occupaverant, dabatur resistere; nec referendi vices copia ministrabatur. Ab ea die, hujus tam sinistri casu prædictus dominus imperator, adeo menti perennem dicitur impressisse memoriam, ut de cætero nec solita mentis hilaritate, qua singulariter præminebat, lætiorem se suis, id admodum postulantibus, exhiberet; nec corporis sospitate qua plurimum pollebat, usque in supremum vitæ diem frueretur; ita sane continua facti refricatione urebatur, ut nec animo quies, nec menti consueta tranquillitas indulgeretur.

CAPUT XIII.

Guillelmus junior, marchio de Monteferrato, in Syriam veniens, regis sororem uxorem duxit.

Tertio regni ejusdem domini Baldvini anno, circa

Digitized by Google

Octobris initium, dominus Willelmus marchio, qui cognominatus est Longaspata, filius marchionis Willelmi senioris de Monteferrato, vocatus a domino rege et universis regni principibus, tam sæcularibus quam ecclesiasticis, apud Sidonem applicuit; cui infra quadraginta dies, postquam advenit, quoniam anno præcedente, dum ad hoc specialiter citaretur, id per manum domini regis et omnium principum juramentis corporaliter præstitis firmatum fuerat, dominus rex sororem suam, natu se priorem, uxorem dedit; et cum ea Joppen et Ascalonem urbes maritimas cum pertinentiis suis et universo comitatu, sicut prius pactis insertum fuerat, eidem contulit; invitis tamen et palam contradicentibus quibusdam, quorum consilio vocatus fuerat, non satis attendentibus, quoniam varii et inconstantis hominis est, adversus sua facta venire. Erat autem prædictus marchio adolescens decenter procerus, forma commendabilis, crine flavus, animosus viriliter, iracundus, ita ut modum excederet; liberalis plurimum; profusus mente, et qui nihil unquam vellet occultare propositi; talem se foris exhibens, qualem intus gerebat animum; multum in cibo, in potu quoque maxime superfluus, non usque tamen ad animi læsionem; armorum usum et experientiam ab ipsa ineunte ætate plenius dicebatur habere; nobilis secundum sæculi dignitatem, ita ut in eo, aut nullum, aut rarissimum diceretur habere parem. Pater quippe ejus domini Philippi Francorum regis avunculus erat, matris ejus videlicet frater; mater vero ejus, domini Conradi, illustris Romanorum imperatoris soror fuerat, domini Frederici, qui nunc post dominum inclytæ recordationis Conradum patruum suum, strenue Romanum administrat imperium, amita; et ita utriusque illorum illustrium regum, pari gradu consanguineus erat præfatus marchio. Ducta demum uxore, cum vix tribus mensibus cum ea fuisset corpore incolumis, decidit in ægritudinem difficilem nimis; qua quasi mensibus duobus sine intermissione laborans, sequenti Junio, domino quoque rege apud eamdem Ascalonem graviter ægrotante, in fata concessit, uxore prægnante relicta; cujus corpus Hierosolymam devectum, in vestibulo ecclesiæ domus Hospitalis, intrantibus ad lævam, magnifice satis per nostrum ministerium, tumulatum est.

Circa id temporis Henfredus de Torono, regius constabularius, dominam Philippam, domini Raimundi Antiochiæ principis filiam, domini Boamundi tertii, qui nunc eumdem regit principatum, et dominæ Mariæ imperatricis Constantinopoleos sororem, uxorem duxit, quam Andronicus, domini imperatoris consanguineus, prius uxorem habuerat; hacque dimissa, dominam Theodoram, domini regis Balduini viduam, neptem suam impudenter nimis sed et impudice non minus, clam abduxit. Hic de quo prædiximus, dominus Henfredus statim ex quo illam in domum traduxit suam, cœpit desperabiliter infirmari; illa quoque nihilominus, languore nimio correpta, infra paucos dies vitam finivit.

CAPUT XIV.

Comes Flandrensium, diu exspectatus, regnum ingreditur.

Quarto anno regni ejusdem domini Balduini quarti, mense secundo, circa Kal. Augustales, diu exspectatus Philippus comes Flandrensium, apud Acconensem applicuit civitatem; cujus adventu dominus rex, qui ab Ascalona Hierosolymam, in lectica adhuc ægrotans se fecerat deferri, exhilaratus plurimum, mittens de principibus suis et Ecclesiarum prælatis, multiplici fecit cum honore prævenire. Cui etiam, postquam Hierosolymam pervenit, ubi adhuc rex graviter infirmabatur, communicato consilio universorum, domini videlicet patriarchæ, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum et priorum, magistrorum quoque Hospitalis et Templi, et omnium principum laicorum, obtulit ei potestatem, et liberam et generalem administrationem super regnum universum, *ut et in pace et in guerra, intus et foris, super majores et minores plenam haberet jurisdictionem; et ut super thesauros et reditus regni libere exerceret arbitrium suum.* Qui habito cum suis consilio, respondit: *Quod ipse non venerat ad hoc, ut potestatem aliquam acciperet, sed ut servitio se manciparet divino, cujus gratia venerat; nec erat ejus propositi, quod alicui administrationi se obligaret, quin libere posset, cum eum sua revocarent negotia, ad propria redire. Sed dominus rex in regno suo procuratorem ordinaret quem vellet, et ipse, tanquam domino suo Francorum regi, ob regni utilitatem ei vellet obedire.* Videntes ergo quod ita penitus, quod obtuleramus, renueret, iterum per principes suos dominus rex eum fecit devotissime rogari, ut saltem expeditionis in proximo futuræ, quam multo prius tempore cum domino imperatore Constantinopolitano ordinaverat, et universi exercitus Christiani dux vellet esse, et prælia Domini contra Ægyptios procuraret. Ad quod verbum, sicut et ad prius respondit. Constituit ergo dominus rex, sicut et prius ante introitum comitis fecerat, regni et exercituum procuratorem dominum Rainaldum, quondam Antiochiæ principem, virum approbatæ fidei et mirabilis constantiæ; qui, si dominus rex in propria persona venire non posset, administraret regni negotia, cum consilio tamen domini comitis per omnia regeretur. Cumque hoc ipsum domino comiti nuntiatum esset, respondit: *Quod non videbatur ei talis procurator necessarius; sed talem ordinaret, cujus et belli gloria, si Deus ita provideret; et dedecus, si Dominus ita pateretur, esset proprium, et cui regnum Ægypti cederet, si Dominus illud in nostram traderet ditionem.* Ad hoc respondimus, qui missi a rege fueramus: *Quod talem non posset dominus rex constituere procuratorem, nisi eumdem regem crearet; quod neque domini regis, neque nostri erat propositi.* His ita se habentibus, tandem aperuit evidentius mentis

Digitized by Google

arcanum; et quo tota ejus properabat intentio, non habuit occultum, dicens : *Mirum esse quod de matrimonio consanguineæ suæ nullus eum conveniret.* Audientes hoc verbum, admirati sumus hominis malitiam, et sinistrum mentis conceptum, quod qui tam honeste a domino rege susceptus fuerat, contra leges consanguinitatis, hospitalitatis immemor, in supplantationem domini regis hæc moliri attentaret.

CAPUT XV.

Qui cum comite venerant, seducunt eum, monentes ne regni principibus acquiescat.

Libet paulisper digredi, ut plenius auditorum sensibus ingeratur, quidnam sit, in quo prædictum comitem, malitiose versatum, tum ex multorum relationibus, tum etiam ex ejus confessione cognovimus. Quidam potens homo, cum domino comite peregrinationis illius comes venerat, advocatus videlicet de Betuna, qui duos secum traxerat filios jam adultos. Hic, ut dicitur, suffragio usus comitis Willelmi de Mandavilla, qui cum eodem comite, eadem via venerat, dominum comitem circumveniens, persuadere cœpit quod maximis sibi compendiis uti posset dominus comes, in facto regni; dicens se amplissimum habere patrimonium, in ejus comitatu, quod universum domino comiti hæreditario jure possidendum daret, si elaboraret sæpedictus comes, ut duæ filiæ domini regis Amalrici, apud duos filios suos nuptui locarentur. Erant autem domini Amalrici profecto duæ filiæ, una quæ uxor fuerat marchionis; altera infra annos nubiles constituta, cum domina regina matre ejus apud Neapolim degens. His ergo verbis assensum præbens comes, pronum se dabat, ut verbum hoc effectui mandaretur. Sed nunc redeamus ad propositum. Intellecto ergo quorsum spiritus comitis anhelaret, respondimus : *Quod domino regi id prius oporteret nuntiari; quodque illi videretur de communi consilio respondendum, die crastina renuntiaremus.* Facto mane, prius tamen habito consilio, redeuntes ad comitem, respondimus : *Quod apud nos consuetudo erat, usu approbata longævo, quod viduam, et maxime prægnantem, infra annum luctus non sit honestum, ad vota migrare secunda;* et vix præterierant tres menses a morte mariti. *Unde non esset nobis imputandum ad malum, si contra disciplinam temporum et regionis nostræ, de matrimonio prædictæ dominæ nullum habuerimus tractatum. Tamen universis nobis gratum esse et acceptum, si cum ejus, ex quo præsens erat, consilio, de verbo prædicto tractaretur; nam pro certo dominus rex, et in hoc, et in omnibus aliis negotiis, ejus semper proposuerat specialiter regi consilio, et ejus quantum cum suo honore posset, deservire voluntati. Præiret ipse in verbo, et nominaret aliquam personam ad hoc idoneam; et nos de communi voluntate, in facto præsenti, parati eramus procedere.* Quod verbum moleste ferens, dixit : *Se id omnino non facturum, nisi prius universi principes jurarent, quod sine contradictione, ejus starent verbo; nam hoc esset personam alicujus nobilis dehonestare, si eo nominato, repulsam pateretur.* Nos autem respondimus : *Quod illud omnino contra domini regis et nostram esset honestatem, si ejus sororem personæ ignotæ, et cujus etiam nomen ignoraretur, traderemus.* Tandem cognita regis et principum omnium voluntate, licet plurimum indignans et iratus, ab hoc verbo destitit.

CAPUT XVI.

Imperatoris Constantinopolitani adsunt legati petentes instanter pacta, quæ cum domino eorum rex inierat, impleri; et contra Ægyptum expeditiones præparari.

Erant per idem tempus Hierosolymis, domini imperatoris nuntii, viri inclyti et eminentes, dominus Andronicus, qui cognominatur Angelus, domini imperatoris ex sorore nepos; Joannes vir magnificus, megaltriarcha; vir nobilis Alexander, comes Cupersanensis de Apulia; Georgius Sinaites, imperialis aulæ familiaris. Hi ex præcepto imperiali ad dominum regem venerant, arbitrantes tempus esse, sicut et sperabatur, ut in adventu domini comitis Flandrensis, pacta, quæ aliquando inter dominum imperatorem, et dominum regem Amalricum inita fuerant; postmodum inter eumdem dominum imperatorem, et dominum Balduinum qui in præsenti regnat, non dissimilibus conditionibus fuerant innovata, auctore Domino, contraherentur ad effectum. Et ob hoc curia generalis apud eamdem sacratissimam urbem indicta fuerat, convenientibus in unum universis regni magnatibus. Erat omnibus spes una, eaque quasi fovebat universos, quod auxilio et consilio prædicti comitis et suorum regnum Deo amabile, optatum susciperet incrementum, et de conterendis Christi hostibus, diligens haberetur tractatus; cum subito, ut præmisimus, in sinistrum latus mutatus est comes, et promissorum immemor, ad alia se convertit negotia, omne spei nostræ firmamentum evacuans. Instant tamen imperiales apocrisiarii, ut pactis staretur, allegantes, *moram solere secum periculum trahere; per eos non stare, quominus in concepto negotio procederetur; verum se paratos asserunt, omnes pactis insertas conditiones, fideliter et larga interpretatione velle adimplere.* Nos autem audientes legatorum verba, deliberatione habita, visum est expedire, ut domino comiti verbum ex ordine panderetur; quo accito et præsente, propositus fuit ei pactorum inter nos et dominum imperatorem in scriptis fideliter tenor, ejus aurea bulla munitus. Quo diligenter lecto, et intellecto plenius, quæsitum est ab eo, *Quid sibi videretur?* Qui respondit : *Se hominem peregrinum esse, locorum ignarum, et maxime regionis Ægypti, quæ longe ab omnibus aliis regionibus, alterius dicitur esse conditionis; quæ certis temporibus aquis irrigetur, et occupetur universa. Nos autem melius nosse et locorum faciem, et abeundi opportunitatem; tamen se audivisse ex eis qui frequenter in Ægyptum descenderant, tempus ad ejus impugnationem non convenire.*

Digitized by Google

Adjecitque, *quod hiems in proximo erat; Ægyptus vero aquis Nili restagnantis operiebatur. Iterum infinitam Turcorum multitudinem illuc confluxisse* audierat. Timebat præterea, et maxime, *ne iter agentibus, aut etiam pervenientibus, alimenta deficerent, et inediæ molestia conficeretur exercitus.* Ad hoc nos, videntes quod calvas quæreret occasiones, ne sub hoc pretextu viam declinaret, obtulimus ei sexcentos camelos, ad victualia, arma et cætera impedimentorum genera per terras deportanda; et naves quotquot haberet necessarias ad alimenta, sive bellicis usibus necessarias, machinarum moles per mare devehendas. Quibus omnibus spretis, subintulit : *Quod omnino in Ægyptum non descenderet nobiscum, ne forte ipse, et qui eum sequerentur, fame perire compellerentur;* adjecit etiam, *quod ipse consueverat per opulentas regiones suos trahere exercitus; nec possent sui hujusmodi tolerare inopias; sed eligeremus alias partes, ubi commodius et facilius ad Christiani nominis incrementum, et exercitus ducere, et hostes Christi conterere possemus; et ad hoc ipse cum suis libenter se accingeret.*

CAPUT XVII.

Comes factum impedit, ab honesto alienus proposito.

Porro nobis nec tutum erat, nec honestum a pactis discedere. Nam domini imperatoris nuntii, præclari et nobiles viri, cum infinita pecunia præsentes erant, paratos se asserentes, ut præmisimus, conventiones inter nos et dominum imperatorem initas fideliter adimplere; habentes in portu Acconensi septuaginta galeas, exceptis aliis navibus, ad iter et opus condictum sufficientes; item juramentis nostris obviare, inhonestum nimis et periculosum videbatur. Quod si etiam cum assensu imperialium nuntiorum res in aliud tempus differri potuisset, præsens domini imperatoris auxilium deserere non reputabamus tutum, timentes indignationem ejus, quæ nobis poterat esse nimis periculosa. Igitur juxta condictum nostrum, secundum quod prius convenerat, consentientibus partibus utrisque, iter nostrum firmavimus, ad opus nos accingentes, quod ante multo cum domino imperatore constitueramus. Quo audito, comes Flandrensis iterum contra nos vehementius cœpit inflammari, dicens : quod in ejus contumeliam totum hoc fuerat fabricatum. Et factum est post multa, ut ejus quocunque modo satisfaceremus voluntati, quod de communi tam nostrorum quam Græcorum consilio, iterum expeditio dilata est, usque per totum Aprilem sequentem. His ita gestis, dominus comes, cum Hierosolymis quasi per quindecim dies fuisset, completis orationibus et sumpta palma, quod est apud nos consummatæ peregrinationis signum, quasi omnino recessurus Neapolim abiit. Unde post dies aliquot, ad nos misit Hierosolymam advocatum de Betuna, cum quibusdam aliis de suis hominibus; qui nobis ex parte domini comitis nuntiarunt quod comes paratus erat, et hæc erat ejus deliberationis summa, quocunque nobis videretur optimum, sive in Ægyptum, sive ad alias partes nos sequi. Quo comperto, etsi nobis videretur ridiculum toties mutare sententias, et nimiæ instabilitati videretur merito imputandum, nulli certo hærere proposito; tamen Græcos, licet inviti convenimus, videntes comitis intentionem. Non enim erat ejus propositi dicta compensare operibus; sed ad id summa ope nitebatur, quod nos in culpam traheret, et scribere ultramontanis principibus posset, per nos stetisse, quominus in negotio esset processum. Culpam ergo suam in nos retorquere volens, prædictos ad nos miserat; nullo modo sperans quod Græci ad nostram iterum redirent voluntatem.

CAPUT XVIII.

Imperatoris legati ad propria redeunt. Comes versus partes Antiochenas contendit. Balianus domini regis Amalrici viduam uxorem ducit.

Convenimus ergo Græcos, tentantes, si vellent iterum pactis stare prioribus; et si comes nobiscum veniret, utrum vellent in Ægyptum descendere? Qui respondentes : *Quamvis tempus esset arctum nimis, ut exercitus possent præparare suos, tamen, si comes propria manu vult jurare, quod veniat nobiscum; et si contigerit eum, vel hic, vel in via infirmari, quod suos mittat; et quod in tota expeditione* bona fide, sine fraude, et malo ingenio, *pro Christianitatis incremento laboret : et quod non* sit in consilio vel auxilio, *quod pacta inter dominum regem et dominum imperatorem tractata et conscripta, ex aliqua parte infringantur; et idipsum homines suos jurare fecerit, licet nobis nimis durum, et contra virilem constantiam videatur toties mutare consilia, tamen, ut regni hujus Deo amabilis, et domini imperatoris amplietur gloria, veniemus.* Hic, cum suum juramentum, advocatus et qui cum eo missi fuerant, super dictis conditionibus offerrent; nec omnia tamen prædicta cum suo juramento vellent comprehendere, nec comitis promitterent juramentum, noluimus amplius verbis inutilibus insistere; solutum est colloquium nostrum; sumptaque licentia, imperiales legati, negotium sæpe dictum, usque in tempus opportunum differentes, ad propria redierunt. Post hoc cœperunt nuntii comitis quærere, ex quo prædicta non posset esse in præsenti expeditio : *Quid cum auxilio regni dominus comes posset facere, ne omnino videretur otiosus?* Placuit tandem iis quibus verbum erat hoc propositum, quod in terram Tripolitanam aut Antiochenam proficisceretur; ibi enim videbatur quod ad honorem suum et Christianitatis incrementum, aliquid posset operari. Erant nonnulli, qui domino principi Antiocheno, qui præsens erat, et domino comiti Tripolitano imputabant quod comes ita erat adversus profectioni in Ægyptum; nitebantur enim, ut dicitur, ad suas eum partes trahere, sperantes ejus auxilio aliquid adoriri, ad incrementum suarum regionum respiciens; sed spe sua frustrati sunt; quia nec apud nos, nec apud eos

Digitized by Google

quidpiam memoria dignum ei datum est divinitus consummasse. Dignum quippe erat, ut cui Dominus suam subtraxerat gratiam, in nullo prosperaretur. Quia *superbis resistit Deus, humilibus autem dat gratiam* (*I Petr.* v, 5). Promisit tamen dominus rex, se cooperatorem et adjutorem futurum; traditique ei illuc eunti, centum equites de suis et peditum duo millia. Et in hoc statu erant res nostræ, circa Kal. Octobris. Assumptis ergo suis, et domino comite Tripolitano, magistroque domus Hospitalis et multis ex fratribus militiæ Templi, ad partes contendit Tripolitanas. Per idem tempus, dominus Balianus de Ibelim, frater domini Balduini de Ramis, viduam domini regis Amalrici, reginam Mariam, filiam Joannis Protosevasti, unde superius fecimus mentionem, domino rege id permittente, uxorem duxit; cum qua etiam Neapolitanam urbem, quam illa possidebat nomine donationis propter nuptias, in vita uxoris habendam suscepit.

CAPUT XIX.

Comes Flanarensis, una cum principe Antiocheno et Tripolitano comite, castrum Harenc obsidet, et sine fructu laborat.

Perveniens igitur ad partes destinatas comes, compositis ad iter necessariis, ordinatisque agminibus, cum Tripolitano comite et suis, terras hostium ingreditur, circa Emissenam et Hamam, moram facientes aliquam, non sine hostium damno. Salahadinus enim completis pro voto in illa regione negotiis, facta cum filio Noradini pro suo arbitrio pace, in Ægyptum descenderat; timens ne ille de quo prædiximus, apparatus et diu promissa expeditio, illuc, sicut dispositum multo ante fuerat, properaret. Traxerat ergo secum, quoscunque et undecunque eos corrogare poterat, maximas militum copias; illuc robur congerens, ubi videbantur majora emergere posse negotia. Invenientes igitur comes et sui regionem viribus vacuam, liberius poterant evagari; municipia tamen et civitatum præsidia, alimentis, armis et custodibus satis erant et sufficienter munita. Cognito vero dominus princeps, quod hostium fines ingressi essent, sicut ex condicto inter eos convenerat, ipse vero alia via properans adjungit se illis. Convenientes itaque corpore, convenerunt et mente; idque temporibus præsentibus magis opinantes expedire, placuit ut castrum Harenc obsiderent. Est autem prædictus locus, in territorio Chalcidensi, quæ civitas hodie vulgo appellatur Artasia, nobilis aliquando, nunc ad instar parvissimi redacta oppidi. Distat autem uterque locus ab Antiochia quasi milliaribus duodecim. Ad quem locum ubi perventum est, locatis in gyrum castris, locum ex omni vallant parte, ut nec obsessis exitus; nec ad eos, subsidium ministrare volentibus, liber pateret introitus. Proinde machinas, et quæ ad usus hujusmodi solent esse necessaria, construunt; et quamdam quasi perpetuitatem obsidionis et propositi constantiam promittentes, casas componunt vimineas, et propter ingruentem hiemem vallis castra muniunt, ne torrentium impetu damna rerum sustineant in aliquo. Porro ab Antiochia et suburbanis confinibus ruris incolæ, et illius professionis homines, certatim studeant necessariam ministrare alimoniam. Erat sæpedictum castrum filii Noradini, idque solum in partibus illis Salahadinus ei dimiserat. Vallato igitur undique municipio, temporibus certis, et per vices, more solito, oppidanis dabant assultus, et machinis ac tormentis mœnia quatientes obsessis negabant requiem.

CAPUT XX.

Salahadinus cum multitudine infinita ab Ægypto rediens, regnum ingreditur; ante Ascalonam se locat. Rex cum universis regni viribus illi obviam occurrit; antè prædictam urbem conflictus cum hostibus habetur maximus.

Interea, dum hæc in partibus Antiochenis geruntur, Salahadinus audiens quod comes et totius exercitus Christiani robur, quod ipse non sine timore vehementi in Ægypto præstolatus fuerat, ad partes se contulerat Antiochenas; arbitratus non imprudenter, quod regnum viribus vacuum impune posset invadere; et duorum alterum facilius obtinere, aut obsidionem ab obsesso dimovere municipio; aut hostibus illic perseverantibus, de his qui in regno remanserant, obtinere triumphum. Collectis igitur undique militaribus copiis, in multitudine gravi, et armis et omnibus pene quæ in bello solent usui esse, solito instructiore, egressus de Ægypto, per vastitatem interjectæ solitudinis, maturato itinere pervenit ad urbem antiquissimam, desertam tamen, Laris nomine; ubi deposita impedimentorum parte, et sarcinarum onere sublevato, assumptis sibi qui expeditiores, et pugnandi peritiores videbantur, relictis post se oppidis nostris Darum et Gaza urbe famosissima, subito ante Ascalonam, præmissis quibusdam excursoribus, irruit. Dominus vero rex, aliquot diebus ante, de adventu ejus præmonitus, id quod residuum erat in regno militiæ, celeriter convocans, cum suis eamdem urbem, paucis ante diebus ingressus fuerat. Aderat, ut præmisimus, comes Tripolitanus cum centum ex nostris militibus, de multo numero electis; magister quoque Hospitalis cum fratribus suis, et pars maxima militiæ Templi; reliqua vero pars fratrum in Gazam se receperat, timentes ne eam, quia prima de urbibus nostris ei occurreret, Salahadinus obsideret; item Henfredus regius constabularius, ægritudine maxima, ut diximus, laborabat. Paucos igitur secum habens dominus rex, ut comperit quod per campestria nobis contermina libere et hostiliter vagarentur et discurrerent hostes, invocato divino auxilio, relictis qui civitatem tuerentur, urbe cum suis egreditur, tanquam cum eis pugnaturus. Salahadinus vero prope civitatem gentem suam in unum collegerat. Egressus autem Christianus exercitus, inspecta partis adversæ multitudine infinita, qui sensus habebant magis

Digitized by Google

exercitatos in talibus, tutius esse dicebant *in se subsistere, quam dubiis belli eventibus inconsulte se committere.* Ita ergo usque ad vesperam, habitis tamen interdum singularibus conflictibus, quamvis proximæ essent utrinque acies, eorum impetus sustinuerunt nostri. Advesperascente autem die, periculosum credentes, in tam modica manu, castris se committere illa nocte, præsertim cum tanta esset hostium immensitas, in civitatem Ascalonam iterum prudenter se receperunt. Quod factum in tantam Salahadinum cum suis erexit præsumptionem, ut jam non in se solide subsisteret, sed ambularet in mirabilibus super se; et jam quasi victor, commilitonibus suis regni subjugati portiones certas designaret. Cœperunt ergo de cætero, quasi pro votis obtinentes omnia, incautius discurrere, habere se imprudentius, passim per turmas inordinatis agminibus vagari.

CAPUT XXI.

Hostes regionem longe lateque depopulantur, urbes et suburbana succendunt.

Nocte ergo illa opinati sumus, quod ante urbem castra locarent sua, in ea regione ubi pridie fuerant; aut urbi vicinius se conferentes, ipsam obsidione clauderent. Verum ipsi neque sibi neque equis requiem indulgentes, catervatim universam perlustrantes regionem, prout cuique impetus erat, ad diversa rapiebantur. Erat autem inter eorum satrapas quidam, Ivelinus nomine, vir bello strenuus, ad quælibet tentanda pronus; vir apostata, qui relicta mediatoris Dei et hominum fide, ad gentilem impietatem devia secutus, se contulerat, natione Armenius. Hic, cum acie cui præerat, usque Ramam urbem in campestribus sitam pervenit; inveniensque eam vacuam, succendit; diffidentes enim illius loci cives, eo quod non esset munita commode, partim cum domino Balduino rege in expeditionem apud Ascalonam profecti fuerant; pars cum infirmiore manu, cum mulieribus et parvulis in Joppen se contulerant; pars in castrum in montibus, situ munitum satis, cui nomen Mirabel, ascenderant. Incensa igitur urbe, prædictus Ivelinus Liddam, finitimam urbem, cum omni suo comitatu properat, locum partitis agminibus, subito vallat in circuitu; deinde sagittarum immissa grandine et omni armorum genere, inclusos aggreditur et incessanter fatigat. Contulerat sane se populus omnis super ecclesiam beati martyris Georgii. Porro tantus nostros invaserat timor, ut jam non esset spei residuum, nisi in fuga; nec solum his qui in campestribus habitabant, ubi tam liber hostium erat discursus, verum etiam et montium incolis tantus incubuerat horror, ut civitatem sanctam prope desererent ejus cives, et de urbis tuitione diffidentes, in arcem quæ dicitur David, reliqua parte civitatis neglecta, se certatim conferrent. Processerant quippe excursores usque ad locum qui dicitur Calcalia, et obtexerant pene universam superficiem terræ eorum prægressi; et jam etiam dimissis campestribus, ad montana conscendere disponebant. Hæc erat facies regionis desolatæ, et oppressæ amaritudine, in die qua obtexit eam caligine Dominus in furore suo, ad iracundiam provocatus: tamen non continuit *in ira sua misericordias suas, nec oblitus est misereri; sed conversus, consolatus est nos, et apposuit ut complacitior sit adhuc* (*Psal.* LXXVI, 7), et *secundum multitudinem dolorum* nostrorum, *in corde* nostro *consolationes ejus lætificaverunt* animas nostras (*Psal.* XCIII, 19).

CAPUT XXII.

Rex Ascalona egressus, hostibus occurrit; ordinantur utrinque acies; procinctus fit ad dimicandum.

Nam, dum hæc ita in partibus illis geruntur, dominus rex audiens quod fines ejus longe lateque hostium multitudo diffusa penitus occupaverat, ex Ascalona cum suis egreditur, ac hostibus obviam ire parat: satius ducens, cum hostibus etiam dubio eventu præliandi fortunam tentare, quam prædam, incendia, suorum stragem sustinere. Egrediens igitur per maritimam oram, littus quoque secutus, ut subito et occultus posset inimicis occurrere, pervenit ad eum locum, ubi Salahadinus e regione erat in campestribus. Quo perveniens, acies omnemque apparatum bellicum, tam equitum quam peditum adversus eum dirigit; ubi adjunguntur ei fratres militiæ Templi, qui in Gaza remanserant. Inde instructis ordinibus militum, hostibus obviam ire parant, dumque proficiscuntur unanimes injurias suas ultum iri, incendiis quæ ex omni parte intuebantur, et strage suorum audita, in virilem audaciam divinitus accensi, quasi vir unus facti, properant; cum ecce ex adverso non multum distantia hostium agmina contuentur. Erat autem hora diei quasi octava. Salahadinus interea audiens nostros spe pugnandi adventare, timens quem prius videbatur optasse congressum, missis qui suos passim dispersos convocarent; clangore quoque buccinarum et tympanorum strepitu, verbis quoque, sicut in talibus fieri solet, manipulos suos ad conflictum animabat, et dictis vires addere nitebatur. Erat ibi cum domino rege, Odo de Sancto Amando, magister militiæ Templi, cum octoginta ex suis; princeps Rainaldus, Balduinus de Ramis, et Balianus frater ejus; Rainaldus Sidoniensis, comes Joscelinus, regis avunculus et senescalcus. Omnes vero quotquot erant promiscuæ conditionis, vix trecenti septuaginta quinque inventi sunt. Hi omnes, invocato de supernis auxilio, prævio vivificæ crucis ligno mirabili, quod dominus Albertus Bethlehemita episcopus gestabat in manibus, instructis ordinibus, ad dimicandum viriliter se accingebant. At vero interea ad hostium cuneos, qui longius prædas secuti et procurantes incendia discesserant, certatim ex diversis partibus addebantur, fiebatque major numerus; ita quod nisi Dominus, qui non derelinquit sperantes in se, nostros interiore quadam inspiratione clementius erigeret, omnino non solum de victoria, sed et de salute et de libertate desperare co-

Digitized by Google

gerentur. Ordinant et ipsi nihilominus acies suas, et juxta militarem disciplinam agmina digerunt, disponentes qui primi aggrediantur, et qui eis sint subsidio.

CAPUT XXIII.

Committitur pugna; vincitur Salahadinus, et in fugam cum supremo periculo et ignominia vertitur.

Interea, accedentibus hinc inde gradatim bellatorum ordinibus, commissum est prælium, prius casu dubio, sed viribus longe imparibus; postmodum nostris animosius insistentibus, infusa cœlitus gratia, quæ eos solito redderet fortiores, confractis eorum legionibus, post multam stragem hostes in fugam vertunt. Quis autem esset hostium numerus investiganti mihi et quærenti diligentius, veridica multorum relatione innotuit, quod viginti sex millia equitum expeditorum, exceptis iis qui summariis insidebant et camelis, intra fines nostros immiserat; ex quibus erant octo millia egregiorum, quos ipsi lingua sua Toassin vocant; reliqua vero decem et octo millia erant gregariorum, quos ipsi appellant Carnagolam. De egregiis autem erant mille, qui omnes induti croceis super loricas examentis, Salahadino concolores, eidem familiarius ad tutelam proprii corporis assistebant. Solent enim Turcorum satrapæ et majores principes, quos ipsi lingua Arabica vocant emir, adolescentes, sive ex ancillis natos, sive emptos, sive capta in prœliis mancipia studiose alere, disciplina militari instruere diligenter; adultis autem, prout cujusque exigit meritum, dare stipendia et largas etiam possessiones conferre; in dubiis autem bellorum eventibus, proprii conservandi corporis solent his curam committere et de obtinenda victoria spem habere non modicam: hos lingua sua vocant Mameluc. Hi assistentes domino suo perseveranter, unanimiter ab eo nitebantur propulsare injurias, et usque ad mortem non destituere. Hi sane in conflictu perseverantes, quoadusque fugeret dominus eorum, unanimiter perstiterunt; unde contigit quod, cæteris fuga elapsis, hi pene omnes occumberent. Conversis itaque hostibus in fugam, insecuti sunt nostri usque dum, inclinata jam die, nox irrueret; ab eo loco, qui dicitur Mons Gisardi, usque ad paludem illam, quæ vulgo dicitur Caunetum Esturnellorum. Toto autem illo fugæ tempore et spatio, non desiit hostium strages fieri continua, per duodecim vel amplius milliaria; nec de omni numero superfuissent aliqui, nisi nox importune irruens, persequentium gladiis eripuisset. Ut autem expeditius possent fugiendo saluti consulere, abjectis armis et vestibus, sarcinis expositis, relictis infirmioribus, qui fortiores erant et equorum velocium sessores, fugiendo pro viribus, beneficio noctis imminentis, neci subtracti sunt; alii autem omnes aut capti, aut gladiis interempti, graviores exitus sunt consecuti. De nostris autem in primo conflictu quatuor aut quinque occubuerunt equites; pedites autem ad certum, quem nos ignoramus numerum. Pervenientes autem, qui fuga fuerant elapsi, usque ad prædictam paludem, si quid residuum erat oneris, loricas videlicet et caligas ferreas, in carectum aquæ et in ipsam aquam projecerunt interius, ut et ipsi expeditius incederent, et arma in aquis projecta, nostris nullo tempore possent esse aut usui, aut victoriæ signo. Quorum tamen utrumque nostri postea sunt plenius assecuti; nam inhærentes eorum vestigiis et nocte instante, et sequenti die, et prædictum arundinetum diligentius perscrutantes, paludem quoque ipsam contis et uncis percunctantes, quidquid illi occultaverant, celerius repererunt. Audivimus a quibusdam fide dignis, quod centum inde viderant una die loricas extrahi, exceptis galeis et ocreis ferreis, et minoris ponderis rebus, utilibus tamen et pretiosis. Collatum autem nobis est hoc tam insigne et sæculis memorabile beneficium, divinitus, anno domini Balduini quarti tertio, mense Novembre, VII Kal. Decembris, die festo Sanctorum martyrum Petri Alexandrini et Catherinæ virginis. Reversus autem dominus rex Ascalonam, exspectavit quousque suos reciperet, qui diversis itineribus insecuti fuerant fugientes, quos infra dies quatuor recollegit. Videre erat redeuntes, manubiis onustos, mancipia trahentes, camelorum armenta, equos, tentoria referentes, exsultantes secundum Prophetæ dictum: *Quasi victores capta præda, quando dividunt spolia* (*Isa.* IX, 3).

CAPUT XXIV.

Pluviarum intemperies et frigus insolitum eos qui ex acie fugerant, fatigant supra vires; occiduntur ex eis innumeri, capiuntur quamplures. Rex Hierosolymam victor revertitur.

Accessit et aliud, in quo manifeste innotuit præsentem esse divinam nobis clementiam; nam sequenti die, et per decem dies continuos, tanta vis imbrium, tanta algoris præter solitum violentia incubuit, ut vere credi posset, etiam ipsa contra eos conjurasse elementa. Equos nimirum omnes amiserant, quibus per illud triduum, quo in finibus nostris moram fecerant, nec cibum, nec potum, nec ullam indulserant requiem; item indumenta et vestium genera quælibet, ut præmisimus, omnino a se rejecerant. Accedebat ad miseriarum cumulum, quod nec victum penitus habentes, frigore, inedia, viarum tædio et laboris insueti pondere tabescebant. Reperiebantur ex eis passim aliquando plures, aliquando pauciores, in quos quamvis etiam impotens et debilis, impune poterat pro suo arbitrio desævire; ignari enim locorum ex eis plerique, putantes domum redire, nostris se vicis aut viatoribus, aut eos quærentibus offerebant. Arabes interea, infidum genus hominum, videntes quidem casum qui furcis acciderat, ad illos properant, quos superius cum sarcinis apud Laris civitatem diximus relictos, quos nuntiata suorum strage territos, in fugam vertunt; eos quoque nihilominus, qui quocunque casu nostrorum manus evaserant, durius insequuntur; et qui a nobis elapsi videbantur, illis dabant-

Digitized by Google

tur ad prædam; ita ut impletum videretur illud propheticum : *Residuum locustæ, comedit bruchus* (*Joel.* I, IV). Id enim moris huic generationi nequam esse dicitur, ut sub quocunque duce ingrediantur ad prælia, anceps soleant declinare certamen; et quandiu bellorum dubius est eventus, de remoto conspicere; demumque adhærere victoribus; victos vero tanquam hostes insequi et de eorum locupletari spoliis. Igitur per dies multos de silvis, de montibus, de ipsa etiam solitudine educebantur captivi; aliquando etiam sponte nostris occurrebant, satius arbitrantes carceri et vinculis mancipari, quam frigore et inedia tabescere et cruciari. Interea dominus rex præda et manubiis, lege belli distributis, votivas gratiarum actiones pro collatis sibi a Domino beneficiis soluturus, Hierosolymam properavit. Salahadinus autem, qui cum tanta superbia et tam multiplici equitatu ascenderat, divina percussus manu, vix cum centum equitibus reversus est; ipse quoque camelo invectus dicitur. Intueri libet et considerare interius, divini hujus muneris largitatem; et quomodo in nobis exhibita nobis liberalitate, hanc universam sibi voluit pius consolator gloriam vindicare. Nam, si præsenti operi divinitus procurato, comes Flandriæ, princeps Antiochenus, comes Tripolitanus, et illa militiæ multitudo quæ aberat, interfuisset, more imprudentum, et qui solet in prosperis irrepere fastus, etsi non verbo, saltem cogitatione non vererentur dicere : *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omniâ* (*Deut.* XXXII, 27). At nunc juxta verbum suum, quod scriptum est : *Ego gloriam meam alteri non dabo* (*Isa.* XLII, 8); reservata sibi penitus auctoritate et gloria, non in multitudine, sed paucorum usus ministerio; et Gedeonis innovans clementer miracula, innumeram stravit multitudinem; significans quod *ipse sit, et non alius, cujus beneficio unus persequitur mille, et duo fugant decem millia.* Ei ergo ascribatur, *a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum* (*Jac.* I, 17); quia non est in hoc præsenti articulo, quod operibus suis imputare possit homo. Divinæ enim gratiæ munus est et non meritis exhibitum : *Tuum est opus, Domine, extendisti enim manum tuam, et devoravit eos terra* (*Exod.* XV, 12); *in multitudine gloriæ tuæ deposuisti omnes adversarios meos* (*ibid.*, 7).

CAPUT XXV.

Qui in partibus Antiochenis castrum Harenc obsederant, infecto negotio reversi sunt ad propria.

Cum hæc apud nos peraguntur, comes, et qui cum eo erant, in obsidione supradicti castri perseverabant, sed inutiliter; nam in dissolutionem dati, aleis et cæteris noxiis voluptatibus majorem dabant operam, quam disciplina militaris aut obsidionis lex exposceret; continuis itineribus Antiochiam properabant, ubi balneis, comessationibus, et ebrietatibus et cæteris lubricis voluptatibus deditti, desidiis obsidionem deserebant. Sed neque ii qui ibi juges et assidui videbantur, negligentia torpentes aliquid utilitatis operabantur, terebant otia, et palustres trahebant dies. Ipse etiam comes singulis diebus minabatur, quod cum redire oporteret, quodque invitus ibi detinebatur; quod verbum non solum eos qui in obsidione erant exterius, ab honesto revocabat proposito; sed etiam obsessos reddebat ad resistendum promptiores; sperantes enim in vicino solvendam obsidionem, proponebant hoc modico tempore melius esse cuncta tolerare, etsi dura viderentur quæ possent inferri, quam municipium fidei suæ creditum, invisis prodere gentibus et proditionis notam incurrere perpetuam. Erat autem prædictum castrum in edito loco situm, in colle constitutum, qui ex maxima parte videbatur congestus, ex uno solo latere impugnantibus aditum præbens; in reliquis autem etsi assultus dare volentibus minime pervius, tamen undique machinis libere poterat flagellari. Post varios igitur eventus et frequentes assultus, quibus si ex animo res gesta esset, et propitia adesset Divinitas, posse capi videretur, decidit res in negligentiam, ut prædiximus; et peccatis nostris exigentibus, ita omnis nostrorum emarcuit virtus, et evacuata est omnis prudentia, ut cum jam qui inclusi tenebantur, in supremam desperationem incidissent, nostri cœperint de reditu ad propria tractare. Admirari non sufficimus (esse enim videtur amplius opinione hominum) quod tantis principibus tantam induxit Dominus mentis caliginem; et ita in indignatione sua eos cæcitate percussit, quod nemine compellente, castrum jam pene expugnatum, sola stimulante invidia, et negligentia revocante, hostibus dimitterent. Videns ergo dominus princeps, quod ita comes Flandriæ fixerat propositum, quodque in hoc verbo irrevocabiliter erat obstinatus, sumpta ab obsessis, in incerta nobis quantitate, pecunia, obsidionem solvit. Comes autem Flandriæ Hierosolymam rediens, completis ibi solemnibus sanctæ Paschæ diebus, ad reditum se parat; aptatisque galeis et navibus ad onera devehenda necessariis, per dominum imperatorem Constantinopolitanum, ad propria rediturus, a Laodicia Syriæ, navigationis suæ iter arripuit, in nullo relinquens post se in benedictione memoriam.

Eodem tempore dominus Fredericus Romanorum imperator, post vicesimum annum schismatis, cum domino Alexandro papa, apud Venetias pacificatus est.

Per idem quoque tempus, cum sanctæ urbis Hierusalem, propter nimiam vetustatem, muri jam ex parte corruissent, facta collatione inter principes, tam sæculares quam ecclesiasticos, collecta est certæ quantitatis pecunia annuatim persolvenda, quousque, auctore Domino, opus consummaretur, ut impleretur illud : *Benigne fac in bona voluntate, sic ut ædificentur muri Hierusalem* (*Psal.* L, 19).

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

Romæ generalis synodus indicitur. Rex super fluenta Jordanis, infaustis avibus, castrum ædificat, ædificatum templariis tradit.

Anno ab incarnatione Domini, 1178 qui erat regni domini Balduini quarti annus quintus, mense Octobri, cum anno præcedente indicta esset per universum Latinorum orbem Romæ synodus generalis, ad eamdem synodum vocati, profecti sunt de nostro Oriente, ego Willelmus, Tyrensis archiepiscopus, Heraclius Cæsariensis archiepiscopus, Albertus Bethlehemita episcopus, Radulphus Sebastenus episcopus, Joscius Acconensis episcopus, Romanus Tripolitanus episcopus, Petrus prior ecclesiæ Dominici Sepulcri, Rainaldus abbas ecclesiæ montis Sion. Prædictus vero Joscius non solum ad synodum pro B perabat nobiscum, verum ad dominum Henricum, Burgundiæ ducem, legatione fungebatur, ut eum ad nos evocaret. Conveneramus enim unanimiter, ut domini regis sororem, quam prius marchio habuerat, eisdem conditionibus eidem in matrimonio concederemus; quod verbum cum idem dux per manum prædicti domini episcopi, prius gratanter suscepisset, et etiam, ut dicitur, juramento propriæ manus, se venturum firmasset, causis quibusdam adhuc nobis incognitis, venire renuit, juramenti quod præbuerat immemor, et fidei qua se obligaverat prodigus inventus.

Eodem mense quo nos iter ad synodum arripuimus, dominus rex cum omnibus regni viribus, castrum quoddam super ripas Jordanis, in eo loco C qui vulgo vadum Jacob appellatur, aggressus est ædificare. Habent traditiones veterum, eum esse locum ubi Jacob de Mesopotamia rediens, missis nuntiis ad fratrem, factisque duabus turmis, dixit: *In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior* (*Gen.* XXXII, 10). Est autem in pago Cades Nepthalim, inter Nepthalim et Dan, quæ alio nomine appellatur Pancas, alio etiam Cæsarea Philippi dicitur; quarum utramque Phœnicis constat esse portionem, et Tyrensis metropolis urbes suffraganeas. Distat autem a Paneade milliaribus decem. Porro collis erat ibi mediocriter eminens, super quem fundamenta jacientes profundidate congrua, murum miræ spissitudinis, in quadrum ædifi- D cantes opere solidissimo, ad convenientem altitudinem, infra sex menses erexerunt. Contigit autem, dum in ædificando ibi moram facerent, egressi sunt latrunculi de partibus Damascenis, qui universas ita obsederant vias, quod non nisi cum periculo ire ad exercitum aut inde redire, aut vias carpere quaslibet viatores possent. Erant autem prædicti latrunculi de loco in montibus Acconibus sito, cui Bacades nomen, qui vulgo Bucael dicitur. Hic locus in finibus Zabulon situs est, amœnus admodum; et, licet in summis montium, tamen aquis irriguus est et arborum fructiferarum frequentia consitus, habitatores habens insolentes, armis strenuos et numerositate superbos, adeo ut vicinorum agros et A suburbana finitima sibi facerent tributaria; maleficis et debita supplicia fugientibus, aggressoribus quoque et viarum effractoribus tutum apud se præbentes refugium, ob prædæ et vi raptarum rerum, quod eis dabatur, participium. Erant ergo omnibus per circuitum propter intolerabilem eorum arrogantiam, tam nostris quam etiam Sarracenis invisi et odibiles facti, ita ut sæpius fuerit attentatum eos funditus exstirpare; sed successum res non habuit; unde et singulis diebus fiebant protervi ores. Quorum intolerabilem superbiam, furta commissa, perpetrata homicidia, dominus rex non ferens, locum prædictum subito et violenter occupans, quos comprehendere potuit, neci dedit; sed fugerunt ex parte maxima, præcognito domini regis adventu; et ad partes Damascenas, cum uxoribus et parvulis se contulerunt. Inde frequentes in provincias nostras, occulte tamen, irruptiones, veteris consuetudinis non immemores, facere consueverant. Nunc autem adjunctis sibi ejusdem factionis consortibus, fines nostros ingressi erant, ut præmisimus. Quod audientes nostri, indignati, quod hujusmodi homines vias publicas ita fecerant periculosas, locis competentibus eis ponentes insidias, operam dabant sollicitam, quomodo eos possent prævenire. Accidit autem nocte quadam, quod ipsi, facta præda, de montibus Zabulon descendentes, volentes se ad partes unde exierant conferre, in nostros, qui eis insidias paraverant, incidentes, viarum suarum fructum collegerunt; captis etenim ex eis novem, septuaginta et plures interfecti sunt. Accidit autem hoc, mense Martio, XII Kal. Aprilis.

Per idem tempus, Romæ celebrata est synodus in basilica Constantiniana, qui dicitur Lateranum, trecentorum episcoporum; pontificatus domini Alexandri anno vicesimo, mense Martio, indictionis XII, quinta die mensis. Cui si quis statuta et episcoporum nomina, numerum et titulos scire desiderat, relegat scriptum quod nos ad preces sanctorum Patrum, qui eidem synodo interfuerunt, confecimus diligenter; quod in Archivo sanctæ Tyrensis Ecclesiæ, inter cæteros, quos eidem contulimus Ecclesiæ libros, cui jam sex annos præfuimus, jussimus collocari.

CAPUT XXVII.

Rex in terras hostium ingressus, damna patitur enormia. Henfredus regius constabularius occasionem mortis ibi colligens, defungitur.

Constructo igitur castro et ex partibus suis absoluto, nuntiatum est domino regi, quod in eam silvam, quæ Paneadensi adjacet civitati, hostes incaute pascua sequentes, greges immiserant et armenta, non habentes secum illas militum copias, quibus freti nostris irruentibus possent resistere. Arbitrantur ergo nostri quod immunitos eos, sicut nuntiatum fuerat et præliaribus auxiliis destitutos, facile possent opprimere, illuc occulte tendunt; et ut latenter et ex improviso, celatoque eorum adventu possent irruere, de nocte iter aggrediuntur

Digitized by Google

et de nocte accelerant. Mane igitur facto ad locum destinatum perveniunt; ubi aliis ad alia præliandi gratia properantibus loca, aliis lente nimis et de remoto subsequentibus, ea acies in qua rex erat, imprudenter nimis quibusdam septis lapideis se immergit, ubi ex hostibus latebant nonnulli; audito enim nostrorum adventu, latere disposuerant ut, declinato nostrorum impetu, propriæ saluti eo modo possent consulere. Videntes nostros super eos irruisse incautius, licet inviti et de vita desperantes, facti sunt, ipsa necessitate urgente, fortiores; et subito exsilientes, videntes nostros inter angustias, instant animosius; et quibus satis fuerat prius latendo posse declinare adversarium, interfectis equis, sagittis eminus missis, nostros comprimunt violenter. Videns itaque dominus constabularius hostem ex improviso emersisse, eis cum multo impetu se ingerit medium; dum de more viriliter dimicat, dominumque regem in arcto positum, ne in eum periculosius irruatur, fideliter protegit, et ab injuriis vindicat potenter, crebris et violentis ictibus lacessitus, et lethalibus confossus vulneribus, tandem suis eum eripientibus, vix in equo revocatus est. Ceciderunt porro in ea congressione viri memorabiles et pia recordatione digni: juvenis quidam elegantis formæ et honestis pollens moribus, nobilis et dives, Abraham de Nazareth, et Godescalcus de Turolte, qui etiam bonam sui reliquit existimationem; et alii pauci inferioris manus. His ita se habentibus, de casu tam periculoso dominus rex suorum ereptus opera, ad castra unde exierat, reversus est; ubi suos qui ad varia inordinate dispersi fuerant recepit. Dominus vero Henfridus regius constabularius, ingravescentibus doloribus, ad Castellum novum quod ipse adhuc ædificabat, delatus est. Factum est autem hoc, IV Idus Aprilis. Decubans ergo ibi et per dies quasi decem, cum dolore vitam protrahens, supremo judicio memoriter et prudenter ordinato, vir per omnia commendabilis, X Kal. Maii, patriæ perpetuo lugendus, vivendi fecit finem; et in ecclesia Beatæ Dei Genitricis et semper Virginis, apud nobile et famosum castrum ejus, Toronum videlicet, debita magnificentia sepultus est. Quo defuncto, statim intra eumdem mensem, Salahadinus prædictum castrum, quod de novo fuerat constructum, VI Kal. Jun. obsidet; crebrisque insultibus, et denso sagittarum nimbo fatigare cœpit violenter inclusos; cum ecce unus de interioribus, cui nomen erat, ut dicitur, Raynerius de Marum, unum de ditioribus admiratis sagitta saucium interemit; pro cujus obitu omnes ita consternati sunt, ut infecto negotio, soluta obsidione discederent.

A cohibente, quædam incendia, hominum quoque stragem exercuisset, adjecit iterato introire; locatisque castris inter urbem Paneadensem, et fluvium Dan, excursores præmiserat frequenter qui prædas agerent, incendia procurarent. Ipse autem, quasi pro subsidio, castra non deserens, eorum reditum et aggressionum eventum exspectabat. Nuntiatum est interea domino regi, quod ita per fines nostros Salahadinus desæviret; qui, assumpto sibi Dominicæ crucis ligno convocatisque suis, quoscunque colligere undecunque potuit, ad urbem properat Tiberiadensem: inde per oppidum Sephet, per urbem antiquissimam Naason, ad prædictum Toronum cum suis pervenit. Ubi, frequentibus nuntiis intercurrentibus pro certo comperit Sala- B hadinum cum exercitu suo adhuc in eodem perseverare loco; suos autem levioris armaturæ milites, qui præmissi fuerant, agros Sidoniensium hostiliter depopulari, cædes, incendia, prædas exercere. Habita itaque deliberatione, placuit omnibus, hostibus obviam ire. Inde ergo, juxta condictum contra Paneadem exercitum dirigentes, perveniunt ad vicum qui dicitur Mesaphar; unde quia in summis montibus situm est, prospicere erat totam subjectam regionem usque ad radices Libani; castra quoque hostium dabatur eminus intueri. Patebant quoque nihilominus prospectibus singulorum, inimicorum discursus et incendia. Descendentes igitur nostri per montis declivum cum festinatione, turmas peditum secum trahere non poterant; fessi C enim erant oppido viæ longinquitate, nec poterant equites passibus adæquare. Unde cum paucis peditibus, qui agiliores inventi sunt, in planitiem quæ statim montibus subjecta est, devenerunt in eum locum, qui vulgo Mergium appellatur. Per aliquot igitur horas, ut plenius deliberaretur quid facto opus esset, ibi substiterunt. Interea Salahadinus de subito regis adventu aliquantulum perterritus, timens suis excursoribus, quos quasi a se et suis videbat exclusos; timens item ne in castra irruerent, impedimenta, sarcinas et omnem supellectilem inter murum et antemurale vicinæ urbis comportari præcipit, ut ad quemlibet belli eventum expeditior inveniatur. Succinctus ergo, et dubius pluri- D mum, rei exitum præstolabatur. Verum excursores qui prædatum ierant, audito nostrorum adventu, perterriti, postpositis aliis optimum ducunt, si suorum agminibus possint aggregari. Transmisso ergo flumine, quod per medium dividit Sidoniensium agros et prædictam planitiem, in qua diximus nostros esse, occurrunt nostris: ubi inito cominus prælio, nostri statim, propitio Domino, fiunt superiores; multisque interfectis et ad terram dejectis, pluribus in fugam versis, hostes ad castra suorum se conferre nituntur.

CAPUT XXVIII.

Salahadinus regionem ingreditur Sidoniensem; rex convocatis regni viribus, hostibus occurrit.

Sequenti mense, cum jam prædictus Salahadinus, bis jam vel eo amplius in pago Sidoniensi violenter esset ingressus et libere satis, nemine

CAPUT XXIX.

Committitur pugna; nostri vincuntur; capiuntur ex eis quamplures.

Dum hæc ita se haberent, Odo magister militum

Digitized by Google

Templi et cum eo comes Tripolitanus, deinde alii sequentes, collem quemdam sibi obvium ascenderunt, flumen habentes ad lævam; a dextris vero erat eis planities maxima et castra hostium. Audiens ergo Salahadinus suos gravari, expositos periculo, neci quoque datos, parat eis subsidium ministrare; in quo proposito dum fixus maneret, ecce suos qui evaserant, fugientes, videt: quibus occurrens, cognito rei statu, animos verbis addit, in aciem revocat; nostris quoque insequentibus et nimium securis, subito se immergit. At vero pedites nostri de spoliis eorum qui interfecti fuerant, ditati, putantes nihil superesse ad consummatam victoriam, secus ripam fluminis castrametati, quieti consederant; equites vero hostes super se, quos devictos putabant, reparatis viribus videntes irruere, non habentes ferias vel otium, ut juxta militarem disciplinam, acies instruerentur, ordinarentur agmina, ordine confuso decertantes, resistunt ad tempus, et hostium perseveranter sustinent impetus. Tandem viribus impares, nec se cum dispersi essent inordinatius, mutuo juvantes, in fugam versi succumbunt turpiter. Cumque satis commode hostes insequentes, per alia loca possent declinare et in tutum se locare, peccatis nostris exigentibus, deteriorem deliberationis partem secuti, in angustias scabris rupibus obsitas, et penitus exitum negantibus se immergunt: ubi nec ad anteriora procedere, nec nisi cum mortis periculo, per hostium manus redire dabatur; qui fluvium transierunt vitæ et saluti consulentes, ex maxima parte, in municipium proximum cui nomen Belfort, se contulerunt; alii flumen transeuntes et ulteriorem ripam secuti, versus Sidonem euntes, confusi prælii æstum periculosum declinaverunt. Quibus cum dominus Rainaldus Sidoniensis cum suis, qui ad exercitum festinabat, occurreret, intellecto quod acciderat infortunio, eis etiam monentibus, Sidonem reversus est. Quod factum, in illa die, multiplex damnum creditur intulisse. Verisimile est enim, quod si in castrum suum continuato itinere se recepisset, cooperantibus oppidanis et rusticis locorum peritis, multos eripuisset hostibus, qui nocte illa in cavernis, in rupibus latentes, sequenti mane discurrentibus et cuncta perlustrantibus inimicis, inventi, capti, vinculis mancipati sunt. Dominus autem rex, quorumdam fidelium suorum fretus auxilio, evasit incolumis. Comes quoque Tripolitanus, cum paucis Tyrum pervenit. Capti sunt ibi de nostris, Odo de Sancto Amando, militiæ Templi magister, homo nequam, superbus et arrogans, spiritum furoris habens in naribus, nec Deum timens, nec ad hominem habens reverentiam. Hic, juxta multorum assertionem, damni prædicti et perennis probri occasionem dicitur dedisse; qui eodem anno quo captus est, in vinculis et squalore carceris, nulli lugendus, dicitur obiisse. Balduinus quoque de Ramis, nobilis vir et potens; Hugo quoque de Tiberiade, domini comitis Tripolitani privignus, adolescens bonæ indolis, et acceptus plurimum: et alii multi, quorum nomina non novimus, nec numerum, capti sunt.

CAPUT XXX.

Salahadinus castrum quod de novo ædificatum fuerat, obsidet; obsessum occupat; diruit occupatum. Henricus comes Trecensis, Petrus, regis Francorum Ludovici frater, in Syriam veniunt.

Rebus igitur nostris sic se habentibus, et in imo collocatis, ecce dominus Henricus comes Trecensis, vir magnificus, senioris Theobaldi comitis filius, (quem nos a synodo redeuntes, apud Brundusium Apuliæ civitatem dimiseramus) apud Acconensem civitatem, cum multo nobilium comitatu applicuit. Venerant, ut præmisimus, nobiles multi in eodem transitu, dominus videlicet Petrus de Corteniaco, domini Ludovici Francorum regis frater; dominus quoque Philippus, domini comitis Roberti, ejusdem domini regis fratris filius, Belvacensis electus; quorum adventu, nostri, anterioribus casibus plurimum consternati, aliquatenus tamen in spem erecti sunt, sperantes quod tot tantorumque nobilium patrocinio propulsare futuras, præteritasque ulcisci possent injurias; verum adversa nobis divinitate, nec priores depulerunt, sed etiam in majores descenderunt molestias. Nam hostis noster immanissimus Salahadinus, dextris eventibus et prospera fortuna, in tantam est elatus superbiam, ut subito antequam nostris ad modicum respirare liceret, castrum nostrum, quod nuper Aprili proxime præterito fuerat consummatum, obsideret. Traditum sane fuerat sæpe dictum castrum fratribus militiæ Templi, qui omnem illam regionem de concessione regum sibi vindicabant, statim postquam fuerat consummatum eorumque diligentiæ commissum. Quod ubi domino regi fuit nuntiatum, convocans regni robur omne et militiam universam, accito quoque domino Henrico comite et aliis nobilibus viris, qui advenerant, apud Tiberiadem properat; ubi collectis universis regni principibus, opem ferre obsessis, hostes ab obsidione amovere proponit; dumque exspectat et in diem apparatus differtur, nuntiatur castrum prædictum, sicut vere erat, ab hostibus violenter captum, funditusque usque ad solum dirutum, occisis omnibus aut captivatis, qui in eo ad tuitionem relicti fuerant. Sicque accessit damnis prioribus major confusio, ut vere dici posset: *Recessit ab eis Dominus Deus eorum. Vere judicia Dei, abyssus multa* (*Psal.* XXXV, 7); *vere terribilis est Deus in consiliis super filios hominum* (*Psal.* LXV, 5). Nam qui tantam fidelibus suis, anno proxime præterito contulerat sui muneris immensitatem, tanta eosdem nunc indui reverentia passus est, et confusione. *An quis novit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Rom.* XI, 34.) *Quid est, Domine Deus? Quia hic præsens multitudo, et nobilium numerus erat, subtraxisti gratiam, ne sibi ascribant, quod meritis non datur, sed gratia; aut quia de collato gratis priore beneficio, non satis*

Digitized by Google

uberes tibi, benefactori suo, gratiarum persolverant actiones ; aut quia flagellas, Domine, filium quem recipis (Hebr. XII, 6) ; imples facies nostras ignominia, ut quæramus nomen tuum sanctum, quod est benedictum in sæcula. Scimus, Domine, et confitemur, quia tu non mutaris. Tu enim dixisti : Ego Deus, et non mutor (Mal. III, 6) ; quidquid tamen id est, scimus quia justus es, Domine, et rectum judicium tuum.

A Per idem tempus renovatum est verbum, quod anno proxime præterito de duce Burgundiæ motum fuerat, cum domino comite Henrico, ejus avunculo ; sperabatur in proxime futuro transitu venturus esse ; sed sicut postea evidenter patuit, causis quibusdam occultis adhuc, venire recusavit.

INCIPIT LIBER VIGESIMUS SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Rex sororem suam, quæ marchionis uxor fuerat, cuidam adolescenti, Guidoni videlicet de Liziniaco, uxorem tradit. Cum Salahadino, paribus conditionibus, præter solitum, treuga firmatur.

Eodem quoque tempore dominus Boamundus Antiochenorum princeps, et dominus Raimundus, cum militia in regnum ingredientes, dominum regem terruerunt, timentem, ne res novas moliri attentarent ; videlicet ne rege, regno privato, sibi regnum vellent vindicare. Premebatur enim solito acrius rex ægritudine sua et singulis diebus lepræ signum magis et magis evidens prominebat. Soror autem domini regis, quæ marchionis uxor fuerat, adhuc in sua viduitate perseverabat, ducem, ut præmisimus, exspectans. Cognoscens ergo rex illorum nobilium, et licet uterque esset ejus consanguineus, suspectum habens adventum, sorori maturat nuptias ; et quamvis nobiliores et prudentiores, ditiores etiam in regno, tum de advenis tum de indigenis potuissent reperiri, penes quos multo commodius, quantum ad regni utilitatem, illa posset locari : non satis attendens, quod :

Male cuncta ministrat
Impetus,

tamen causis quibusdam intervenientibus, cuidam adolescenti satis nobili, Guidoni videlicet de Liziniaco, filio Hugonis Bruni, de episcopatu Pictaviensi, ex insperato traditur, infra paschalia, præter morem, solemnia. Prædicti vero nobiles viri, videntes quod eorum adventus, domino regi et suis suspectus habebatur, orationibus de more completis, domum reversi sunt. Medio tamen tempore, dum ambo apud Tiberiadem, per aliquot dies moram facerent, ignarus de eorum præsentia, in ipsam urbem impetum fecit Salahadinus ; nihil tamen damni civibus irrogans, iterum in fines Paneadenses se recepit ; dumque ibi moram cum suis exercitibus haberet, exspectans ut postea patuit, navalem exercitum, quem tota hieme præcedente, quinquaginta galearum parari fecerat, dominus rex suspectam ejus habens moram, nuntios mittit, qui de treuga haberent cum eo tractatum. Quod verbum ille, ut B dicitur, gratanter admisit ; non quia de viribus suis diffideret, aut nostros, quos toties eo anno confuderat, aliquatenus haberet formidini ; sed quia ariditate nimia et propter pluviarum inopiam, omne alimentorum genus, tam equis quam hominibus, in regione Damascena, per continuum defecerat quinquennium. Factæ sunt igitur, tam per mare quam per terras, tam advenis quam indigenis et hinc inde juramentis interpositis roboratæ, humilibus satis quantum ad nos conditionibus induciæ ; quodque nunquam antea dicitur contigisse, paribus legibus fœdus initum est, nihil præcipui nostris sibi in ea pactione reservantibus.

CAPUT II.

Salahadinus partes Tripolitanas hostiliter invadit ; et segetes et terræ bona depopulatur.

Eodem anno, æstate quæ proxime secuta est, idem Salahadinus, locata Damascena et Bostrensi in tuto provincia, equitum copias omnes, versus partes dirigit Tripolitanas ; ibique locatis castris turmas dispergit per universam regionem militares. Comes autem cum suis in urbem Archis se contulerat, operiens si ei daretur opportunitas cum hostibus absque gravi periculo committendi. Porro fratres militiæ Templi, cum essent in eadem regione, in suis municipiis clausi tenebantur, exspectantes omni pene hora vallari obsidione ; nec se congressionibus temere committere audebant. Identidem et fratres Hospitalis, timentes, in castrum suum, cui nomen erat Crach, se contulerant ; arbitrantes satis esse, si in tanto tumultu præfatum oppidum ab injuriis hostium possent vindicare. Erant ergo media hostium agmina inter prædictorum fratrum et domini comitis expeditiones, ita ut mutuum sibi non possent ministrare auxilium, nec etiam dirigere internuntios, qui de singulorum statu alterutros valerent instruere. At vero Salahadinus per campestria et maxime per loca culta passim obambulans, et nemine se opponente, libere cuncta perlustrans, fruges partim in areis jam congestas, partim per agros manipulatim collectas, partim adhuc solo hærentes, suppositis ignibus incendit, prædas abigit, depopulatur universa.

Digitized by Google

CAPUT III.

Classis Ægyptiorum ad insulam Aradum accedit. Comes Tripolitanus cum Saladino fœdus init.

Dum hæc in partibus illis geruntur, ecce circa Kal. Junias, navalis exercitus ejus in partibus subito apparuit Berythensibus; cujus exercitus primicerii, postquam pro certo constitit quod Salahadinus cum domino rege fœdus inierat, reverentiam habentes ad leges pacis quas indixerat, timuerunt Berythensium finibus et infra totius regni terminos, jura fœderis violare. Audientes quoque, quod eorum dominus in partibus Tripolitanis cum suis expeditionibus moram faceret, illuc properant, et insulam Aradum (quæ urbi Antaradensi opposita est, vix tribus milliaribus ab ea distans) galeis in portu commode locatis, occupant. Hanc insulam dicitur primus habitasse et in ea urbem munitissimam sui nominis ædificasse Aradius Chanaan filius, nepos Noe, unde Arados dicta est. Huic ab oriente vicina est civitas iterum olim valde nobilis, quæ ex eo, quod prædictæ civitati e regione opposita est, ut superius diximus, Antarados, hodie vero corrupta nuncupatione Tortosa dicitur; ubi apostolus Petrus Phœnicen circumiens, in honore Dei genitricis dicitur Basilicam fundasse modicam, quæ multo populorum usque hodie frequentatur accessu; et ubi divinitus, per ejusdem semper virginis intercessionem, multa dicitur indigentibus fidelibus præstari beneficia. Hæ urbes ambæ Tyrensi metropoli suffraganeæ, cum aliis illis contermina, quæ Maraclee, provinciæ Phœnicis dicitur portio, intelliguntur. Applicati ad prædictam insulam, regionem universam terrore concutiunt, ibique mandatum domini sui operientes, domum supra portum Antaradensem incenderunt, damna civibus majora, sed incassum inferre molientes. Interea Salahadinus regionem pro suo arbitrio depopulatus, classi mandat ut redeat; ipse quoque revocatis agminibus, in suos se recepit fines. Paucis tamen postmodum evolutis diebus, inito fœdere cum domino comite, interius in regionem se contulit Damascenorum.

CAPUT IV.

Tyrensis archiepiscopus a Constantinopoli regreditur; dominus Ludovicus rex Francorum vita decessit.

Per idem tempus, cum per menses septem continuos, cum illustris memoriæ domino Manuele, Constantinopoleos imperatore magnifico, moram nobis et Ecclesiæ nostræ perutilem fecissemus, quarta post Pascha feria, licentiam redeundi ad propria per multam obtinuimus instantiam. Qui commendatis nostræ devotioni legatis suis, viris nobilibus et magnificis, in galeis quatuor, quas nobis more imperiali liberaliter nimis concesserat, transcursis Tenedo, Mutilene, Chio, Samo, Delo, Claros, Rhodo, Cypro, insulis; a læva autem relictis Phrygia, Asia minore, Lycia, Lycaonia, Pamphylia, Isauria, Cilicia provinciis, fauces Orontis fluminis, et Seleuciæ portum, qui hodie dicitur Sancti Simeonis, IV Idus Maias attigimus, propitia Divinitate, salvis rebus et corpore incolumes. Non videtur tamen prætereundum, sed erit præsentis historiæ articulus non modicus, quod dum in urbe regia moram, ut prædiximus, tum ingruentis hiemis necessitate, tum felicissimi domini imperatoris mandato faceremus, contigit eum paterna provisione, et mente quodammodo præsaga de maturo ex hac luce exitu, geminam sobolem suam, filium videlicet et filiam, matrimonii legibus alterum uxori, alteram viro copulare. Filio sane adhuc impuberi, vix annorum tredecim, Alexio nomine, avi paterni nomen referenti, illustris Francorum regis domini Ludovici filiam, vix annorum octo, Agnetem nomine, solemniter contulit, imperialibus insignibus utrique collatis, in palatio domini Constantini senioris, in ea parte palatii quæ dicitur Trullus; ubi et sancta et universalis synodus sexta, temporibus Constantini, filii Constantini, filii Heraclii, dicitur fuisse congregata. Filiam vero nuptui collocavit apud adolescentem nomine Reinerium, Willelmi senioris marchionis de Monteferrato filium, domini item Willelmi fratrem, cui nos regis nostri sororem contuleramus. Hunc, quasi annorum decem et septem, per suos apocrisiarios dominus imperator fecerat evocari, qui ante nostrum adventum in urbem regiam diebus circiter quindecim descenderat; factaque mora tam in urbe quam in expeditione cum domino imperatore, redeunte quoque domino imperatore circa Epiphaniarum dies in urbem, mense Februario in palatio novo, quod Blachernas dicitur, convocata curia sua, cum imperiali magnificentia, per manum Theodosii ejusdem urbis patriarchæ, eidem filiam suam nomine Mariam, uxorem dedit, et de nomine patris sui Joannem appellatum, Cæsarem constituit. Hanc filiam, Hirene uxor ejus prior, imperatrix piæ memoriæ, quæ ei de regno Teutonico in uxorem data fuerat, peperit; nam ex Maria, quam secundo duxit, solum Alexium, qui hodie imperat, suscepit. Verum si ludos Circenses, quos cives illius urbis Hippodromos vocant, et variorum gloriam spectaculorum populo per illos dies cum solemnitate exhibitam; si imperialem circa vestes, et proprii corporis indumenta in lapidibus pretiosis et margaritarum pondere et numero excellentiam; si palatii supellectilem auream, argenteam, numero et pondere infinitam; si velorum ad ornatum dependentium pretium; si famulorum et curialium numerositatem scripto comprehendere tentemus; si apparatus, nuptiarum magnificentiam; si effusam in omnes, tam suos quam exteros immensæ liberalitatis munificentiam, per singula velimus prosequi, immensitate materiæ sermo succumberet, etiamsi specialis ad hoc deputaretur tractatus. Sed nunc ad historiam redeamus.

Completis ergo apud Antiochiam, injunctis nobis ab imperiali excellentia, cum domino principe, et cum domino patriarcha mandatis, domino rege apud Berythum invento, eoque terrestri itinere

Digitized by Google

Tyrum properante, nos propitia Divinitate, continua A navigatione, pridie Nonas Julii, post annum et menses decem, ex quo ad synodum profecti eramus, ad Tyrensem reversi sumus Ecclesiam.

Anno septimo regni domini Balduini quarti, XIII Kal. Octobris piissimus et Christianissimus Francorum rex, vir virtutum et immortalis memoriæ dominus Ludovicus, onere carnis deposito, cœlis intulit animam, cum electis principibus præmia possessúrus æterna; filio uno superstite et hærede, Philippo nomine, ex Ala regina, filia Theobaldi senioris, sorore domini Henrici comitis Trecensium, Theobaldi comitis Carnotensium, Stephani comitis Sainsorensium, domini Willelmi Remensis archiepiscopi: mortuus est anno regni ejus quinquagesimo, vitæ vero sexagesimo. Sequenti mense, pridie B nonas Octobris, anno pontificatus sui vicesimo secundo, dominus Amalricus bonæ memoriæ Hierosolymorum patriarcha, vir simplex nimium, et pene inutilis, viam universæ carnis ingressus est. In cujus loco, dominus Heraclius Cæsariensis archiepiscopus, intra dies decem substitutus est.

CAPUT V.

Rex sororem suam juniorem, Henfredo tertio uxorem tradit. Constantinopolitanus imperator vita defungitur.

Eodem mense, dominus rex sororem suam, vix annorum octo, cuidam adolescenti Henfredo nomine, despondit. Hic tertius Henfredus, junioris Henfredi filius fuit ex Stephania Philippi Neapolitani filia; qui secundus Henfredus, senioris Henfredi de Torono regis constabularii, cujus supra sæpius fecimus mentionem, fuit filius; cujus avus maternus, videlicet Philippus, dominus fuit Arabiæ secundæ, quæ est Petracensis, qui locus hodie vulgo Crach et Syriæ Sobal, qui locus hodie montis Regalis; quarum utraque est trans Jordanem. Hic postea conversus, factus est magister militiæ Templi. Tractante ergo et plurimum elaborante principe Rainaldo, matris ejusdem pueri jam puberis, tertio marito, celebrata sunt Hierosolymis prædicti adolescentis et sororis domini regis sponsalia. Commutavit præterea patrimonium suum, quod in finibus Tyri per mortem avi paterni hæreditario jure ad se fuerat devolutum, Toronum videlicet, et D Castellum novum et Paneadem, cum pertinentiis suis, cum domino rege certis conditionibus; quarum tenor in Archivis regiis, nobis dictantibus, per officium nostrum, continetur introductus.

Eodem mense, tertia mensis die, vir eminentissimus et immortalis memoriæ, omnium principum terræ munificentissimus, dominus Manuel Constantinopolitanus imperator, onere carnis deposito, animam cœlo reddidit; cujus memoria in benedictione, cujus eleemosynas et beneficia largissima enarrabit omnis Ecclesia sanctorum. Defunctus autem dicitur anno imperii sui quadragesimo, vitæ vero (quantum adhuc nosse datur) quadragesimo primo.

CAPUT VI.

Princeps Antiochenus occasione pellicis, quam uxori viventi superduxerat, anathemati subjicitur. In Alexium imperatorem conspiratur.

Per idem quoque tempus dominus Boamundus, Antiochiæ princeps, relicta domina Theodora uxore sua, domini imperatoris nepte, quamdam sibyllam, maleficiis utentem, ut dicitur, ecclesiastica severitate contempta, in uxorem ducere præsumpsit. Per idem tempus, cum dominus Joscelinus, regis avunculus et senescalcus, a domino rege missus pro quibusdam regni negotiis, in urbe Constantinopolitana, et dominus Balduinus de Ramis pro redemptione sua, a domino imperatore auxilium postulaturus, similiter in eadem civitate moram facerent, mortuo jam domino Manuele, piæ recordationis imperatore, Kal. Martii detecti sunt quidam nobiles, viri magni et illustres, res novas molientes, contra dominum Alexium imperatorem, filium domini Manuelis, conspirasse; quos comprehensos, tanquam majestatis reos, vinculis mancipari, tradi carceribus, licet ejus quidam ex eis essent consanguinei, præcepit imperator, matris adhuc tutelæ, juxta patris arbitrium, suppositus. Inter quos erant, quasi tolius factionis opifices, Manuel senioris Andronici (unde superius fecimus mentionem) filius; Alexius quoque Protostrator, Theodoræ Calusinæ neptis domini imperatoris, filius; item frater Logothetæ, qui Canaclivi utebatur officio; et alii quidam magnates eximii, circiter duodecim. Sed C et ejusdem domini imperatoris soror, domina Maria, factionis ejusdem conscia, cum marito marchionis filio (cujus superius etiam fecimus mentionem) ad ecclesiam Sanctæ Sophiæ nocte confugiens, in pendulo sortis dubiæ, septis Ecclesiæ conservabatur; ubi cum marito contra imperatorem fratrem, eadem ecclesia armis et militibus communita, cum fautoribus suis, et ejusdem propositi complicibus; tentabat aliquid moliri, favente sibi ejusdem civitatis patriarcha. Sed tandem convalescentibus imperatoris partibus, Latinorum maxime fretis auxilio, illa confractis viribus de vita desperans, supplex per intercessores veniam postulat; et fratri, indulta gratia, reconciliata est.

CAPUT VII.

Hierosolymitanus patriarcha Antiochiam dirigitur, ut rei periclitanti tentet afferre remedium. Alexander papa vita decedit.

Eodem tempore, occasione pellicis, quam abjecta uxore legitima, Boamundus princeps Antiochenus superduxerat, turbatus est Orientalium Latinorum status, et maxime Antiochenarum partium principatus. Nam commonitus semel et secundo idem princeps, ut a tam manifesto adulterii commisso recederet, et uxorem ad se revocaret legitimam: more peccatoris, qui cum in profundum venerit vitiorum contemnere solet; obturatis auribus, vocem noluit sapienter incantantium exaudire, sed obstinate in peccato perseverans, sententiam in se

Digitized by Google

excommunicationis, merito latam, suscepit. Cui tamen non multum deferens, sed delictum ingeminans, tam dominum patriarcham, quam ejusdem regionis episcopos et alios ecclesiarum prælatos, hostiliter persequi cœpit, manus in eis injiciens violentas; et venerabilium locorum, tam ecclesiarum quam monasteriorum, septa violans, res sacras diripiens, et eorum, nefario spiritu et ausu temerario, perturbans possessiones; ipsum etiam dominum patriarcham cum clero, qui ad eum confugerat, in quodam ecclesiæ municipio, firmo tamen, armis quoque et militia simul et victualibus sufficienter communito, dicitur obsidere; et frequentibus, more hostili, eos impugnare congressionibus. Unde quidam de magnatibus regionis illius, ejus non ferentes insaniam, cognoscentes se plus debere Deo quam hominibus, ab eo mente et corpore recesserunt, ejus maleficia detestantes; inter quos vir nobilis et potens Rainaldus, cognomento Mansuetus, in præsidium suum inexpugnabile et munitissimum (adjunctis sibi quibus cordi erat causa honestior, et timor Dei ante oculos) se recepit, in eo præbens præsulibus a propriis ejectis sedibus et aliis indifferenter, ob eamdem causam profugis, tutum refugium. Ob quod factum tota regio in tantum descendit tamque periculosum discrimen, ut viris prudentibus et sensus habentibus exercitatos, procul omni dubio videatur, ut nisi nobis mature divina subvenerit clementia, hostibus, ad nostram ruinam et Christiani nominis perennem injuriam, patere debeat introitus, et in eorum potestatem universa redire provincia; de quorum manibus, opitulante Domino, fidelium principum sollicitudine, et Christianæ plebis multis laboribus et sumptibus, est erepta. Verus est enim Veritatis sermo, et omni acceptione dignus: *Quia omne regnum in se divisum desolabitur, et domus supra domum cadet* (*Matth.* XII, 25). Dominus autem Hierosolymorum rex una cum domino patriarcha et aliis ecclesiarum prælatis, simul et laicis principibus, debitam gerentes sollicitudinem, convenientes apud se, et quid in tam periculoso rerum statu agendum sit, summa diligentia deliberantes, licet prælicti imprudentis et dissoluti principis merita videantur exigere, vim inferre dubitant, ne forte, hostium viribus et rogatis auxiliis, volens resistere, Turcis exponat regionem, unde eos postmodum, etiam volens et enitens plurimum, non possit amovere. Item apud hominem insanum, et ad mala præcipitem, maleficiis præoccupatum, precibus et salutaribus monitis locum non esse intelligentes; nam hoc esset *surdo asino narrare fabulam, et verba ventis dare*; mittere viros prudentes et exhortationis habentes gratiam, non præsumunt. Sustinent ergo malum hoc, ne deterius incurrant, ab eo exspectantes subsidium, qui solet convertere in profundo maris positos; *et dare nivem sicut lanam, mittens cristallum sicut buccellam panis* (*Psal.* CXLVII, 5 6); ut ille divina visitatione commonitus, et ad cor rediens, ad frugem vitæ melioris se erigat, et optimi moderatoris virtute induatur ex alto. Tandem videntes nostri malum illud ingravescere, et nullum in proximo sperantes remedium; jam enim non solum persona principis anathematis vinculo tenebatur astricta; verum universa regio, propter rapinas, incendia, quæ in bonis venerabilium fiebant locorum, interdicto erat supposita, ita ut præter baptisma parvulorum, nullum de sacramentis ecclesiasticis populo ministraretur; cœperunt nostri timere amplius, videntes rem in eum casum descendisse, in quo non sine universorum periculo diu stare posset. Ordinant itaque de communi consilio, ut dominus patriarcha, dominus quoque Rainaldus de Castellione, qui aliquando princeps Antiochenus fuerat, hujus domini Boamundi junioris vitricus; magister quoque militiæ Templi, frater Arnaldus de Toroge; magister quoque domus Hospitalis, frater Rogerus de Molins, ad partes illas properent, tentantes, si prævia Dei gratia, aut ad tempus, aut in perpetuum, tantis malis aliquod possint invenire et aptare remedium. Timebamus enim, ne forte a domino papa et transmarinis principibus, nobis ad negligentiam, vel potius ad malitiam imputaretur, si vicinis nostris tam misera sorte laborantibus, nullum daremus compassionis signum, nullum studeremus adhibere remedium. Dominus igitur patriarcha, assumptis ex Ecclesiarum prælatis domino Monacho Cæsariensi electo, domino Allberto Bethlehemita episcopo, domino Rainaldo abbate montis Sion, domino Petro ecclesiæ Dominici Sepulcri priore, prudentibus viris et discretis, subsequentibus eum aliis ejusdem itineris consortibus, ad partes illas descendit; assumptoque sibi comite Tripolitano, eidem principi familiari admodum et accepto, ut eorum verbum facilius effectui posset mancipari, apud Laodiciam conveniunt; tandemque tam dominum principem, quam dominum patriarcham seorsim convenientes, diem utrique constituunt apud Antiochiam; ubi prætentato hinc inde verbo, pacem constituunt temporalem; ita videlicet ut, refusis tam domino patriarchæ quam episcopis et locis venerabilibus quæcunque amiserant, cesset interdictum et populis ecclesiasticorum sacramentorum restituantur munera. Ipse autem in propria persona, ab episcopis latam patienter ferat sententiam; aut si penitus quærat absolvi, pellicem abjiciat, uxore legitima revocata. His ergo peractis, putantes se regionis incendium aliquantulum mitigasse, ad propria reversi sunt. Princeps vero nihilominus in eisdem sordibus obstinatus irrevocabiliter perseverat. Adjecit præterea, et quod regioni periculosius est, eo solo quod eis factum ejus dicebatur displicere, fidelium suorum optimos, inclytos et nobiles viros, extra civitatem et omnem terram suam expellere; videlicet constabularium suum, camerarium quoque, et Guiscardum de Insula, Bertrandum quoque filium comitis Gisleberti, et Garinum Gainart; qui ad dominum Rupinum Armenio-

Digitized by Google

rum principem magnificum de necessario declinantes, honestissime ab eo sunt suscepti, ita ut singulis statim daret munera ingentia et victum singulis sufficientem assignaret. Eodem anno, mense Augusto, vicesima septima die mensis, pontificatus ejus anno vicesimo tertio, dominus Alexander papa tertius, viam universæ carnis ingressus est, et in Ecclesia Lateranensi sepultus; cui substitutus est dominus Lucius papa tertius, qui et Hubaldus, Ostiensis episcopus, natione Tuscus, patria Lucensis, vir grandævus admodum et modice litteratus. Eodem quoque tempore, venerabilis in Christo frater noster, piæ in Domino recordationis, dominus Raimundus, Ecclesiæ Berythensium episcopus, idibus Septembris ex hac luce subtractus est, lucis perpetuæ, prævia Domini gratia, præmiis perenniter potiturus. Cui postmodum in eadem Ecclesia substitutus est vir honestus et litteratus magister, Odo, Ecclesiæ nostræ archidiaconus, cui nos, in jejuniis Decembris, et sacerdotii gradum, et pontificalem, auctore Domino, contulimus dignitatem.

CAPUT VIII.

Noradini filius moritur, domino Mussulæ consanguineo suo hæreditate relicta.

Per idem tempus, mortuus est Melecshalah, Noradini filius, adolescens adhuc, cui de omni hæreditate paterna, sola manserat Halapia, cum paucis admodum municipiis. Hic moriens testamento novissimo dicitur Halapiam et omnem hæreditatem suam, ex asse, in quemdam patrui sui filium Hezedin nomine, filium Thebeth, Mussulæ dominum contulisse. Quo defuncto, principes ejus, nuntios ad prædictum dominum Mussulæ, illustrem et magnificum Turcorum satrapam, dirigunt, monentes, ut non differat cum omni celeritate ad eos venire; qui, suscepta legatione, festinus adveniens, avita bona et sibi jure hæreditario debita suscepit, timens ne Salahadinus, qui prædictum patruelem suum, ex parte plurima exhæredaverat, ab Ægypto rediens, hanc etiam urbem invitis civibus violenter occuparet; præsertim cum quidam de majoribus, occultum ei præstarent favorem. Salahadinus vero, composita usque ad completum biennium nobiscum pace temporali, in Ægyptum descenderat, ut sua ibidem studiosius procuraret negotia. Anxius enim plurimum sollicitabatur, eo quod audierat classem regis Siculi, cum ingenti apparatu et infinitis copiis in mare descendisse, et ad partes Ægyptias properandi habere propositum. Superfluam autem super eo articulo conceperat formidinem; nam prædicta classis in Occidentem iter arripuit, ad Baleares insulas, Hispaniæ conterminas citeriori, quarum altera vulgari appellatione Majorica, altera vero Minorica dicitur, contendens; ubi infausta navigatione et sinistris acta flatibus, tota pene deperiit circa Sacuam Albenguenam; et viginti millia urbes maritimas, freto intumescente, littoribus allisa. Interea, dum regnum pace, ut prædiximus, gauderet temporali, natio quædam Syriorum, in Phœnice provincia circa juga Libani, juxta urbem Bibliensium habitans, plurimam circa sui statum passa est mutationem. Nam cum per annos pene quingentos cujusdam Maronis hæresiarchæ errorem fuissent secuti, ita ut ab eo dicerentur Maronitæ; et ab Ecclesia fidelium sequestrati, seorsum sacramenta conficerent sua, divina inspiratione ad cor redeuntes, languore deposito, ad patriarcham Antiochenum Aimericum, qui tertius Latinorum nunc eidem præest Ecclesiæ, accesserunt; et abjurato errore, quo diu periculose nimis detenti fuerant, ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ reversi sunt, fidem orthodoxam suscipientes, parati Romanæ Ecclesiæ traditiones cum omni veneratione amplecti et observare. Erat autem hujus populi turba non modica, sed quasi quadraginta millium dicebatur excedere quantitatem, qui per Bibliensem, Botriensem et Tripolitanum episcopatus, juga Libani et montis devexa, ut prædiximus, inhabitabant; erantque viri fortes et in armis strenui, nostris, in majoribus negotiis quæ cum hostibus habebant frequentissime, valde utiles; unde et de eorum conversione ad fidei sinceritatem, maxima nostris accessit lætitia. Maronis autem error et sequacium ejus, est et fuit, sicut et sexta synodo legitur, quæ contra eos collecta esse dignoscitur et in qua damnationis sententiam pertulerunt; quod in Domino nostro Jesu Christo una tantum sit, et fuerit ab initio, et voluntas et operatio. Cui articulo ab orthodoxorum Ecclesia reprobato, multa alia perniciosa nimis, postquam a cœtu fidelium segregati sunt, adjecerunt; super quibus omnibus ducti pœnitudine, ad Ecclesiam, ut prædiximus, redierunt Catholicam, una cum patriarcha suo et episcopis nonnullis, qui eos sicut prius in impietate præcesserant, ita ad veritatem redeuntibus, pium ducatum præstiterunt.

CAPUT IX.

Inter regem et Tripolitanum comitem simultas oritur periculosa, et usque ad odium manifestum procedit.

Porro dum ita regnum, ut prædiximus, pace ad tempus inter dominum regem et Salahadinum inita, quadam tranquillitate frueretur, non defuerunt filii Belial et impietatis alumni, qui spiritum habentes inquietum, turbas in regno moverent et mala intestina molirentur. Cum etiam comes Tripolitanus, quasi per continuum biennium circa partes Tripolitanas multiplicitate negotiorum impeditus, moram agens, in regnum non potuisset ascendere, accidit quod invitante sollicitudine, quam pro urbe gerebat Tiberiadense, quæ uxoris erat hæreditas, redire disposuit; cumque omnem ad iter prosequendum fecisset apparatum, et jam usque Biblium pervenisset, prædicti viri nequam regem nimis simplicem, maligna suggestione circumvenerunt, persuadentes, prædictum comitem sinistra intentione in regnum velle introire, ut de ejus supplantatione tractaret occulte; unde factum est, quod eorum verbis seductoriis, rex aurem nimis credulam præbens, missa

Digitized by Google

legatione, regni aditum ei inconsulte nimis interdixit. Quo facto, comes, cui præter meritum tanta irrogata erat injuria, confusus et justa succensus indignatione, desistens a proposito, licet invitus, sumptibus innumeris factis inutiliter, Tripolim reversus est. Erat autem prædictorum ea intentio seductorum, ut, absente comite, qui vir industrius erat, et ad omnia circumspectus, ipsi regia negotia pro libero tractarent arbitrio et regis infirmitatem ad suum traherent compendium. Inter quos regis mater, mulier plane Deo odibilis, et in extorquendo importuna; et ejusdem frater, regius senescalcus, cum paucis eorum sequacibus, viris impiis, regem ad hoc protervius impellebant. Quod factum postquam regni principibus innotuit, eorum qui sensus magis habebant exercitatos, maxime corda molestavit; timebant enim ne tanti principis patrocinio regnum destitutum in præceps rueret, et juxta Domini verbum, *in se ipsum divisum desolaretur* (*Matth.* XII, 25); maximeque cum rex, invalescente singulis diebus ægritudine, reddebatur impotentior, et ad procuranda regni negotia minus minusque fieret idoneus; imo vix in se ipso potens subsistere, totus dissolveretur. Videntes ergo regni majores periculum, quod ex prædicto facto certum erat imminere, ad revocandum comitem, et ejus mitigandam indignationem, omnimodam impendunt operam : et tandem post multos circuitus et diversa consilia, rege invito, sed tamen permittente, prædictum illustrem virum, injurias sibi illatas prudenter dissimulantem, in regnum introduxerunt, pace inter eum et dominum regem plenius reformata.

CAPUT X.

Constantinopoli tumultus oritur; et prævalente viro nequam Andronico, Latinorum populus exturbatur.

Dum hæc itaque in nostro sic geruntur Oriente, apud Constantinopolim grandis circa imperium facta est permutatio, et casus accidit universæ Latinitati lugubris, et inauditam irrogans, cum enormi damno, contumeliam. Dolor enim, quem pridem fallax et perfida Græcia conceperat, edidit et peperit iniquitatem. Defuncto enim domino Manuele, inclytæ recordationis imperatore felicissimo, successit ei, tum ex testamento patris, tum ex jure hæreditario, impubes filius, Alexius nomine, vix annorum tredecim. Quo sub matris tutela constituto, dum per Alexium Protosevasto, domini imperatoris senioris nepotem ex fratre se priore natu, imperialia procurarentur negotia, visum est tam majoribus quam populo civitatis illius, opportunitatem invenisse, ut quod adversus nostros maligne conceperant, possent effectui mancipare. Regnante enim Deo amabili prædicto imperatore, merito fidei et strenuitatis suæ, tantam Latinus populus apud eum repererat gratiam, ut neglectis Græculis suis tanquam viris mollibus et effeminatis, ipse tanquam vir magnanimus et strenuitate incomparabilis, solis Latinis grandia committeret negotia, de eorum fide merito præsumens, et viribus. Et quoniam apud eum optime habebantur, et erga eos profusa liberalitate abundabat, ex omni orbe, ad eum, quasi ad benefactorem præcipuum, tam nobiles quam ignobiles concurrebant certatim. Quorum exigentibus obsequiis, magis et magis in nostrorum accendebatur amorem, et omnes amplius in statum promovebat meliorem. Unde Græcorum nobiles, et maxime ejus consanguinei, sed et reliquus populus odium insatiabile adversus nostros conceperant; accedente etiam ad indignationis cumulum, et odiorum fomitem et incentivum ministrante, sacramentorum inter nos et eos differentia. Arrogantes enim supra modum, et a Romana Ecclesia per insolentiam separati, hæreticum omnem eum reputant, qui eorum frivolas non sequitur traditiones; cum ipsi magis hæreticorum sibi nomen adaptent, dum contra Romanam Ecclesiam et apostolorum Petri et Pauli *fidem, adversus quam portæ inferi non possunt prævalere* (*Matth.* XVI), novas et pestilentes opiniones aut gignunt, aut sequuntur. Denique, his et hujusmodi, a multo retro tempore, simultatem hanc apud se conceperant, opportunitatem quærentes, ut saltem post imperatoris obitum, invisum Latinorum populum, tam in urbe quam in imperii finibus commorantem, delerent penitus, odium inexorabile satiantes.

CAPUT XI.

Causæ tumultus et dissensionis assignantur.

Prædicto igitur imperatore rebus humanis exempto, dum, ut prædiximus, Alexius Protosevasto imperium procuraret, visum est non satis commodam adhuc ad complendam malitiam suam reperisse opportunitatem; nam et ipse, imperatoris exemplo, nostrorum consilio utebatur et auxilio, eosque sibi quantum poterat, reddebat familiariores; in uno tamen tam nostris quam omnibus generaliter, se penitus exhibebat odiosum. Quod, licet Græcorum more mollis esset supra modum, et carnis curam toto studio in immundis perficere satageret desideriis, avarus tamen erat et thesauris parcebat imperialibus, tanquam si eos proprio sudore comportasset. Dicebatur etiam, quod cum imperatrice, licet vivente adhuc marito, sed in extremis laborante, vitam sanctimonialem esset professa, stupri habere consuetudinem. Arrogans præterea, et neminem præ se ducens hominem, aliis inconsultis principibus, cuncta pro suo disponebat arbitrio, ita ut de cæteris, æque nobilibus et viris magnificis, nihil videretur curare. Unde factum est, quod per studium et operam principum palatii, qui ei plurimum ob ea quæ præmisimus invidebant, evocatus est ex Ponto, cui præerat Andronicus senior, domini imperatoris prædefuncti patruelis, ut ad complendam eorum malitiam cooperator accederet, et Alexium Protosevasto depelleret ab administratione quam gestabat. Erat autem prædictus Andronicus, domini imperatoris defuncti patruelis, vir perfidus et nequam, conspirationum seminator,

Digitized by Google

et erga imperium semper infidelis; unde ob multiplicia ejus scelera, tempore domini imperatoris vincula passus fuerat, et carceres; et exigentibus meritis, ignominiose tractatus, vagus et profugus super terram, Orientem circumierat universum; in ipsoque suo exsilio multa turpia commiserat, et animadversione digna; novissime tamen, vix tribus ante imperatoris obitum mensibus, reconciliatus in gratiam redierat. Et ne, more solito, circa urbem turbas posset excitare, et conspirationes moliri ut regno præesset, missus est in Pontum sub honoris prætextu præsidialis. Hunc igitur, imperatoris et ipsius etiam Protesevasto consanguinei, et ii maxime in quibus majorem videbatur habere fiduciam, clandestinis evocaverunt legationibus, monentes ut adversus eum armaretur, qui ejus filios et alios illustres quosdam, ignominiose conjecerat in vincula. Porro hic, ut prædiximus, illustres quosdam in conspiratione deprehensos, carceri mancipaverat; unde ampliorem in se concitaverat invidiam. Vocatus ergo prælictus Andronicus, innumeras Barbararum nationum secum trahens copias, ad urbem accessit, et secus Hellespontum e conspectu civitatis castrametatus, universam occupavit Bithyniam; contra quem missi quidam potentes, ut ejus resisterent moliminibus, proditorum more ad eum se contulerunt; inter quos primi erant et præcipui, Andronicus Angeli, princeps militiæ quæ contra eum directa fuerat, et Alexius Megaducas qui classi erat præfectus, uterque imperatoris consanguineus. Nec solum ii, qui ita manifeste ad eum transfugerant, partem nostrorum reddiderant debiliorem, verum omnes alii, tam illustres quam civium multitudo, jam non occulte, sed in propatulo suum Andronico præstabant favorem; et ejus in urbem desiderabant adventum, modis quibus poterant, ut mature transfretaret procurantes.

CAPUT XII.

Urbem et palatia, interfectis nobilibus, Andronicus occupat, et violenta dominatione populum opprimit.

Factum est itaque quod invalescente eorum conspiratione, captus est Protosevasto, et privatus oculis et argumentis virilibus decurtatus; unde nostri plurimum mente consternati, timentes ne civium super eos repentina fieret irruptio, prænoniti a quibusdam qui conjurationis habebant conscientiam; qui validiores erant, alii in galeis quadraginta quatuor, quas in portu repererant, Græcorum effugerunt molimina; alii in navibus, quarum in portu maxima erat copia, omnem domum imponentes, mortis evaserunt discrimen. Qui autem seniores erant, vel infirmi reperti sunt, et ad fugam minus idonei, ii in domibus suis relicti, impietatis quam alii effugerant rabiem perpessi sunt. Nam parato clam navigio sæpedictus Andronicus universas, quas secum trahebat, in urbem introduxit copias; quæ vix ingressæ, una cum civibus in eam urbis partem, quam nostri incolebant irruentes, residuum populi, qui aliis abeuntibus aut noluerant, aut non potuerant exire, desævientibus gladiis peremerunt; et licet pauci essent, qui ad arma possent sufficere, restiterunt tamen diu, et cruentam de se hostibus reliquerunt victoriam. Immemores igitur et fœderis et obsequiorum quæ plurima imperio nostri contulerant, peremptis iis qui resistere posse videbantur, ignem eorum domiciliis subjiciunt et universam eorum regionem subito convertunt in favillam; mulieribus et parvulis, senibus et valitudinariis incendio consumptis. Nec sufficiebat eorum impietati, in loca desævire profana; verum ecclesias et loca, quælibet venerabilia succendentes, qui ad ea salutis causa confugerant, cum ipsis pariter sacris ædibus concremabant. Nec erat differentia plebeiorum et cleri, nisi quod atrocius in eos desæviebant, qui religionis et honestatis habitum prætendebant. Monachis enim et sacerdotibus primas irrogabant injurias, et exquisitis perimebant cruciatibus. Inter quos virum venerabilem Joannem nomine, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconum, quem pro negotiis Ecclesiæ, dominus papa illuc direxerat, comprehendentes, in contumeliam Ecclesiæ decollaverunt, caput ejus ad caudam canis immundæ religantes. Sed nec mortuis, quibus omnis parcere consueverat impietas, inter tam detestabiles et pejores parricidis sacrilegos, tuta erat quies, quos de monumentis extractos per vicos et plateas, quasi illatas sentirent injurias, distrahebant. Accedentes præterea ad Xenodochium, quod dicebatur Sancti Joannis, quotquot in eo repererunt languidos, gladio peremerunt. Qui autem, ex officio pietatis, oppressorum merito tenebantur afflictionem relevare, eorum videlicet sacerdotes et monachi, hi dato pretio, grassatores et sicarios, ad stragem invitabant, disquirentes secessus et domorum penetralia, ne qui in eis delitescerent, ut mortis discrimen declinare possent; inventosque et violenter extractos tradebant carnificibus; quibus etiam, ne gratis operam impenderent, pretium sanguinis pro miserorum interfectione porrigebant. Qui autem clementius cum eis videbantur operari, hi eos qui ad se confugerant et quibus spem dederant salutis, Turcis et aliis infidelibus populis, in perpetuam vendebant servitutem; ex quibus promiscui sexus, ætatis et conditionis, plus quam quatuor millia, barbaris nationibus, pretio interveniente, distracta esse dicuntur. Sic ergo impius Græcorum populus, et *genimina viperarum* (*Matth.* XXIII), more *serpentis in gremio, et muris in pera*, nihil tale meritos, nihilque tale verentes, male remuneraverunt hospites suos; quibus tamen filias suas, neptes quoque et sorores, uxores dederant, et ex diutino convictu sibi reddiderant familiares.

CAPUT XIII.

Populus Latinorum, qui in galeis se receperat, insulas et loca maritima hostiliter depopulatur.

Verum non omnino, tantum et a sæculis inauditum facinus impune commisisse dicun-

Digitized by Google

tur. Nam qui, ut præmisimus, in galeis exierant, et qui postmodum eos aliis navibus sunt subsecuti, habentes secum multitudinem maximam et classem non modicam, circa urbem, satis in vicino se collegerant, rei exspectantes exitum. Qui, postquam plenius cognoverunt quod ii qui in civitate tumultum excitaverant, eorum succenderant regiones; uxores quoque et liberos et omnem familiam partim gladio, partim consumpserant incendio, justa indignatione commoti, exarserunt in iram. Et cupientes vehementi fervore, ultum iri suorum sanguinem, circuierunt utrumque Hellesponti littus, ab ostio maris Pontici, quod ab urbe Constantinopolitana distat triginta milliaribus, usque ad ostium maris Mediterranei, quod ab eadem distat milliaribus ducentis, urbes et quælibet municipia in utroque sita littore, comprehendentes violenter, et eorum habitatores ferro perimentes universos; sed et monasteria, quæ tam in utroque ejusdem maris littore, quam in insulis modicis, quæ per illud mare dispersæ sunt, sita erant, pervadentes, pseudomonachos et sacrilegos eorum sacerdotes, in ultionem fraterni sanguinis, gladio peremerunt, ipsa monasteria cum iis qui ad ea confugerant, succendentes. Ex quibus locis, infinitas auri, argenti, gemmarum et holosericorum dicuntur extraxisse copias; unde damnum rerum amissarum, et dispendia bonorum suorum multiplici fenore sibi poterant recompensare. Nam præter monasteriorum divitias innumeras et thesauros infinitos, quos a multis retro congesserant temporibus, cives Constantinopolitani ingentia ibidem deposuerant auri et cæterarum gazarum pondera; quæ omnia secum deferentes, et maris illius deserentes angustias, inter Seston et Abydon, urbes antiquissimas et maritimas, mare ingressi sunt Mediterraneum; littora Thessaliæ, et mari adjacentium provinciarum urbes et oppida perlustrantes diligentius, et cuncta incendio et rapinæ tradentes, stragem innumeram operati sunt. Sed et galeas alias a prioribus circa Chrysopolim, urbem Macedoniæ, dicuntur reperisse decem, aliasque in locis aliis quamplures : unde sibi classem maximam et Græcis omnino formidabilem, in eorum perniciem dicuntur ordinasse. Alii vero, qui stragem et rapinam abominabantur operari, cum uxoribus et liberis, et residuo substantiolæ suæ, naves ingressi, quarum illis multus occurrebat numerus, a prædicto declinantes exercitu, ad nos in Syriam descenderunt. Andronicus interea urbem pro votis obtinens et nullum habens contradictorem, imperatorem cum futura uxore, regis Francorum filia in die festo Pentecostes, solemniter fecit coronari, omnem ei exhibens reverentiam; sororem quoque et sororis maritum, simul et matrem imperatoris, intra septa palatii, adhuc tractans humanius; ipse tamen tam in urbe quam extra, quælibet imperii negotia, pro suo libere disponens arbitrio; timetur tamen, ne hanc fraude palliata, personis exhibeat humanitatem, quousque imperio paulatim occupato et subjectis omnibus, liberius ostendat qualem circa eos gerat voluntatem. Factum est autem hoc, anno ab Incarnatione Domini 1182, mense Aprili.

CAPUT XIV.

Salahadinus fœdus quod cum domino rege inierat, rescindit; rex illi ultra Jordanem occurrit. Turci vicum Buriam effringunt, habitatoribus ejus in captivitatem redactis.

Interea, dum hæc in Græcia sic geruntur, navis quædam mille quingentos peregrinos deferens, apud Damiatam, in finibus Ægypti, flatibus acta sinistris, confracta est; passis tamen naufragium spes erat salutis, eo quod Salahadinus nobiscum, tam per terras quam per mare treugam diceretur habere et pacem temporalem. Sed longe aliter accidit eis, quam vel pacis tenor, vel pactorum series exigeret. Salahadinus enim prædæ victus cupidine, et tantam Christianorum turbam, occasione fœderis, nolens de regno suo exire liberam, omnes conjecit in vincula, et eorum sibi bona confiscari præcepit; missaque legatione ad dominum regem, contra formam pactorum, et quæ pene impossibilitatem continebant, ab eo cœpit reposcere adjiciens : *Quod nisi pro omnibus illis ei pro voto satisfieret, ipse navim prædictam sibi vellet in compensationem detinere, et præterea renuntiare paci, de qua inter eos convenerat.* Quod cum non obtinuisset ejus nuntius, quoniam calvas occasiones magis innectebat, ut navem sub aliquo quæsito colore detinere posset, quam justas causas allegaret; soluto fœdere, cogitare cœpit, quomodo suo more, vetus exercens odium, regnum posset aggravare. Convocatis igitur expeditionibus et universis tam peditum quam equitum copiis, simul et eorum multitudine, qui a Damasco et adjacentibus ei finibus, annis præteritis, famis acerbitatem declinantes, in Ægyptum descenderant, proposuit redire Damascum, ut inde quasi de vicino nos amplius molestaret. Adjecit etiam, ut in veniendo, regionem nostram quæ est trans Jordanem, pro posse damnificaret; aut fruges succendendo, quæ jam albæ erant ad messem; aut unum vel plura de præsidiis nostris, quæ in ea erant provincia, violenter expugnando. Id autem, eo maxime dicebatur proposuisse intuitu, ut sibi satisfaceret, de principe Rainaldo, qui ei præerat regioni, eo quod Arabes quosdam infra tempus fœderis contra legem pactorum cepisse diceretur, et repetitos reddere negaverat. Cognito ergo per exploratores ejus adventu, et proposito, rex habita Hierosolymis curia generali, et super petitionibus Salahadini diligenti tractatu, de quorumdam consilio, cum totis regni viribus, in prædictam regionem, vallem pertransiens sylvestrem, in qua est mare Mortuum, pervenit, ut venienti Salahadino occurreret et se opponeret provinciam vastare volenti. Porro Salahadinus transcursa cum suis expeditionibus solitudine, quod iter, cum multa difficultate, vix diebus viginti confecerat, jamque terram habitabilem in

Digitized by Google

finibus nostris, juxta præsidium, quod dicitur mons Regalis, quasi ad decem milliaria castrametatus; exspectans ut de statu regionis, et ubinam esset rex cum suis expeditionibus, certificaretur. Rex vero juxta urbem veterem, cui nomen Petra deserti, in secunda sitam Arabia, castra locaverat, ab exercitu Salahadini triginta sex vix distans milliaribus; eratque ibi universum cum eo regni robur; sed et comes Tripolitanus ibi invitus detinebatur; contra cujus consilium rex illuc profectus erat, et reliquas regni partes inobservatas, et absque militia dereliquerat; favore enim prædicti Rainaldi principis, magis quam consideratione majoris compendii, quidam ad hoc regem impulerant, non multum attendentes quid interim regno viribus destituto posset accidere; quod quam imprudenter factum fuerit, rei exitus subsequens statim declaravit. Nam qui circa Damascum, Bostrum, Baalbec et Emissam erant principes, videntes regni robur abesse, et militia destitutam regionem universam, convocatis clam et sine tumultu copiis, Jordanem secus mare Galilææ, quod est Tiberiadis, transeuntes, fines nostros latenter ingressi sunt; et percurrentes ex parte Galilæam, pervenerunt ad locum qui est sub monte Thabor, cui nomen Buria, juxta Naim urbem antiquissimam. Homines autem illarum partium de treuga præsumentes, quam nondum noverant defecisse, securi nimis, minus sibi providebant: unde factum est quod, clam et de nocte super eos irruentes, locum ex omni parte vallaverunt, ita ut neque ad montem, qui loco imminebat, fuga non pateret obsessis. Luce igitur reddita, videntes loci habitatores infinitam circa se hostium multitudinem, in turrim quæ suburbio præerat, certatim se contulerunt; quam undique circumdantes, et cum summa instantia suffodientes, intra quatuor horarum spatium suffossam, solo dejecerunt; ante ruinam tamen, cum jam rimam duceret, et casum minaretur, eos qui in eam confugerant, in deditionem susceperunt. Colligentes igitur pro libero et sine contradictore arbitrio, tum illius, tum adjacentium locorum prædam universam, exceptis his qui in conflictu ceciderunt, pene quingentas animas secum detulerunt in vinculis. Nam quia locus erat frugifer et messis tempus aderat, multi ex locis finitimis metendi gratia illuc se contulerant, quos omnes, ut prædiximus, secum sine contradictore deducentes, iterum Jordane transito, sani et incolumes reversi sunt ad propria.

CAPUT XV.

Idem castrum nostrum in nostra regione Suicide, speluncam videlicet munitissimam, occupat violenter.

Accidit præterea per eosdem dies, dum adhuc rex et exercitus in Syria Sobal detineretur Christianus, casus periculosus admodum, et nostris perpetuo lugendus. Erat enim nobis in regione Suicide, trans Jordanem, a Tiberiade sedecim distans milliaribus, præsidium munitissimum, et, ut dicitur, inexpugnabile, ex quo nostris multa dicebatur provenire utilitas; nam cum prædicta regio hostium magis esset contermina finibus, quam nostris; et ipsi eam facilius pro suo possent tractare arbitrio, et ejus habitatoribus confidentius imperare, hujus tamen præsidii beneficio multis annis obtentum fuerat, et obtinebatur nihilominus in præsenti, quod nostris et illis ex æquo dividebatur potestas, et vectigalium par et tributorum fiebat distributio. Erat autem spelunca in latere cujusdam montis sita, cui subjectum erat immane præcipitium; a parte vero superiori nullus omnino accessus; ex altero vero latere, tantum arcta nimis semita, ut per quam homini libero, et ab omni onere expedito, vix absque periculo iter præberetur. Erat autem commissum fidei et diligentiæ nobilis viri et ditissimi Fulconis Tiberiadensis. Ad hunc locum accedentes prædicti hostium principes, qui Buriam, ut præmisimus, effregerant, et nostrum captivaverant populum, repente ante præsidium astiterunt, et infra quinque dies obtinuerunt expugnatum. Super quo facto, non eadem omnium erat opinio; quibusdam asserentibus quod qui erant in præsidio, pecunia redempti, locum hostibus tradiderunt; aliis vero, quod ex latere speluncam effregerunt, quia lapis cretaceus erat, et facile solvebatur, et violenter ingressi stationem primam quæ inferior erat, occuparunt, dicentibus; unde postmodum eos qui erant in medio et in supremo cœnaculo (nam tres dicebantur esse mansiones) ad deditionem compulerunt. Compertum est autem postmodum, quod culpa magistratuum, qui cæteris præerant, municipium ad hostes pervenerit; nam aliis resistere volentibus, ipsi auctoritate qua præminebant, inhibebant defensionem; et postmodum resignato municipio ad hostes se contulerunt. Dicebantur autem esse qui loco præerant, Syri, qui apud nos effeminati et molles habentur. Unde major culpa in prædictum Fulconem refunditur, qui tales loco præfecerat tam necessario. Exiit ergo sermo iste, et longe lateque diffusus est per regnum; pervenitque usque ad nostros qui erant trans Jordanem, præpedire volentes transitum Salahadini, ex Ægypto ascendentis in Syriam et properantis Damascum; quo comperto, consternati sunt animo universi, et maxime Tripolitanus comes ad cujus curam prædictum municipium respiciebat. Unde factum est ut qui regnum negligenter reliquerant, ibi negligentius se habentes, nihil Deo placitum, nihil regno utile operari possent; nam cum usque ad fines regionis nostræ, advenienti Salahadino debuissent occurrere, et regni præpedire introitum, imprudenter nimis usque ad locum cui Gerba nomen, eum permiserunt accedere, ubi aquarum, quibus maxime sitiens ejus indigebat exercitus, omnem reperit abundantiam; et inde missa expeditionum parte circa præsidium nostrum, cui nomen mons Regalis, vineta succiderunt, et alia quædam oppidanis intulerunt damna. Quod si ad eum locum nostri pervo-

Digitized by Google

nissent, eum procul dubio oportuisset in Ægyptum redire; trahebat enim secum infinitam imbellis populi multitudinem, quibus et aqua jam defecerat in utribus et panis in cistarciis, quos omnes in solitudine oportuisset inedia deperire; nam procedere non poterat, et cum nostris erat periculosum committere. Audientes ergo, quod ad prædictum jam pervenisset locum, iterum decreverunt nostri ad aquas Rasel Rasit, illi occurrere; quod si factum fuisset, per ulteriorem solitudinem oportuisset eum iter cœptum agere, quod non nisi cum multa tam hominum quam jumentorum potuisset consummasse jactura. Quod propositum cum non fuisset effectui mancipatum, accessit ad prædictas sine difficultate aquas; et inde sine contradictore fines suos cum omni incolumitate ingressus, Damascum pervenit. Quod nostri cognoscentes, iterum eadem via qua prius transierant, reversi sunt ad propria; timentes vero, ne a Damasco, in quam se cum omni suo comitatu receperat, regno aliquid insidiarum et damni moliretur, congregatus est universus regni populus ad fontem Sephoritanum, inter Sephorim et Nazareth; ubi habentes secum Dominicæ crucis lignum, præsente rege et patriarcha, et aliis tam ecclesiasticis quam sæcularibus regni principibus, de die in diem hostium exspectabant incursus.

CAPUT XVI.

Idem fines nostros violenter ingreditur; apud castrum Forbelet pugna committitur, ancipiti victoria.

Salahadinus interea congregata ex universis finibus suis, super ea, quam ex Ægypto proficiscens secum transtulerat, militia, propositum habens ut fines nostros ingrederetur, ad eum locum accessit, qui dicitur lingua eorum Raseline, quod interpretatur caput aquæ. Is autem locus a nostris finibus et ab urbe Tiberiadense modicum distare dicitur. Ubi cum per dies aliquot moram fecisset, subito fines nostros ingressus est, in loco qui dicitur Cavam, inter duo flumina, qui a Tiberiade vix distat quatuor milliaribus, castrametatus. Quod ubi nostris per exploratores cognitum est, ad urbem prædictam sub omni celeritate exercitum dirigunt, ut militares copias, quæ ad ejus loci et finitimorum municipiorum tuitionem, Saphet videlicet et Belveir, deputatæ erant, secum assumerent, hostem protinus insecuturi. Porro comes Tripolitanus, vir prudens et in armis strenuus, et in re militari plurimam habens experientiam, duplici tertiana ibidem periculosissime laborabat; unde nostris, qui de ejus consilio et providentia plurimum præsumebant, multa accrevit mœstitia, eo quod tanti principis solatio, in tanto necessitatis articulo, fraudarentur. Convocatis tamen ex locis finitimis auxiliaribus copiis, erectis vexillis hostem insecuti sunt. Salahadinus vero nostrorum audiens adventum, transito Jordane, cum suis expeditionibus in partes Scytopolitanas se contulit. Est autem Scytopolis tertiæ Palestinæ metropolis, inter montes Gelboe et Jordanem, in campestribus et agro sita irriguo, quæ alio nomine dicta est Bersan, cujus prærogativa Nazarena hodie, quæ in eadem diœcesi sita est, gaudet ecclesia; nam urbs præscripta raro hodie incolitur habitatore, ad instar modici redacta oppidi. Ad quem locum pervenientes hostium cunei, præsidium modicum quod ibi est in paludibus situm, cœperunt fortiter impugnare; sed resistentibus viriliter oppidanis, videntes quod non proficerent, versus castrum novum, cui nomen est hodie Belveir, inter prædictam urbem et Tiberiadem in montibus situm, ut nostris occurrerent, acies direxerunt. Nostri vero Jordanis fluenta secuti, ubi ad prædictum pervenerunt locum, deserentes vallem, ascenderunt in montes; multa tamen immensi caloris, qui supra modum proficiscentibus incubuerat, incommoditate fatigati; ubi noctem illam, vicinis hostibus suspectam, continuatis excubiis transegerunt: mane facto, descendentes in planitiem, quæ inter prædictum oppidum et vicum, cui nomen Forbelet, hostes viderunt circumpositos, in tanta multitudine, quantam videre non consueverant. Dicebatur enim a senioribus regni principibus, quod a primo Latinorum in Syriam introitu, nunquam tantas vidissent hostium copias. Eratque numerus expeditorum ad pugnam, quasi ad viginti millia; nostri autem equites vix reputabantur septingenti. Erat autem Salahadino et principibus ejus, una et communis intentio, nostros ex omni parte vallare, ut nec unus evadere posset; nam de jam dicta multitudine præsumentes et nostram contemnentes paucitatem, quod eis nostri possent resistere nullatenus arbitrabantur. Verum ei, cui non est difficile in paucis majorem superare multitudinem, aliter visum est. Nam prævia misericordis Dei clementia, licet eorum respectu, nostri nulli viderentur, tamen ordinatis juxta militarem disciplinam agminibus et in hostium cuneos, solita irruentes animositate et hostium impetus multa sustinentes constantia, in eo conflictu superiores inventi sunt; licet multi de nostris, quos nominatim tangere supersedemus, ignominiosissime, et cum perpetuo probro, bellicis sudoribus se subtraxerunt. Optime se habuerunt illa die, strenue et viriliter decertantes, Balduinus Ramatensis et Balianus frater ejus. Sed et Hugo junior, domini comitis Tripolitani privignus, cum acie Tiberiadensium, memoriam ea die meruit in benedictione celebrandam; qui, licet esset adolescentior, tamen supra illius ætatis vires, cum acie supradicta, cui præerat, tres hostium cuneos violenter effregit et convertit in fugam, ad suos, per Dei gratiam, rediens illæsus. Ceciderunt in eo conflictu de nostris, ex equestri ordine pauci, sed sanctorum adepti consortium; de popularibus vero, plures; hostium autem major facta est strages; sed et de principibus eorum ceciderunt aliquot, quorum cæde consternata pars adversa, campum deseruere certaminis. Sed nec illud prætereundum est cum silentio, quod tanta

Digitized by Google

per eos dies præter solitum fuit caloris inclementia, quod ex utroque exercitu non pauciores caumatis ceciderunt importunitate quam gladio. De numero autem interemptorum hostium, nihil certum colligere potuimus; nam, ut suorum casum nostris occultarent, eos qui in acie ceciderant, secum deportabant; quos sequenti nocte in castris occulte sepelierunt, ne eorum manifestatus interitus, nostros redderet fortiores. Dicimus tamen, utroque supradicto casu, de eis quasi ad mille cecidisse. Quo facto, videns Salahadinus, quod præter spem ei acciderat, et quod duriores, quam esset arbitratus invenisset adversarios, confusus, transito iterum Jordane, reversus est ad propria, in eodem loco, unde egressus fuerat, denuo castrametatus. Nostri vero, revocatis agminibus, ad fontem Seforitanum, unde prius egressi fuerant, reversi sunt. Quo itinere quidam Dominici Sepulcri canonicus, Balduinus nomine, ecclesiæ ejusdem thesaurarius et vivificæ crucis bajulus, caloris immensitatem non ferens, delatus in lectica, sub monte Thabor, juxta torrentem Cyson, exspiravit. Sed et alter quidam ejusdem ecclesiæ frater et canonicus, Gaufridus videlicet de Novo vico, qui prædicto Balduino in eo itinere deputatus erat ad solatium, dum alienis rapitur studiis, in prædicto conflictu sagitta confossus interiit; *Dignum est enim, ut qui gladium accipit*, juxta verbum Domini, *gladio debeat perire* (*Matth.* XXVI, 52).

CAPUT XVII.

Idem classe vocata ex Ægypto, urbem obsidet Berythensium.

Domino igitur rege cum suis expeditionibus ad locum supradictum reverso, Salahadinus ægre ferens nimium, quod ita ejus et suorum evacuatus esset conatus, iterum convocat copias; iterum omnia percurrit argumentorum genera, anxie cum suis deliberans, quomodo iterum nostris recidiva posset inferre gravamina. Videns autem quod nulla via commodius nostros posset opprimere, quam si ex pluribus partibus nostros attentaret molestare, fratri quem suorum procuratorem negotiorum reliquerat in Ægypto mandat et districte præcipit, quatenus sub celeritate classem ab Alexandria et universa Ægypto dirigat in Syriam, significans ei propositum, quod in votis haberet, classe recepta, Berythensium urbem, tam per mare quam per terras obsidione vallare; et ne regni populus ad ejus liberationem cum rege posset accelerare, eidem præcipit ut, collectis equitum viribus, quæ in Ægypto erant residuæ, ipse etiam ab austro ingrediens, omnem circa Gazam, et Ascalonam, et Darum, quæ sunt regni nostri oppida novissima, Ægyptiacam respicientes diœcesim, regionem depopulaturus ingrediatur. Hæc autem eo tractabat studio, ut dum regni pars illis qui ab Ægypto irrumperent, tentarent occurrere, debilitatis cæteris et factis paucioribus, ipse urbem obsessam acrius et liberius impugnaret. Factumque est juxta mentis illius conceptum et mandati formam. Nam infra paucos dies et classis navium rostratarum triginta juxta condictum adfuit; et frater quas in universa Ægypto contrahere potuit, circa Darum introduxit copias. Ipse autem ut adveniente classe paratior inveniretur, in eam regionem quæ vulgari appellatione dicitur vallis Bacar, expeditiones dirigit, constitutis exploratoribus super montes illos qui medii sunt inter regionem prædictam et agrum Berythensium, in mare prominentes, qui de adventu galearum ipsum redderent instructiorem. Ipse autem, hoc intervallo, ex locis adjacentibus pedestria convocabat auxilia, et quæ ad futuram obsidionem arbitrabatur necessaria sollicitus procurabat. Nec mora, circa Augustales Kal. sæpedicta classis in littore appulit Berythensium; quod ut prædicto Salahadino, per deputatos ad hoc specialiter, nuntiatum est exploratores, illico sine mora, superatis mediis montibus, de quibus præmisimus, universas expeditiones suas demisit in campestria; et urbem sæpe nominatam, prout diu ante destinaverat, undique vallat obsidione. Nostris autem qui ad Sephorum in castris erant, varius de Salahadini proposito rumor ferebatur, dicentibus aliis quod urbem Berythensium sicut pro certo patuit, obsidere decrevisset; aliis vero asseverantibus, quod circa obtinendam Halapiam, tota ejus anhelabat intentio; nonnullis etiam astruentibus quod domino Mussulæ, magnifico et potenti Turcorum satrapæ, qui ejus quædam oppida circa Euphratem obsidere dicebatur, tentabat occurrere. Verum, dum hic sermo tam dubius in castris verteretur, adfuit nuntius, verbi ambiguitatem dirimens, qui urbem Berythensium procul omni dubio asserebat obsessam. Adfuit nihilominus et a parte australi nuntius, qui ejusdem Salahadini fratrem, cum ingentibus copiis, fines nostros circa Darum invasisse, et triginta sex levis armaturæ milites, quos Turcopulos appellant, interfecisse, et quædam succendisse suburbana nuntiaret pro certo. Quo comperto, rex habita cum principibus deliberatione, eligit morbo periculosiori occurrere, et urbem obsessam ab ingruente molestia liberare; nam ei suæ sufficere non videbantur copiæ, ut utrumque hostem a suis finibus eodem momento posset arcere.

CAPUT XVIII.

Rex ad ejus liberationem properans, usque Tyrum pervenit. Salahadinus obsidionem solvit.

Convocatis igitur expeditionibus et translato universo exercitu, rex usque Tyrum pervenit. Classem quoque nihilominus quam tum in Acconensi, tum in Tyrensi portu reperit parari præcipiens, subito et præter spem omnium, intra dies septem, armatam optime, et viris fortibus instructam galearum triginta trium ordinavit. Interim tamen, dum hæc apud nos studiose nimis et votis ardentibus præparantur, Salahadinus, urbem, ut prædiximus, obsidens, quantas poterat molestias, utroque circa id desudante exercitu, civibus inferebat; nam ordi-

Digitized by Google

natis circa urbem legionibus et sibi vicissim succedentibus agminibus, tantas per triduum continuum obsessis intulit angustias ut, negata requie, nec ad refectionem corporis necessariam ferias indulgeret aliquas. Machinas tamen seu jaculatorias, seu alterius generis, quibus solent ab hostibus expugnari præsidia, nullas secum detulerat, aut quia absque eorum adminiculo urbem subito et sine difficultate se arbitrabatur posse effringere, et obtinere violenter; aut quia nostrorum celerem exspectans adventum, tantam operam inutiliter consumere recusabat; quod tamen absque machinis poterat, diligenti studio et tota percurrebat sollicitudine. Nam, ut prædiximus, infinitam multitudinem sibi per vices alternatim succedentem, seriatim circa urbem collocaverat, quæ tantam in eos, qui in muris erant et turribus, et ad tuitionem urbis desudabant, sagittarum immittebant multitudinem, quod instar grandinis et urbem replerent et mœnia. Nec solum eo modo obsessos ab urbis tuitione nitebantur arcere, verum et fossores, qui ad hoc specialiter ut murum suffoderent, vocati fuerant, violenter laborabant intromittere, ut antemuralia murosque effringendo et aditus patefecerent, quibus armatorum copiæ, invitis civibus ingrederentur; et ut ipsi liberius huic studio operam possent impendere, alii, ut præmisimus, arcubus instabant et balistis, et infinita telorum immissione; et tanta instabant protervia, quod vix sine mortis periculo, qui intus erant, digitum audebant exerere. Cives tamen, licet pauci essent admodum, præfecti tamen urbis et episcopi maxime, quorum multa in eo facto merito commendatur virtus et constantia, monitis et exhortationibus acquiescentes, his omnibus argumentis, argumenta objiciebant contraria, et nullam resistendi artem relinquebant intentatam. Nam et contra exteriores sagittarios, tela et sagittas, arte non dispari vel studio retorquebant, unde hostibus dispendia longe multipliciora inferebant, et causas mortis illis irrogabant frequentius, qui cum majore protervia videbantur instare. Et his qui murum nitebantur suffodere, arte occurrebant eadem, ita ut ipso opere desudantibus plerumque aut mortem inferrent, aut fodiendi auferrent instrumenta. Nec solum qui per terras advenerant, has tantas civibus obsessis inferebant molestias; verum et qui navigio accesserant, non minus proterve, non minus hostiliter obsessis instabant. Ipse autem Salahadinus non longe ab urbe in colle constitutus, et propria præsentia, et exhortationis verbo suos ad instantiam animabat; eaque tenus profecit, quod quidam de principibus ejus Choelinus nomine, scalas mœnibus applicandas decerneret, et violenter ingrediendum esse denuntiaret. Turpe etenim ei videbatur et ignominiosum, quod tantæ, tantorum virorum multitudini, populus tam modicus posset vel auderet resistere. In quo proposito dum perseveraret attentius; et alios ad id ipsum tum verbo tum exemplo animaret, subito sagitta juxta oculum in facie percussus, et se et alios revocavit ab opere incœpto; cumque per triduum pene continuum, ita urbem impugnasset, videntes quod non proficerent, qui per mare advenerant, de mandato Salahadini in galeas se recipientes, circa noctis initium tertiæ clam et de nocte reversi sunt. Salahadinus quoque, revocatis agminibus, ab urbe discedens aliquantulum, per campestria quæ urbi prædictæ adjacent, turmas cœpit dividere, turres quæ erant in adjacentibus suburbanis funditus dejici præcipiens; sed nec pomeriis et vinetis, quæ in circuitu urbis erant plurima, parcentes, in securi et ascia cuncta dejecerunt. Ut autem in obsidione liberius tutiusque perseverare posset, viarum quasdam difficultates et angustias quæ inter urbem prædictam et Sidonem positæ, per quas nostro exercitui ad urbis liberationem accedere volenti, de necessitate futurus erat transitus, non solum a suis pedestribus turbis occupari fecerat; verum ubi erant majores angustiæ, siccis lapidibus absque cœmento, usque in ipsum mare fecerat deduci maceriam; ut utroque impedimento nostræ retardatæ legiones, eo minus libere ad eum possent accedere, ipseque interim non desineret urbem molestare. Cumque firmum fixumque prius dicerctur habere propositum, ab urbis obsidione, nisi ea violenter effracta, non discedere, mutata voluntate, ut prædiximus, reditum acceleravit ad propria. Cujus rei causa fuisse dicitur, quod quemdam litterarum bajulum, quæ in urbem ab solidandos animos obsessorum, a quibusdam dirigebantur fidelibus, casu ceperant, qui observabant transitus; quem ante Salahadinum deductum, gravissimis quæstionibus subjecerunt. Ubi tum ex ejus confessione violenter extorta, tum ex litterarum tenore cognoscentes, quod nostrorum uterque paratus erat exercitus, et infra triduum procul omni dubio adfuturus, mutato proposito, solverunt, ut prædictum est, obsidionem. Classis tamen nostra usque ad locum pervenit destinatum; sed urbem reperiens liberam, in portus unde prius exierat, non multo interjecto tempore, reversa est. Rex autem et universus exercitus ejus, cognito quod hostes ab urbe discessissent obsessa, cum apud Tyrum per dies aliquot moram fecisset, revocatis expeditionibus, Sephorim reversus est.

CAPUT XIX.

Salahadinus Euphratem transit, Mesopotamiam ingressus.

Salahadinus interea, sicut erat vir vigilantissimus et toto mentis ardore ad dilatandam nominis sui gloriam et regni incrementum anhelabat, nostrorum vires quasi pro nihilo ducens et ad majora suspirans, ad partes transire disposuit orientales. Id tamen, nondum pro certo liquet utrum proprio ductus spiritu, et solita præceps magnanimitate, sit aggressus; an a principibus illius regionis evocatus, rem adeo difficilem, et quæ supra vires videbatur, attentaverit. Quacunque ergo fiducia, ingentes equitum collegit copias, et compositis pro locorum et temporum opportunitate sarcinis, et quæ

Digitized by Google

ad tantum iter conficiendum sufficere posse videbantur, necessariis, versus Euphratem properat. Apud nos autem sermo divulgabatur frequens, quod versus Halapiam contenderet, ut eam sibi vindicare niteretur. Ea enim sola, cum paucis oppidis adjacentibus sibi, de tota Noradini hæreditate supererat, quæ nondum in ejus pervenerat ditionem. Mortuo enim Noradini filio, frater Cotebedini domini Mussulæ, fratre permittente, ad quem jure hæreditario, defuncto prædicto adolescente, devoluta fuerat, possidebat. Credebatur ergo, sicuti et erat verisimile, quod ut eam urbem obtineret, ad partes illas festinasset. Sed sicut rei patefecit exitus, longe sublimiora mente conceperat. Relicta enim post se urbe prædicta, et Euphrate transmisso, Mesopotamiæ urbes splendidissimas, Edessam, Carram, et alias quamplures cum oppidis suffraganeis, et universam pene regionem, quæ sub potestate prædicti principis, domini videlicet Mussulæ, prius jacuerat, tam viribus quam munerum interventione, intra paucos dies sibi vindicavit. Corruptis enim multa liberalitate regionum magnatibus, qui domino sæpedicto fidelitate tenebantur astricti, receptisque eorum municipiis, in suum obsequium omnes converterat, ita ut sæpedictus magnus et nobilis princeps suorum penitus destitutus auxilio, ei occurrere, aut resistere non posse diceretur, sed etiam publice dicebatur, quod corruptis ejus domesticis et familiaribus, potum ei mortiferum, unde vix postmodum evasit, propinasset : unde liberius usque Mussulam, cum suis expeditionibus jam pervenisse (fama referente) credebatur. Varius tamen super eo facto apud nos disseminabatur sermo, dicentibus aliis, quod prospere incederet et omnia illi suppeterent ad votum ; aliis e diverso asserentibus, quod per majores illarum regionum principes, contra illius insolentiam convenientes, ejus male tractatus esset exercitus.

CAPUT XX.

Rex fines Damascenorum hostiliter depopulatur.

Rex igitur et regni nostri principes, videntes regionem hostium, viribus destitutam militaribus, arbitrati, sicut et merito videri poterat, quod nocendi hostibus optata pateret occasio ; eoque amplius indignati, quod tantam ejus qui abierat, notabant superbiam, quod contemptis regni viribus, ut regna sibi vindicaret extera, proficiscens, cum rege nec treugam nec fœdus inierat ; communicato consilio, collectis regni viribus, assumpto sibi vivificæ crucis ligno pretioso, domino quoque patriarcha eos prosequente, hostium fines ingressi sunt, regionem pro viribus depopulaturi. Pertranseuntes ergo Traconitidem regionem, quæ Bostrensis diœceseos pars est non modica, Syriam minorem, cujus caput est Damascus, ingressi, et ad orientalem ejus plagam contendentes, locum celebrem et famosum, Zora nomine, multis refertum habitatoribus, qui a Damascena non multum distat urbe, violenter effregerunt ; et inde regionem perlustrantes ex parte plurima, loca suburbana quæ vulgo Casalia dicuntur, suppositis ignibus et aliis, quibus poterant, nocendi artibus dejecerunt. Regionis autem habitatores, præcognito nostrorum adventu, cum gregibus et armentis, cum liberis et uxoribus ad loca se contulerant munitiora. Unde factum est, ut prædæ et manubiarum aut nihil, aut modicum secum nostri reportaverint ; fruges tamen et cætera vitæ necessaria, quæ illi abeuntes secum transferre non poterant, nostri vel incendio, vel aliis quibus id modis fieri poterat, consumpserunt. Redeuntes vero depopulando universa quæ occurrebant, juxta nobilem illius regionis metropolim, Bostrum nomine, quæ vulgari appellatione dicitur Bosseret, habuerunt transitum. Ubi cum de effringendo ejusdem civitatis suburbio, inter nostros tractatus haberetur, videntes quod id subito fieri non posset, sed moram exigeret diuturniorem, quam tamen non dabat aquarum inopia, ad redeundum se præparant, sibi et equis et jumentis omnibus sitis formidantes importunitatem. Est enim regio prædicta, arens prorsus et inaquosa ; fontes, rivos et flumina non habens penitus ; hibernis enim mensibus lacunis solent aquas colligere pluviales, et eas tota conservare diligentia, ad usus necessarios per annum integrum, calore solis, et assiduitate limi cui superjacent, factas insipidas. Has etiam adventu nostrorum præcognito, effractis lacubus, aut emiserant, aut immissis corruperant immunditiis, ne pertransiens exercitus moram ibi posset nectere ; sed neque depopulationem quantam vellent exercere, temporis patiebatur pars illa ; jam enim fruges, et cætera illa quæ incendium solet consumere, congesserant in horrea, quæ in specubus subterraneis regio illa habere consuevit ; quas etiam terra coopertas et arte occultatas multa, difficile erat invenire ; sed etsi quid reperiebatur in areis, id exutum stramine et mundatum a palea, non facile admittebat incendium, gravi solitudine ignem non admittente. Vixque aliud areis damnum poterant inferre, quam ut fruges dispergerent ; et ad opus equorum, abeuntes secum deferrent. Multi tamen artem nocendi quærentes, aliunde stramina, aliunde paleas frugibus immiscebant jam purgatis, ut facilius admittere possent incendia. Residuum autem militiæ, quam in eadem regione Salahadinus abiens dereliquerat, quoniam de viribus non præsumebant eatenus ut cum nostris auderent congredi, vel eis de proximo ministrare impedimentum, gregatim de remoto sequebantur, ut circa abeuntis exercitus posteriora, aliquid possent latenter moliri. Sed neque sic nostris impedimentum ministrare potuerunt, aut lædere totum vel partem exercitus.

CAPUT XXI.

Idem præsidium quod proxime Salahadinus occupaverat, obsidet ; obsessum occupat, et Christianitati restituit.

Transcursa igitur regione, et ea quantum eis nocere dabatur damnificata, redeuntes, in ea ejusdem

Digitized by Google

provinciæ parte, cui Suite nomen est, substiterunt. Hæc autem est regio, in qua præsidium situm est, quod a nostris paulo ante, ut prædiximus, hostes dum in Syria Sobal moram facerent, fraudulenter eripuerant. Est autem regio commoditatibus vini, frumenti et olei, simul et salubritate commendabilis et amœnitate præcipua; de qua fuisse traditur Baldad ille Job amicus, qui ab ea cognominatus est Suites. Ad hanc ergo pervenientes, honestum judicant, et ita fieri oportere decernunt, ut prædictum municipium obsideant; et quam nobis intulerant, in ejusdem captione fraudulenta, hostes injuriam, locum recipiendo, si eis concedatur divinitus, resarciant. Juxta ergo condictum, ante locum castra locant supra nominatum, omnem adhibentes operam et studium, ut ii, qui intus erant, ad deditionem compellerentur. Et quoniam locus erat munitissimus et situs ejus hujusmodi, quod ei nullatenus, nisi a parte superiori, noceri posset, ibique non alias quam si rupes usque ad ipsam habitationem incideretur; decernunt a parte superiori cæsores lapidum, eisque quotquot haberent ministros necessarios, simul et operum custodes, ut tute et sine irruentium periculo laborare possent, collocare. Erat enim spelunca in altissimo montis latere posita, non habens nisi cum multa difficultate accessum, in quo vix pediti iter esse poterat expedito; nam inferius, usque in profundum subjectæ vallis, ingens est et horribile præcipitium; ex latere autem, ad eam accedebatur itinere unius pedis vix habente latitudinem. Erant autem in eadem spelunca mansiones tres, sibi invicem superpositæ, in quibus mutuus per quasdam scalas ligneas, et per quædam angusta foramina interius ascensus erat et descensus. Sic ergo ea sola qua eis noceri poterat via, aggressi sunt speluncam desuper, ut præmisimus, incidere, tentantes si ad primam et superiorem speluncæ habitationem, incidendo sic possent penetrare. Erat igitur in eo omnis nostrorum intentio, et totus in eo labor impendebatur. Ordinatis enim ad id operis exsequendum artificibus, quotquot erant necessarii, et cooperatoribus ministris, qui lapides incisos et lapidum fragmenta, per præceps in vallem subjectam devolverent, ut sine intermissione opus procederet, vicarias tam interdiu quam de nocte constituebant successiones, ut defatigatis prioribus, novi recentesque venirent, qui operis possent et scirent portare pondus. Proficiebat ergo labor impendio, tum ex frequentia et fervore eorum qui prædicto instabant operi, tum ex quadam habilitate quam ex se præbebat saxi, quod incidebatur, materia. Erat enim lapis cretaceus, et ad frangendum facilis; nisi quod venas durissimi silicis interpolatim habebat immistas, quæ sæpius et ferrea læderent instrumenta; et iis qui in opere fervebant, aliquoties ministrarent impedimentum. Porro quidquid fragmentorum, ut locus expediretur, in vallem subjectam, ut prædiximus, devolvebatur, totum id qui in spelunca erant obsessi, contemplabantur de proximo; unde eis timor incutiebatur amplior, tanquam qui singulis exspectabant horis, ut incisione perfecta ad eos violenter introiretur. Noster autem bipertitus erat exercitus; nam pars ejus, ut prædiximus, in monte supremo, in quo erant spelunca, castra locaverat, ut eos qui erant in opere solliciti, ab hostium protegerent insidiis; pars vero inferius residebat in plano, quibus id specialiter erat propositi, ut obsessis introitum negarent et exitum. Hi etiam nonnunquam per illam arctam, unde præmisimus, semitam, ad inferiorem ejusdem speluncæ stationem accedentes, eos qui intus erant, licet non proficerent, assultibus molestare nitebantur. Erant autem intus viri fortes et bellicosi, tam victualium quam armorum habentes copiam, quasi ad septuaginta; quos tanquam virtute probatos, de quorum fide et constantia præsumebat plurimum Salahadinus, abiens intus dimiserat, eorum diligentiæ commendans municipium. Et jam eo usque ventum erat, quod qui in spelunca erant, præ frequenti et pene continua malleorum percussione, intus quiescere non poterant; videbatur enim, ad omnem ictuum ingeminationem, spelunca tremiscere et universa concuti; ita ut jam non timerent, quod nostri ad eos irrumperent violenter, sed quod tota spelunca, repetitione malleorum fatigata, subito corruens, universos opprimeret. Denique quod eis subsidium ministraretur, omnino sperare non licebat; nam prius noverant, ad partes remotissimas, et unde facile redire non poterat, demigrasse Salahadinum, et militares secum duxisse copias. Unde factum est, quod postquam obsidionem tribus vel modico amplius septimanis perpessi fuerant, missa legatione ad dominum regem, per interventum domini comitis Tripolitani obtinent, ut resignato præsidio, cum armis, quæ ipsi intulerant, et propria supellectile, liber eis usque Bostrum indulgeretur transitus. Sic ergo illis abeuntibus, recepto præsidio, confusionem, quam ex eodem prius videbantur induisse, auctore Domino, et per ejus superabundantem gratiam, diluimus. Porro tam domino regi, quam aliis principibus curæ fuit non modicæ, statim, sicut expediens videbatur, ut locum resignatum et armis communirent, et victualibus; et viris fidelibus, de quorum fide non dubitaretur et industria, committerent. Quo cum omni diligentia completo, noster ad propria reversus est exercitus. Factum est autem hoc, anno ab Incarnatione Domini 1182, die mensis Octobris.

CAPUT XXII.

Rex iterum fines Damascenorum cum suis expeditionibus ingreditur.

Modico autem, post hoc, interjecto temporis intervallo, id est Decembre proxime subsecuto, videntes nostri quod Salahadinus non redierat, et adhuc majoribus negotiis impeditus, circa partes Mussulæ detineretur occupatus; nolentes opportunitatem amittere, quam idem de sua absentia mini-

Digitized by Google

strabat, iterum convenientes, communicato regni consilio, apud Cæsaream urbem maritimam condicunt unanimiter, et communi decernunt voluntate, ut collectis regni viribus et præparatis ad dies quindecim, tam ad usus hominum quam jumentorum necessariis, fines hostium iterum egrediantur, porrectam occasionem non neglecturi. Facta ergo expeditione occulta, in qua solos equites secum habuerunt, ab hostium finibus Bostro adjacentibus, sicut ab initio condictum fuerat prædam in gregibus et armentis, nec non a mancipiis quampluribus, secum traxerunt, cum omni incolumitate redeuntes ad propria. Cui negotio, quoniam a partibus Tiberiadensibus et profectum habuerunt, et ad easdem partes regressum, dominus comes Tripolitanus præfuit. Quinta decima vero demum die, rex cum universis regni principibus, equitumque ac peditum copiis, quas regnum pro tempore ministrare potuit, assumpta secum cruce Dominica, juxta Tiberiadem, secus mare Galileæ, in loco cui nomen Castelletum, adfuit, et exinde, per locum, cui nomen vadum Jacob, fluvium pertransiens, hostium regionem ingressus est. Unde progrediens exercitus, Libanum a sinistris deserens, et loca planiora secutus, prius locum cui nomen Bettegene, cum adjacentibus viculis, partim incendio, partim ruina dejecerunt funditus, universa ejus bona, modis variis tradentes exterminio. Consequenter vero continuato itinere, ad locum pervenerunt, cui nomen Daria, quæ ab urbe Damascena vix quatuor aut quinque distat milliaribus, quam etiam cum adjacentibus viculis eodem modo depopulati sunt. Regionis autem incolæ, partim ad juga Libani se contulerant, partim confugerant Damascum. Unde in tota regione, vix unum de hostibus valuerunt comprehendere; de nostris tamen quosdam qui pabulatum egressi, incaute se habebant, amisimus. Egressi enim ab urbe Damascena equites nonnulli, de equorum velocitate fidentes, exercitum eminus aliquando præibant, aliquando subsequebantur, exspectantes, si nocendi tempus aut locum invenirent; qui in nostros, de quibus prædiximus, irruentes, more hostili in eos versati sunt, universos obtruncantes. Cives autem Damasceni ab urbe egressi, junctis agminibus circa pomeria, quæ urbi adjacent plurima, conglobati, nostrorum cohortes eminus contemplabantur, procedere non audentes. Factumque est ita, quod neque nostri in eos, neque ipsi in nostras expeditiones attentaverunt irruere; sed abeuntibus nostris, ipsi in urbem se receperunt. Nostri vero regione, ut prædictum est, decursa et damno illato, ut prædiximus, sine difficultate et impedimento, reversi sunt ad propria, domino rege Tyrum, ut ibi Dominicæ Nativitatis nobiscum solemnia celebraret properante

CAPUT XXIII.

Census in regno colligitur, quo contra futuros casus regnum se tueatur.

Interea de Salahadino, rumor incertus ferebatur, dicentibus aliis, quod in Mesopotamia circa partes Mussulæ multum proficeret, et sibi regionem subjugaret universam. Aliis autem dicentibus, quod universi Orientalis tractus principes convenerunt, ut eum ab illis regionibus expellerent violenter; et eas partes, quas ipse dolis et interventu pecuniæ sibi vindicaverat, ab eo revocarent. Nobis autem valde suspectus erat ejus profectus; et ne majus susciperet incrementum, eramus plurimum solliciti, timentes ne multiplicatis viribus ad nos rediret fortior. Unde factum est, quod subsequente Februario, convenerunt regni principes universi, apud Hierosolymam, de rerum statu, qui præsens erat, consilium habituri. Multum enim, ut prædictum est, de ejus reditu timebatur : unde et anxie magis ad omnia resistendi argumenta, se nitebantur attollere. Factum est igitur post multas deliberationum partes, quod de universorum placuit consilio, ut census de universis regni finibus colligeretur, unde necessitatis tempore, equitum peditumque copias habere possemus; ut rediens prædictus hostis, nos ad resistendum paratos inveniret. Rex enim et alii principes, in tantam descenderant egestatem, quod ad complenda debita munia, omnino erant insufficientes. Collecta est ergo de publico pecunia, cujus descriptionis quis fuerit modus, ex rescripti, quod super eo negotio factum est, serie, plenius innotescet, quod sic habet : *Hæc est forma colligendi census, qui de communi omnium principum, tam ecclesiasticorum quam sæcularium, et de assensu universæ plebis regni Hierosolymorum, pro communi utilitate ejusdem regni, contra imminentes necessitates, colligi debet. Decretum est publice, quod in qualibet civitate regni, quatuor eligantur viri prudentes et fide digni qui et ipsi juramento corporaliter præstito, quod in præsenti negotio bona fide debent versari, primum pro se debent dare, deinde alios ad id ipsum compellere, de singulis centum Bizantiis, quos habent, vel eorum valens, sive in rebus penes se constitutis, sive in debitis quæ sibi debentur, Bizantium unum; de redditibus vero, de singulis centum Bizantiis, Bizantios duos. Debent autem circa alios compellendos ita se habere, quod unumquemque de civibus, seu habitatoribus civitatum, vel locorum quibus præsunt, juxta id quod eis videbitur bona fide, quod eorum substantia valeat, unicuique secundum possibilitatem suam injungere secrete, quid ad prædictam collationem solvat. Quod si ille cui injunctum est quantum debeat dare, dixerit, se gravatum esse, et supra vires ei injunctum esse, afferet juxta propriam conscientiam quantum ei videbitur, quod sua mobilia valeant, et præstito juramento, quod amplius non debeat dare, juxta dictam conditionem recedet quietus. Illi autem quatuor tenebuntur ex debito juramenti secretum tenere, quidquid a civibus eis oblatum fuerit, sive magnum, sive parvum; et divitias sive paupertatem eorum tenebuntur ex juramento non detegere. Hoc autem debent observare in his omnibus, qui habent valens centum Byzantiorum, cujuscunque linguæ, cujuscun-*

Digitized by Google

que nationis, cujuscunque fidei, non habita differentia sexus, et sive sint viri, sive sint feminæ, omnes huic legi subjacebunt. Si vero prædicti quatuor selecti, qui ad hoc deputati sunt, cognoverint pro certo, quod alicujus substantia non valeat centum Byzantios, accipiant super eum Foagium, id est pro foco, Byzantium unum; quod si non potuerint integrum, accipient dimidium; et si dimidium non potuerint, accipient Rabuinum, secundum quod bona fide videbitur eis faciendum. Huic autem conditioni subjacebunt omnes illi cujuscunque nationis, linguæ, et fidei, et sexus sint, quorum mobilia non valent centum Byzantios. Decretum est etiam, quod singulæ Ecclesiæ, et singula monasteria, et barones omnes, quotquot sunt, et vavassores etiam, de singulis centum Byzantiis quos habent in redditibus, sicut et alii, de regno quicunque redditus habent, debent dare duos Byzantios; solidarii vero de singulis centum Byzantiis, Byzantium unum. Quicunque vero casalia habent, tenentur jurare, quod de singulis focis quos habent in villis et casalibus suis præter supradicta, bona fide dabunt unum Byzantium; ita quod si casale focos habuit centum, centum inde Byzantios persolvere, rusticos compellat. Erit autem postmodum domini casalis, inter rusticos ejusdem loci, prædictos Byzantios congruis portionibus dividere, ita ut juxta possibilitatem suam ad solutionem prædictam, unusquisque compellatur; ne ditiores levius tranzeant, vel graventur pauperiores. Idem autem erit, etsi plures vel pauciores habeat casale focos. Hanc autem pecuniam sic collectam de singulis urbibus, quæ sunt a Caipha, citra versus Hierosolymam, illi qui, ut prædiximus, præerunt singulis urbibus et castellis, deferent Hierosolymam; et eam tradent sub certo numero et pondere, his qui Hierosolymis ad hoc opus præsunt et ipsi consignatam et seorsum, sicuti de singulis civitatibus vel locis aliis recipient, in saccis singulis sigillatam, præsente domino patriarcha, vel ejus nuntio, præsente quoque priore Dominici Sepulcri, præsente quoque castellano urbis ejusdem debent collocare in arcam, quæ erit in thesauro Sanctæ Crucis, quæ habebit tres seras, et claves totidem, quarum primam habebit dominus patriarcha, secundam prior Sepulcri, et tertiam castellanus, et quatuor prædicti cives, qui ad colligendam pecuniam sunt deputati. A Caipha vero usque Berythum, qui urbibus præerunt, collectam pecuniam similiter deferent ad Acconensem civitatem, et ibi tradetur sicuti de singulis civitatibus et castellis deferetur, sub certo numero et pondere illis quatuor qui in eadem civitate colligendæ præsunt pecuniæ, et reponetur in singulis saccis inscriptis et sigillatis in arcam, quæ habebit seras tres, et totidem claves; quarum primam habebit dominus Tyrensis archiepiscopus, secundam Joscelinus regius senescalcus, tertiam vero prædicti quatuor cives, qui ad hoc opus urbi præsunt Acconensi. Recipient autem prædictam monetam isti, præsentibus dictis dominis qui claves habebunt. Hæc autem sic collecta pecunia, expendi non debet in minutis regni negotiis, sed in descensione terræ tantummodo; et quandiu hæc pecunia supererit, cessare debebunt tam ab ecclesiis, quam a civitatibus exactiones, quæ vulgo Taliæ appellantur; fietque semel; et non reputabitur pro consuetudine inposterum.

CAPUT XXIV.

Salahadinus Halapiam obsidet; et obsessam quibusdam conditionibus interpositis obtinet. Princeps Antiochenus cum Rupino Armenorum duce Tarsum commutat.

Interea vir impiger, et per omnia strenuum principem agens, Salahadinus, in Mesopotamia Syriæ regiones occupat, et præcipui nominis sibi violenter vindicat civitates; inter quas egregiam metropolim Amidam, quæ et populi numerositate, et murorum validissimo ambitu, simulque loci situ, videbatur inexpugnabilis, obsidet, obsessam expugnat et expugnatam tradit ex compacto cuidam Turcorum principi, Noradino nomine, filio Carassalem; cujus obsequiis et auxilio fretus, liberam in partibus illis moram egerat et subegerat regionem. Vere demum proxime subsecuto, revocatis expeditionibus et universa regione apud fideles suos in tuto collocata, remenso Euphrate in Cœlesyriam revertitur, circa Halapiam disponens exercitum, et urbem modis omnibus satagens molestare. Qui autem eidem urbi præerat, videns quod frater ejus, qui se multo erat fortior et potentior, videlicet Mussulæ dominus, eumdem Salahadinum non potuerat a suis finibus arcuisse, sed eo invito omnes trans Euphratem subegerat provincias, timens ne simile sibi aliquid contingeret, missa clam legatione, absque Halapiensium conscientia, cum Salahadino paciscitur, ut reddita sibi Semar, et quibusdam aliis oppidis, quorum nomina non tenemus, ipse Halapiam eidem resignaret. Quam legationem Salahadinus cum omni jucunditate suscipiens, quia nihil avidius ab initio sui principatus affectaverat, quam ut Halapiam, quasi totius regni robur, sibi modo quocunque vindicaret, grato concurrens assensu, conditionem amplectitur; et tradita civitate prænominata, cum adjacentibus pertinentiis, recepit Halapiam, in Nonis Junii. Hic primum nostros geminatus corripuit timor; nam quod maxime verebantur, acciderat. Visum enim erat ab initio nostris, quod si sæpe nominatam urbem suo posset adjungere principatui, omnis nostrorum regio undique videretur, et quasi per circuitum, ejus potentia et viribus quasi obsidione vallata; unde rumore comperto, nostri in varia se attollunt argumenta, elaborantes circa urbium et oppidorum, maxime [quæ] in confinibus hostium posita erant, munitionem; præcipue autem, circa Berythensium urbem, quæ hujusmodi opera plurimum videbatur indigere. Sed et princeps Antiochenus de tanti hostis vicinitate sollicitus, videns sibi duriorem oppositum adversarium, cum modico comitatu, ne terram suam militaribus copiis relinqueret destitutam, assumpto secum comite Tripolitano regem adiit, qui per eos dies in urbe Acconensi moram faciebat. Ubi in præsentia regni principum,

Digitized by Google

contra prædictum Salahadinum auxilium postulans, juxta votum meruit exaudiri. Designati sunt enim ei in optatum subsidium, de regni militia promiscuæ conditionis, quasi equites trecenti; qui eum ad partes Antiochenas secuti, dum in ejus parati erant militare obsequio, infra modicum tempus, sumpta ab eodem licentia, reversi sunt. Ipse vero cum prædicto Salahadino pace temporali composita, visus est aliquam tranquillitatem assecutus. Utque minus sollicitudinis haberet, magisque circa fines Antiochenas invigilare posset, et curam impendere propensiorem, Tarsum primæ Ciliciæ metropolim, quam a Græcis receperat, Rupino Armeniorum satrapæ potentissimo, qui ejusdem regionis urbes reliquas possidebat, multarum pecuniarum tradidit interventu; consulte id faciens: nam, cum esset ab eo remota nimis, et prædicti Rupini terra in medio constituta, non nisi cum difficultate, et infinitis sumptibus ejus curam princeps gerere poterat, quod prædicto nobili viro erat facile. Salahadinus autem, in ea regione rebus pro voto compositis, Damascum cum suis legionibus se transtulit. Unde etiam priore multo vehementior nostros formido corripuit; eoque periculosior, quo de ejus proposito per exploratores nullatenus certificari poterant. Aliis enim videbatur, quod advocato navali exercitu, Berythensium urbem, sicut anno proxime præterito fecerat, moliretur obsidere; alii vero nitebantur asserere, quod in montanis, qui Tyrensi prominent civitati; præsidia duo, Toronum et Castellum novum ejus esset propositum expugnare; aliis vero videbatur, quod regionem trans Jordanem, videlicet Syriam Sobal, cordi haberet depopulari, et oppida quæ in ea regione sunt, evertere. Nonnulli etiam erant qui persuadere nitebantur, quod diuturnis longisque expeditionibus fatigatus, pace ad tempus impetrata, propositum haberet in Ægyptum descendere, ut fatigatos exercitus repararet et sumptus iterum ad futuras expeditiones colligeret necessarios. Inter hæc igitur tam ambigua, rex et regni principes universi, cum multa formidine tenebantur suspensi. Unde collectis regni viribus apud fontem Seforitanum, ubi convenire de prisca consuetudine solent exercitus residentes, rei eventum præstolabantur. Vocatisque tam principe Antiocheno, quam Tripolitano comite, vires et subsidia corrogabant, undecunque de die in diem exspectantes, ut in aliquas regni partes subitus irrumperet, et legiones induceret solito multipliciores.

CAPUT XXV.

Rex apud Nazareth ægritudine correptus valida, Guidonem de Luziniano, comitem Joppensem, regni procuratorem constituit.

Dum igitur noster, apud fontem Seforitanum, ita suspensus detineretur exercitus, contigit regem apud Nazareth febre repentina gravissime laborare; morbo quoque elephantioso, quo ab initio regni sui, et a primis adolescentiæ auspiciis molestari cœperat, præter solitum ingravescente, lumen amiserat, et corporis extremitatibus læsis et computrescentibus omnino, pedes manusque ei suum denegabant officium; regiam tamen dignitatem et administrationem nihilominus (licet a nonnullis ei suggereretur, ut cederet, et de bonis regiis sibi tranquillam seorsum eligenti vitam, honeste provideret) hactenus detrectaverat deponere. Licet enim corpore debilis esset et impotens, forti tamen pollebat animo, et ad dissimulandam ægritudinem et supportandam regiam sollicitudinem supra vires enitebatur. Febre igitur, ut præmisimus, est correptus; et de vita desperans, convocatis ad se suis principibus, præsente matre et domino patriarcha, Guidonem de Luziniano sororis suæ maritum, comitem Joppensem et Ascalonitanum, de quo in superioribus sæpissimam fecimus mentionem, regni constituit procuratorem, salva sibi regia dignitate, retentaque sibi sola Hierosolyma cum reditu decem millium aureorum, annuatim solvendorum; reliquarum regni partium generalem et liberam ei contulit administrationem, præcipiens fidelibus suis et generaliter principibus omnibus, ut *ejus vasalli fierent, et ei manualiter exhiberent fidelitatem*; quod et factum est. Jurasse tamen prius de mandato domini regis perhibetur, *quod eo vivente non aspiraret ad coronam; et quod de universis civitatibus et castellis quæ rex inpræsentiarum possidebat, nihil transferret in alium, vel a fisco alienaret.* Creditur autem id studiose, et de multa industria eidem injunctum fuisse, et ad id firmiter observandum jurisjurandi religione in præsentia universorum principum obligatum fuisse, eo quod singulis eorum, fere de majoribus regni membris, portiones promiserat non modicas, ut ad id obtinendum quod petebat, eorum suffragiis juvaretur et studio; quibus, ut promissa compleret, simili vinculo, dicebatur astrictus. Nos vero id asserendo dicere non convenit, quia pro recto compertum non habemus; ita tamen fama frequente divulgabatur in populo. Erant tamen nonnulli, quibus hæc mutatio non multum placuit, quorum alii familiaribus studiis et ex causis occultis ad id ut displiceret proclives se dabant; alii publicam agentes causam et de regni statu anxie solliciti, publice contestabantur, prædictum comitem, tantæ administrationis imparem oneri, ad procuranda regni negotia non posse sufficere; alii vero, quibus de ejus promotione spes suberat, ut suas meliores possent facere conditiones, utiliter factum asserebant. Eratque murmur, et vox dissona plurimum in populo, juxta id quod proverbialiter dici solet:

Quot homines, tot sententiæ.

Verumtamen hac diu desiderata et injuncta sibi pro votis administratione, qua in primis satis inconsiderate visus est gloriari, non diu lætatus est, sicut in sequentibus dicetur. Inconsiderate autem onus hujusmodi præfatum sibi assumpsisse comitem, ea diximus ratione, quod non satis diligenter vires suas cum eo quod injungebatur munere com-

Digitized by Google

pensavit. Impar enim et viribus et prudentia, pondus importabile humeris imposuit, parabola non satis edoctus evangelica, qua suggeritur ei qui turrim vult ædificare, ut sedens prius computet sumptus, et discutiat diligenter utrum pares cum assumpto proposito vires habeat, ne deficiens audiat : *Iste homo cœpit ædificare, et non potuit consummare.*

CAPUT XXVI.

Salahadinus cum ingentibus copiis fines nostros ingressus, circa partes Scythopolitanas consedit; nostri occurrunt ei.

His ergo apud nos se ita habentibus, exercitu quoque nostro apud Sephorim in unum, ex parte plurima, congregato, sæpedictus Salahadinus, post multam deliberationem, accitis sibi viribus de regione quæ trans Euphraten est, convocatis quas undecunque potuit asciscere equitum copiis, in multitudine gravi et ad unguem armata, novissimum fines nostros ingressus est. Subito enim transcursa Auranitide regione, secus mare Tiberiadis, in campestribus Jordanis, eo loco cui nomen est Cavan, cum suis legionibus apparuit, in partes varias distributo exercitu ; unde profectus, secus Jordanis fluenta versus Scythopolim properat. Scythopolis autem, ut sæpe dictum est, ea est quæ hodie dicitur Bethsan, olim universæ metropolis Galilææ ; cujus nobilitatis argumenta, ex ædificiorum ruina pristinorum, et multo marmore, quod in effractis ædificiis invenitur, est colligere ; nunc vero ad nihilum redacta, raro incolitur habitatore, solo oppidulo, quod in paludibus situm est, paucorum habitationi reservato. Hi vero, licet armis et victualibus pro suo numero, et loci capacitate satis abundarent, de præsidii tamen munitione diffidentes, antequam hostilis omnino accederet exercitus, castrum deseruerant, relictis impedimentis omnibus, Tiberiadem se transferentes. Unde factum est quod hostes ad prædictum accedentes locum et vacuum reperientes, eum pro arbitrio tractaverunt : quidquid armorum, quidquid victus, quidquid utilium denique intus erat, secum deferentes. Unde profecti, divisoque procedentes exercitu, pars quædam circa fontem, cui nomen Tubania, qui ad radices montis Gelboe oritur, secus urbem antiquitus nobilem, quæ dicta est Jezrael, nunc autem vulgari appellatione dicitur parvum Gerinum, castra locaverunt, commoditatem aquarum secuti. Nostri autem qui apud fontem Sephoritanum (de quo sæpissimam in his tractatibus nostris fecimus mentionem) adhuc detinebantur in castris, exspectantes suspensi, ex quanam parte hostiles in nostram regionem vellent irrumpere legiones ; cognitoque quod campestria Bethsaniam tenerent, et multiformiter partitis legionibus jam occupassent illas partes, correptis armis unanimiter, vivificæ crucis lignum regiaque vexilla secuti, transcursis montibus, in quibus sita est Nazareth, Domini civitas, descenderunt in campum magnum, cui nomen vetus Esdrelon. Unde ordinatis aciebus, et juxta militarem disciplinam modo competenti dispositis, versus fontem Tubaniæ, ubi sæpe dictus Salahadinus, cum ingenti egregiorum et selectorum militum manu secus aquas se locaverat, cuneos dirigunt ; quasi propositum habentes, hostibus expulsis, aquarum sibi vindicare commoditatem. Quo pervenientes, rati sunt, quod non sine difficultate et periculosis congressionibus aquas possent obtinere ; subito Salahadinus castra solvens, ex insperato fontem deserit inferiusque versus Bethsan, fontis ejusdem fluenta sequens, vix unius milliarii spatio a nostris semotus, castrametatus est. Porro, antequam nostri ad eum pervenissent locum hostes turmatim se dividentes a majoribus copiis, regionem adjacentem circuire, et more hostili tractare jam inceperant ; ex quibus quidam vicum supra nominatum, videlicet parvum Gerinum, confregerant, cuncta quæ in eo reperierant, tradentes exterminio ; de loci tamen habitatoribus paucos, aut nullos reperire potuerunt; nam hostium adventu præcognito, ad loca munitiora se contulerant. Quidam autem eum locum, qui vulgari appellatione dicitur Forbelet, adeuntes, vicum effregerunt, cuncta quæ illis se dabant obviam tractantes hostiliter; alii vero vias secuti publicas, quibus ad nostrum, ex partibus diversis, tam equites quam pedites properabant exercitum, transeuntibus multiplicia inferebant pericula ; ita ut non sine discrimine et mortis dispendio, ad nostrum alicunde perveniretur exercitum. Nonnulli vero ex eisdem, in montem Thabor (quod prius fuerat inauditum) ascenderunt ; et monasterium Græcorum, quod dicitur Sancti Eliæ, pro libero tractantes arbitrio, ipsum etiam majus cœnobium effringere tentaverunt ; sed receperant se infra septa monasterii, quæ muro et turribus erant vallata, tam monachi quam eorum universa familia, et de viculis nonnulli finitimis ; qui eos qui in montem ascenderant hostes, ab universo monasterii ambitu viriliter abegerunt. Ascenderunt etiam, nihilominus ex eodem comitatu, in eum montem, super quem Nazarena sita est civitas ; ita ut de prominentibus collibus universam, infra se positam respicerent civitatem ; qui tantæ fuerunt formidini mulieribus et parvulis, senibus, aut debilibus qui in urbe erant relicti, ut dum certatim in majorem ecclesiam inveniendæ gratia salutis se conferre niterentur, multi a turba præfocati interiisse dicerentur. Armipotentium enim magna pars civium, aut castra secuti erant et expeditionem publicam ; aut ad urbes maritimas, maxime Ptolomaïdam, cum suis se transtulerant famulis.

CAPUT XXVII.

Fames in exercitu oritur valida ; tandem sine commisso prælio, tam nostri quam hostes ab invicem discedunt.

Sic igitur qui a majore hostium se diviserant exercitu, longe lateque per universam regionem

Digitized by Google

dispersi, volentibus ad nostras accedere legiones dura et gravissima inferebant pericula; quo terrore, jam nemo vel commerciorum gratia, vel auxiliarium more ad castra nostrorum audebat accedere: unde subito fames exorta est in exercitu. Nam, ut expeditius hostibus occurrerent, absque oneribus et impedimentis, nostræ illuc se transtulerant acies, sperantes quod infra biduum, aut triduum saltem res esset finem habitura. Indigebant autem maxime pedites, et præsertim qui ab ora maritima instantissime vocati fuerant, Pisani, Januenses, Veneti, Longobardi, qui relictis navibus et transfretandi apparatu (instabat enim transitus, Octobre jam pene mediante) simul cum peregrinis quos referendos susceperant, nostris se adjunxerant castris. Hi autem omnes, vix ad arma ferenda sufficientes, quia castrorum locus a mari quasi viginti distabat milliaribus, nihil omnino victualium intulerant. Mittuntur igitur legati ad urbes finitimas, qui earum præfectos, pro mittendis cibariis sub omni celeritate sollicitent; qui debita diligentia, regiæ parentes jussioni, certatim et sine dilatione, quanta possunt, illuc dirigunt victualia. Quorum pars maxima ad castra perveniens, opulentiam intulit pro loco et tempore sufficientem; pars vero quædam incautius delata, ad manus hostium pervenit, multam inferens commoditatem; nam et ipsi nihilominus inopia premebantur. Præmissi fuerant sane de nostris equites nonnulli, quibus id erat muneris specialiter injunctum, ut iis qui cum alimentis ad exercitum accedebant, tutum procurarent accessum, qui quos repererunt sibi obviam, cum incolumitate perduxerunt ad castra; quibus autem hi tales non fuerunt præsidio, manus hostium incurrentes, aut gladio interempti sunt, aut hostibus perpetuo servire compulsi. Hic sane si nostra peccata, nobis Deum passa fuissent esse propitium, videbatur robur hostium facile in ruinam verti potuisse et intolerabilem superbiam descendisse in lubricum. Nunquam enim legitur tantam ex universo Orientali tractu convenisse, tam equitum quam peditum multitudinem; nec ab aliquibus traditur senioribus adeo armatam in unum coiisse manum, ex privati regni viribus. Erant enim eis equites ad mille trecentos; peditum vero armatorum egregie, quindecim millium summam dicebatur numerus excedere. Præterea magni et admirabiles præerant exercitui duces, illustres genere et armorum experientia præclari: dominus Raimundus comes Tripolitanus; dominus Henricus dux Lovaniæ, nobilis de imperio Teutonicorum princeps; Radulfus de Maleine, inclytus de Aquitania vir, exceptis regni principibus, qui erant, Guido comes Joppensis, Rainaldus de Castellione, dominus terræ ultra Jordanem, qui aliquando fuit princeps Antiochenus, Balduinus de Ramis, Balianus Neapolitanus frater ejus, Rainaldus Sidoniensis, Galtherus Cæsariensis, Joscelinus regius senescalcus. Ex his omnibus videbatur satis probabile, hostes nostros, inconsiderate nimis transisse Jordanem, et nostris finibus insedisse; sed peccatis nostris id merentibus, *effusa est contentio super principes* (*Psal.* cvi, 40), ita ut in publicis negotiis, quæ tantam videbantur exigere diligentiam, non solum negligenter, verum etiam malitiose dicerentur versati. Nam qui negotia præsentia videbantur maxime promovere potuisse, hi, ut dicitur, comitis Joppensis odio, cui regni curam nudius tertius rex commiserat, indigne ferentes, quod homini incognito, indiscreto et penitus inutili tantorum negotiorum summam in tantis periculis, et tantæ necessitatis articulo commisisset. Unde factum est quod per octo dies continuos, castra hostium circa se posita, et vix a nostris distantia spatio unius milliarii, patienter nimis, imo probrose, quod nusquam alibi in regno accidisse legitur, passi sunt moram facere, et in regionem pro libero arbitrio desævire universam. Mittebantur qui aderant viri simplices, et malitiæ principum nostrorum expertes, quidnam esset, quod tanta opportunitate oblata non fieret cum hostibus congressio, neque de conflictu quidquam ordinaretur. Prætendebant tamen occasionem, ubi de his in publico tractabatur, quod Salahadinus hostilium princeps legionum, in loco resideret scopulis obsito, ita quod ad eum, non sine periculo gravi, nostræ possent acies accedere; præterea et cohortes haberet validas, quasi in circuitu dispositas, quæ in nostros propositum haberent undique irruere, si cum Salahadino nostræ tentarent acies congredi. Dicebatur a quibusdam, quia vere sic erat, et juste a principibus sic allegabatur; alii vero asserebant, quia color quæsitus erat et fraudulenter fabricabatur belli fuga, ne comiti ascriberetur si quid prosperum in eo facto accideret, et sub ejus ducatu rem bene gessisse viderentur. Hæc tam multipliciter a pluribus dicta, ita conscripsimus, nihil assertive ponentes, tanquam qui rei veritatem non sumus plenius assecuti. Certum est tamen, quod septem aut octo diebus continuis, circa Jordanem in finibus nostris hostes moram egerunt liberam, nostris quotidie impune damna irrogantes multiplicia. Octava tandem die, sive nona potius, revocatis expeditionibus suis, ad propria reversus est indemnis. Nostri vero ad fontem iterum se contulerunt Sephoritanum, non penitus, quin adhuc rediret, securi. Accidit autem per eosdem dies, quibus ad fontem Tubaniam noster exercitus detinebatur, quiddam memoria dignum. Nam, cum hactenus tam fons supra nominatus quam qui ex eo rivus profluit, pisces aut nullos, aut rarissimos habere crederetur, illis diebus tantam dicitur copiam ministrasse, quæ universo exercitui sufficere posset.

CAPUT XXVIII.

Salahadinus urbem Petracensem trans Jordanem obsidet; et obsessam impugnat hostiliter.

Accidit porro non multum ab eorum opinione secus; nam vix evoluto unius mensis spatio, reno-

Digitized by Google

vatis viribus, bella parat recidiva, revocat cohortes, congregat legiones, comportat machinas, et eorum omnium quæ urbes obsidentibus usum solent præstare necessarium, curam gerit diligentem. Quibus rite dispositis, transcursis Basan et Galaad; Ammonitarum quoque et Moab, quæ sunt ultra Jordanem regionibus, urbem cui nomen pristinum Petra deserti, modernum vero Crach, obsidere disponit. Quo per exploratores præcognito, Rainaldus de Castellione, qui regionis illius tanquam hæreditatis uxoriæ curam gerebat, trahens secum militiam, quæ ad castri tuitionem sufficere posse videbatur, ad partes illas citus pertransiit. Erat autem ei ibidem et aliud negotium. Nam Henfredus tertius, junioris Henfredi filius, senioris Henfredi qui cognominatus est de Torono, regii constabularii ex filio nepos, prædicti Rainaldi privignus, domini regis sororem juniorem, quam quadriennio pene ante desponsaverat, ducturus erat illis diebus in uxorem. Vix ergo ad locum pervenerat supra nominatum, vixque nuptiarum compleverant solemnia, cum ecce eadem die, ut dicitur, Salahadinus cum innumerabili adfuit multitudine, machinas et tormenta jaculatoria, quibus obsessa solent flagellari præsidia, secum deferens; et castris circumpositis locum obsidione vallavit. Fuit autem prædicta civitas in monte sita sublimi admodum, et vallibus ambitu profundis; jacuitque multis temporibus confracta, redacta penitus in solitudinem. Tandem vero regnante domino Fulcone Latinorum Orientalium rege tertio, Paganus quidam qui cognominatus est Pincerna, regionis ultra Jordanem dominus, in eodem monte, in quo civitas sita fuerat, præsidium fundavit, in ea montis parte, qua idem mons minus clivosus est, et quæ plano exterius adjacenti magis est contermina. Qui vero successerunt ei, Mauritius videlicet nepos ejus et Philippus Neapolitanus, locum prædictum vallo et turribus reddiderunt insigniorem. Extra prædictum autem præsidium, ubi olim civitas ædificata fuerat, suburbium nunc erat, in quo ejus loci habitatores quasi satis tuta sibi posuerant domicilia. Nam ab oriente erat eis oppidum, quasi pro munitione summa, ex reliquis vero partibus totus mons, ut prædictum est, imis vallibus cingebatur: ita ut, si vel modico muro esset præcinctus, nullius hostilitatis formidaret accessus; duobus enim tantum locis, ad montis fastigium ascendendi patet opportunitas, qui a paucis facile contra hostium ingentes copias possunt defendi, reliquæ vero partes omnino dicuntur imperviæ. Videns ergo princeps Rainaldus, quod hostes advenerant, proposuit, improvide satis, sicut iis videtur qui circa hujusmodi sensum habent exercitatum, locum exteriorem et suburbium præsidio adjacens, tueri; inhibuitque habitatoribus loci, res suas in præsidium transferre volentibus, et suæ providere saluti, ne sua desererent domicilia, nec aliquid de suis frivolis præsumerent asportare. Sed, dum tam equites quam peditum manipuli cifca hoc essent solliciti, et ad impediendum hostium ascensus desudarent, vicit hostium multitudo; et illis in fugam versis, qui eis iter præpedire molie bantur, montem obtinuerunt, ferro iter aperientes universum; ita ut paulo minus cum nostris in præsidium se recipere certantibus, hostes violentum habuerint ingressum; ita ut nisi unius equitis, cui nomen Ivenus erat, restitisset miranda probitas, qui jam de hostibus accesserant, per pontem et portam ponti conterminam, liberum suis et sine difficultate vindicassent introitum. Sic ergo miseri cives, imprudenti rectoris consilio, rerum suarum passi sunt dispendium, hostibus eorum lares obtinentibus, cum utensilibus omnimodis et supellectile universa. Qui autem in præsidium se receperant, timentes hostium impetum, imprudenter nimis et inconsiderate penitus, pontem, qui super vallum erat unicus, quo iis qui obsessi erant, introitus patebat et exitus, dejecerunt. Erant autem intus promiscuæ conditionis et sexus turba plurima et inutilis, quæ obsessis potius oneri erant quam utilitati, histrionum videlicet, tibicinum et psaltriarum, quæ ex omni regione ad diem nuptiarum convenerant; quibus præter spem accidit; nam dum ludicra quærerent et lasciviam nuptialem, Martios invenerunt congressus, et longe suis studiis dissimiles præliorum occupationes. Contulerant se præterea in locum prædictum ex locis suburbanis. Suriani cum uxoribus et parvulis, locumque repleverant. Ita ut discurrere volentibus, præ turbis non pateret via libera; essentque viris expeditioribus, et defensionis studio dantibus operam oneri et impedimento. Victualibus tamen dicebatur locus abundare; sed armorum non erat tanta copia, quantam loci tuitio videbatur exigere.

CAPUT XXIX.

Rex comiti Joppensi administrationem aufert; Balduinum nepotem suum regio diademate coronat.

Rex vero interea videns, quod in supradicto negotio apud fontem Tubaniacum comes Joppensis, cui, ut præmisimus, regni commiserat administrationem, minus strenue minusque prudenter se gesserat; quodque ejus imprudentia et omnimoda insufficientia regni status pene lapsus fuerat, saniore usus consilio, revocat ad se suam quam illi commiserat administrationem. Dicuntur et aliæ subesse causæ. Nam, ut prædiximus, ubi curam regni ei commiserat, urbem Hierosolymam cum decem millibus aureorum persolvendorum annuatim, pro expensis familiaribus, sibi retinuerat; postmodum, facti pœnitens, pro Hierosolyma Tyrum eisdem conditionibus, eo quod munitissima totius regni esset civitas et suis commoditatibus aptior videretur, sibi voluit permutari. Quam ejus petitionem, quoniam comes ægre visus est suscepisse, rex prædictam dicitur mutasse sententiam. Factumque est merito ut, qui in modico erga eum qui sibi universa contulerat, noluit esse liberalis, ab universa summa rerum decideret. Nec solum

Digitized by Google

regni cura et administrationis honor ei subtractus est, verum etiam successionis spes est eidem penitus amputata. Nam de communi principum consilio, maxime domini Boamundi principis Antiochenorum, domini quoque Raimundi Tripolitani comitis, Rainaldi Sidoniensis, Balduini Ramatensis, Baliani fratris ejus, præsente ipso et contradicere non audente, suggerente hoc et ad id penitus hortante matre, Balduinus, adhuc puerulus, vix annorum quinque, prosequente eum universæ plebis suffragio, cleri quoque qui præsens erat assensu, in ecclesia Dominicæ Resurrectionis, regia decoratus est unctione, et solemniter coronatus; statimque sine dilatione exhibitæ sunt eidem puero, universorum baronum cum solita juramentorum forma manualiter fidelitates, honorque et gloria regiæ debita majestati, cum omni plenitudine sunt depensa; solus tamen Joppensis comes, ut ei suum exhiberet hominium, a nemine est invitatus : quod factum prudentioribus, sicut erat procul dubio, conceptæ simultatis, imo manifesti odii, evidens visum est argumentum, sicut ex post facto liquebit manifestius. Verum super hoc tantæ mutationis articulo varia erat et multiplex virorum prudentium opinio, dicentibus aliis, quod in hac pueri promotione nihil compendii regno, nihil utilitatis rebus accessisset publicis : nam uterque regum, alter morbo, alter ætate præpediente, prorsus erat inutilis; magisque videretur expediens, si de communi consilio procerum, alicui viribus strenuo, consilio pollenti, regiorum cura negotiorum, et reipublicæ committeretur administratio; aliis autem videbatur, quod de puero factum erat, etsi non poterat usquequaque utile judicari, in eo tamen publicæ videbatur consultum esse utilitati, quod prædicto comiti ad regni successionem anhelanti, viro, ut dicebant, insufficienti, succedendi spes erat præcisa : in quo futurorum materia scandalorum, et periculosæ seditionis quæ post regis obitum timebatur, fomes, finem accepisse sperabatur. Omnibus tamen mens una erat et desiderium, ut gerendis publicis, maximeque educendis et reducendis exercitibus, contra hostium solito vehementiorem instantiam, præficeretur procurator; idque soli comiti Tripolitano convenire, eumque solum ad prædicta posse sufficere, pene omnium una erat sententia. Factum est autem hoc, anno ab Incarnatione Domini 1183, indictionis 1, mense Novembre, vicesima die mensis.

CAPUT XXX.

Rex congregatis copiis ultra Jordanem festinat, ut obsessis subveniat. Salahadinus obsidionem solvit.

At vero Salahadinus interim, dum hæc Hierosolymis sic aguntur, obsessam urbem cura nihilominus propensiore et totis viribus fatigabat, iis qui intus erant obsessi, requiem importuna denegans instantia. Octo enim erectis machinis, sex ab interiori parte, ubi antiqua fuerat civitas, duabus vero ab exteriore, in eo loco, qui vulgari appellatione dicitur Obelet, castrum tanta importunitate non minus nocte quam interdiu, immissis miræ magnitudinis molaribus flagellabat, quod vel manum exerere, vel respicere per cancellos, aut aliquo defensionis uti genere nemo illorum qui intus erant, præsumerent attentare; eoque ventum erat, quod eis præ nimio terrore confusis, nec audentibus comparere, hostes ad prædam, quam miseri cives in vallum, quod præsidio conterminum suberat, introduxerant, immissi funibus impune occiderent, et divisa membratim animalia sibi extraherent ad cibum indemnes, omnino adversitatis nihil ab oppidanis perpessi. Sed et qui in exercitu hostium erant, coquorum vel pistorum habentes officium, quique rerum venalium procurabant forum, hi in domibus civium omni commoditate refertis officinas locaverant suas, libere suis professionibus utentes. Repererant sane in eis frumenti, hordei, vini et olei pro votis abundantiam, quibus, invitis eorum dominis, violenter utebantur. Porro qui in præsidio erant, et ipsi machinam aliquando tentaverunt erigere; sed tanto artificio saxa dirigebant contorta, qui machinis præerant exterioribus, quod præ assiduis ictibus et mortis formidine, quam singuli lapidum immissorum intentare videbantur, nostri a proposito deficientes, satius judicabant, patienter quidquid inferebatur portare, quam ad illud defensionis genus cum mortis se attollere periculo. Nec solum qui egrediebantur de abditis, accedentes ad propugnacula, ut vel tela vel lapides in hostes jacularentur, vel ut obsidentes inspicerent legiones, tanto erant expositi periculo, terroreque quatiebantur ad desperationem compellente; verum et qui erant in conclavibus intimis, et qui ad loca secretiora se contulerant, accedentium fragore molarium et sonitu perterriti, videbantur quasi audire tonitrua, exspectantes quasi fulminum ictus, et suspensi semper, ne confracta super eos ruerent ædificia. Sollicitus erat rex interea, et tota procurabat diligentia quomodo subveniretur obsessis; quomodo eis desideratum maturaretur subsidium. Assumpto igitur secum vivificæ crucis ligno salutari, et regni viribus ex omni parte congregatis, ad partes illas properat, opem laturus obsessis; perveniensque ad mare Salis, quod alio nomine dicitur lacus Asphaltes, secus locum cui nomen Segor, qui hodie vulgari appellatione dicitur Palmer, post multas deliberationes, universo exercitui ducem ac præceptorem, comitem instituit Tripolitanum. Salahadinus vero, cognito per exploratores, quod Christianus in proximo esset exercitus, et quod Tripolitanus comes præfectus esset legionibus, depositis machinis, et indicto suis reditu, obsidionem, qua per mensem continuum, locum afflixerat prædictum, solvit ad propria reversus. Rex tamen nihilominus cum omni exercitu ad locum perveniens destinatum, optatam civibus intulit consolationem; indictoque reditu et revocatis agminibus, sospes Hierosolymam reversus est.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER VIGESIMUS TERTIUS.

PRÆFATIO.

Proposueramus sinistrorum tædio casuum, qui frequentius solito, imo qui pene continue regno accidunt, a modo calamis otium indicere, et sepulta mandare silentio quæ posteris publicanda susceperamus. *Nemo enim est, qui non invitus languorem patriæ, et suorum defectus in lucem proferat, cum quasi inter homines conveniat, et tanquam naturale reputetur, unumquemque totis niti viribus patriam laudibus attollere, et titulis non invidere suorum.* Verum præconiorum nobis omnis subducitur materia, et solum apta fletibus et lacrymas extorquens nobis se offert lugentis patriæ calamitas, et miseria multiformis. Qui enim hactenus in superioribus libris, virorum fortium qui in nostro Oriente, maximeque Hierosolymis, per annos octoginta et amplius principatum tenuerunt, egregia facta, qualiquali stylo descripsimus, deficimus in nobisipsis detestatione præsentium, obstupescentes materiam, quæ se oculis et auribus ingerit, quæ nec Codri carmine, nec cujuslibet Mævii digna est relatu. Nihil enim in nostrorum principum actibus occurrit, quod memoriæ thesauris, vir prudens credat esse mandandum; nihil quod aut lectori recreationem conferat, aut scriptori proficiat ad honorem. Periit enim apud nos, juxta quod propheta conqueritur: *A prudente consilium, sermo a sacerdote, visio a propheta* (*Jer.* XVIII, 18); factusque est apud nos, *sicut populus, ita et sacerdos* (*Osee* IV, 9); ita ut nobis aptari possit illud propheticum, *Omne caput languidum, et omne cor mœrens; a planta pedis usque ad verticem, non est in nobis sanitas* (*Isa.* I, 6). Jam enim ad ea tempora, quibus *nec nostra vitia, nec eorum remedia pati possumus*, perventum est; unde nostris id merentibus peccatis, facti sunt hostes in capite; et qui de inimicis triumphantes, palmam frequentius solebamus referre cum gloria, nunc in omni pene conflictu, divina destituti gratia, deteriorem calculum reportamus. Ideoque silendum erat, consultiusque videbatur nostris defectibus, noctem inducere, quam solem inferre pudendis. Sed quibus cordi est, ut in eo quod semel cœpimus, nos continuemus proposito, quique orant instantius, ut regni Hierosolymorum status omnis tam prosper quam adversus, posteritati, nostra significetur opera, stimulos addunt, proponentes historiographorum disertissimos, Titum Livium videlicet, Romanorum non solum prospera, sed etiam adversa mandasse litteris; Josephum quoque, non solum quæ a Judæis egregie gesta sunt, verum et quæ eis sunt ignominiose illata, longis tractatibus publicasse. Abundant et aliis exemplis, qui ad hoc nos nitantur impellere; eoque facilius persuadent, quod plane liquet rerum gestarum scriptoribus, utramque sortem pari esse ratione propositam, ut *sicut gestorum feliciter narratione posteros ad quamdam animositatem erigunt; sic infortuniorum subjectorum exemplo, eosdem reddant in similibus cautiores.* Annalium enim conscriptores non qualia optant ipsi, sed qualia ministrant tempora, mandari solent litteris, ex officio. Rerum autem et bellorum maxime, varius solet esse eventus, et non uniformis; in quo non prosperitas continua, nec casus oppositus sine lucidis intervallis. Vincimur ergo; et quæ subsequentia ministrabunt tempora, sicut cœpimus (utinam fausta feliciaque!), auctore Domino, vita comite, scripto mandare curabimus diligenter, a secundo proposito revocati.

CAPUT PRIMUM.

Inter regem et comitem Joppensem nutrita diu simultas, erumpit in lites exsecrabiles; reconciliationis nulla apparet spes. Tripolitanus regni administrationem et tutelam regiam obtinet.

Interea inter regem et comitem Joppensem odiorum fomes, magis magisque per dies singulos ex causis occultis augebatur, eoque usque contractus rancor proruperat, quod rex jam manifeste causas videbatur colligere velle, quibus sororem suam ab eo soluto matrimonio separaret; unde juxta hoc propositum, patriarcham publice convenit, diem sibi præfigi postulans, quasi matrimonium accusaturus, qua in ejus præsentia solemniter celebraretur divortium. Comes vero super iis omnibus instructus, ab expeditione rediens, a reliquo exercitu segregatus, compendioso itinere Ascalonam profectus est, uxorem præmonens, quæ tunc Hierosolymis morabatur; quod ante regis introitum, maturius ab eadem urbe discedens, Ascalonam proficiscatur; verebatur enim ne si rex ejus copiam habere posset, eam ad virum non permitteret redire ulterius. Mittitur ergo a rege nuntius qui comitem evocet, et vocationis causam aperiat; ille vero renitens, absentiæ causas allegat, prætendens ægritudinem. Cumque sæpius evocatus venire differret, adjecit rex in propria persona illuc ire, et comitem viva voce solemniter in jus vocare. Quo perveniens, cum quorumdam ex principibus suis comitatu, civitatis portas serratas reperit, quas manu tangens, et tertio eas sibi aperiri præcipiens, cum neminem inveniret qui ejus obediret verbo, cum debita indignatione reversus est, spectante id universæ civitatis populo, qui in turribus et muris, audito regis adventu se locaverant, rei exitum præstolantes. Rex vero inde Joppen recto tendens itinere, ante-

Digitized by Google

quam ad urbem perveniret, quamplures ex loci ejus civibus obvios habuit, ex utraque classe majores; quibus urbem aperientibus, rex sine difficultate ingressus est; ibique ordinato procuratore, qui loci curam gereret, Accon pervenit. Iudicitur ergo apud eamdem urbem curia generalis, ad quam cum die statuta regni principes convenissent, cœpit patriarcha, utrumque magistrum, Templi videlicet et Hospitalis, in eo verbo habans consortes, dominum regem convenire, et etiam flexo genu, pro comite intercedere, ut rancore deposito, eum in suam gratiam restitueret; cumque statim exauditi non fuissent, recesserunt cum indignatione simul, non solum a curia, verum etiam a civitate. Fuerat autem in præsentia principum qui convenerant, verbum propositum de mittendis nuntiis ad reges et reliquos principes ultramontanos, qui eos ad Christianitatis et regni auxilium invitarent. De quo cum prior habendus esset tractatus, patriarcha, ut prædiximus, incidens, verbum præfe ens principale, in sermonem priorem descenderat; ita- A que cum motu intemperato, ut præmisimus, ab urbe discesserant Acconenses. Comes vero Joppensis cognito, quod ad ejus pacem rex animum suum nollet inclinare, adjecit pejora prioribus; et assumens eam quam secum habebat militiam, versus castrum, cui nomen Darum, suos direxit; et in castra quorumdam Arabum, qui in partibus illis gratia pascuorum, tentoria locaverant sua, a rege habentes securitatem, et sub ejus fiducia commorantes securi, repentinus irruit, et imparatos reperiens, prædam inde et manubias agens, reversus est Ascalonam; quo cognito, rex, iterum revocatis principibus, Tripolitano comiti regni curam et generalem administrationem committit, in ejus prudentia simul et magnanimitate spem habens. In quo B facto, populi universi et principum, ex parte plurima videbatur satisfecisse desideriis : unica enim et singularis videbatur omnibus salutis via, si prædicto comiti regiorum cura committeretur negotiorum.

Reliqua desiderantur.

IN GUILLELMI TYRENSIS CONTINUATAM BELLI SACRI HISTORIAM MONITUM.

(D. Marten. *Ampl. Collect.*, t. V, col. 581.)

Inter editos a Jacobo Bongartio belli sacri scriptores, maximo fuit semper in pretio Guillelmi Tyrensis archiepiscopi historia, cum propter rerum quas tractat multitudinem et varietatem, tum propter auctoris ipsius gravitatem, quæ certe tanta fuit, ut dictus sit totius historiæ princeps, doctrina non vulgari et supra sæculum illud amœna, experientia varia, acri vir judicio, quantumque licet judicare vita et ingenio probus, dictione etiam elegans et gravis. (Bongart. *in præf. supra.*) *Opus autem suum in duos et viginti libros distribuit, incœptoque vicesimo tertio necdum absoluto ex hac vita migravit. Hos autem libros in veteri codice illustrissimi domini Gastonis de Noailles, quondam episcopi Catalaunensis, ante annos quingentos ab auctore anonymo Gallice redditos cum interpolationibus quibusdam reperimus, qui etiam Tyrensis archiepiscopi historiam ad annum* 1275 *usque continuavit ; opus sane omnium qui illud legerunt judicio publica luce non indignum : res quippe in Oriente gestas per annos circiter centum accurate describit, multaque refert quæ alibi facile non reperias. Res etiam Constantinopolitanas, Gallicanas, Anglicanasque et quæ imperium spectant passim attingit.*

Integrum interpretis opus suadebant nonnulli ut hic daremus, maxime cum plura versioni suæ, quæ a Tyrio exulant, immiscuerit. Verum ab hoc nos proposito deterruere non pauca. 1. *Immensa operis moles;* 2. *antiquissimum idioma Gallicum quod non nisi magno labore intelligi potest ;* 3. *quod ea quæ Tyrio auctor immiscuit aliunde forsan innotescere poterunt. Sufficiat igitur hic continuatam Guillelmi Tyrensis archiepiscopi Historiam edere, ad cujus faciliorem intelligentiam vocum exoticarum glossarium subjungemus.*

De translatoris vero ætate duo possumus certo definire. Primo, quod saltem attigit annum 1275, *quo opus suum absolvit. Secundo, quod ante annum* 1295, *supremam operi suo manum apposuit. Eo quippe anno scriptus est codex quo usi sumus, ad cujus calcem hæc legimus :* Cest livre fu escrit et accompli à Rome l'an de l'Incarnation nostre Seignor Jèsus-Christ MCCXCV u mois de Mai, u tans du pape Boniface huitisme, nés d'une cité qui est en campagne, qui a nom Anaigne, qui fu eslut après pape Celestin le quint, qui ot nom frère Pierre de Moron, qui renunça en la cité de Naples.

Digitized by Google